COMMENTARII
IN
LIBRUM
SAPIENTIÆ

AUCTORE

R. P. CORNELIO CORNELII
A LAPIDE
SOCIETATIS JESU
Sacræ Scripturæ olim Lovanij, posteà Romæ Professore.

VENETIIS, M. DCCVI.

Apud Hieronymum Albriccium.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

COMMENTARIUS
IN LIBRUM
SAPIENTIÆ.
ARGUMENTUM.

TRIA hic de more præmittenda sunt. Primum, de auctoritate libri: Secundum, de auctore: Tertium, de argumento.

QUÆRITUR ergo Primò, An Sapientia sit liber Canonicus S. Scripturæ? Negant Iudæi & hæretici, imò nonnulli Catholici, vt Lyran. & Caietan. Iudæi, quia in hoc lib. c. 2. 20. prædicitur mors Christi, illi in cruce infligenda ab impiis Iudæis. Hæretici, quia, dum liber hic commendat castitatem, opera bona, martyria, merita & præmia, contrariis eorum hæresibus aduersatur: vnde eum reiicit Kemnitius in Examine Concilij Trident. sess. 4. imò Caluin. lib. 1. Instit. c. 11. §. 8. scribit, se in libro Sapientiæ inuenisse mendacium, scilicet de inuentore idololatriæ, qui c. 14. 15. dicitur fuisse pater lugens filium sibi morte areptum. quæ Caluino Scriptura indigna est Biblijs, dignaque fauillis: sed de hoc fusiùs agendum c. 14.

Sapientia est S. Scriptura.

Verùm Respondeo & dico, de Fide est librum Sapientiæ esse Canonicam Scripturam. Patet, quia ita definiuit Concil. Florent. in vnione Armen & Tridentinum sess. 4. Carthagin. III. c. 47. Toletanum XI. in Profess. fidei, Sardicense apud Theodoret. lib. 2. Histor. cap. 8 Triburiense c. 34. Pistense c. 1. Nicenum II. act. 4.

Hinc Christus & Apostoli ex libro Sapientiæ testimonia, æquè ac ex alijs libris Canonicis mutuati sunt. Nam ex Sapient. 3. v. 17. *Fulgebunt iusti*, citat Christus illud Matth. 13. 43. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum*. Rursum Matth. c. 27. 43. refert id, quod habetur Sap. 2. v. 13. *Filium Dei se nominat.* Et v. 18. *Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit de manibus contrariorum.* Paulus quoque ad Rom. 11. vers. 34. profert illud Sap. 9. 13. *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Et ad Ephes. 6. 13. & 17. depromit id, quod habetur Sap. 5. 18. & 19. *Accipiet armaturam zelus illius, & induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem.* Idem Hebr. 1. v. 7. & 11. & alibi alludit ad dicta Sapientiæ c. 4. 6. 7. & 9.

Idem faciunt Patres Græci & Latini, qui Sapientiam citant, vt diuinam Scripturam, imò vt librum Salomonis. Loca eorum citabo quæst. 2. nunc sufficiat vnius S. Aug. sententia, qui lib. 2. de Prædest. Sanctor. c. 14. & lib. 2. de Symbolo ita scribit: *Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis Episcopis vsque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos cum veneratione diuinæ auctoritatis audiri.*

Quare vana est Caietani exceptio, dicentis librum Sapientiæ à Patribus vocari Canonicum, id est regularem, quia valet ad ædificationem fidelium, at non ad stabilienda fidei dogmata: ad vtrumque enim valet diuina Scriptura, qualem aiunt esse Patres librum Sapientiæ. Vide Melchiorem Canum lib. 2. de Locis c. 11.

Porrò S. Athanas. in Synopsi, S. Epiphan. lib de Ponderib. & mensuris, S. Hieron. in Prologo galeato, & epist. 115. & in c. 8 & 12. Zachariæ, & Damasc. 4. de Fide c. 18. asserunt, Sapientiam non esse in canone Hebræorum, & suo tempore necdum ab Ecclesia receptam vt librũ Canonicum; legendum tamen in Ecclesia ad ædificationem plebis. Quare liber hic non est protocanonicus, id est primæ classis S. Script. quales sunt ij, de quorum fide numquam est dubitatum, sed deuterocanonicus, id est, secundæ classis, quales sunt ij, de quorum fide dubitatum fuit aliquando, at postmodum tota Ecclesia, re examinata, Aem in canonem admisit. Audi S. August. lib. 2. de Doctr. Christ. c. 8. *Illi duo libri, vnus, qui Sapientia; & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheta numerandi sunt.* Et lib. de Prædestinat. Sanctorum c. 14. *Sed qui sententiis tractatorum*, ait, *instrui volunt, oportet vt istum librum Sapientiæ, vbi legitur, Raptus est ne malitia immutaret cor eius, omnibus tractatoribus anteponant: quem sibi anteposuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi diuinum testimonium crediderunt.* Addit S. Isidor. lib. 1. Offic. c. 12. quem sequitur noster Lorinus, olim librum hunc hebraicè extitisse, fuisseque in canone Hebræorum, sed à posterioribus Iudæis Christicidis abrasum ex eo, & abolitum, legique vetitum; eò quòd nimis aperta de Christo, ac Iudæorum contra Christum insidiis & machinationibus oracula contineret. Vide Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c. 13. Sixtum Senensem lib. 8. Biblioth. hæresi 9. Iudocum Coccium in Thesauro Catholico, in Sapientia, & Gonsaluum Ceruantes procemio in Sapientiam.

Secunda classis.

Denique Ioannes Picus Mirand. Præfat in Heptapl. asserit ab Hebræis legi librum Sapientiæ, à Salomone rege ex medulla Mosaicæ legis hebraicè conscriptum; sed
B alterum & diuersum ab hoc nostro, cuius quoque meminit Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autolycum.

QUÆRITUR Secundò, quis sit auctor libri Sapiẽtiæ?

An Salomon sit auctor?

Prima sententia est multorum, qui censent auctorem esse Salomonem, imò nonnulli putant, id esse quasi de fide. Ita noster Christoph. à Castro hic, & Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. hæresi 9. Rugerius l. de Libris Canon. c. 24. ac fusè Gonsaluus Ceruantes quæst. 1. Prol. in Sapientiam, qui censet Sapientiam hebraicè extitisse tempore Septuag. Interpretum, & ab eis in Græcum, æquè ac ceteros S. Script. libros, esse traductam.

Probant Primò, quia hic liber in Græcis Bibliis inscribitur, *Sapientiam Salomonis*.

Secundò, quia multi Patres eum tribuunt Salomoni, vocantque sapientiam Salomonis, vt Tertull. lib. de Præscript. c. 7. Cyprian. l. 3. Testimon. c. 15. 52. 58. & 59. S. Ambros. lib. de Paradiso c. 7. S. Hilar. in psalm. 127. Clemens Alex. lib. 6. Strom post med. Orig. 1. Periarch. c. 2. S. Basil. lib. 5. contra Eunom. c. penult. Nazianz orat. 49. S. Athan. in Synopsi Sacræ Script. S. Isidorus lib. 1. de Officiis Eccles. c. 12. quin & Concil. Carthag. III. Innocent I. epist. 3. Euaristus epist. 1. Felix I. epist. 3. Lactant. lib. 4. cap. 16. Epiph.
C hæresi 76. Damasc. 3. de Fide c. 18. Melito Asianus apud Euseb. lib. 4. histor. c. 25. vel 26. vbi quinque Salomonis numerat libros, scilicet Prouerbia, Sapientiam (Græcà ἡ σοφία, perperam aliqui legunt, ἣ σοφία, id est *siue sapientia*, quasi Prouerbia alio nomine vocet Sapientiam) Ecclesiasten, Canticum & Ecclesiasticum. Hinc Euseb. lib. 4. histor. c. 22. *Hegesippus*, inquit, *& Irenæus, & omnis antiquorum chorus, librum qui adtitulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt, sicut & Prouerbia.* sic enim Eusebij verba ex Græco in Latinum traduxit Ruffinus.

Tertiò, quia ipse auctor libri cap. 9. 7. vocat se regem & ædificatorem templi, qui alius esse nequit, quàm Salomon: *Tu*, inquit, *elegisti me regem populo tuo*, &c. *& dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo.*

Resp. negatiue. Probatur Primò.

Verùm, longè verius est Salomonem non conscripsisse hunc librum. Primò, quia, si hic liber esset Salomonis, vtique Hebræis fuisset cognitus, & in canone S. Script. positus; iam autem nec in canone Hebr. est, nec hebraicè vlli visus fuit: nullus enim est, qui eum sa hebraicè vidisse asserat, ac nemo veterum (excepto vno Isidoro, qui posterior est) eum hebraicè scriptum asseuerat, vti de Euan-

gelio S. Matthæi asseuerat S. Hieron. & alij: cùm ex aduerso Ecclesiasticus hebraicè visus fuerit Iesu Sirach iuniori, utpote qui cum se ex Hebræo in Græcum transtulisse profiteatur in Prologo.

Secundò. Secundò, quia licet hic primitus græcè scriptus videtur: redolet enim Græcanicam eloquentiam, teste S. Hieron. in Prologo in libros Salomonis: sicut vice versa Ecclesiasticus, vtpote ex Hebræo in Græcum traductus, magis Hebræam, quàm Græcam phrasin & simplicitatem redolet. Confer hunc librum cum Prouerbiis, & videbis quanta sit styli phrasisque distantia, ac præsertim hìc esse elegantes discursus continuos & connexos, cùm in Prouerbiis sint sententiæ disparatæ, quæ nullum inter se habent ordinem vel nexum, ut planè ab auctoribus diuersis videantur conscripti hi duo libri. Adde, Salomonem huius libri non esse auctorem, inde certò colligi, quòd auctor cap. 15. v. 15. dicat hostes populi Dei, putà Ægyptios, imperare illi. Tempore autem Salomonis nemo imperabat Israeli, nisi Salomon, qui & Gentibus vicinis vel dominabatur, vel amicitiæ fœdere deuinctus erat. Scriptus est ergo hic liber sub tempus Ptolemæi Lagi: hic enim Iudæam oppressit.

Tertiò. Tertiò, quia veteres tres tantùm numerant Salomonis libros, scilicet Prouerbia, Ecclesiasten & Cantica. Ita Amphilochius Iconij Episcop. in carm. de legendis S. Script. libris, Isidorus Pelus. lib. 4. epist. 40. S. Hieron epist. ad Paulinum, quæ præfigitur Biblijs, & alij.

Quartò. Quartò, quia ita censent plurimi & grauissimi auctores, ut Lyran. Hugo. Dionys. Abulens. Iansenius, Driedo, Melchior Canus, Micheal Medina, Alfon. à Castro, Alfons. Curiel, Paulus à Palatio, Lorinus, Pamelius, Georgius Ederus, Didac. Couarruuias l. 4. Variar. resol. cap. 14. Adrian Finus, Genebrardus & alij, quos citat & sequitur noster Pineda præfat. in Ecclesiasten, c. 2. n. 20. Imò S. August. asserit hunc constantem & commonem esse fidelium sensum: eius verba mox recitabo.

Denique auctor huius libri alludit subinde ad fabulas poetarum, qui omnes Salomone longè fuere posteriores. Sic cap. 1. 14. dicens, *Nec inferorum regnum in terra*, alludit ad fabulam Plutonis & Ditis, qui fingitur à poetis rex inferorum, atque ab inferis ditionis suæ iura in terram extendisse. Rursum alludit ad ritus Gentilium, ut cùm ait c. 2. v. 8. ex sententia Epicureorum: *Coronemus nos rosis*. Nam coronas rosaceas apud Hebræos non fuisse tempore Salomonis, imò nec tempore Isaiæ & captiuitatis Babylonicæ, censet Tertull. lib. de Corona militis c. 9. videntur ergo illæ posteriori tempore, ex commercio cum Gentilibus ad Hebræos permanasse. Sic c. 17. 13. in Græco nominat Orcum, & alludit ad Lethen, qui à poetis inducitur velut fluuius inferni, mortuis eò venientibus inducens rerum omnium obliuionem, asseritque ex Orco promanasse tenebras Ægypti. Et c. vlt. vers. vlt. *manna* in Græco vocat *ambrosiam*, quæ à poetis fingitur esse cibus Iouis & deorum. Hanc sententiam clarè indicat versio Syriaca, dum hunc titulum libro præfigit: *Liber magnæ Sapientiæ ipsiusmet Salomonis filij Dauid: de quo facta est dubitatio, quasi aliquis sapiens ex Hebræis scripserit illum spiritu prophetico, cum nomine Salomonis posuisset, sine condidisset illum: & receptus est.* Putà habitus Canonicus. Arabica sic habet: *Liber Sapientiæ Salomonis filij Dauid, qui regnauit in filijs Israel.*

Ad Primum respondet S. Hieron. in Prologo, illam inscriptionem in Græcis codicibus esse falsam. *Alius*, inquit, *ψευδεπίγραφος, hoc est falsò inscriptus, qui Sapientia Salomonis inscribitur.* Et mox: *Apud Hebræos nusquam extat, & ipse stylus Græcam eloquentiam redolet, & nonnulli scriptorum veterum hunc esse Iudæi Philonis affirmant.*

Ad Secundum respondetur, Patres hunc librum citare nomine Salomonis iisdem de causis, quibus Ecclesiasticum tribuunt Salomoni, quas recitaui procemio in Eccles. ac præsertim, quòd auctor huius libri eum scripserit nomine Salomonis, eiusque personam induat, ac illum loquentem & docentem inducat. Sicut Plato suos Dialogos inscribit nomine Socratis, Gorgiæ, Protagoræ, Timæi, &c. quia eos loquentes inducit. & Xenophon suum opus inscribit Cyrum, siue Cyripædiam: & Cicero librum de Claris orator. inscribit Brutum, qui inter oratores excelluit. Sic ergo hic liber ascribitur Salomoni, quia Salomon hic loquens inducitur, qui omnium sententia fuit mortalium scientissimus, &, ut ille ait, antistes sapientiæ, Mineruæ corculum, prudentiæ ocellus, Themidis os, medulla consilij, Scripturæ anima.

Id disertè docet Euseb. lib. 11. Præpar. c. 5. *Hac ratione commotus*, inquit, *qui librum Sapientiæ persona sua* (eius, scilicet Salomonis) *inscripsit: Ipse mihi dedit horum quæ sunt scientiam, ait, veram*, &c. pergitque citare verba, quæ habentur Sapient. cap. 7. v. 17. Sic & Origen. in Ioannem tom. 20. *Sapientia liber*, inquit, *Salomonis inscriptus*. Ergo hic liber scriptus est non à Salomone, sed ab alio in persona Salomonis: unde & S. Thom. in 1. 2. q. 113. art. 3. ad 2. ait, in hoc libro sermonem esse ex persona Salomonis. Idem expressè docet Alfonsus Curiel controu. 2. in libr. Sapientiæ. Quin & S. August. lib. 2. de Doctrina Christ. c. 8. sic ait: *Illi duo libri, primus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur; nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissime perhibetur.* Et lib. 17. de Ciuitate cap. 20. de eisdem libris inquit: *Alij verò duo, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquij nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo: non autem esse ipsius: non dubitant doctiores.*

Accedit, quòd auctor Sapientiæ imitatus sit Salomonem, eiusque sensa, fortè etiam sententias & verba in libris Hebr. illius æui sparsim repertas collegerit, ordinarit, Græcaque phrasi & stylo expresserit, vt patet conferenti cap. 7. & 9. Sapient. cum iis, quæ de Salomone dicuntur 3. Reg. 3. 1. Paral. 28. 2. Paral. 1. Prouerb. 8. &c. Salomon enim locutus est tria millia parabolarum, & carminum quinque millia, ut patet 3. Reg. 4. 32. quæ omnia, nec Prouerbiis, nec Ecclesiaste, nec Cantico contineri queunt: pars ergo eorum Sapientia contineri potest. Ita censent Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei c. 13. Posseuinus in Apparatu sacro, verbo *Salomon*. Adrian. Finus lib. 6. Flagelli Iudæorum c. 13. & alii.

Ad Eusebium Resp. eius verba perperam traducta esse à Ruffino: græcè enim sic habet: οὐ μόνος δὲ οὗτος, ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος, καὶ πᾶς ὁ τῶν ἀρχαίων χορός, πανάρετον σοφίαν τὰς Σαλομῶντος παροιμίας ἐκάλουν. quæ ad verbum latinè sic sonant: *Non solus autem ipse, sed & Irenæus, & omnis veterum chorus, omni virtute refertam Sapientiam Salomonis Prouerbia nuncuparunt.* Itaque Euseb. non loquitur de libro Sapientiæ, sed de Prouerbiis Salomonis, eaque dicit à multis vocari Sapientiam πανάρετον, id est de omni virtute tractantem: Unde & Ecclesia in Officio diuino recitans Prouerbia Salomonis, v. g. *Dominus possedit me*, ex c. 8. *mulierem fortem* ex c. 31. præmittit: *Lectio libri Sapientiæ.*

Ad Tertium, iam dixi librum scriptum esse ab alio quidem, sed in persona Salomonis, ac ex multis Salomonis sententiis, quales sunt illæ in argumento propositæ.

Secunda sententia est S. Augustini lib. 2. de Doct. Chr. cap. 8. & lib. 17. de Ciuit. cap. 20. ubi scribit constantem esse opinionem, auctorem libri Sapientiæ, æquè ac Ecclesiastici, esse Iesum filium Sirach, ut patet ex verbis eius iam recensitis. Unde uterque liber à multis vocatur Sapientia. Idem opinatur S. Isidor. & Theodor. apud Lipoman. in Exodi c. 16. Verùm, hanc sententiam retractat ipse S. August. lib. 2. retract. cap. 4. *De auctore libri, ait, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quòd etiam ipsum, sicut Ecclesiasticum, Iesus filius Sirach scripserit, non ita constare sicut à me dictum est, postea didici, & omnino probabilius comperi non esse eius libri auctorem.* *an auctor Jesus Sirach?*

Tertia sententia est, auctorem huius libri esse Philonem Hebræum, qui paulò post Christum vixit sub Caio Caligula Imper. ad cumque legationem obiit pro Iudæis, sed ab eo repulsus conuersus ad socios dixit: *Bono simus animo, nam Deus nobis propitius erit, cùm infensus est Caius*, uti refert Ioseph. l. 18. Antiq. c. 10. Hic enim Philo fuit vir doctus & disertus, ac plurimos in Script. edidit libros, totusque moralis est & pius, qualis est & auctor Sapientiæ. Unde S. Hieron. in prologo ait: *Nonnulli scriptorum veterum hunc esse Iudæi Philonis affirmant.* Ita censent Lyran. Dionys. Galatinus l. 1. de Arcan. fidei c. 4. Ludov. Viues in c. 20. lib. 17. S. August. de Ciuit. Adduntque nonnulli Philonem scripsisse hunc librum ad consolationem Iudæorum, quos affligebat Caius Imper. Unde proponit eis exemplum liberationis Hebræorum à tyrannide Pharaonis, quem Deus tot plagis attriuit; ac iusti regis regimen describit, iniusti verò & tyranni culpat, eique Dei vindictam comminatur. *An Philo?*

Verùm, hæc sententia planè est improbabilis. Primò,

mò, quia hic Philo post Christum mansit Judæus, id est infidelis, & in judaismo pertinax, ideoque à Christu alienus, & Christianæ fidei adversarius. Quis credat infidelem scripsisse librum tam fidelem, in quo fidei principia traduntur, ac præsertim de Christu patiente & mortuo, ut patet c. 2. 20.?

Secundò, quia Sapientia ab omnibus Orthodoxis, totaque Ecclesia uumeratur inter libros veteris testamenti, qui ante Christum scripti sunt; prophetat enim de Christo cap. 2. ergo scribi non potuit à Philone, qui vixit post Christum. Adde, stylum Philónis à stylo Sapientiæ longè distare.

Tertiò, quia Philo hic valdè addictus fuit Platoni; unde illud: *Aut Philo platonizat, aut Plato philonizat.* Hinc ex Platone suos hausit errores, ut eùm lib de Opificio sex dierum censet stellas esse animalia intelligentia; ac cęlum à Deo esse factum, ut deorum tam invisibilium (angelorum) quàm visibilium (stellarum) sit domicilium: astruit sæpè planetarias divinationes ex Thalmudicis & Genethliacorum deliramentis: dubitat an mundus magis sit ad imaginem Dei factus, quàm homo, & an paradisus terrestris revera extiterit: libro *de congressu quærendæ eruditionis gratia*, insinuare videtur, infernum non aliud esse, quàm flagitiosi hominis conscientiam, ejusque remorsum: lib. *de profugis*, asserit animam rationalem dumtaxat Adæ creatam à Deo, sensitivam autem unà cum angelis. Plures Philonis errores recenset Sixtus Seneusis lib. 5. Biblioth, cap. 57. & 93. nonnullos autem refellit auctor libri Sapientiæ.

Quartò, quia liber hic citatur à S. Clemente Pontif. epist. 1. & à S. Dionysio Areopag. c. 4. Divin. nom. ut sacer, divinus & priscus: S. Dionysius autem, æquè ac S. Clemens, coævus Philoni fuit; imò liber Sapientiæ citatur à Christu & Apostolis, qui Philonem antecessere, ut ostendi quæst. 1.

Quintò, quia S. Hieron. lib. de Viris illustribus, & Euseb. lib. 2. histor. cap. 17. texentes catalogum librorum Philonis, nullam faciunt mentionem libri Sapientiæ.

An Philo priscus? Hisce rationibus convicti nonnulli, censent hunc librum scriptum à Philone, non illo qui vixit post Christum sub Caio, sed seniore, qui vixit 560. annis ante Christum sub Onia prisco pontifice. Ita Alfons. Curiel. controvers. 2. Michael Medina lib. 6. de recta in Deum fide c. 12. Driedo lib 1. de Eccles. dogm. cap. 4. ad 5. diffic. Canus lib. 2 de Locis c. 11. ad 5. Pamelius in notis ad S. Cyprian. lib. de Mortal. n. 43. Genebr. in Chronol. anno mundi 3860.

Verùm Philonis hujus senioris nulla est mentio apud Josephum, Eusebium, aliosque antiquos scriptores: hi enim tantùm meminerunt Philonis Hebræi, qui vixit sub Caio; & Philonis Byblii, id est oriundi ex Byblo civitate Phœniciæ, qui non fuit Hebræus: sed Gentilis, ideoque ineptus ad scribendum res Judaicas, ac multò magis ad scribendum libros Canonicos. Id disertè docet Euseb. lib. 1. Præpar. Evang. c. 6. *Philo, ait, non Hebræus, sed Byblius, Phœnicum historiam eorum lingua scriptam in Græcam linguam traduxit.* Eundem, non alium, citat Josephus lib. 1. contra Apionem, cujus verba transcripsit Eusebius lib. 9. Præpar. in fine, ubi ait Demetrium Phalereũ, Philonem seniorem (Byblium) & Eupolemum, Gentiles, scripsisse historias Chaldæorum, Syrorum & Phœnicum, ac obiter subinde tangere res Judaicas, sed in hisce, utpote sibi peregrinis, quandoque hallucinari: *Quibus*, inquit, *venia danda est, quoniam magnam nostrarum litterarum peritiam non habuere.* quod de Philone Hebræo dici nequit. Adde, auctores citati censent Philonem hunc fuisse unum ex 72. Interpretibus: hoc autem dici nequit: nam Aristæas in Historia 72. Interpretum singulorum nomina assignans, nullum inter eos Philonem nominat.

Causa erroris, cur scilic. nonnulli sapientiam tribuunt Philoni, est, quòd Salomon à Deo 2. Reg. 12. 25. nuncupatus sit hebr. [illegible] *Iedidia*, id est, *amabilis Domino*, qui Græcè dicitur φίλων: φιλέω enim est amo, φιλία amor, φίλος amicus. Unde & Philo Judæus à Rabbinis (& nominatim à R. Azaria) hebr. vocatur *Jedidia*. Hebræi enim prisci Sapientiæ auctorem fecere Salomonem, ut patet ex R. Mose Bar-Nachmani, qui contractè *Rembam* vocatur, & ante 300. annos floruit. Hic enim in proœmio Pentateuchi, ex magna Sapientia Salomonis velut S. Scriptura citat illud Sapient. 7. v. 7. *Optavi, & datus est mihi sensus*, ac cetera quæ sequuntur recitat accuratè & propriè. Recitat autem lingua Hierusolymitana, putà Syriaca, qua usi sunt Judæi post reditum ex Babylone: unde colligas libri huius auctorem ita esse Salomonem, ut tamen à quopiam posteriore post excidium Jerusalem per Chaldæos, scriptus sit stylo proprio & patrio, ideoque non purè hebraicè, uti sua scripsit Salomon, sed corruptè sive hierusolymitanè, hoc est syriacè. Aut potiùs liber hic primitus ab auctore græcè scriptus, deinde à quopiam Hebræo in linguam Hierosolymitanam translatus est, æquè ac liber tertius Machabæorum: sic enim & Josephus & Philo sua græcè scripserunt, quia græcè periti Græcis & Latinis scribebant. Stylus enim Sapientiæ planè Græcam phrasim redolet, non Hebræam. Recentiores ergo Latini nonnulli hunc librum tribuerunt Philoni Judæo, eò quòd Hebræi tribuerent eum Philoni, ignorantes ipsos per Philonem intelligere Salomonem, ob causam jam dictam, non Philonem Judæum.

Incertus auctor Sapientiæ. Dico ergo. Certum est de fide auctorem primarium libri Sapientiæ esse Spiritum sanctum: incertum verò est quis fuerit secundarius, scilicet Hebræus Scriba & Rabbinus, qui dictante Spiritu sanctu eum conscripserit.

Id satis insinuat S. Dionys. Areopag. c. 4. Divin. nom. ubi citans locum ex c. 8. Sapientiæ: *In primis*, inquit, *Scriptura sancta institutionibus invenies quemdam hæc dicentem de divina sapientia: Amator factus sum pulchritudinis eius.* vbi τὸ *quemdam* significat auctorem incertum. Eodem modo Sapientiæ auctorem citat Anast. Nicenus quæst. 35. in sacram Script. *Quidam*, inquit, *sapiens*. Et S. Gregor. lib. 27. Moral. c. 18. *Bene*, inquit, *per quemdam sapientem dicitur* Sap. 17. 10. *Cum sit timida nequitia.* & lib. 23 Moral. cap. 16. *Benè quidam sapiens* (Sap. 7. 15.) *Mihi autem Deus dedit dicere ex sententia.* Simili modo eum citat S. Chrysost. hom. 4. & 47. in Genes. & hom. 40. & 42. in Matth. & S. Cyrill. Alexand. dial. de Trinitate. & S. Hieron. in Prologo in libros Salomonis: *Apud Hebræos*, inquit, *nusquam est, quin & ipse stylus Græcam eloquentiam redolet.* Et Euseb. lib. 11. Præpar. c. 5. *Hac ratione commotus*, ait, *qui librum Sapientiæ sua persona inscripsit*, scilicet incognitus. Genebrardus quoque ait, auctorem Sapientiæ esse anonymum & incertum. Sic & ceteri, quos citat & sequitur Pineda præfat. in Eccles. c. 2.

Scriptus hic liber sub tẽpus Alexandri Magni. Porrò, quia hic liber videtur scriptus Græco stylo ab Hebræo quopiam, teste S. Hieron. coniicere licet eumdem scriptum esse paulò post regnum Alexandri Magni, qui Salomone sexcentis & ampliùs annis fuit posterior: Alexander enim cum imperio linguam Græcam invexit in Judæam, ita ut nobiliores Judæi tunc græcè discere cęperint. Hinc paulò post Alexandrum Ptolemæus, Philadelphus, secundus Ægypti rex, è Judæa evocavit 72. Interpretes, qui Biblia Hebræa in Græcum idioma traducerent: quare tunc Hebræi didicere linguam Græcam, ac græcè scripsere libros. unde & Jesus Sirach nepos, librum Ecclesiastici ab avo hebraicè conscriptum traduxit in linguam Græcam, ut ipse fatetur in Prologo Ecclesiastici: illud enim sæculum fuit litteratorum: quare tunc apud Judæos floruit sapientia & eloquentia Græcanica. Igitur textus Græcus hic videtur originarius S. Script. textus. Nam stylus & facundia Græcam magis eloquentiam, quàm Hebræam simplicitatem redolet, ut rectè advertit S. Hieron. & colligitur ex cap. 15. 14.

Videtur ergo, quòd sub tempora Ptolemæi Philadelphi scriptus fuerit liber Sapientiæ græcè, ab aliquo è 72. Interpretibus, vel simili Rabbino, fortè in gratiam Ptolemæi Philadelphi: unde toto hoc libro regem instruit, quomodo sapienter & justè debeat administrare rempublicam. Hac enim de re ipse Ptolemæus 72. Interpretibus totidem quæstiones, putà singulis singulas, proposuit, ut ab iis disceret modum bene regendi, quas recenset Aristæas in Historia 72. Interpretum. Hæc Chronologia & ratio temporis facem præferet huic libro, eumque mirificè illustrabit, ut patebit quæstione sequenti.

Argumẽtũ libri. QUÆRITUR ergo Tertiò, quod sit argumentum hujus libri? Respond. Liber hic argumentum prodit nomine suo: vocatur enim Sapientia: quia tractat de vera sapientia, ejusque origine, moribus, operibus, effectibus & præmiis. *Sapiẽtia quid?* Porrò sapientia hic non tam speculativa, quàm practica accipitur, quæ scilicet est ratio agendorũ secundùm Deum, ac proinde nõ aliud est, quàm vera veri Dei cognitio coniuncta cum ejus timore, religione & cultu,

qui hominem ad salutem & æternam felicitatem perdu- A
cit. Hinc Isidor. lib. 3. Etymol. Sapientia, ait, est *sapida scientia*. Unde Noster sapientiam hanc vertit, εὐσέβειαν, id est pietatem c. 10. v. 12. ac sapientiam subinde nominat *justitiam*, quæ generalis est virtus, omnesque virtutes complectitur, illique c. 7. vers. ultimo opponit malitiam, id est vitium & peccatum. Id ita esse clarè significat Sapiens c. 6. v. 18. *Initium, inquit, illius verissima est disciplinæ concupiscentia: cura ergo disciplinæ, dilectio est: & dilectio, custodia legum illius est: custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.*

Unde & Moses Deuter. 4. 5. *Scitis, ait, quòd docuerim vos præcepta atque justitias sicut mādavit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra quam possessuri estis, & observabitis & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus corā populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna.* Et Job cap. 28. v. 28. *Ecce timor Domini*, inquit, *ipsa est sapientia.* Unde Lactant. lib. 3. de Vera sapientia c. 11. & l. 4. c. 3. dixit sapientiam & religionem segregari non posse: quòd B
sapere nihil aliud sit, quàm Deum verum justis ac piis cultibus honorare. Vide dicta Eccli. 1. 1. & Proverb. 1. 1.

Apud Philosophos & Theologos Scholast. sapientia aliter varieque accipitur, ut pro rerum omnigena cognitione; pro ea, quæ in quovis genere artis est; pro Metaphysica, pro Theologia, pro fide quæ in actionē etiam prodeat. Adde, pro uno donorum Spiritus sancti, & increata Sapientia, Verboque divino. Quas acceptiones fusè hic prosequitur noster Christoph. à Castro; sed illæ huc non pertinent, nisi quatenus sapientiæ jam explicatæ sunt asseclæ, effectus & præmia, uti patuit in Salomone, qui proinde de se ita scribit c. 7. 17. *Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarū, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcumque sunt absconsa & improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.*

Auctorem nostræ Sapientiæ imitati sunt Philosophi. C
Hinc Plato philosophiam nunc definit solutionem animi à corpore, seu mortis commentationem: interdum conversionem animi ad ea quæ vera sunt & divina. Stoici verò auctore Plutarcho lib. 1. de Placitis philosophorum c. 1. definierunt philosophiam accommodatæ ad vitam artis meditationem: atque hanc esse unam eamdemque summam virtutem, quæ per Dei imitationem, ut ex Platone adducit Euseb. lib. 12. de Præpar. c. 20. quantum homini possibili est, transitum facit, & fugam terrenorum; imitatur autem Deum justitia, sanctitate, prudentia. Est autem justitia, ut docet Clemens Stromat. lib. 4. concentus partium animæ; sanctitas verò Dei cultus.

Porrò, Stoicorum axioma, imò paradoxum fuit, solum sapientiam esse regem, legislatorem, imperatorē, justum, sanctum, Deo amicum, solum divitem, liberum, honoratum, pulchrum. Ita ex Platone in Phædro docet Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. quin & Cicero orat. pro Murena. Hinc & Ægyptii non nisi ex sapientibus creabant reges & judices, teste Clemente lib. 5. ex Magis Persæ, ex Gymnosophistis Indi. Ita noster à Castro.

Nota eamdem sapientiam hic, & in Proverbiis, & aliis libris Sapientialibus pertractari: sed hic sublimiùs, diviniùs, & quasi ex radice. Unde etiam agit de sapientia increata, tum essentiali quæ communis est toti SS. Trinitati, tum genita & notionali, id est Verbo æterno, ac de ejusdem incarnatione & passione prophetat. Qua de causa Sapientiæ nomen huic libro est appropriatum. licèt enim tres libri S. Scripturæ vocentur Sapientia. nam Proverbia vocantur Sapientia Salomonis, Ecclesiasticus vocatur Sapientia Sirach, hic liber vocatur Sapiētia Philonis, vel potiùs Anonymi, tamen hic liber præ cæteris nomen Sapientiæ absolutè obtinuit; tum quia agit de sapientia in genere, ejusque natura, origine, internisque proprietatibus; tum quia in Proverbiis & Ecclesiastico traduntur præcepta sapientiæ ethica, quę quemvis privatum de moribus & virtutibus instruunt: unde hi duo libri vocantur σοφία πανάρετος, id est *sapientia omnino virtuosa*. hic verò liber Sapientiæ tradit præcepta politica, quibus reges & magistratum ad bene regendam rempubl. informat, ut patet c. 1. 1. cap. 6. 2. & seq. Summa enim sapientia, & *ars artium est regimen animarum*, ait S. Gregor. initio sui Pastoralis. Adde, Sapientiam de cæteris quoque virtutibus cuique propriis tractare, ideoque & ipsa πανάρετος, id est *omni virtute referta*, à Damasceno lib. 4. de Fide cap. 18. nuncupatur. imò liber hic magis est pius & patheticus, quàm sit Ecclesiastes, vel Proverbia: passim enim Dei timorem, piosque erga Deum affectus spirat, legentique aspirat: tum quia prophetat de Filio Dei, cui Sapientiæ nomen ex vi originis est proprium: unde nobile illud Constantinopolis templum Dei Filio dicatum, Sophiæ nomine fuit insignitum. Et Christus specie adolescentis speciosi apparens B. Laurentio Justiniano adhuc adolescenti, rogatus quisnam esset, Dei Sapientiam se esse respondit, uti habet eius Vita. Hinc S. Athan. in Synopsi S. Scripturæ bonam huius libri partem applicat Christo; hinc & liber hic à Patribus inter prophetales refertur.

Quocirca idem dividi potest in tres partes, sive sectiones. Prima à c. 1. usque ad c. 7. elogium sapientiæ continet, & parænesin, sive adhortationem, ad ejus amorem, studiū & zelum. Secunda à cap. 7. ad 10. originem sapientiæ, quòd scilicet à Deo sic orta. Tertia à cap. 10. ad finem eius effectus & commoda per Patriarcharum Adæ, Noe, Abrahæ, Lot, Jacob, Joseph, Mosis, Hebræorum exempla enarrat.

Tres libri partes.

Igitur hoc libro est continua & perpetua sapientiæ, id est justitiæ & virtutis laus; ac insipientiæ, id est injustitiæ & vitii, vituperatio, cum intentatione gravissimorū, vel suppliciorum, vel præmiorum. Unde nullus ferè liber veteris testamenti clariùs graviùsque proponit justorum æterna in cælis præmia, & impiorum æterna in gehenna tormenta, quàm liber Sapientiæ.

Jam ut proximus & penitiùs argumentum & materiam huius libri inspiciamus; meminisse oportet, quòd dixi quæst. præced. librum hunc scriptum sub tempora Alexandri Magni & Ptolemæi Philadelphi: Alexander enim pugnaturus contra Darium ultimum regem Persarum (uti paulò pòst eum vicit, ab eoque & Persis monarchiam ad se & Græcos transtulit) offensus fuit Judæis, eò quòd ipsi Darii partes adjuverant: quare pergens Hierosolymam eis minabatur excidium, sed occurrit ipsi Jaddo pontifex pontificalibus amictus, ejusque iras & animos ad benevolentiam inflexit. Quocirca & ipse primus pontificem salutavit, & nomen Dei tetragrammaton, quod in fronte laminæ incisum gestabat, adoravit; cumque id omnes mirarentur, Parmenio Alexandrum rogavit, inquit Josephus lib. 11. Antiq. c. 8. *Quid ita cùm ipse adoraretur ab omnibus, nunc adorares Judæorum pontificem? At ille non hunc se adorasse respondit, sed Deo, cujus pontifex esset, honorem eum exhibuisse: Hunc enim, inquit, vidi & antea hoc ipso habitu, cùm adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Asiam possem subigere, hortatus est fortis esse animo & sine mora exercitum traiicere; nam suo ductu potiturum me Persarum imperio. Quapropter, quia nunc primum tale habitum vidi, agnoscens hunc, & visionis memor, qua me ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine numine in Darium exercitum ducere, & brevi fore victoriæ compotem, & sublato Persarum imperio cessura mihi omnia ex sententia.*

Alexander Jaddum veneratus est.

Alexādro mortuo, quatuor duces primarii ejus divisere
D imperium. Antigonus occupavit Asiam, Antipater Macedoniā, Seleucus Syriā, Ptolemæus Lagi filius Ægyptū: quare media inter Syriam & Ægyptū Judæa utrique, & utriusque (putà Seleuci & Ptolemæi) posteris, fuit pomū discordiæ, imò prædæ, nunc Ptolemæis, nunc Antiochis eam sibi subiugantibus. Igitur Ptolemæus Lagi filius Hierosolymam dolo invadens cepit, ac ex Judæa in Ægyptū abduxit centum viginti captivorum millia: quare Judæos graviter afflixit, adeò ut nonnulli Judæorum in Ægypto à judaismo ad gentilismū, & idola Ægyptiorum deficerēt.

Ptolemæorum persecutio.

Ptolemæo Lagi in regno Ægypti successit filius Ptolemæus Philadelphus: hic patris vestigiis insistens initio pressit Judæos, at postmodum per 72. Interpretes eis reconciliatus, valdè benevolus & beneficus extitit. Quæ omnia fusè narrat Joseph. lib. 12. Antiq. c. 1. & 2.

Igitur auctor huius libri videns Judæorum afflictiones, quas patiebantur à Ptolemæis, scripsit hunc librum, ad consolationem & confirmationem Judæorum, ne à

Deo

Deo rectaqoe fide ad idola Ægyptiorum deficerent. Quocirca fusè toto cap. 12. 13. & 14. unius Dei cultum stabilit, ac idolorum inanitatem demonstrat, uti antea in simili tribulatione fecerat Ieremias, scribens epistolam ad Iudæos ituros in Babylonicam captivitatem, qua eis idolorum vanitatem ostendit, hortaturque ne in Babylone idola mirentur & colant. Extat hæc epistola Baruch c. 6. Hac de causa Sapiens hic c. 3. & 5. hortatur Iudæos, & quoslibet fideles ad constantiam & martyrium pro fide unius Dei, si opus fit, obeundum, eò quòd eos maneat in cælis corona gloriæ sempiternæ, ut paulò pòst sub Antiocho Epiphane, ad idem hortati sunt se invicem cæterosque Iudæos, Mathathias & Machabæi 2. Machabæorum 7. &c.

Rursum, occasione persecutionis Ptolemæorum regum, reges instituit, quomodo sapienter, id est rectè pieq; ex metu cultuq; veri Dei, subditos regere debeant, ac injustis & tyrannis minatur Dei, qui rex est regum, horrenda supplicia: atq; hac de causa c. 16. & seq. usque ad finē, per quatuor integra capita Pharaonis. Hebræos persequentis historiam, plagas & exitium; Iudæorum verò liberationem, victoriam & miracula fusè commemorat hoc fine, Primò, ut Ptolemæi, qui Pharaoni in regno Ægypti successerant, illum sibi in exemplum & speculum statuāt, sciantque se pari modo à Deo castigandos, si Dei populū, putà Hebræos, vexent & persequantur. Ex adverso Ptolemæis cæterisque regibus imitandum proponit Salomonem regem sapientissimum, ditissimum, præstantissimum, qui filiam Pharaonis regis Ægypti duxit in uxorem, ac proinde cum Ægyptus affinitate fuit conjunctus. Hinc c. 7. 8. & 9. Salomonis sapientiæ studium & orationem, qua eam à Deo efflagitavit & impetravit, fusè enarrat, ac simul ejus scientiam, opes, honorem, magnificentiam & gloriam, quibus à Deo ob sapientiam, id est justitiam virtutemque exaltatus & cumulatus est, recenset, ut sciant reges eadem sibi à Deo danda, si sapientiæ, id est justitiæ & virtutis, sint studiosi. Secundò, ut Iudæi à Ptolemæis oppressi in spem liberationis erigantur, dum legunt maiores suos à Pharaone eodem loco oppressos, per tot gloriosa signa & prodigia à Deo mirabiliter fuisse liberatos. Consentit huic meæ opinioni vel suspicioni, quòd Iesus Sirach auctor Ecclesiastici c. ult. v. 7. gratias agat Deo, quòd se liberarit *a verbo mendacii, & a rege iniquo*, utique Ptolemæo. Hic enim eius fuit coævus auctori Sapientiæ. Unde S. August. in Speculo, Sapientiam jungit Ecclesiastico, & utrumque postponit Isaiæ cæterisque Prophetis.

Scopus libri Primus.

Secundus.

Purrò castitatem Sapiens impensè commendat cap. 4. quia Ægyptii, & præsertim Ptolemæi lasciverant & luxuriosi, unde sorores suas ducebant in uxores.

Memorabile est quod de S. Macrina sorore sua scribit Nyssenus in eius Vita, scilicet ipsam à teneris didicisse Sapientiam Salomonis & Psalmos Davidis, eosque jugiter, sive oraret, sive comederet, sive studeret, sive cubitū iret, decantasse. Eumelia mater S. Macrinæ, *illa*, inquit, *quæ ex divino spiritu dictata Scriptura, prima illi ætatula faciliora aptioraque videbantur, discenda proponebat; cum primis Sapientiam Salomonis, idque ex ea potissimum, quod ad vitam & mores maximè conducebat.* Hinc tanta in sanctitate & sapientia evasit, ut ab angelo matri ex ea gravidæ apparente, S. Theclæ fuerit comparata Theclaque cognominata: quare ipsa S. Basilii, Nysseni, Petri & Naucratii fratrum suorum fuit pædagoga & magistra ad omnem virtutem.

S. Macrina studia sapientia.

Denique liber Sapientiæ, æquè ac liber secundus Machabæorum, maximè videntur scripti ab aliquo Pharisæo contra Sadducæos, qui negabant numen & animæ immortalitatem, indeque futura bonorum præmia & impiorum supplicia: quæ omnia concedebant & contra Sadducæos propugnabant Pharisæi, ut patet Act. 23. 8. Cùm enim Ezras Scriba collegium Scribarum, id est sapientiæ studiosorum, instituisset, ac tempore Machabæorum, imò tempore Ptolemæi Philadelphi, Iudæi sub jugum Alexandri & Græcorum venissent; factum est, ut multi Scribarum Platonis, Aristot. aliorumque Græcorum Sophistarum libros legerent, vel cum eorum posteris & asseclis sermones miscerent: ac, cùm viderent hos negare numen & futuram vitam, illos verò utrumque asserere, ipsi quoque in duas sectas divisi sint, nimirum in Pharisæos qui utrumque asserebant; & in Sadducæos, qui utrumque negabant. Pharisæos sequebatur populus, Sadducæos verò optimates, utpote liberiori & licentiori vitæ dediti. Unde Ioannes Hyrcanus, filius Simonis, fratris Iudæ Machabæi, à Iuda Machabæo (cujus fidei exemplum hac de re, extat 2. Machab. 12) degenerans, in ultima sua senectute à Pharisæo quodam iritatus, & ab altero Sadducæo amico suo incitatus, ad Sudducæos defecit, teste Iosepho lib. 13. Antiq. c. 18. & acerrimè Pharisæos est persecutus. Hyrcanum secutus est filius Alexander, & ex eo nepos Aristobulus: è quibus Alexander uno die octingentos Iudæos coram se cum pellice epulante, crucifigi jussit teste Iosepho lib. 13. Antiq. c. 22. Hos secutus videtur Herodes Ascalonita, qui proximè Aristobulo, ejusque fratri Hyrcano in principatu Iudææ successit; nam & ipse plurimos Pharisæos occidit, eò quòd in ipsum regem jurare nollent. Mox verò contentiones hæ Pharisæorum & Sadducæorum sedatæ sunt post exilium Archelai, filii Herodis, cum ei suffecti fuere Præsides Romani: hi enim in neutram harum sectarum partem declinarunt: ac tum utraque pars, licet opinioni suæ inhærens, conspiravit contra Christum quasi communem suum, id est judaismi & Synagogæ, hostem Ita Franc. Lucas in Matth. c. 3. v. 7. Sapiens ergo optimates hac hæresi Sadducæorum (quibus similes sunt nostri Machiavellistæ) infectos, ad sanam numinis fidem metumque revocare satagens, eos compellat dicens: *Diligite justitiam qui judicatis terram, sentite de Domino in bonitate*, id est benè, rectè & dignè; ac deinceps eis futura impiorum supplicia, & piorum præmia inculcat.

Origo Pharisæorum & Sadducæorum.

Igitur Sapiens hoc libro maximè celebrat opera sapientiæ, in tutandis protegēdisque bonis & fidelibus Hebræis, ac perdendis impiis infidelibus, Deoque rebellibus, Chananæis & Ægyptiis, Pharaonis asseclis: qua de causa breviter hic multas Geneseos, Exodi & Numerorum historias perstringit, ac subinde nonnulla, quæ ibi tacentur supplet, ut de origine & auctore idololatriæ, c. 14. 15. de vespis, quæ missæ à Deo debilitarunt Chananæos ante adventum filiorum Israel, c. 12. 8. de manna justis omnem saporis suavitatem varietatemque, quam desiderabant, exhibente, c. 16. 20. de larvis spectrisque; ac igne sibilisque serpentum & bestiarum percellentibus Ægyptios in nona plaga Ægypti, quæ fuit densissimarum tenebrarum, c. 17. v. 5. 6. 9. de visionibus terrificis primogenitorum, cùm occiderentur transeunte Angelo, c. 18. 19. Ubi adverte auctorem huius libri, sæpè salire subitò ab uno Dei miraculo ad aliud, ac subitò resilire & ad prius redire, idque facit maximè ultimis libri capitibus. Idem sæpè faciunt Prophetæ: hic enim liber scriptus est stylo prophetali, uti docent Patres.

Jam verò S. Hieron. qui auctor est Latinæ versionis Vulgatæ Bibliorum, exceptis Psalmis) in his enim Ecclesia retinuit versionem Septuag. utpote jam omnium ore tritam & decantatam) non videtur fuisse interpres huius libri Sapientiæ & Ecclesiastici, quia eos non videtur habuisse Canonicos: unde nec prologum eis præfigit, uti in cæteris libris à se traductis facere solet; imò passim aliter Sapientiam citat, quàm habeat nostra Vulgata, ut patet ex Comment. eius in c. 55. Isaiæ, & in Zachar. c. 8. & 12. & alibi sæpiùs.

Versio Sapiētia nō est S. Hieronymi.

Denique à S. August. Cyprian. Dionys. Areopag. & aliis S. Hieron antiquioribus citantur sententiæ è libro Sapientiæ eodem planè modo, quo nunc habentur in Vulgata Latina: illa ergo ante S. Hieron. extiterit oportet. Quare planè verisimile est in Sapientia & Ecclesiastico retentam fuisse ab Ecclesia priscam versionem, qua ipsa usa fuit ante S. Hieron.

Adverte. Græcè hìc æquè ac in Ecclesiastico, sæpè incerta sunt & evariant: consulenda ergo est editio Græca Romana correcta à Cardinale Caraffa, & probata à Sixto V. ac multò magis Latina Vulgata, quæ hic purior est, quàm sit Græca, ideoque Græcæ præferenda, ac habenda S. Script. authentica, uti sanxit Concil. Trid. sess. 4.

Commentati sunt in Sapientiam S. Bonavent. Lyranus, Hugo, Dionys. Carthus. Robertus Holcot ex Ordine S. Dominici, Petrus de Aliaco Cardinalis, Petrus Nannius, Hieron. Osorius, Vatablus, Isidorus Clarius, Cornelius Iansenius, nostri Ioannes Lorinus, & Christoph. à Castro, Gonsalvus, Cervantes ex Ordine S. August. Porrò Bellator Presbyter, uti refert Robert. Holcot, scripsit in Sapientiam libros 24. Matthæus Cantacuzenus bre-

Commentatores.

uia, sed insignia in Sapientiam edidit scholia, quæ ax Græco in Latinum conuertit noster Brunellus.

Brevior hic ero, ne opus Salomonicum nimis excrescat, præsertim quia multa, quæ hic commemorantur & iterantur, jam à me in Pentateucho, Proverbiis & Ecclesiaste explicata sunt.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

INvitat omnes, præsertim rectores, ad sapientiam, ad eam viam monstrat, scilicet justitiam, & sincerum Dei sensum cultumque: Deum enim nosse & odisse simulationem, murmurationem, detractionem, mendacium, omnemque pravitatem cordis, oris & operis, quibus justitia læditur, ac mors provocatur, quam Deus non fecit, sed impii eam sibi ultrò accersierunt.

DIligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis
quærite illum: 2. quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui
fidem habent in illum. 3. perversæ enim cogitationes separant à Deo: probata autem virtus
corripit insipientes. 4. quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit
in corpore subdito peccatis. 5. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se
à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superveniente iniquitate. 6. Benignus est enim
spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum a labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, & cordis
illius scrutator est verus, & linguæ ejus auditor. 7. Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum:
& hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. 8. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere,
nec præteriet illum corripiens judicium. 9. In cogitationibus enim impii interrogatio erit: sermo-
num autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatem illius. 10. Quoniam auris zeli
audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur. 11. Custodite ergo vos à murmuratione,
quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os au-
tem, quod mentitur, occidit animam. 12. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis
perditionem in operibus manuum vestrarum. 13. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in per-
ditione vivorum. 14. Creavit enim, ut essent omnia: & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non
est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra. 15. Justitia enim perpetua est, &
immortalis. 16. Impii autem manibus & verbis accersierunt illam: & æstimantes illam amicam, deflu-
xerunt, sponsiones posuerunt ad illam: quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.

VERS. 1. DILIGITE JUSTITIAM, QUI JUDICATIS TERRAM. SENTITE DE DOMINO IN BONITATE, ET IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM] Vox *diligite*, græcè ἀγαπήσατε, hebr. אהבו *ahabu*, habet energiam & emphasim: significat enim ingentem & vehementem amorem, & quasi ardorem justitiæ, qui judicibus & principibus à natura quasi insitus & connaturalis videatur, sed gratia & exercitio acuendus & perficiendus sit, uti notat S. Basil. in Psalm. 44. ad illa: *Dilexisti justitiam.*

Nota. Sicut Ecclesiastes initio proposuit thema totius libri, dicens: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, quod deinde toto libro prosequitur, probat & confirmat: sic hic Sapiens proponit thema & argumentum totius sapientiæ suæ; hæc enim non aliud tractat, non alium scopum spectat, quàm ut doceat omnes homines, præsertim principes, diligere justitiam, Deum cognoscere, amare & revereri, ac simplici corde illum quærere, colere & B venerari. In hoc enim consistit vera, cœlestis & divina sapientia: unicum ergo medium ad sapientiam est justitia: unde Ecclesiastic. c. 1. 34. *Fili*, inquit, *concupiscens sapientiam, conserva justitiam, & Dominus præbebit illam tibi.*

DILIGITE JUSTITIAM, QUI JUDICATIS TERRAM] Syrus & Arabicus, *judices terræ*: Anton. in Melissæ par. 2. serm. 9. legit, *qui judicia exercetis inter homines.* q.d. Vos, ò reges, principes, gubernatores & judices, qui judicatis, id est regitis terram in suas provincias & urbes distributam, putà regitis cives urbium, & incolas provinciarum, diligite justitiam. Nam, ut ait Salomon Proverb. 29. 4. *Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam.* Est synecdoche; ex parte enim præcipua intelligi-

Judicare pro regere. tur totum, putà ex judicio regimen. Judicare enim olim erat prima pars regiminis, primumque officium regum: illorum enim erat & est, judicare, id est, dicere jus populis: unde id per se præstitere Julius Cæsar, Augustus, Vespasianus, Domitianus, Trajanus, Hadrianus, Antoninus, Maximus, Commodus, Pertinax, Severus, Ca-A racalla, Justinianus, Carolus Magnus, S. Ludovicus, aliiq; Imperatores & reges, quos recenset Tiraquellus de nobilit. c. 28. Rursum *judicare*, est vindicare pauperes à potentibus oppressos, juxta illud de Salomone & Christo prædictum: *Deus judicium tuum regi da, &c. judicare pauperes in judicio*, Psal. 71. v. 2. *Cum altercantur homines, ad judiciū confugiunt: ad judicem autem ire, est ire ad jus ipsum: quippe cum judex nihil aliud sit, quam jus quoddam animatum;* *Judex est jus animatum.* *& quærunt judicem quasi mediū & mediatorem*, ait Aristot. 5. Ethic. 4. Idem Aristot. ibid. δίκαιον, ait, id est justum, sive jus, dicitur, quia δίχα, id est bifariā, divisum est, quasi δίχαιον, id est bipartitū: & δικαστής, id est judex, dicitur quasi διχαστής, id est bipartitor: quia utrique litiganti suum jus partitur, dividit & distribuit. Hinc Salomon hic c. 9. 7. *Tu*, ait, *elegisti me regem populo tuo, et judicem filiorum tuorum*, quasi regis propriū sit judicare, & jus suum cuiq; partiri.

Emphasim habet τὸ *terram*. q.d. O reges nolite alia sapere, sed fastum, dominatum & tyrannidem premite: non in cælo, sed in vili terra regnatis, est rex cæli, qui vos aspicit & despicit, vosque judicabit. Incipit à regibus: quia qualis est rex, talis est & populus: nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Sic natura primùm in embryone format cor, quia cor dat vitam ceteris membris: sic cæli regunt elementa orbesque subiectos: sic Angeli superiores dirigunt inferiores: pari modo reges regunt ceteros hominum.

Justitia hic propriè accipitur pro virtute, quæ cuique reddit jus suum: hanc enim principes tueri debent, velut basim & columen reipublicæ, cujus tutelam si negligant, improbi opprimunt probos, potentes imbecillos, divites egenos, &c. indeque oriuntur schismata, rixæ, bella, & totius reipubl. confusio, exitium & ruina. Quare judicum & principum prima cura esse debet, ut cuique jus suum servent, illudque ab iniuria quorumcūque tueantur, nec sinant se flecti donis aut minis, ut à vero justoque vel hilum deflectant, uti fecerunt judices Areopagitæ, de quibus dixi Actor. 17. in S. Dionysio Areopagita: *Justitia virtus regum.* justitia enim inter virtutes elucet sicut Hesperus, sive lucifer, inter stellas, præsertim in principe, ait Aristot. 5.

Ethic. 1.

Ethic. 1 & Philo lib. de Creat. principis; quia *remota justitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt, nisi parva regna?* ait S. August. lib. 4. de Civit. cap. 4. Hinc Cant. 1. 3. sponso dicitur: *Recti diligunt te,* Septuag. vertunt, εὐθύτης, id est *rectitudo, diliget te.* q. d. *Rectitudo,* id est justitia, regia est virtus, ideoque regi Christo, sponso Ecclesiæ est familiaris, intima & perchara, ait Origen. & Isaias c. 11. 5. hoc Christo Regi regum cingulum

Gnoma.

assignat: *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus: quoniam,* ut dicitur Psal. 10. 8. *justus Dominus, & justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* Idem per umbram videre Sapiẽtes Gentilium. Plutarch. comment. ad indoctum principem ait, justitiam esse assessorem Jovis & deorum, adeoque sine ea, ne Jovem quidẽ rectè dominari. Thebis judicum statuas spectari absque manibus, idem Plutarch. asserit, & eam, quæ principem referret, aversis esse oculis, ut justitiam & à donis alienam esse debere, & nulla mulceri facundia oportere significarent. Apud Sinandium judex ita pingitur, ut è collo ejus suspensa veritas pendeat, oculi sint in sinum deiecti, octo legum libri circumstent: quo significatur judices integros esse debere, & solam inspicere veritatem. Ita Pierius Hierogl. 41. c. 4.

Judicis emblema

& justitia.

Alibi passim justitia pingitur ut virgo velatis oculis, una manu libram tenens, altera gladium. Audi Pierium Hierogl. 55. c. 61. *Juniorum inventum est, justitiæ severitatem atque rigorem per exertum ensem, manu virginea prætentum significare, cui ad æquitatis judicium trutinam etiã addidere. Sed enim apud veteres aliter traditum invenî, qui justitiam cum libratis omnino lancibus in læva figurabant, sed enim dextera non ensem, sed fasces cum ad alligata securi statuebant: merita æquaq; ex hujusmodi hieroglyphico præmia merentibus impendi atque distribui, hinc scelerum convictis castigationem impendere significantes.* Subdit deinde alias emblematis partes: *Sed enim species hæc duas secum mulieres captivas trahit, unam, quæ fractum ensem manu prætendit, alteram, quæ conto innititur: duo ex hoc figmento vitia domita indicãtes, ut ex utriusque medio virtutẽ ipsam adstruerent, per fractum scilicet ensem severitatem nimiam retusam cohibitamve intelligentes, per contũ, lentitudinẽ ad ferulã revocatã, quia judicia plùs æquo producebantur. inde enim cunctatio quæ retardationem significat. Lenes verò sunt, qui nullo atroci quantumlibet scelere concitãtur, neq; publicis, neque privatis injuriis commoventur.* Hinc justitia ab antiquis nuncupata est Astræa virgo, quæ cùm aureo sæculo descendisset in terras, vitiis indies crescentibus indignata evolavit in cælum, & in signum cæleste, cui nomen Libra est, conversa fuit, ut refert Mythologiæ lib. 2. c. 2. Natalis Comes, de qua Seneca in Octavia:

Astræa virgo siderum decus.

Et Ovid. in 1. Metamorph.

Et virgo cæde madentes,
Ultima cælestum terras Astræa reliquit.

Et Hesiodus:

Ipsa autem justitia est virgo ex Jove nata,
Castaque veneraadaque diis qui Olympum habitant:
Et quando quis eam læserit oblique damnans,
Statim apud Jovis patrem sedens Saturnum,
Dicit hominum injustitiam, donec
Solvat populus injustitias regum.

Secundò, *justitia* hic cum Christoph. à Castro & aliis, generatim accipi potest pro complexione virtutum, & sic quælibet virtus est pars, vel species justitiæ: omnis enim virtus spectat id, quod æquum, justum & dignum est fieri: præscribit enim ea, quæ ad officium hominis spectant, ut honestè secundùm rationem, legem & voluntatẽ Dei vivat: hoc autem officium quoddam est jus, non justitiæ commutativæ & strictæ, sed generalis & amplæ, ad quod nos obligat virtus, ratio & lex. Unde Cantacuzenus censet Deum hic loqui hortarique ad justitiæ, id est virtutum, exercitationem, ut per eam ad sapientiæ cognitionẽ, id est ad Verbi divini mysteria cognoscẽda, præparemur. Confirmat ex eo, quòd Deus Josuæ duci populi præcepit c. 1. 7. dicens: *Esto robustus valdè, ut custodias omnem legem:* & ex eo quod ait Michæas cap. 6. 8. *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo* Sic quoque S. Bernard. qui per *justitiam* accipit pœnitentiam & patientiam in quavis tribulatione: sic enim ait in Sentent. *Quatuor gradibus*, inquit, *distinguitur omnium electorum profectus. Primò enim fit quisque amicus suæ animæ, secundò fit amicus justitiæ, tertio sapientiæ, quartò fit sapiens.* Secundum deinde ita prosequitur: *Diligendo autem justitiam transit ad secundum gradũ, & audit illud Sapientiæ præceptum: Diligite justitiam, qui judicatis terram. Quam si perfectè dilexeris, debet pro ea patienter ferre omnem pœnam, & quamcumque illatam contumeliam. Duo quippe præstabit ei justitia, unum, ut faciat quod debet, alterum, ut patiatur quod debet, scilicet ut si bonum non fecerit quod debuit, malum quod meruit, patiatur. Sic miro modo, ne deserendo quidem justitiam ab ipsa deserimur, dum per ipsam quilibet prævaricationis reatus punitur. Neque enim est, qui se abscondat à calore ejus. Hanc autem pœnam, non solum vir justus non horret; verùm etiam libenter excipit, dum per eam præterita vitæ peccata purgari fideliter credit. Hinc enim scriptum est: Non contristabit justum quodquid ei acciderit.* Idem lib. 3. de Considerat. c. 2. *Diligite,* inquit, *justitiam, qui judicatis terram. Parum est justitiam tenere, nisi & diligas. Qui tenent, tenent; qui diligunt, zelantur. Amator justitiæ inquirit justitiam, & prosequitur eam: porrò omnem injustitiam persequitur.*

Porrò, Sapiens hic monet principes, ut, sicut potestate, sic & justitia, id est omni virtute, præcellant & præeant subditis. Sapienter Basilius Imper. exhort. ad Leonem filium cap. 10. *Cave,* inquit, *ne regni malus custos, degeneris aliquid atque indigni committat: sed, sicuti cæteris prælatus es, ut omnibus imperares; ita contende, ut virtute quoque cæteris antecellas: virtus enim omni principatu, omnique auctoritate præstantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis præstas omnibus, virtute autem ab alio præcelleris; Imperator es in eo, quod minoris excellentiæ est: in eo verò, quod præclarius est, Imperator non es, imò alterius imperio subes. Ne sis ergo veluti suppositiius atque adulterinus dominus, cùm te alius præstantior reperiatur, sed verus Imperator, cum cæteris omnibus virtute antecedas,* Princeps qui id præstat, est sol orbis, ac vivum Dei simulachrum, cùm ipse semetipsum ad effigiem Dei per virtutem componit, ait Plutarch. comment. ad principem indoctum.

Hunc quoque hujus loci appositum esse sensum patet ex sequent. quibus perversas cogitationes, detractiones, murmura, velut justitiæ, id est sapientiæ & virtuti, contraria reprehendit, ut quasi idem hìc dicat, quod cap. 6. 10 ubi ait: *Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam* (prudentiam & virtutem) *& non excidatis.* Hinc & Vatabl. hoc loco pro *diligite justitiam,* vertit, *diligite sapientiam.* Unde noster à Castro sic exponit, q. d. Vos, ô principes rectoresque hominum, à quibus prodit totius populi salus, diligite virtutem, & sapientiam sectamini, de qua mihi sermo instituitur, atque actiones vestras juxta præcepta illius ad pietatem componite.

SENTITE DE DOMINO IN BONITATE] Aptè dilectioni justitiæ subiungit sensum bonitatis cultusque Dei, velut causam: nil enim ita hominem, præsertim reges, in justitia & officio continet, atque metus cultusque Dei. Unde Philo de Vita Moysis: *Religio una,* inquit, *civiũ animos astringit, & contubernia societatesque confirmat.* Quod usque adeò verum est, ut falsas etiam religiones & sectas ad illigandos civium animos, ab infidelibus principibus inventas affirmet S. August. lib. 8. de Civit. cap. 32. Adde, reges esse quasi quosdam deos in terra: sunt enim Dei vicarii, officiales & ministri. Unde Plato & philosophi docent, reges esse quasi viva Dei simulachra: quin & Psaltes psal. 81. *Deus, ait, stetit in medio deorum, in medio autem deos* (reges & judices) *dijudicat.* Sensus ergo est, q. d. Vos principes estis Dei vicarii, & quasi dii quidam terrestres: imitamini ergo Dei justitiam, virtutem & sanctimoniam; illam ergo sentite, id est, usu & praxi gustate & sapite, uti legit S. Hieron. in c. 53. Isaiæ. Jam

Primò, *sentite de Domino in bonitate*, id est, sentite de Deo benè & rectè: sic enim Hebræi adverbia significant per nomina, ut, *servite Domino in lætitia*, id est lætè: *facta in fortitudine,* id est fortiter: *in amore,* id est amanter. *Primus discendi ardor, nobilitas est magistri,* ait S. Ambros. lib. 2. de Virgin. Quid nobilius Deo, justitiæ & sapientiæ magistro? De eo ergo ait, bonitatem, id est, bonam opinionem & existimationem, esse concipiendam. *In bonitate,* id est, benè sentite de Domino Deo. q. d. Bonum sensum & sententiam de Deo in mente efformate, ut sensus vester de Deo sit ipsi congruus, ipsoque dignus, ut talem conceptum de Deo habeatis, qualem ipse meretur; ut talem

Sẽtite de Domino in bonitate.

Primò.

lem vobis in animo fingatis Deum, qualis revera ipse est. Unde S.Cyrill.epist. ad Acac. in Concil. Ephesino legit; vel explicat potius paraphrasticè: *sentite de Domino, quæ vera sunt*. Et tres illi Episcopi Dalmat. in epist. ad Leonem Imper. pro Concilio Chalced. *Ad omnem, inquit, perfectionem Catholicæ fidei, sufficit doctrina sapientissimi Salomonis, ait enim: Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite eum. Quid ergo pessima calliditate nequitia facit, cum ultra bonitatē nequaquā licet excedere?*

Ita Dionys. Clarius, Jansenius & Vatabl. Sensus ergo est, q. d. O reges curate, ut de Deo Deique providentia, majestate, justitia, sapientia, potentia, vindicta, ceterisque attributis ita sentiatis & sapiatis, sicuti revera ipsa se habent in Deo; benè ergò, rectè & piè de iis sentite, uti docet fides & Prophetæ: non malè, pravè & impiè cum Epicureis, Politicis & atheis, qui Deo adimunt providentiā, vindictam aliaque attributa, ideoque ex Deo faciunt, vel truncum, vel cacodæmonem. Unde Arabicus vertit, *percipite potentiam Domini perceptione recta*. Basis enim & fundamentum reipubl. justitiæ, regni, felicitatis, omnisq; boni est religio, verusque de Deo sensus: hic enim tam reges, quàm subditos sacro metu percellit, & continet in sapientia & virtute, ut justè, purè sanctèque vivant, ne tantum numen offendant, cujus vindictam extimescunt: Deus enim uti bonorum est præmiator liberalissimus, ita malorum est ultor acerrimus. Unde Josaphat rex Juda, judices Dei metu urget ad justè judicandum 2. Paral. 19. v. 6. dicens: *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; & quodcumque judicaveritis in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrū iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum*. Vidit hoc etiam Plato, qui proinde in Protagora, & in Eutyphrone justitiam & religionem ita conjungit, ut unā eamdemque virtutem existimet: vel ita invicem similes, ut qualis justitia, talis sanctitas & religio futura sit; & qualis religio, talis administranda justitia. Nam quemadmodum salus animæ, ut ait Ecclesiastic. c. 30. 15. est in sanctitate justitiæ: sic ceterarum rerum salus atque felicitas ex eadem justitiæ & religionis sanctitate, tamquam ex vero bonitatis fonte profluunt. Ex certa ergo & vera religione, certa & vera justitia: & ex variis religionibus, incerta & falsa omnia, æqualitas, societas, benevolentia, fides, id est, rerum dictorumque constantia. Si enim magistratus suæ propagandæ hæresis causa, sibi fas esse credant subditos fallere, datam fidem abnegare, jusjurandū violare, fallaciis decipere, dolis illudere, omnia bellis permiscere; quæ inde in rempublicam scelera, quæ flagitia, quæ sacrilegia promanabunt & irrumpent? Quod jus ab iis reddi poterit, si fraudibus rempublicam gubernari, si dolosis artibus & imposturis populos irretiri posse, non modò arbitrentur, sed etiam exequantur? ita Josephus Stephanus lib. de Unica religione c. 14.

Religio columen politiæ.

Secundò.

Secundò, *sentite de Domino in bonitate*, id est, in probitate, honestate, virtute, sanctitate: ἀγαθότης enim opponitur κακία, id est, bonitas opponitur malitiæ & sceleri. q. d. Sentite & sapite de Deo, quòd ipse sit probissimus, honestissimus, sanctissimus, justissimus, adeoque fons omnis justitiæ, probitatis, virtutis & sanctitatis, quam habent omnes angeli & homines, ideoque justitiæ & virtutis tutor & vindex severissimus. Audi S.Bernard. l. 5. de Consid. Deum ita definientem, vel potiùs describentem. *Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incōmutabilis ratio, summa beatitudo; creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accedens ad zelum, fæcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem formans ad benevolētiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Quid est Deus? Non minus pœna perversorum, quam humilium gloria: est enim rationabilis quædam æquitatis directio inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubiq; cui illisa omnis pravitas, conturbetur necesse est.* Et inferiùs: *Deus, inquit, est, cujus longitudo est æternitas, latitudo charitas, altitudo majestas, profundum sapientia.*

Pulchra Dei descriptio.

Tertiò.

Tertiò, *sentite de Domino in bonitate*, id est, in benignitate & beneficentia. q. d. Sentite & sapite de Deo, non quòd ipse sit severus, maleficus, crudelis, tyrannus; sed quòd sit benignissimus & beneficentissimus omniū, etiam pauperum, miserorum, pupillorum & orphanorum, pater, imò mater, tutor, provisor, protector; ac proinde vos, ò judices, Deum imitantes causas pauperum sincerè judicate, nec eos patiamini à potentibus opprimi, aut eis ex metu vel spe causam contra justitiam adjudicetis, cogitantes Deum, qui pater est pauperum & pupillorū, acerrimum eorum fore vindicem. Sic ait Psaltes: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*, Psalm. 106. 1. *Bonitas Dei* ergo, est ejus misericordia, clementia & beneficentia. Unde Syrus vertit, *excogitate de Domino in bonitate*.

Hinc quidam sic exponit: *sentite de Domino in bonitate*, id est, experientia discite, Deum optimum maximū, benignissimum esse, & exemplar unde omnē in vobis exprimere bonitatem debeatis; discite jugum illius suave esse; non durum, sed blandum: & onus illius, non ponderosum, sed leve & jucundum: jugo enim si adsint suavitas & levitas, duobus præstat, quibus jure id appeti possit, non detrectari.

Porrò, reges maximè decet imitari Dei bonitatem, id est benignitatem & beneficentiam. Unde Curt. lib. 8. asserit *imperii majestatem, salutis esse tutelam*. Et Plinius in Panegyr. Trajani docet, principum esse bonitatem erga hominum genus, *ut benigni fungantur vice Dei*. Et Theodoricus rex apud Cassiod. lib. 10. Var. c. 10. *Inter gloriosas*, ait, *reipublicæ curas, quas perpeti cogitatione Deo auxiliante, princeps suo revolvit corde, cordi quoque suo sit levamen humilium contra potentiam superborum*.

Quartò, *sentite de Domino in bonitate*, id est, in omni bono, quod triplex est, scilicet honestum, utile & delectabile. q. d. Sentite & sapite de Deo, quòd ipse per essentiam sit summum, immensum & omne bonum, tam honestum, quàm utile & delectabile, tam suum, quàm hominis & creaturarum omnium. Ipse enim est fontalis, essentialis, formalis & causalis bonitas. Unde Nazianz. *Bonitas*, ait, *non aliud est, quam deitas, juxta illud Christi: Quid me vocas bonum? Nemo bonus nisi solus Deus*, Luc. 10.

Quartò.

Ubi Nota hebraismum: Hebræi enim verba contactus, sive corporalis, sive mentalis, quale est sentire, construunt cum ablativo, ut tangere in oculo, in pede, in manu, est tangere oculum, pedem, manum. Sentire ergo de Deo in bonitate, est sentire de Deo bonitatem, quòd scilicet Deus sit ipsissima bonitas, & ipsissimum bonum. q. d. Vos, ò principes, qui estis Dei imagines, æmulamini Deum quasi vestrum exemplar, sentite & sapite ejus bonitatem; ut, sicut participatis ejus potestatem præ ceteris, sic & præ ceteris participetis ejus bonitatem: quemadmodum Dei bonitatem omnes creaturæ sentiunt, cùm ab eo hauriunt suum esse omneque bonum; sic & subditi haurientes à vobis sua commoda, vestram ubique bonitatem sentiant.

Audi de bono & bonitate Dei diviné disserentem Dionys. c. 4. de Divin. nomin. initio: *Age ergo jam ad nomen boni nostra veniat oratio, quod præcipuè Theologi ab omnibus secretum divinitati, quæ Deum superet, tribuunt, ipsam ut opinor divinam essentiam bonitatem appellantes, quod hoc ipso, quod bonum est, ut bonum per se & essentia sua, in ea, quæ sunt omnia, bonitatem diffundat. Ut enim sol noster non cogitatione, aut voluntate, sed eo ipso, quod est omnia illustrat, quæ ejus lumen pro modo suo capere possunt: sic etiam ipsum bonum, quod ita præstat soli, ut prima species tenui obscuræq; imagini, per se ipsaque essentia sua iis, quæ sunt, omnibus pro eorum captu totius bonitatis radios emisit.* Et inferiùs: *Ex ipso bono lumen est, & bonitatis imago, &c. estque eorum quæ sunt mensura & æternitas, & numerus, & ordo, & complexus, & causa, & finis: sic etiam, qui clara expressaque divinæ bonitatis imago est, magnus hic sol totus lucens, ac semper splendidus, pro minima ipsius boni similitudine, omnibus etiam, quæ ejus lucem capere possunt collucet, habetque lumen per omnia diffusum, in omnem hunc mundum, quem cernimus, radiorum suorum splendorem explicans, & sursum & deorsum: ac si quid est, quod eos non participet, id ejus luminis diffusi tenuitati aut parvitati non est tribuendum, sed iis, quæ quia apta non sunt ad capiendum lumen ad illud capiendum non explicantur.* Et pluribus interjectis ita concludit: *Omnis sublimitas, termini omnes, ordines, præstantia, elementa species, omnis essentia, vis omnis, omnis actio, habitus omnis, sensus omnis, omnis sermo, omnis mentis notitia, omnis tactus, omnis scientia, omnis conjunctio, & uno nomine quidquid est ex pulchro ac bono, & in* pul-

Bonitatis Dei descriptio.

pulchro bonoq; est, atque ad pulchrum bonumque eʃʃectar: & quæ ʃunt ac fiunt, boni pulchriq; cauʃa & ʃunt & fiunt omnia, ipʃumq; omnia intuentur, & ab eo moventur ac continentur, &c. Quoniam ex ipʃo, per ipʃũ, & in ipʃo atq; in ipʃum ʃunt omnia, ut divina ʃcripta tradunt. Eʃt igitur id, quod pulchrũ eʃt & bonum, expetendum, amandum, diligendum omnibus. Hic diſce quid ſit bonitas Dei, de eaq; bene digneq; ſẽtire.

Porrò *ʃentite*, vel, ut S. Hieron. legit, *ʃapite*, non tantùm ad judicium, ſed & affectum pertinet. Unde Apoſtolus, *ʃapere ea, quæ carnis vel ʃpiritus ʃunt*, vocat concupiſcere & toto affectu proſequi ea, quæ carni vel ſpiritui commoda grataque ſunt. Senſus ergo eſt, q. d. Sentite Dei bonitatem, non tantùm eam mente concipiendo, vel credendo, ſed & toto affectu eam proſequendo, ut omnes curas, cogitationes, animique vires in eum intendatis & expromatis. *Hinc fiet*, inquit noſter à Caſtro, *ut qui bono animo ʃit erga Dominum ʃapientiæ largitorem, quæcumque excellentia credat de illo, confidat illi in omnibus, etiamʃi difficillimis; ʃuʃtineat eum, etiamʃi mala inferat: itaque ʃentiet de eo in bonitate, dum illi, tamquam optimo parenti ʃe credit, tamquam omnipotenti, qui poʃʃit ad ʃummum ʃapientiæ faʃtigium evehere; & tamquam omniʃcienti, qui ʃciat eius utilitati proʃpicere.*

Moraliter, hic diſce verum ſenſum deitatis, ſive de Deo, eſſe ſenſum bonitatis, ſcilicet ſentire de eo, quòd ipſe per eſſentiam ſit ſummum, infinitum & omne bonum, ac proinde ſummè benignus & beneficus in omnes, ideoque ſummè amandus.

Hac de cauſa Deus, ut bonitatem & amorem ſuum immenſum creaturis patefaceret, non tantùm creavit angelos, cælos, animalia, homines, tantamque rerum varietatem & pulchritudinem, ut, quoties intueris bonitatem & pulchritudinem floris, gemmæ, auri, herbarum, fructuum, animalium, ſtellarum, cælorum, totiuſque mundi, toties in eis, velut umbris, immenſam Dei bonitatem & pulchritudinem intueri & contemplari valeas: ſed & Filium ſuum unigenitum miſit in carnem, ut homines peccato perditos, & gehennæ addictos, ſuis atrociſſimis pœnis, & infami crucis morte redimeret. Vis ergo ſcire quanta ſit bonitas Dei? conſidera bonitatem Chriſti in cruce, quantam ſcilicet nuditatem, ſitim, tormenta, dolores, confuſionem, infamiam, ieiſiones, &c. pro te viliſſimo terræ vermiculo, imò peccatore, patiatur, idque ſine ullo ſuo commodo; ſed tantùm hoc fine & fructu, ut tibi benefaciat, ut tu ſis ſalvus, liber & beatus. Chriſtus ergo tua maleficia, infirmitates & tormenta in ſe ſuſcepit, ac eorum loco tibi ſua beneficia, virtutes, præmia & gaudia contulit, ut tibi bene eſſet. *Crux ergo eʃt academia divinæ bonitatis* & amoris puriſſimi æquè ac immenſi, ut in ea Chriſtum contemplans cogaris ex ſtupore exclamare: O bonitas! ô amor! quantum me amaſti, quàm caro pretio me redemiſti? quanta bona tuis malis mihi contuliſti? Quid tibi, Domine Ieſu, pro tantis bonis retribuam? omnia oſſa mea dicent: *Domine quis ʃimilis tibi?* Amaſti me, Domine, nimis amaſti: etſi tibi mille animas, mille vitas impenderem, quid hæ ſunt ad vitam tuam, quæ vita eſt Dei? miſericordias tuas Domine in æternum cantabo. Imitabor tuam bonitatem, ut amore tui quibuſcumque poſſim benefaciam, ad commodum non tuum, ſed meum. Imitabor tuam humilitatem, amorem, ſanctitatem, ac eam omnibus imitandam proponam, dicamque cum Apoſtolo: *Hoc enim ʃentite in vobis, quod & in Chriʃto Ieʃu, qui cùm in forma Dei eʃʃet, nõ rapinam arbitratus eʃt eʃʃe ʃe æqualem Deo, ʃed ʃemetipʃum exinanivit* (ex omni factus eſt quaſi inane & nihil) *formam ʃervi accipiens, in ʃimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ʃemetipʃum factus obediens uʃque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip. 2. 5. Hoc ergo opus incarnationis Verbi, paſſionis & crucis non indignum, ſed omnino dignum fuit Deo Deiq; bonitate: imo optimum fuit, ideoque diviniſſimũ, & ſoli Deo proprium: nulla enim re Deus immenſam ſuã bonitatem orbi patefacere potuit, niſi Verbi deſcenſu in carnem & crucem: ut ex eo planè colligas, non angeli, non hominis, ſed Dei ſolius immenſi immenſam hãc bonitatẽ & philanthropiã extitiſſe. hoc eſt, quod canit Iſaias c. 55. 9. *Sicut exaltantur cæli à terra, ʃic exaltatæ ʃunt viæ meæ à viis veʃtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veʃtris.*

Incarnatio opus proprium bonitatis Dei.

Symbolicè: *ʃentite de Domino in bonitate*, non tantùm intellectu, ſed & affectu, ut ſenſui intellectus, conſentiat ſenſus voluntatis, ut ſcilicet bonitatem Dei rectè & mente concipiatis, & voluntate ametis, & moribus exprimatis, juxta illud Pſal. 110. 10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*; vel, ut legit S. Hieron. *Doctrina bona his, qui faciunt eam.* Ita Cantacuzenus.

Myſticè, S. Bonavent. *Sentite de Domino in bonitate*, inquit, *qui S. Scripturam quæ Dei eʃt verbum, piè legit ac intelligit, non redarguendo, ʃed approbando & exequendo.*

ET IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM] S. Hieron. lib. 1. contra Pelag. addit: *In ʃapientia & ʃimplicitate cordis quærite Deum*, quaſi ſimplicitas ſit ſapientia. Iam Primò, ſimplicitas hæc opponitur duplicitati, calliditati, hypocriſi, dolo & fictioni: *caret enim merito ʃimplicitatis omni arte electum, & fraude compoʃitum*, ait S. Ambroſ. 3. Officior. c. 9. Unde ſequitur v. 5. *Spiritus ʃanctus diʃciplinæ effugiet fictum.* q. d. Quærite Deum corde ſimplici & ſincero, non duplici, ficto & ſimulato, ne de vobis dicatur illud Iſaiæ 29. 13. & Matth. 15: 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eʃt à me.* Nam *væ duplici corde* (qui, ut acutè ait Perſius ſatyra 5.

Aʃtutam vapido ʃervant ʃub pectore vulpem)

Simplicitas.

Primò.

Eccli. 2. v. 14. &, *Vir duplex animo, inconʃtans eʃt in omnibus viis ʃuis*, Iacob. 1. v. 8. Porrò B. Dorotheus doctrina 4. præmium aſſignat: *Si enim*, inquit, *quis quærat Deum, Deique voluntatem ʃimpliciter, dabit illi Deus etiam puerum, qui eum doceat, ʃi doctor deʃit, ne ille labatur: ʃin ʃimulate quis quærat Deum, Deus viciʃʃim dabit ei ʃimulatum doctorem, qui eum in errorem & laqueum inducat.* Audi S. Gregor. in Pſal. 5. pœnitent. v. 3. *Sentite de Domino in bonitate, & in ʃimplicitate cordis quærite illum: cordis enim ʃimplicitas dies eʃt, quam fraus non obnubilat, non obfuʃcat dolus: quam lux veritatis illuminat, præʃentia divinæ claritas illuʃtrat: ʃcriptum eʃt enim, Cum ʃimplicibus ʃermocinatio eius. Deo autẽ ʃermocinari eʃt, per ʃuæ præʃentiæ illuminationem humanis mentibus voluntatis ʃuæ arcana revelare. Cum ʃimplicibus igitur Deus ʃermocinari dicitur, quia illorum mentes de arcanis cæleʃtibus ʃuæ inʃpirationis claritate illuminat, quos nulla caligo duplicitatis obumbrat. Quod contra de non ʃimplicibus dicitur: Virũ ʃanguinũ & doloʃum abominabitur Dominus. Et Salomon ait; Spiritus ʃãctus diʃciplinæ effugiet fi. in. & auferet ʃe à cogitationibus, quæ ʃunt ʃine intellectu. Cõʃtat ergo quia iʃtos inhabitãdo illuminat, illos recedẽdo excæcat.*

Secundò, *ʃimplicitas* hæc opponitur curioſitati. q. d. Nolite curiosè ſcrutari Dei majeſtatem, providentiam, eſſentiam, ceteraque eius arcana, v. g. quomodo trinus in perſonis, & unus in eſſentia; ſed ſimpliciter credite, quod fides & Eccleſia de eo credendum docet. Ita explicat S. Cyprian. lib. 3. Teſtim. c. 53. citatque illud Eccleſ. 7. 17. *Noli eʃʃe juʃtus multùm, & noli argumentari pluʃquã oportet.* Huc accedit Gloſſa, Holcot, & Hugo, qui ſic explicat, quaſi moneatur homo Scripturam ſacram, per quã Deus agnoſcitur, piè, humiliter & ſtudiosè legere & intelligere, neque reprehendere, quæ non clarè percipit, imò fide certa tenere. Nam juxta Iſaiæ 7. 9. *Si non credideritis, non permanebitis*; Septuag. *non intelligemus*; neve in adverſos ſolis radios noctuæ intueamur, caventes ne *ʃcrutatores ʃancti majeʃtatis, opprimamur à gloria.* Et quia fidei luce illuminatæ mentes flammam concipere debent charitatis, ideo ſubjungi ajunt *quærite*, quod fulgore ardentis amoris ſit.

Secundò.

Tertiò, S. Auguſt. l. 1. de Serm. Domini in monte cap. 7. *ʃimplicitatem* accipit pro puritate, ut opponitur miſtioni: ſimplicia enim ſunt pura, miſta ſunt impura, utpote ex variis conflata. q. d. Simplici, id eſt puro, corde quærite Deum. Scriptum eſt enim: *Beati mundo corde, quoniam ipʃi Deum videbunt*, Matth. 5. *Hoc eʃt mundum cor*, ait S. Auguſt. *quod ʃimplex cor: & quemadmodum lumen hoc videri non poteʃt, niʃi oculis mundis, ita nec Deus videtur, niʃi mundum ʃit illud, quo videri poteʃt.* Hunc quoque eſſe ſenſum liquet ex eo quod ſubdit v. 3. *Perverʃæ enim cogitationes ʃeparant à Deo:* & v. 4. *Nec habitabit in corpore ʃubdito peccatis.*

Tertiò.

Quartò, planè & plenè Hebr. תם *tom* & תם *tam*, quod Noſter vertere ſolet, *ʃimplicitas* & *ʃimplex*, ſignificat integritatem & perfectionem, atque integrum & perfectum: ſic Iob c. 1. 1. dicitur *vir ʃimplex*, id eſt, integer & perfectus. Ex adverſo de idololatris & impiis ait Oſee c. 10. 2. *Diviʃum eʃt cor eorum, nunc interibunt.*

Quartò.

Iubet ergo Sapiens, ut homines, præſertim principes, non dimidiato, imperfecto, languido, ſed integro, perfecto, conſtanti fortique corde quærant Deum, ut dimidiũ cor non dent mundo, dimidium Deo, ſed totum quantũ quan-

quantum est Deo: quod fit per plenam charitatem. Unde Robert. Holcot per *simplicitatem* accipit charitatem. q.d. Sentite de Domino in bonitate, id est, bene per fidem; & quærite eum in simplicitate cordis per charitatem. S. Hieron. verò in c. 55. Isaiæ: *Quærite Dominum*, ait, *dum inveniri potest: quærite non loco, sed fide & pœnitentia.*

Hinc rursum *simplicitas* à nonnullis accipitur pro candida liberalitate, juxta illud Rom. 12. v. 8. *Qui tribuit in simplicitate.* & 2. Corinth. 8. 2. *Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis* (id est beneficentiæ & liberalitatis) *eorum.* &c. 9. v. 11. *Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem*, id est, candidam liberalitatem, uti ibidem explicat S. Chrysost. Theodor. & alii. Sic sensus erit hoc loco, q. d. Quærite Deum largo & liberali corde, non arcto & stricto: ipse enim uti liberalissimus est, ita liberale cor requirit, id est latum, amplum, ad omnia paratum, magna desiderans & moliens, ut in illud velut vas capax divitias suæ gratiæ & liberalitatis effundat.

Symbol. Dionys. Carthus. *Quærere Deum in simplicitate*, inquit, *est, Deum per abstractionem & simplicitatem intellectus cognoscere, quod ipse sit summè simplex.*

VERS. 2. QUONIAM INVENITUR AB HIS, QUI NON TENTANT (Arabicus, *non contristant*) ILLUM: APPARET AUTEM EIS, QUI FIDEM HABENT IN ILLUM] Græcè τοῖς μὴ ἀπιστοῦσιν αὐτῷ, id est, *non incredulis ipsi;* Vatabl. *& iis, qui non diffidunt ipsi, exhibet se;* Syrus, *revelatur iis qui credunt in illum;* Arabicus, *qui illum mendacem non efficiunt;* S. Hieron. in c. 8. Zach. legit, *appropinquat Dominus his, qui non tentant eum: & ostendit faciem suam his, qui non sunt increduli*, id est his, qui credunt in eum. Est miosis: dicitur enim minus, & significatur maius, scilicet per negationem incredulitatis significatur credulitas & fides; uti Noster solerter aduertit.

Confirmat quod dixit: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Confirmat autem ex fructu & præmio, quòd scilicet inveniatur ab his, qui non tentant eum, sed in simplicitate cordis quærunt eum; & appareat his, qui in bonitate de eo sentiunt, hoc est, qui fidem habent in illum. Est enim conversio, quia prius hemistichium respondet posteriori hemistichio versus præcedentis; posterius verò priori: simplicitati enim opponit tentationem, bonitati incredulitatem & diffidentiam. Sensus ergo est, q. d. Simplici & sincero corde, non dubio & tentativo, quærite Deum; sic eum invenietis: à talibus enim invenitur: atque rectè de eo ejusq; bonitate sentite, illi credite, illi fidite; sic enim vobis apparebit. Huc accedit noster à Castro: Rationem reddit, inquit, ejus quod dictum est, Dominum simplici corde & sincero animo quærendum, ac maximè fideli, credendo absque dubitatione ulla, quòd possit, sciat velitque largiri, quod postulatur. Namque accedunt ad eum diffisi, potiùs exploraturi ejus potentiam, sapientiam & bonitatem, quòd de ea dubitent, vel non habeant illam compertam; hi tentant Deum, & gravissimè delinquunt: & non solùm non invenient, quod quærunt, sed tanquam Deo contumeliosi longiùs repellentur. Addit à Castro: Unde idem est, sentire de Domino in bonitate, & simplici corde quærere illum, quod non tentare, ac fidem habere in illum. Intellige hæc quatuor idem esse, non propriè & præcisè, sed amplè & finaliter, quia scilicet eodem omnia tendunt.

Tentant Deū triplices. Tentant Deum Primò, infideles, qui cum Deo, quasi cum idolo lapideo, mortuo & sensus experte agunt, quod proinde externis tãtum ritibus & gestibus colunt. Secundò, qui Deo negant scientiam, potentiam, providentiam rerum humanarum, ac iniustitiæ scelerumque vindictã, aut ejus periculum facere volũt. Tertiò, qui suo ingenio, opibus, viribus confidunt, non Deo. Sic diabolus tentavit Christi divinitatem, Matth. 4. 2. Judæi ejusdem potentiam, dum ab eo poposcerunt miraculum, Matth. 12. 38. Item justitiam, dum ab eo postularunt vectigal, Matth. 17. 23. Item sapientiam, dum modum resurrectionis ab eo vestigarunt, Matth. 22. v. 24. Item clementiam, dum ei obtulerunt adulteram ad condemnandum, Joan. 8. 5. Item obedientiam, dum quærunt: *Licet censum dare Cæsari, an non?* Matth. 22. 17.

Porrò, credunt in Deum, Primò, qui de eo rectam habent fidem, & orthodoxè sentiunt; Secundò, qui in eum confidunt; Tertiò, qui illi fideles sunt, ejusque mandatis fideliter obediunt, juxta illud psal. 77. 7. *Ut ponant in Deo spem suam, & mandata ejus exquirant.* Sic dicitur Eccli. 1. v. 36. *Nisi incredibilis timori Domini*, id est, religioni & cultui Dei fideliter pareto: *& ne accesseris ad eum duplici*, id est dubio fictoque, *corde.* Hinc S. Gaudentius tract. de Dedicat. probare contendit S. Thomam, antequã Christus post resurrectionem illi appareret, non fuisse incredulum. Nam hic dicitur: *Apparet autem eis, qui non sunt increduli.* Igitur quòd à Christo culpetur ut incredulus, non tam ad Thomam, quàm ad posteros spectare, qui credere debeant quod non viderunt, uti Thomas credidit Christum resurrexisse, etiamsi eum non viderat, quia Apostolis dicẽtibus se eum vidisse credidit. Hæc propria est ejus opinio. Nam alii censent Thomam verè fuisse incredulum: hoc enim planè significat reprehensio Christi. Fuit ergo Thomas, partim credulus, partim incredulus. Credulus, quia credidit Christũ fuisse Prophetã verum, ac virum sanctum, & Messiam: incredulus, quia non credidit eum resurrexisse. Christus ergo apparuit ei quasi credulo, ut reliquum incredulitatis ab eo abstergeret, uti de facto abstersit, cùm Thomas tangens ejus cicatrices exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* Adde, etiamsi Deus ordinariè appareat his qui credunt in eum, non tamẽ solis his, nam sæpè apparet his, qui non credunt in eum: tanta enim est Dei bonitas, ut sua luce & gratia præveniat infideles, ut credant; & impios, ut convertãtur ad Deum. De fide enim est, gratiã Dei prævenire nostrũ arbitrium, adeò ut sine illa nil, quod ad salutem cõducat, efficere queat, ut passim contra Pelag. docet S. August. & ex eo Concil. Trident. sess. 6. Sic Deus prævenit Gentiles idola colentes, dum ad eos misit Apostolos, qui eos ad Deũ verum traduxerunt, juxta illud Isaiæ c. 65. 1. *Quæsierunt me, qui antè non interrogabant; invenerunt, qui non quæsierunt me*, vel, ut Paulus ex Septuag. citat Rom. 10. 20. *Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant:* ubi enim quis gratiæ prævenienti consentiens Deum quærere pergit, tunc utique pleniùs & perfectiùs apparet ei Deus per lucem & gratiam majorem, quæ eum ad justitiam, sanctitatem, perfectionem, & tandem ad gloriam æternam perducit & provehit.

Deus apparet variè. Primò. Deus autem quæsitus apparet variis modis. Primò, in creaturis omnibus & singulis: in his enim velut suis operibus & effectis relucet ipse creator: juxta illud psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei.* & Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Vide S. August. in Soliloquiis cap. 31. ubi singulos sensus & singulas creaturas interrogat de Deo, & singulæ respondent? Non sum ego Deus, sed qui crevit me, ipse est Deus meus.

Secundò. Secundò, & propriè, in S. Scriptura. Ibi enim Deus se suasque virtutes manifestat, ac præsertim in hoc libro Sapientiæ. q. d. Vos ò sapientiæ studiosi, præsertim rectores hominũ, quærite Deum sapientiæ fontem in S. Script. ac in hoc Sapientiæ libro: si enim hunc sincerè & studiosè legeritis, utiq; quis, qualis & quantus sit Deus, invenietis.

Tertiò. Tertiò, in Ecclesia. Si enim Ecclesiæ præsides & doctores quis consulat, utique de omni re, quæ ad Deum Deique cultum pertinet, eum instruent. Hac enim de causa Deus in Ecclesia posuit Apostolos, Prophetas, pastores & doctores, scilicet *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Ephes. 4. 11.

Quartò. Quartò, quæritur & invenitur Deus in oratione & exercitio virtutum, præsertim eleemosynæ. Orationi enim vacantes Deus interiùs illuminat, ut se & ea quæ sunt salutis cognoscant. Sic invenit Deum Cornelius centurio, cùm oranti apparuit angelus jubens vocari S. Petrum, qui eum in fide Christi instrueret, Actor. 10. Simili modo ait S. Thom. q. 14. de veritate art. 11. ad 1. Si quis Gentilis plenè servaret legem naturæ, Deumque invocaret, Deus prædicatorem, etiam angelum, si opus foret, mitteret, qui eum de rebus Dei & salutis informaret. In litteris Indicis extant varia raraque hujus rei exempla. Quocirca verè dixit Sixtus, non Pontifex, uti falsò censuit Ruffinus, sed philosophus, in Sententiis: *Bona mens chorus est Dei, mala mens chorus est dæmonum. Templum sanctum Deo est mens pii; & altare optimum ei, cor mundum & sine peccato.*

VERS. 3. PERVERSÆ (Arabicus, *difficiles & perversa*) ENIM COGITATIONES SEPARANT (Syrus, *elongant;* Vatabl. *alienationem faciunt*) A DEO: PROBATA AUTEM

VIR-

VIRTUS CORRIPIT INSIPIENTES] Pro *perversa cogitationes*, græcè est σκολιοὶ λογισμοὶ, id est tortuosi, perplexi, flexuosi, incurui, distorti, iniqui, praui, versuti, maligni, discursus, cogitationes, ratiocinationes, sensus, vel etiam machinationes: opponit enim *sentire de Deo in bonitate* peruersas de Deo cogitationes & sensus. q. d. Sicut boni rectique de Deo sensus hominem coniungunt Deo, sic praui & distorti de eo eiusque prouidentia sensus, cogitationes & opiniones hominem ab eodem auellunt & separant, ac consequenter separant à vera religione, iustitia & virtute. Idem faciunt cogitationes & machinationes rectorum impiorum, quibus contra ius & fas mira calliditate excogitant modos congerendi opes, suosque status augendi, cum damno subditorum, imò cum iactura fidei & religionis, quales sunt cogitationes politicorum, qui religionem faciunt subseruire politiæ & regno. Unde S. Julius Pontif. epistola increpatoria ad Episcopos Orientales, quæ habetur tom. 1. Concil. *Recordamini*, inquit, *Sapientiam, quæ ait, Peruersæ enim cogitationes separant (homines) à Deo (quanto magis opera iniqua?) probata autem virtus portat, protegit & consolatur oppressos, & do-* B *cet insipientes.* Succidi verba Julii, quia prolixiora.

Rursum, quærtis aliæ prauę cogitationes, v.g. de rapiendo, fornicando, calomniando, occidendo, separant hominem à bonitate, virtute & lege, ac consequẽter ab earum auctore & tutore Deo. Unde S. Bernard. serm. 3. de Spiritu sancto: *Quia*, inquit, *peruersæ & immundæ cogitationes separant à Deo, orandum est ut cor mundum creetur in nobis: quod utique fiet, si spiritus dominus fuerit in visceribus nostris, in nobis & erga nos sanctus, erga proximos rectus, erga Deum principalis*, Ps. 50. 12. 13. 14. Præclarè S. August. in psal. 63. ad illa: *Defecerunt scrutantes scrutinio: Vide*, ait, *quid contingat animæ malæ. Recedit à luce veritatis, & quia ipsa non videt Deum, putat se non videri à Deo: sic & isti recedendo ierunt in tenebras, ut ipsi non viderent Deum, & dixerunt: Quis non videt.*

Sub cogitationibus intellige volitiones: nuda enim cogitatio praua, si non sit volita, non separat à Deo; sed si voluntas ei acquiescat vel expressè vel tacitè, separat à Deo. Certum enim est cogitationes, quæ rationis aduertentiam & volentis consensum præueniunt, quales sunt C motus primò primi, non esse peccata; nil autem separat à Deo, nisi Peccatum. Porrò cogitationes, nisi illicò cùm earum inhonestas & turpitudo à ratione aduertitur, abigantur, incipiunt placere voluntati, eamque deducunt ad delectationem morosam, quæ si in materia grauiter vetita versetur, est peccatum mortale. Cogitationes prauæ ergo sunt quasi scintillæ, quæ nisi statim extinguãtur, cupiditatis ignem, & tandem ingens incẽdium excitant. Adhæc, cogitationes eædem sunt velut gemmæ, siue baccæ arborum primò germinantium, quæ dum aperiuntur, pariunt flores prauarum voluntatum, qui tandem vertuntur in fructus prauorum operum. Sicut vice versa bonæ cogitationes sunt gemmæ, ex quibus prodeunt flores bonorum desideriorum, & fructus bonorum operum, uti docet S. Chrysost. homil. 39. in illud Matth. c. 21. 19. *Videns arborem fici, nihil inuenit in ea nisi folia tantum.* Summè ergo inuigilandum est cogitationibus, eæque, si prauæ deprehendantur, illicò ad petram legis diuinæ allidendæ & elidendæ sunt, iuxta illud:

Cogitatio est quasi scintillæ. & quasi bacca.

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuere moras.

Hinc de fide est, non solùm opus externum, v.g. fornicationem calumniam, homicidium, sed & internam eorum cogitationem ac volitionem esse peccatum mortiferum, uti contra Judæorum sensum docet Ecclesia, & satis insinuat Christus Matth. 5. v. 22. & 28.

Hinc infert S. Chrysost. peccatum secum afferre summam pœnam, scilicet separationem à Deo. Audi eum homil. 6. ad Popul. *Magnum supplicium est peccare, etiamsi non puniamur: peccata enim nos à Deo separant, Sapient. 1. pœna verò nos ad Deum perducunt. Si quis vulnus habeat, quid timere dignum est, saniem, an medici sectionem? ferrum, an ulceris populationem? peccatorum, sanies est; pœna, ferrum medicinale: sicut enim saniem habens, etsi non secatur, malè habet; & cùm non secatur, tunc est in maioribus malis; ita peccans, etiamsi non puniatur, omnium est miserrimus, & tunc maximè miser, cum nõ punitur, & graue nihil patitur.*

PROBATA (Arabicus, *exquisita*,) AUTEM VIRTUS CORRIPIT INSIPIENTES] Syrus, *redarguit contemnentes*. A *Virtus* hîc non moralis, sed physica intelligitur, putà potentia, robur & vis agendi: hanc enim significat Græcum δύναμις, quod multos Interpretes græcè ignorantes fefellit, qui per virtutem accipiunt honestatem & probitatem: unde sic exponunt, q. d. Virtus hanc habet vim in eo, qui illa præditus est, ut eum faciat aptum ad corripiendum insipientes, qui per ignorantiam, vel infirmitatem peccant. Ita Lyran. & Dionys. Aut q. d. Fides est, quæ à mente aufert insipientiam. Ita Holcot & Hugo. Verùm græcè est δύναμις, id est potentia, non virtus ethica, ut dixi.

Sensus ergo est, q. d. Virtus, id est, potentia Dei per multos suos actus & effectus probata, corripit & castigat insipientes, qui pravè de Deo sentiebãt, peruersasq; de eo cogitationes conceperãt. q. d. Rectores, judices & quiuis, qui insipienter de Deo sentiebant, eiusque prouidentiam & vindictam negabant, dum vident, vel considerant præteritos vel præsentes effectus diuinæ potentiæ & prouidentiæ, quibus iniustos & impios castigavit vel castigat; hoc argumẽto & hac experientia adeò probata conuicti, possunt debentq; agnoscere & corrigere suum sensum & B errorem; ac reipsa sæpè vel inviti, vel sponte cedentes, eundem agnoscunt & corrigunt. Ita Bonavent. Vatabl. Clarius, Jansen. & alii. Alludit Sapiens ad illud psal. 32. 10. *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, &c. consilium autem Domini in æternũ manet, cogitationes cordis eius in generatione & generationem.*

Accedit Osorius, qui explicat de virtute & potentia, non Dei, sed rectorum & judicum. q. d. Dum ipsa potentia rectorum à Deo probatur, imminuitur, aufertur; tunc reipsa ipsi corripiuntur & conuincuntur, ut negare non possint se insipientes de Deo habuisse opiniones, ac peruersas cogitationes & sensus. Unde Vatabl. & Guarinus vertunt, *potentia dum tentatur, arguit insipientes.*

Verum meliùs accipias de virtute, id est potentia, non judicum, sed Dei: hæc enim castigat & corripit insipiẽtes. Igitur sicut puer proteruus non timet matris minas, nec seruus heri, nec discipulus magistri: cogitat enim minas esse minas, hoc est esse verba, quæ aerem, nõ verbera, quæ carnem feriant: cogitat enim matrem esse matrem, ideoq; C vel non velle, vel non posse, castigare filium adeò dilectũ & validum: at dum mater verba vertit in verbera, & virga pulsat pueri dorsum, tunc probat illi suam virtutem; ac puer cogitationem & sensum, quem habebat de matris minis, deponit, corrigitque suum errorem & insipientiã. Eodẽ prorsus modo rectores, judices & quivis impii, dum audiunt doctorum & concionatorũ minas de Dei vindicta, non curant, imò rident: cogitant enim Deum, vel non scire, vel non curare, res humanas; aut se suos status ita stabilivisse, ut ab iis, ne à Deo quidem, deiici possint: at dũ de facto iis excidunt, aut similem Dei vindictam in se vel aliis probant & sentiunt; tunc priores suos perversos λογισμοὺς, id est discursus, cogitationes & sensus corrigunt, ac vel inviti de Deo Deiq; providentia & vindicta rectè sentire incipiunt. Dei ergo potentis potensque vindicta corrigit insipientes, id est impios, à suis pravis opinionibus, quibus vel impotentiam, vel incuriam rerum humanarum, Deo ascribunt, cùm scilicet contrariam eius potẽtiam & curam, vindictamque cum suo dolore & damno experiuntur. Hoc est quod vulgò dicitur: Stulti non cre- D dunt Sanctis, donec faciãt miracula: hinc præ ceteris credunt S. Antonio, quia crebrò potentem eius manum, ignemq; sacrum ab eo incredulis immissum persentiscunt.

Paulò aliter explicat Cantacuzenus, q. d. Curiosæ quæstiones deviãt à Deo. quare dum curiosi temerè Dei potentiam tentant & scrutantur, hac curiositate lædunt aciem mentis, produntque suam dementiam: *Scrutator* enim *maiestatis opprimetur à gloria*, Proverb. 25. 27.

QUONIAM IN MALEVOLAM ANIMAM NON INTROIBIT SAPIENTIA, NEC HABITABIT IN CORPORE SUBDITO PECCATIS] Pro *malevolam* nervosius Complut. & Pagnin. legunt, *malivolam*: græcè enim est κακότεχνον, id est mala fabricantem, mala machinantem, dolos & fraudes versantem, maleficam, quæ res bonas & sinceras adulterat, vitiat & corrumpit. Unde S. Hier. legit, *malitiosã*, Syrus, *malis involutã*; Arabicus, *in malevola anima artificiũ, sive machinationẽ nullo modo introibit sapientia*; S. Bern. *malignã*; Vatabl. & Guarin. *contradicentem vero & invidã*; Jansen. *malitiosam & maleficam, quæque mala arte callida nectit*; Hugo, Lyran. & Vers. 4.

Dio-

Dionyſ. *complacentem ſibi in malitia*; Clarius, *qua omni ſtudio & arte ſtudet malo*, præſertim quæ iuſtitiam per vim vel dolum violat, frandibus alios circumuenit, per fas & nefas ſe ſuaque adauget, vti faciunt tyranni.

Probat quod dixit v. præced. peruerſas cogitationes ſeparare à Deo, ex eo quòd in maleuolam animam non introibit ſapientia, quæ indiuidua eſt comes, imò ſedes & thronus Dei. Vnde S. Hieron. in c. 63. Iſaiæ ſic legit, aut potiùs paraphraſticè explicat: *Afflixerunt ſpiritum ſanctũ eius, quia Spiritus ſanctus recedit à corpore ſubdito peccatis, & in peruerſam animam non ingreditur ſapientia*. Sic ſapientia non introiit in parricidalem animam Abſalonis, ait S. Paulinus epiſt. 4. ad Seuerum.

Sapiẽtia fugit maleuolum. Quæ?

Quæres, quænam ſit hæc ſapientia? Primò, Cyrill. Alexand. lib. 1. in Ioannem in c. 4. *Sapientiam hanc, quæ in maleuolam animam non ingreditur, eſſe* ait *cognitionem myſteriorum, & malignam animam eſſe cuiuſuis hæretici, hypocritæ, infidelis, etiam ad perſpicua nictantis*. Sic & Chryſoſt. tom. 2. in id Matth. 8. 9. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus*, agens contra hæreticos: *Vide*, inquit, *quomodo homo Gentilis, ruſticus & miles veritatis myſteria agnouit, videlicet ſuprema potentia Chriſti; & homines Chriſtiani denegant veritatem, qui ſcripturas portant in ore. Non quia obſcura ſunt aut profunda myſteria veritatis, nam omnes ea cognoſcunt; ſed quia peruerſa ſunt corda eorum, & ubi non quieſcit ſpiritus veritatis, veritas fugit ab eis: ſcriptum eſt enim: In maleuolam animam non introibit ſapientia*. Sic & S. Baſil. epiſt. 141. S. Hieron. in Ierem. cap. 8. Anaſtaſ. Nicen. in quæſt. S. Script. quæſt. 18.

Secundò & genuinè, per *ſapientiam* accipe non ſpeculatiuam, ſed practicam, quæ non aliud eſt, quàm prudentia, virtus, probitas, Dei timor & cultus, vt dixi initio. hæc enim non intrat in maleuolam animam, cùm tamen ſubinde intret ſapientia ſpeculatiua. Vnde S. Auguſt. in Retract. lib. 1. c. 4. retractat id quod in Soliloquiis dixerat: *Deus, qui niſi mundos verum ſcire noluiſti*. Hinc ex diametro ſibi aduerſantur, ſapientia & voluptas, putà gula & libido. Vnde Plato lib. 12. de Legibus. *Venus*, inquit, dicitur quaſi ὁ ϰ & νῦς, q. d. *Væ menti*, aut *ve*, id eſt *ſine mente*. Sic *veſanus* dicitur *ſine*, ſiue carens, *ſanitate*, *vecors ſine*, ſiue carens, *corde*, putà excors. Et Cicero teſte Plutarcho in eius Vita, negabat ſe poſſe philoſophari, & ſimul vxori vacare.

Anagog. per *ſapientiam* accipe dulcedinem diuinę contemplationis; hanc enim non deguſtant animæ maleuolæ, ſed bonæ & puræ. Ita S. Bernard. in Scala clauſtralium & alij. Quocirca S. Greg. Nyſſen. tract. de Forma perfecti Chriſtiani, hanc formam in eo ſitam eſſe docet: *Si quis*, inquit, *verè ſit templum Dei, nullumque malitia ſimulachrum contineat, is à mediatore admittetur, cùm purus ſit, & ad puritatem ipſam ſuſcipiendam idoneus: neque enim in maleuolam animam, vt ſcriptum eſt, introibit ſapientia*. Idem de Virginit. c. 15. *Animus*, inquit, *qui Deo viuit, non illic rebus ſe oblectauerit, quæ ſibi ex errore quodam non veram honeſti ſpeciem præbent: ſin ex aliqua affectione vitij maculam ſordis contraxerit, ſpiritalis ipſe matrimonij iura reſcidit, atque vt in diuinis litteris ſcriptum extat: In maleuolam animam non intrabit ſapientia*. Quocirca Guaricus Abbas qui floruit anno Domini 1170. ſerm. 4. de Aduentu: *Qui igitur*, inquit, *viam Domini parare feſtinas, primò omnium bona ſit voluntas: quoniam in maleuolam animam* D *non introibit ſapientia*.

Nec habitabit in corpore subdito peccatis] Græcè ϰατάχρεῳ ἁμαρτίας, id eſt, peccato obnoxio, oppignorato, ac velut ære peccati obærato & obſtricto, atque, vt Syrus vertit, *reo & condemnato*. Eſt metaphora à debitore ære alieno oppreſſo: *qui* enim *facit peccatum, ſeruus eſt peccati*, ait Chriſtus Ioan. 8. 34. ac proinde diabolo, qui auctor eſt peccati, obligatus & obſtrictus. Vnde Apoſt. Rom. 7. ait ſe venumdatum ſub peccato. Per *corpus*, ſynecdochicè hominem accipe: corpus enim eſt peccati æquè ac ſupplicij, putà tam culpæ, quàm pœnæ, officina. Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis c. 19. n. 4. exemplum dat Salomonem; ſpiritus enim ſapientiæ receſſit à Salomonis anima, & corpore voluptatibus inquinato, & libidinibus ſubdito. Vnde S. Auguſt. lib. 17. Ciuit. c. 8. *Rex ille*, inquit, *aliquando ſapiens ſapientiam, quam amore ſpirituali adeptus fuit, amore carnali amiſit*: hi enim duo amores ſunt contrarij, & antagoniſtæ, vt vnus alium expellat. Sic & à Dauide, ait S. Baſil. in pſalm. 37. idem ſpiritus receſſit, cùm is animam & corpus polluit adulterio & homicidio. unde pœnitens orat pſal. 50. *Et ſpiritum ſanctũ tuũ ne auferas à me*, &c. *& ſpiritu principali confirma me*: libido enim & zelus obcæcat mentem, milleque errorum tenebras menti offundit, quas diſſipat ſapientia, id eſt pœnitentia, caſtitas, ſanctitas. Noſter à Caſtro per *peccatum* accipit peccatum diffidentiæ, quo quis diffidit Deo, & callidè tentat Dei potentiam & prouidẽtiam. Alii accipiunt peccata iniuſtitiæ, tyrannidis, rapinæ, fraudum, &c. Planè & plenè accipias quęlibet peccata mortalia: hęc enim omnia & ſingula fugant ſapientiam, id eſt Dei gratiam & charitatem. Unde S. Thom. 2. 2. q. 45. art. 4. ex hoc loco docet ſapientiam practicam, quæ eſt donum Spiritus ſancti, præſupponere charitatem, ideoque non poſſe conſtare cum peccato mortali.

Præclarè S. Auguſt. libr. de Agone Chriſtiano cap. 13. *Erras*, inquit, *quiſquis putas veritatem ſe poſſe cognoſcere, cùm adhuc nequiter viuat. nequitia eſt autem mundũ iſtum diligere, & ea, quæ naſcuntur & tranſeunt, pro magno habere, & ea concupiſcere, & pro his laborare vt acquirantur;* B *& lætari cum abundauerint, & timere ne pereant, & contriſtari cum pereunt. Talis vita non poteſt puram illam & ſinceram & incommutabilem videre veritatem, & inhærere illi, & in æternum non moueri*.

Denique S. Thomas 3. p. q. 27. art. 4. ex hoc loco probat, in B. Virgine nullum fuiſſe peccatum actuale, ne veniale quidem, quia in eius utero Sapientia Dei corporaliter habitauit. Idem dicas de peccato originali. Qui enim aliquando huic ſubiacuit, neceſſe eſt ut aliquando peccet, ſaltem venialiter. unde, qui ab omni veniali per totam vitam immunis eſt, immunis eſt quoq; ab originali. Hanc regulam tradit S. Auguſt. lib. 5. contra Iulianum c. 9. Idem libro de Natura & gratia c. 36. ait: *Excepta itaque ſancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullã prorſus, cùm de peccatis agitur, volo habere quæſtionem. Vnde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum*. Pro *unde* nonnulli legunt *inde*.

Porro ex eo, quod ait *Spiritus ſanctus*, &c. *non habita-* C *bit in corpore ſubdito peccatis*, à contrario collige: ergo habitabit in anima & corpore ſubdito charitati & virtutibus: hoc eſt enim palatium, imò thronus & templum Spiritus ſancti.

Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate] Vers. 5. Syrus, *ſpiritus enim ſanctus & correptio fugit à fraude* (Arabicus, *à dolo*,) *& elongatur* (Arabicus, *auolat*) *à cogitationibus eorum, qui ſine ſcientia intelligentiæ ſunt*. Græca habent, *ſanctus enim ſpiritus diſciplinæ effugiet dolum*, ſive fictionem. Unde Primò, *ſanctus ſpiritus diſciplinæ*, poteſt accipi ipſa ſancta diſciplina, quam v. præced. vocauit *ſapientiam*: hæc enim eſt ſpiritus, id eſt ſpiritualis dos & qualitas, ut probet id quod dixit, ſapientiam non intrare in maleuolam animam, ex eo quòd ſapientia ſit *ſpiritus diſciplinæ*, id eſt, aſpiret menti diſciplinam, id eſt, vitiorum caſtigationem, morumq; compoſitionem & candorem, qui contrarius eſt dolo, fictioni & malitiæ.

Spiritus ſanctus fugit fictũ: quis? Reſp. Primò.

Secundò *ſanctus ſpiritus* poteſt accipi ipſe Deus Pater, Filius & Spiritus ſanctus: Deus enim per eſſentiam eſt ſpiritus, iſque ſanctus. Vnde Seraphini ſingulis perſonis acclamant: *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus ſabaoth*, Iſaiæ 6. Probat ergo ſapientiam non introire in maleuolam animam, ex eo quòd Deus, à quo manat omnis ſapientia, cùm ſit ſpiritus ſanctiſſimus & puriſſimus, fugiat omnem dolum, fictionem & malitiam. *Secundò.*

Tertiò, per *Spiritus ſanctus* accipi poteſt tertia perſona S. Trinitatis, putà Spiritus ſanctus: huic enim appropriatur diſciplinæ, id eſt morum reformatio, puritas, ſanctitas; qui proinde fugit, imò fugat, omnem impuritatem, hypocriſin & malignitatem. Ita S. Hieron. lib. 7. in c. 63. Iſaiæ, & Idacius contra Varimadum, Hugo, Lyranus, Gloſſa & alii. *Tertiò.*

Disciplinæ] Oſorius refert ad τὸ *fictum*. q. d. Spiritus ſanctus enim fugit hæreticos & hypocritas, qui ſimulant & fingunt ſe ſtudere diſciplinæ, cùm ſint indiſciplinati, vacentque ſuis concupiſcentiis. Verè S. Auguſt. in pſalm. 39. initio. *Perſecutio*, inquit, *ſiue à leone, ſiue à dra-*

cone

eam numquam cessat Ecclesiæ, & magis metuendus est eum fallit, quam cùm sævit. Meliùs alii *τὸ disciplinæ* referunt ad *τὸ Spiritus sanctus*: hic enim est auctor, amator, tutor, & doctor omnis disciplinæ, qua nostros mores ad omnem honestatem confirmat, uti dixi. ita Hugo, Jansen. & alii.

FICTUM (Græcè, δολόν) forte Noster legit δολιόν, id est dolosum, fraudulentum, fictum, versipellem masculinè) id est fictionem, fraudem dolum, item res fucatas & fictas (unde Vatabl. vertit, *id quod fictum est*) omnesque fictos, hypocritas & dolosos, qui vel per fraudes aliena compilant, vel errores spargunt, vel quid aliud mali perpetrant. Opponit fictionem hanc simplicitati cordis, qua quærendum esse Deum dixit v. 1. Unde S. August. serm. 11. de Verbis Domini, per fictos accipit hypocritas. Idem lib. 1. de Baptismo contra Donat. c. 12. accipit eos, qui fictè accedunt ad baptismum uti accessit Simon Magus Act. 8. de quo hunc locum accipit Urbanus II. 1. q. 3. c. *Salvator*. Hi enim si planè fingant se velle suscipere baptismum lucri causa, cùm revera nolint fieri Christiani, uti subinde eum suscipiunt Judæi, irritus is est & nullus; sin seriò velint suscipere baptismum & christianismum, sed fingant se pœnitere de peccatis, quæ dimere nolunt, recipiunt quidem Sacramentum baptismi, sed non ejus vim & gratiam, nisi postquam per pœnitentiam sublata fuerit fictio, uti passim docent Theologi.

S. Athanas. serm. de Passione & cruce, per fictos accipit mendaces & perjuros; S. Bernard. serm. 1. in Cant. incontinentes; Hesychius lib. 2. in c. 10. Levit. simulantes pœnitentiam. Rursum S. August. lib. 2. contra Parmen. c. 10. & 11. per fictos accipit hæreticos, à quibus collatum baptisma docet esse verum, & sanctificare baptizatos: *Spiritus quidem sanctus*, inquit, *daturis fingentibus deerat justificandis; sed accepturis credentibus aderat abluendis, per ineffabilem efficaciam potentiæ suæ utrumque valens facere, illos fugere, istos fovere; illos culpare, istos mundare.* Et mox: *Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.*

Tandem fictio propriè significat dolum, versutiam, fraudem, qua homines, præsertim judices, vel rectores, ob munera, vel respectus humanos justitiam pervertunt. Potest tamen fictio accipi quævis iniquitas, ut sequitur: hæc enim simulat & fingit æquitatem & honestatem: verecundatur enim videri vocari iniquitas & inhonestas.

Unde ad hanc gnomen alludens, imò eam paraphrasticè explicans Tertull. lib. de Orat. c. 10. docens eam debere esse liberam ab omni animi perturbatione, ait: *Neque enim agnosci poterit à Spiritu sancto spiritus inquinatus, aut tristis à læto, aut impeditus à libero, nemo adversarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit.*

Porrò, Spiritus sanctus maximè fugit fictionem & fictos, qui virtutes nomine vitiorum, & vitia nomine virtutum palliant; itaque multos seducunt, dum virtutes in vitia, & vitia in virtutes transformant. Nam ut verè ait Cassiod. *Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salve dicit: prodigos vocat liberales, avaros parcos & sapientes, lascivos curiales garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos & graves, hæc sagitta leviter volat, citò infigitur.* Et Seneca epist. 21 *Per adulationem vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt, temeritas sub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur, in his certè magno periculo erramus.*

Denique, sicut spiritus fugit fictionem & dolum, sic amat & ambit simplicitatem, candorem & amorem. Audi S. August. lib. de Moribus Ecclesiæ Cathol. c. 6. *Dicit Paulus* (Rom. 5.) *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Dicit Propheta: Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet dolum: ubi enim dolus, charitas nulla est.*

Fictio dedecet principes.

Jam verò dolus, fictio & mendacium omnes dedecet, sed maximè principes & rectores: hi enim fingendo & fallendo perdunt omnem fidem & auctoritatem apud subditos, vicinos & exteros. Unde Leo Imper. Exhortat. ad filium c. 29. *Maximi*, inquit, *pendito veracem te esse, & veraces homines in familiaritatem tuam admittere: ita enim firmus & constans in omnibus dictis & factis existimaberis, ac veram, & non suspectam suorum erga te benevolentiam obtinebis. Si autem in vanitatis & mendacii suspicionem veneris, indigna agere imperatoria majestate, qua auctus es, convinceris efficiesque ut subditi semper formidolosi, verumque omnium incerti & titubantes vacillent.* Et c. 36. *Dicere autem oportebit ea quæ planè scies, aut ea quæ temporis ratio postulabit, de ceteris omnibus silere satius erit, quàm loqui. Nam principem non nisi vera, opportuna & magni momenti verba proloqui decet.*

& sacerdotes.

Rursum, fictio planè indigna est in sacerdote, rebus sacris & Sacramentis; estque peccatum sacrilegii. Unde Hesychius in c. 10. Levit. & habetur de Pœnitent. dist. 3. c. 35. *Inter hæc sicut vera pœnitentia*, inquit, *Deum promeretur; ita simulata Deum irritat: quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Hoc autem sancti Patres irremissibile peccatum, & blasphemiam in Spiritum sanctum dixerunt.* Nam ut ait Clemens Alexand. l. 3. Strom. *hypocrisis est instar nivis, & hypocrita est quasi sterquilinium nive contectum, utpote qui vitia omnia candore simulatæ virtutis, velut nive obtegit.* Talis hypocrita fuit Julianus Apostata, quem proinde S. Gregor. Nazianz. orat. 3. contra eundem, rectè comparat chamæleonti: *Sicut*, inquit, *chamæleontem ajunt, in quemvis facilè mutari, atque omnes colores, candore uno excepto, suscipere (fabulosum enim Proteum sophistam prætereo) sic etiam ille Christianis, præter clementiam, in quidvis se vertebat, & per quam crudelis erat ejus lenitas.*

ET AUFERET SE A COGITATIONIBUS, QUÆ SUNT SINE INTELLECTU) Græcè ἐπαναστήσεται ἀπὸ λογισμῶν ἀσυνέτων, id est exurget, excitabit, eriget se, ut ascendat & avolet à cogitationibus intelligentiæ expertibus, imperitis, imprudentibus, insipientibus, stultis, quales sunt tyrannorum, omniumque injustorum & impiorum. Nannius vertit. *resiliet*, alii, *commigrabit, amovebitur, procul absistet*: juxta illud Psal. 63. 8. *Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* q. d. Homines versuti alto, id est profundo, corde multas artes, fraudes, impiaque consilia excogitant: sed Deus alto hominum corde longè est altior & profundior: unde eius technas detegit, dissipat, punit, vindicat. Quocirca Aquila, Symmach. & Theodot. pro ירם *jarum*, id est, *exaltabitur*, aliis punctis legentes ירם *jorem*, id est *sagittabit*. vertunt, *mentem & cor profundum hominis sagittabit & configet.* Ex adverso sapientia, ejusque auctor Spiritus sanctus, ait Proverb 8. 12. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* vide ibi dicta. Quæ sint cogitationes sine intellectu, quæ cum intellectu, & quomodo utræque formentur & crescant, subtiliter explicat S. Bernardus tract. de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei, longiusculè ante finem.

Hinc sapientiæ symbolum est sal. Nam ut ait Plinius li. 31. cap. 9. *Salis natura per se ignea, & inimica ignibus, fugiens eos, & omnia erodens: corpora verò astringens, siccans, aligans; defuncta autem & putrescentia ita vendicant, ut durent ita per sæcula. In medendo verò mordens, adurens, repugnans, extenuans, dissolvens.* Sapientia autem ignea est, à calore Spiritus sancti generata, sed igni concupiscentiæ valdè inimica, quæ in malevolam animam non introibit, disciplinæ fugit fictum & aufert se à cogitationibus impudicis, quæ sunt sine intellectu. Affectus humanos erodit, atque ab eis quidquid inordinatum est & effrænatum, detrahit. Corda justorum astringit, ne in vitia labantur: siccat, ne humore pravi amoris tabescant: alligat, ne in peccata perefluant. Nam per sapientiam sancti sunt, quicumque Domino placuerunt. Animas peccatis mortuas, & sibi ipsis præ humilitate & contemptu proprio putrescentes conservat, & vitam aliam supra captum humanum, & incorruptionis claritatem communicat.

ET CORRIPIETUR A SUPERVENIENTE INIQUITATE) Græcè, ἐλεγχθήσεται ἐπελθούσης ἀνομίας, id est corripiet, vel corripietur superveniente peccato, inquiunt nonnulli: adduntque ἐλεγχθήσεται verbum esse medium; unde tam activè verti potest, *corripiet*, quàm passivè, *corripietur*. Activè accipit Cantacuzenus. q. d. Spiritus sanctus corripiet, arguet, convincet, iniquitatem, quæ specie æquitatis simulata se velabat & occultabat, eamque detegeret & damnabit, juxta illud Christi Joan. 16. 8. *Ille* (Spiritus sanctus) *arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio*: Spiritus sanctus enim ostendit eos, qui fraudes & technas nectunt, tunc maximè desipere, cùm sibi summè sapere videntur. Unde Syrus vertit, *corripit omnem tirannidem quæ evenit*: propriè enim in tyrannos & oppressores hæc dicuntur. Verùm ἐλεγχθήσεται, non est futurum verbi medii, sed passivi. Passivè ergo accipit Noster, & ceteri, vertuntque *corripietur*: quod S. August. lib. contra Adimantum cap. 7. refert ad hominem fictum. q. d. Corripietur homo fictus, scilicet superveniente sibi iniquitate sua, cùm ab eo abscesserit Spiritus sanctus: hæc

enim iniquitas ipsi ostendet, quòd deviarit ab æquitate, sapientia & virtute, unde conscientia eum remordebit, castigabit & puniet. Addit Lyran. in peccata graviora sinetur labi: sic enim Deus solet priora peccata castigare per sequentia majora & turpiora. Denique fictus, ait Hugo, cùm retributionis dies venerit, pro iniquitate corripietur, id est punietur.

Meliùs alii attribunnt Spiritui sancto, idque liquet ex textu Græco. q. d. Spiritus sanctus ab iniquitate corripitur, id est confutatur, ait Jansen. ac velut vituperatur & dehonestatur, ait Vatabl. indigne tractatur, ait Nannius, (hæc enim omnia significat ἐλέγχεσθαι (ac proinde velut confusus, ac probo affectus fugit & discedit. Hinc Arabicus vertit, *reprehenditur cùm præsens fuerit iniquitas*. Unde Nota tantam esse antipathiam inter iniquitatem (græcè *ἀδικίαν*, id est peccatum, scelus, legis transgressionem) & Spiritum sanctum, ut iniquitas abigat Spiritum sanctum; sicut tyrannus abigit verum regem. Infinitum est enim dissidium & odium inter Spiritum sanctum & peccatum: ita enim odit ipse peccatum, itaque ipsi exosum est, & quasi noxium omne scelus, ut, si ipse posset per impossibile gladio B aliquo jugulari, vel veneno aliquo perimi, non alio jugularetur, vel perimeretur, quàm peccato: peccatum enim directè violat sanctitatem Spiritus sancti, ejusque angelorum. Unde S. Basil. in psalm. 33. ad illa, *Immittet* (sc, hoc est inferet) *angelus Domini in circuitu timentium eum*: *Velut fumus*, inquit, *fugat apes, & fœdus odor columbas expellit, sic angelum vitæ nostræ custodem abigit multa lacrymarum aspergine dignum, & graveolens peccatum*.

Noster Pineda in Job c. 35. v. 6. & 7. *τὸ corripitur* exponit, *contristatur*. q. d. Contristatur Spiritus sanctus, dum videt animam iniquitatem committere, ideoque quasi mœstus ab ea fugit & discedit: juxta illud, *Nolite contristare Spiritum sanctum*, Ephes. 4. 30. Peccator ergo dum peccat, quantum in se est, corrigit, confutat, conspurcat, contristat, expellit Spiritum sanctum.

Hæc omnia anthropopathōs dicuntur de Spiritu sancto ipse enim propriè corripi, probrò affici & contristari nequit, cùm sit Spiritus sublimissimus, perfectissimus, beatissimus & inviolabilis. Dicitur tamen corripi, vituperari, contristari, tum quia peccata causam ipsi dant doloris, probri & tristitiæ, ita ut, si in eum cadere posset dolor, probrum aut tristitia, utique peccatum ipsum dolore, probro & tristitia afficeret: tum quia ipse peccatum odit, & à peccatore abit & discedit, perinde ac si probro & tristitia affectus fuisset. Est catachresis & metonymia: ponitur enim effectus pro causa, scilicet correptio & tristitia pro odio, quod in hominibus ex tristitia consequitur.

Corripitur Spiritus sanctus.

Primò.

Secundò.

Minùs rectè aliqui sic exponunt, q. d. Corripietur, id est convincetur, Spiritus sanctus ex iniquitate hominis, quod in eo convertendo & sanctificando frustra laborarit. Et alii, qui sic transferunt: Spiritus sanctus investigabitur, deprehendetur & agnoscetur in iniquitate hominis, sicut lux in tenebris magis agnoscitur & resplendet. Et noster à Castro: Corripere, inquit, est celeriter rapere juxta illud Virgilii:

—— *Arcumque manu, celeresque sagittas.*
Corripit.

Sensus ergo est, q. d. *Spiritus sanctus disciplinæ institutor fugit, quod videt fictum in discipulo, & abscedit a cogitationibus ejusmodi dolosis, & celeriter corripit sese ab animo* D *ejus, mox ut advertit similem iniquitatem sese in illum insinuare*. Hæc à Castro. Verùm Græcum ἐλέγχεσθαι, non significat celeriter rapere, sed corripere, id est redarguere, increpare, convincere.

Vers. 6. Benignus etenim spiritus sapientiæ) Græca habent; σοφία, id est *sapientia*: sed eodem redit sensus: spiritus enim sapientiæ est ipsa sapientia spiritualis, sive creata, sive increata, quæ est ipse Deus & Spiritus sanctus, uti dixi v. præc. Quare idem est dicere, *sapientia est spiritus benignus*, cum eo quod dicit Noster, *benignus est spiritus sapientiæ* (et non liberabit maledicum) ita Romana. Minùs rectè Glossa, Lyr. Dion. & alii legunt, *maledictum*) a labiis suis.

Quoad nexum hujus sententiæ cum præced. Nota, *ὡ enim* dupliciter accipi posse. Primò, pro *enim vera, quidem, quamvis enim*. Respondet enim Hebræo *Ki*, id est quia, quoniam: quod non semper causam reddit, sed subinde sermonem tantum continuat, imo subinde orditur, estque particula expletiva, quæ ornatus dumtaxat causa additur. Sic sensus nexusque erit, q. d. Enim verò benignus est spiritus sapientiæ, vel, Quamvis enim benignus sit spiritus sapientiæ, tamen non liberabit maledicum à labiis suis, id est à culpa & pœna suæ maledicentiæ debita; sed eum acriter puniet. Ita Nazianz. orat. 44 quæ est in S. Pentecosten: *Hic* (Spiritus sanctus) inquit, *& lenitatis spiritus est, & tamen in eos, qui peccant incitatur: proinde, si eum lenem, & clementem, & non iracundum experiri volumus, dignitatem ipsius confiteamur, caveamusque, ne quid in illum convitii blasphemiæque dicamus, neque velimus eum implacabiliter irascentem videre*.

Secundò, *ὡ enim* magis propriè & nervosè accipi potest, ut nota causalis. Dat enim causam, cur sapientia, id est Deus & Spiritus sanctus, fugiat fictos, ac puniat blasphemos & maledicos, qui Deo vel hominibus contumeliosi & injurii sunt. q. d. Ideò eos punit, quia benignus & φιλάνθρωπος, id est amator hominum, est, ut enim eos à petulantia, maledicentia & injuria tueatur & vindicet, maledicos severè castigat: Vera enim benignitas & clementia est, si ad tutelam piorum castigentur impii in pios contumeliosi & injurii. Nam ut ait S. Gregor. in 1. Reg. ca. ult. disciplina & misericordia multùm destituitur, si una sine alia teneatur. Non enim solùm piis, sed & impiis bene fit, si per pœnas à malo coerceantur.

Pro *benignus* græcè est φιλάνθρωπος, id est singularis hominum amator, qualis fuit Christus pro nobis in carnem & crucem descendens: de quo S. Paulus: *Apparuit*, inquit, *benignitas & humanitas* (græcè, φιλανθρωπία, id est eximius ille in homines amor) *Salvatoris nostri Dei*, ad Titum 3. 4. S. Aug. l. de Mendacio c. 16. legit, *humanus est spiritus sapientiæ*; Syrus, *amans est enim filios hominum*: qui scilicet se, suam sapientiam & gratiam hominibus communicare impensè cupit & optat. Φιλάνθρωπος: ait Elias Cretensis in orat. 4. Naziaz. *ille est, qui inimicis etiam blandum ac liberalem se præbet, ac quantum potest Deum imitatur, qui justus & injustus beneficiis afficit*. Audi Naz. or. 44 in S. Pent. *Hic Spiritus*, inquit, *ut pote sapientissimus atque hominum amantissimus, si pastorem nactus fuerit, psaltem efficit pravos spiritus incantantem, atque Israelis regem designat. Si caprarium moros vellicantem, Prophetam reddit, Davidem & Amos cogita. Si adolescentem pulchræ indolis acceperit, presbyterorum judicem constituit, idque supra quàm ætatis ratio ferre videtur. Testis est Daniel, qui leones in lacu supe-* C *ravit. Si piscatores invenerit, Christo irretit, orbem universum sermonis retibus complectentes. Petrum mihi atq; Andream accipe, tonitruique filios, qui spiritualia intonuerunt. Si Publicanos, ad discipulatum elucratur, atq; animum negotiatores efficit. Testis Matthæus heri publicanus, hodie Evangelista. Si feroces persecutores, zelum commutat, ac Paulos pro Saulis facit, nec minùs pios reddit, quàm impios offenderat*.

Spiritus sanctus φιλάνθρωπος

Et non liberabit [Græc. ἀθῳώσει, id est non habebit innocentem, id est, non sinet impunitum, sed gravibus pœnis & suppliciis onerabit, est miosis (maledicum) gr. βλάσφημον, id est blasphemum & contumeliosum, sive in homines, sive in Deum, qui scilicet non sentit de Deo in bonitate, nec in simplicitate, sed in dolo quærit eum, ut dixit v. 1. Deus enim discipulos & auditores sapientiæ suæ quærit simpliciter sibi credentes, fidentes & obedientes, qui de ipso dicant, αὐτὸς ἔφα, id est, *ipse dixit*, uti dicebant discipuli Pythagoræ. Unde Syrus, *non justificat populum blasphemantem*; Arabic. *insultantem*.

A labiis suis) Id est à culpa, petulantia & maledicentia labiorum suorum. Triplex est malitia opposita bonitati & simplicitati Dei, de qua dixit v. 1. *Sentite de Domino in bonitate*, &c. quæ proinde nos separat à Deo, ideoq; summè detestanda & cavenda, scilicet malitia cordis, oris & operis, putà perversæ cogitationes, sermones & actiones: de cogitationibus egit v. 3. hucusq; hic agit de sermonibus, putà murmurationibus, detractionibus, mendaciis usque ad vers. 12. ubi aget de operibus, sicque omne genus malitiæ culpat & relecat.

Quoniam renum illius testis (gr. μάρτυς, id est martyr, putà testis) est Deus, et cordis illius scrutator est verus (Syrus, *operator veritatis*) et linguæ ejus auditor) *Renes* notant intimas cogitationes & appetitiones (concupiscentiæ enim, libidinis & seminia origo est in renibus) secretas & occultas. Unde sensus est, q. d. Ne putes secreta tua peccata & maledicta esse occulta. Deus enim intuetur secretissima quæque non solùm locorum, sed & mentium: unde vocatur θεὸς, id est Deus, ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, id est ab intuendo & con-

& contemplando, Hinc explicans ſubdit: *Et cordis illius ſcrutator* (græcè ἐπίσκοπος, id eſt ſpeculator, inſpector) *eſt verus*, putà Deus, qui eſt ipſa verita, ac proinde nec falli ulla in re, nec fallere poteſt (unde Arabicus vertit, *explorator ſcrutator cor illius*;) *& linguæ ejus*, etiam ſubmiſsè intra labia muſſitantis, murmurantis & maledicentis, *eſt auditor*. Tria enim ſunt, inquit Holcot, quæ vellet peccator maximè latere, videlicet delectationem ſuæ voluptatis, cogitationem conceptæ vanitatis, locutionem communicatæ perverſitatis: & tamen omnia iſta Deus nudè videt. Iſta autem tria tangit Sapiens per tria corporis organa, videlicet renes, cor & linguam. In renibus viget voluptas, in corde vanitas, & in lingua perverſitas. Et reſpectu iſtorum trium tres actus Deo attribuit. Nam reſpectu voluptatis, ipſe eſt teſtis; reſpectu vanitatis, ipſe eſt ſcrutator. ſcrutari enim eſt ad interiora & latentia penetrare, juxta illud pſal. 7. *Scrutans corda & renes Deus*: ſed reſpectu perverſitatis, falſitatis ipſe eſt auditor. Et inferiùs: Notandum, inquit, quòd hic tangit Sapiens tria corporis organa, quæ difficillimum eſt regere ratione: renes, cor & linguam: nam in renibus voluptas, in corde vanitas, in lingua falſitas dominatur. Et ideò difficillimum etiam Sanctis, quòd ſe regant perfectè in delectationibus, quæ per renes ſignificantur: in cogitationibus, quæ per cor: in locutionibus, quæ per linguam notantur. Dicit Ariſtot. l. 13. de Animal. Infirmitas renum in homine eſt difficilis curationis. Moraliter: quia in renibus dominatur voluptas, ideo infirmitas renum carnalem denotat concupiſcentiam, quæ vocatur languor naturæ. Hinc renum morbus igne aduri ſolet. unde illud Pſalm. 25. 2. *Proba me Domine, & tento me, ure, renes & cor meum*, id eſt, ait Gloſſa, adhibe medicinalem purgationem tribulationis delectationibus meis, ne quid mali delectet me, & cogitationibus, ne quid mali cogitem. Quocirca ſapienter David moriturus hoc monitum dat Salomoni filio, ſibi in regnum ſucceſſuro: *Tu autem Salomon fili mi, ſcito Deum patris tui, & ſervito ei corde perfecto, & animo voluntario: omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & univerſas hominum cogitationes intelligit*. 1. Par. 28. 9. Hoc ergo age, hoc cogita, hoc elige, quod cupis patere & placere oculis Dei; hoc cogitare, hoc eligere noli, quod ſcis patere & diſplicere Deo.

Cogitationi cura adhibenda.

Hinc S. Bern. l. de Interiori domo c. 39. docet ſumma cura advigilandum ad cogitationes noſtras: *Ibi namque*, inquit, *eſt cogitatio tua, ubi eſt affectio tua: ubi cor tuum, ubi eſt deſiderium tuum. quoniam illud ſæpiùs in cogitatione volumus, cujus amore plus affecti ſumus.* Vis ergo noſſe quid ames, adverte quid ſæpè cogites. Subdit S. Bernard. *Si mala cogitas, Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus ſine intellectu, eritque templum Dei ſpelunca diaboli quoniam, quem Deus deſerit, diabolus arripit. Et ideò quacumque hora mala cogitatio cor tuum tangit, non conſentias illi, nec ſinas eam in corde tuo manere, ſed illicò repelle. In initio cogitationis iniquæ reſiſte, & fugiet à te. Cogitatio prava delectationem parit, delectatio conſenſum, conſenſus actionem, actio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem, neceſſitas mortem. Sicut vipera à filiis ſuis in utero poſitis lacerata perimitur; ita nos cogitationes noſtræ intra nos nutritæ occidunt.* Audi S. Aug. Præf. in pſal. 148. *Non poteſt fieri ut habeat malefacta, qui habet bonas cogitationes: facta enim de cogitatione procedunt. Nec quiſquam poteſt facere aliquid, aut ad aliquid agendum membra movere, niſi primò præceſſeris juſſio cogitationis. Quomodo de interiori palatio quidquid juſſerit Imperator, per Imperium Romanorum emanat, quidquid videtis agi per provincias: quantus motus fit ad unam juſſionem Imperatoris intus ſedentis? movet ſolum ille labia cum loquitur, & movetur omnis provincia, cum fit, quod loquitur. Sic & in unoquoque noſtrum intus eſt Imperator, intus in corde ſedet. Si bonus bona jubet, bona fiunt; & ſi malus mala jubet, mala fiunt. Cum ibi ſedet Chriſtus, quid poteſt jubere, niſi bona? Cum poſſidet diabolus, quid poteſt jubere, niſi mala? In tuo autem arbitrio Deus te eſſe voluit, cui pares locum, Deo an diabolo? Cum paraveris, qui poſſidebit, ipſe imperabit.*

Denique S. Greg. Nazianz. orat. 34. quæ eſt 2. de Theologia, per Sanctum ſpiritum accipiens Deum, ex eo probat Deum ita eſſe immenſum, ut omnia circumſcribat, & à nullo circumſcribatur. Concinit ei Theophilus Patriarcha Alex. patruus & anteceſſor magni Cyrilli, ac æmulus & judex S. Chryſoſtomi. Sic enim ait Theophil. epiſt. 1. Paſchali: *Cur David canit: Quò ibo à ſpiritu tuo? Quod dicens oſtendit à ſancto Spiritu omnia contineri, & illius maje-*

A *ſtate circumdari: ſi omnia in omnibus, utique & irrationabilia & inanima. Et alibi legimus: Spiritus Domini replevit orbem terrarum. quod numquam Script. memoraret, niſi irrationabilia quæque in anima illius numine complerentur.* Theophilum patruum ſequens S. Cyrillus tract. *quòd Spiritus ſanctus ſit Deus*, ex hoc loco idipſum probat; tum quia replet omnia, ergo eſt immenſus, ergo Deus: tum quia continet omnia ſua vi & poteſtate, tum quia eſt ſuper omnia: *Situs eſt ergo*, inquit, *ſuper omnes creaturas, & naturam eorum, quæ ab ipſo implentur ac continentur, tranſilit: at Deus eſt id, quod eſt ſuper creaturam.*

QUONIAM SPIRITUS DOMINI REPLEVIT ORBEM TERRARUM: ET HOC, QUOD CONTINET OMNIA, SCIENTIAM HABET VOCIS.) Probat quòd Deus intima & occultiſſima, tum cordium, tum ſermonum, & præſertim occultas blaſphemias in Deum, & maledicta in homines prolata, perſpiciat, judicet & vindicet; ex eo quòd ejus ſpiritus repleat totum orbem, ut ubique ſit præſens, ac conſequenter omnia cominus intueatur & videat imò omnia manu ſua contineat, ac B proinde voces quaslibet & verba, etiam mentalia ſciat & cognoſcat; quia eum non impedit ulla loci diſtantia, nec vocis vel idiomatis ignorantia. VERS. 7.

Spiritus Domini accipi poteſt dupliciter. Primò, cum S. Auguſt. epiſt. 57. ad Dardanum, cap. 5. B. Petro Damiani lib. 4. epiſt. 6. & aliis eſſentialiter, ut ſit idem, quòd ipſa ſpiritalis Dei natura, vis efficacia, ſcientia, providentia, operatio, conſervatio: hæc enim ubique eſt per eſſentiam, præſentiam & potentiam; ac proinde omnia replet, omnia continet, conſervat, vivificat. Nam ut ait Athenagoras orat. de reſurrectione, *Nihil neque terreſtrium, neque cæleſtium rerum cura & providentia deſtitutum eſt: ſed in omnia æquè tum quæ in aperto ſunt, tum quæ latent, in magna item & parva penetrat creatoris ſollicitudo.* Nam Deus, ut ait Philo lib. 2. Allegoriarum legis, implet omnia, penetrat omnia, nihil omnino relinquens ſeipſo vacuum; & quem locum occupabis, in quo non ſit Deus? Itaque nemo poteſt ſe ab eo abſcondere.

Spiritus Domini duplex: eſſentialis.

Huic ſimilis eſt gnome pſal. 23. 9. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Ita S. C Auguſt. in pſal. 57. qui ex hoc loco probat Deum eſſe ubique, juxta illud pſal. 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugam*: Porrò ſpiritus Domini ſua ſubtilitate replet & continet omnia, ſicut replet & continet aer, dum omnia ſubintrat & penetrat: ſicut enim voces formantur in aere, & per eum vehuntur ad aures; ſic nil poteſt quiſquam loqui, quod non perveniat ad ſpiritum Domini, utpote in quo vivimus, movemur & ſumus, Actor. 17.

Secundò Spiritus Domini accipi poteſt notionaliter, ut ſit idem quod Spiritus ſanctus, tertia in S. Trinitate perſona. Hic enim eſt ſpiritus Domini, quia productus per ſpirationem activam Patris & Filii, qui pariter replet orbem, & continet omnia.

& notionalis.

Unde ex hoc loco Spiritus ſancti immenſitatem, ac conſequenter divinitatem probant S. Athanaſ. epiſt. ad Serapionem, S. Baſil. homil. de Spiritu ſancto, & lib. 5. contra Eunom. cap. ult. S. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto c. 8. S. Auguſt. lib. 3. contra Maxim. c. 21. Origen. l. 7. in c. 9. epiſt ad Rom. Cyrillus Alexand. lib. 8. contra Julianum, & lib. 7. de Trinit. qui addit idem ſenſiſſe Plato-D nem & Platonicos, qui dixere Deum eſſe animam mundi, juxta illud:

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Porrò Richardus de S. Victore ſerm. de miſſione Spiritus ſancti, cenſet per hoc indicari Trinitatem perſonarum, cum identitate eſſentiæ. Nam ſpiritus Domini eſt ſpiritus diſtinctæ perſonæ, ſed tamen eſt hoc, quod continet, id eſt illud ipſum, quod eſt ille, à quo ſunt omnia: eſt illud per quem eſt id, quod Pater & Filius eſt, à quibus procedit. Verùm hoc ſubtilius eſt quàm ſolidius. Prior ſenſus planior & germanior eſt.

ET HOC, QUOD CONTINET OMNIA, SCIENTIAM HABET VOCIS.) Græcizat Interpres: quia enim πνεῦμα, id eſt *ſpiritus*, Græcis eſt generis neutri, hinc tribuitur ei pronomen demonſtrativum pariter neutrum, putà τὸ συνέχον, id eſt *hoc continens omnia*: *hoc* ergo idem eſt, quod *hic* ſpiritus, uti legit S. Auguſt. in Speculo c. 12. & in Symbolo ad Catechum. cap. 4. Unde & Syrus vertit, *ille*

qui tenet omnia in scientia, est ei vox ejus; Arabicus, *qui ambit omnes creaturas, cognoscit loquelam*.

Sensus ergo est, q.d. Et hic spiritus Domini replens omnia, & continens omnia, id est manu suæ potentiæ omnia ambiens, concludens, conservans, ne in suum nihil recidant, movens, agitans, *scientiam*, græcè *γνῶσιν*, id est *cognitionem*, habet vocis, hoc est, cognoscit omnes voces, etiam occultissimas maledicorum, non tantùm ore prolatas, sed & in corde conceptas: omnes enim hasce ipse in se continet, utpote qui omnia, ac consequenter ipsam animam & vitam cujusque, in se continet: omnes ergo voces fiunt quasi in ipso spiritu, id est in loco, quem Spiritus sanctus ambit & continet. Hinc ajunt Patres omnia creata esse in Spiritu sancto, sicut omnia dicuntur esse à Patre, & per Filium. Præpositio enim *à* tribuitur Patri, quasi primo S. Trinitatis principio: *per* verò Filio tamquam medio, item verbo & exemplari, per quod facta sunt omnia: *in* verò Spiritui sancto. Sensus enim est, q.d. Voces & verba, tam mentis, quàm linguæ, intra ambitum complexumque Spiritus sancti fiunt, non extra sive foris: quare illum nihil latere potest, ac vel tenuissimum maledici murmur, sed omnium vocum & dictorum exactam habet scientiam & cognitionem.

Deus continet omnia ut fundus.

Nota. *τὸ omnia continet* solidè & profundè explicat S. Dionys. de Divin. nom. c. 10. dicens: *Omnipotens*, vel potiùs *omnitenens* (hoc enim est *παντοκράτωρ*, *dicitur quòd sit omnium sedes, omnia continens & complectens, & cuncta stabiliens, fundans atque constringens, & universum in se insolubile præstans: & ex se veluti ex omnitenente radice cuncta producens, atque ad se ut ad omnitenens fundum universa convertens, & continens, ut omnium sedes omnicapax: omnia contenta una præcellenti connexione cummuniens, neque sinens ea sibi excidere, ne tamquam exactissimo domicilio mota dispereant*. Et Gregor. l. 2. Moral. c. 12. *Cælum*, inquit, *palmo metiens, & terram pugillo concludens ostenditur, quòd ipse sit circumquaque rebus cunctis, quas creavit, exterior. Per sedem ergo cui præsidet, intelligitur esse interiùs supraque: per pugillum, quo continet, exteriùs subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, & superior per potentiam, & inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens extrà circumdans, interiùs penetrans. Nec alia parte superior, alia inferior: aut alia parte exterior, atque alia manet interior, sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans penetrando circumdans*. Denique Job c. 11. 8. de Deo: *Excelsior cælo est*, inquit, *& quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus* (hebr. *statura ejus*) *& latior mari*. Hinc illud Virgilii ecloga 3.

Jovis omnia plena.

Et Lucanus lib. 9.

Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Porrò sicut spiritus, id est ventus favonius flans suo halitu aperit ver, terramque germinare facit, ac omnia fœcundat, imò, ut ait Plinius lib. 16. c. 25. & li. 18. c. 34. *afflatu suo nutritium exercet*. sic pariter Spiritus Dei ita continet repletque omnia, ut ea gravidet, fœcundet, fœtuque; impleat.

Porrò minùs genuinè aliqui, ut Martinus Cantapetrensis li. 2. Gypotyp. cap. 2. col. 116. per *hoc, quod continet omnia*, intelligunt mundum. q.d. Spiritus Domini replevit orbem sui cognitione: quia mundus, qui omnes rerum species in se continet, muta voce prædicat Dei creatoris magnificentiam, ejusque cognitionem omnibus ingerit, juxta illud psal. 18. 1. *Cæli enarrant gloriam Dei*, &c. *non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorū. Mundus*, ait Pompon. Mela li. 1. c. 1. *uno ambitu se cunctaque complectitur*. Unde *eius circumplexu degunt omnia*, ait Plinius l. 2. c. 1. Verùm Græcè non est *συνέχων* masculinè, ut referat *κόσμον*, id est mundum, sed *τὸ συνέχον* neutrè, quod non nisi *πνεῦμα*, id est spiritum, respicit: si tamen *τὸ συνέχον* accipias quasi substantivè, posset, notare mundum, idque huic loco satis apposité.

Spiritus S. implet omnia.

Mysticè, Ecclesia in officio Pentecostes, hanc gnomen applicat missioni Spiritus sancti: ipse enim in Pentecoste descendens in Apostolos, replevit eos omnibus virtutibus, donis & gratiis, tum gratum facientibus; tum gratis datis, deditque eis cognitionem omnium linguarum & vocum, ut per eam possent prædicare Euangelium

A Christi omnibus & singulis gentibus, Actor. 2. Addit Richard. Victor. loco jam citato, Spiritum sanctum omnisci non tantùm vocum, sed & rerum quæ vocibus significantur, scientiam Apostolis indidisse. Præclare S. Basil. hom. de fide, Spiritum sanctum comparat soli totùm orbem illustranti, fœcundanti, vivificanti. *Quemadmodum sol*, inquit, *corporibus lucens variè à quolibet sumitur, nec tamen propterea diminuitur; sic & Spiritus sanctus omnibus quidem gratiam præbens, infractus remanet ac indivisus. Omnes ad agnitionem Dei illuminat: Prophetas inspirat, legislatores sapientes reddit, sacerdotes sacris instituit, regibus fortitudinem addit, perficit justos, ornat modestos gratiam sanitatum operatur, mortuos vivificat, solvit compeditos, alienos in filios per regenerationem adoptat. Si telonarium deprendat, credentem Euangelistam constituit. Si piscatorem inveniat, theologū reddit: si persecutorem, pœnitentem; Gentium Apostolum, præconem fidei, vas electionis declarat. Per hunc etiam Spiritum debiles redduntur robusti, pauperes in divitias veniunt: idiotæ, ingenio & eloquentia ceteris sapientibus sapientiores evadunt*. Vide dicta Acto. 2. & Genes. 1. 2. ad illa,

B *Spiritus Dei ferebatur super aquas*.

Homo continet omnia.

Hinc rursum S. Bonavent. Hugo, Glossa & alii per *hoc quod continet omnia*, intelligunt hominem: homo enim in se continet omnes rerum gradus & species; habet enim esse cum lapidibus, vegetari cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Homo enim afflatus Spiritu sancto cognoscit quaslibet voces & linguas, uti patet in Apostolis. Rursum Spiritus sanctus in eo replet orbem terrarum, id est circuitum potentiarum animæ. Intellectus enim ornatur scientia & prudentia, imaginatio circumspectione & requie, voluntas & appetitus virtute multiplici, corpus sanitate, pulchritudine & robore. Et sicut homo velut centrum circuli est, in quod omnes naturæ rerum, & omnes vires earum tamquam lineæ concurrunt; ita donis multiplicibus decoratur, quibus suo liberalissimo creatori placita obsequia reddat, & non beneficiorum oblitus, sed memor & gratus existat. Tunc verò ex omnibus suis viribus Deum diligit, cùm omnes creaturarum vires sibi concessas, & cuncta dona atque talenta, ex vero & puro Dei amore in ejus obsequium & famulatum impendit. Sic

C de S. Gertrude in ejus Vita legimus: *Ipsa non loquitur, sed Spiritus sanctus in ea videtur loqui, & operari: quare venienti quopiam ad illam consilii vel opis petendæ causa, illico Spiritus sanctus suggerit ei quid consulere & respondere debeat*.

Vers. 8.

PROPTER HOC, QUI LOQUITUR INIQUA, NON (græcè, *οὐδεὶς*, id est *nullus*, quantumvis astutus, parvus, potens vel excelsus sit) POTEST LATERE, NEC PRÆTERIET ILLUM (qui loquitur iniqua) CORRIPIENS JUDICIUM) q.d. Spiritus Domini penetrat, imo implet omnia, totumque universum: hinc nulla iniqua locutio, vel actio, ubivis locorum fiat, eum latere potest; quin omnia perspiciat, ac suo tempore judicet, vindicet & puniat, ut dixi vers. præced. Syrus. *neque est qui loquatur oppressionem* (tyrannidem) *& abscondatur: neque fugit à judicio reprehensionis*.

CORRIPIENS JUDICIUM) Vocat *judicium*, quod Deus sæpe peragit in hoc mundo, quodque planè & universaliter peraget in fine mundi, quo omnes omninò homines, omniaque eorum dicta & facta, etiam occultissima, in lucem proferet, ac coram omnibus hominibus & ange-

D lis ea examinabit & dijudicabit, atque iniqua acriter corripiet, id est castigabit, tum verbis, tum suppliciis præsertim condemnando ea, eorumque auctores ad æterna gehennæ incendia, cùm dicet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*, Matth. 25. Hinc Daniel c. 7. describens Dei judicium: *Fluvius igneus*, inquit, *rapidusque egrediebatur à facie ejus* Ignis enim notat judiciū Dei esse purum, sincerum, clarum, penetrans, acre & efficax, quod impios ad ignem æternum damnabit. vide ibi dicta. *Judicium* tria significat. Primò, actionem judiciariam injuriarum, quæ apud judicem agitur actore, accusante, reo se defendente, testibus testimonium ferentibus; Secundò, sententiam judicis, qua reum jam convictum damnat; Tertiò, pœnam & supplicium, ad quod eum judex condemnat. Hæc tria enim significat Græcum *δίκη*. Unde *δίκη* fingitur à Poetis esse dea judiciorum, inde dicta, quòd lites & contentiones dirimat. Hinc eam asserunt virginem, eò quòd judicium debeat esse purum & intactum. Unde Hesiodus in Ergis *δίκη*, inquit, *à Διὸς*, id est virgo justitia est à Jove prognata. Et Aristot. vel quisquis est Auctor, lib. de

Mun-

Mundo: *Deus, ait, è vestigio comitem habet justitiæ præsidem, quam Δίκην nominant, divinæ legis vindicem, simul ut quidquam sanctionum ejus prætermissum est.*

Vers. 9. In (Syrus, *de*) COGITATIONIBVS ENIM IMPII INTERROGATIO ERIT: SERMONVM AVTEM ILLIVS AVDITIO AD DEVM VENIET, AD CORREPTIONEM INIQUITATUM ILLIVS) Arabicus, *Dominus erit reprehensio impietatis ejus.* Pro *cogitationibus*, græcè est διαβουλίαις, id est perplexis & improbis impii cogitationibus. Pro *interrogatio* græcè est ἐξέτασις, id est *inquisitio*, quæ à judice humano fieri solet interrogando, tum reum, tum testes. Unde Noster hic & alibi aptè vertit, *interrogatio*, id est quæstio, vel inquisitio judicialis. *Auditio* est fama, rumor, relatio, accusatio. Inducit enim hic Deum ut judicem & vindicem iniquorum, non solùm sermonum, sed & cogitationum, si scilicet cogitata sint volita, ac voluntati liberæ vel expressè vel tacitè placeant. q. d. Deus, utpote judex universi, in omnia omnium facta dictaque exactè inquirit, ut ea cognoscat, ac suo tempore judicet, & præmiet vel puniat. Inquirit autem, non ut judex humanus, qui cùm multa non viderit, imò nesciat, eadem ab aliis interrogando vestigat, sed ut oculus per se omnia videns, & auris omnia audiens, ut ait v. sequ. quare Dei interrogatio & inquisitio est ipsa facti visio, dictique auditio: quo fit, ut falli nequeat: ideoque ipse simul testis est & judex. Nam ut ait Job. c. 42. 2. *Nulla* Deum *latet cogitatio*: Sensus ergo est, q. d. Interrogat, idest intuetur & audit, ac intuendo & audiendo inquirit (atque inquirendo intuetur & audit) in omnes cogitationes hominum, multò magis in sermones, ut iniquos corripiat & castiget. Rursum propriè Deus in judicio interrogabit impium: Nonne murmurasti? nonne detraxisti? nonne iniqua dixisti? qua de causa, qua conscientia id fecisti?

Symbolicè, Auctor imperfecti apud S. Chrysost. hom. 21. in Matth. & Hugo: In hac vita Deus, inquiunt, in nobis posuit spiritum quemdam scientiæ boni & mali, ut quotiescumque mali quidpiam dicimus, agimus, aut volumus, ille in silentio id ipsum accuset. Spiritus hic est synderesis, sive conscientia ejusque remorsus: hæc enim dum peccamus, muta voce occlamat: Quare hoc nefas agis? cur Deum offendis? cur ejus iram & vindictam in caput tuum accersis? Hæc pariter nos accusabit in die judicii, juxta illud Apostoli: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiã defendẽtibus, in die cùm judicabit Deus occulta hominũ.*

QVONIAM AVRIS ZELI AVDIT OMNIA, ET
Vers. 10. TVMVLTVS MVRMVRATIONVM NON ABSCONDETVR) Syrus, *auris invidi*: refert enim hæc & sequentia non ad Deum, sed ad suspicacem & invidum, qui omnia secretò auscultat curiosè, ut audiat quid quisque de se dicat, & murmuret. Verùm ceteri referunt ad Deum, de quo sermo præcessit. Unde Arabicus vertit, *nemo*. Deus non habet corpus, nec membra, ac consequenter nec aures, nec oculos, &c. cùm sit merus purusque spiritus: sed anthropopathôs ea dicitur habere, quia acie suæ mentis videt & audit omnia, perinde ac si oculos & aures haberet instar hominis: Dei ergo intellectus, sive mens & vis cognoscendi, vocatur auris & oculus, quia præstat illa Deo, quæ auris & oculus homini, adeòque eminenter continet aurem, oculum, omnemque sensum, imaginationem, intellectum & cogitationem omnium angelorum & hominum. *Deus*, ait Plin. lib. 2. c. 7. *totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui*. Vide S. Augu. tract. de Essentia divinitatis to. 4.

Sensus ergo est, q. d. Nihil potest latere Deum, quia ejus mens sciendi avidissima & penetrantissima, velut auris zelosa Dei zelantis, omnia audit; ac propterea nullum murmur, vel levissimum, ab eo abscondi potest: quia auris Dei, quæ tanta cura & sollicitudine zelatur veritatem & justitiam, æquè ac hominum salutem, omnia observat & audit, ideoque indignatur auditis sceleratis impiorum sermonibus, singulaque studiosè auscultat, & ponderat instar hominis suspiciosi, qui in angulis & tenebris auscultat, quid de se dicatur. Dum ergo Deum auditis aut cogitatis, zelum ipsum putate: ipse enim est zelantissimus justitiæ, & acerrimus vindex omnium iniquitatum & tyrannidum. Unde Vatablus hunc versum & duos præcedentes ita convertit & connectit: *Etenim Spiritus Domini replet orbem, & continens universa notitiam vocis habet: quapropter injusta loquens nequaquam latuerit, nec præterierit eum castigans judicium. Nam in consilia impii inquiretur, famaque sermonum ipsius ad Dominum perveniet ad nefaria ejus facinora coarguenda; quoniam acris auris & indignabunda audit omnia, & rumor frementium minimè clàm fuerit.*

Quæres, cur mens Dei vocetur *auris zeli*? Respondetur Primò, quia ipsa, utpote vivacissima, cupidissima est sciendi cognoscendi, & audiendi omnia. Zelus enim notat aviditatem & cupiditatem, vehemensque & acre rei alicujus desiderium. *Mens Dei est. auris zeli cur?*

Secundò, quia acerrima est, & acutissima ad omnia penetrandum, intimeque cognoscendum: zelus enim acuit aciem mentis, attentionis & cognitionis, ideoque omnia pervadit & penetrat. Hinc Dei mens nihil per incuriam vel ignorantiam dissimulat, aut prætermittit, sed omnia ad vivum resecat, permeat & penetrat.

Tertiò, quia zelotypa est, nec patitur rivalem. Pro *zeli* enim græcè est ζηλώσεως, id est æmulationis, ardentis amoris, zelotypiæ. Quare sicut maritus zelotypus curiosè & secretè stans post fenestram vel parietem, omnia
B sponsæ suæ verba, & gestus & nutus audit, considerat & ponderat, ne illa quem alium amet, aut de alio rivali suo cogitet, vel loquatur: sic Deus animæ à se creatæ, præsertim justæ & sanctæ, per gratiam sibi desponsatæ, studiosè omnia cogitata, dicta & facta audit & considerat, ne illa dæmonem, carnem vel mundum sibi anteferat, quia solus ac totus ab ea amari cupit; quare non patitur æmulum, nec fert ut illa aliquod contra se susque jussa murmur concipiat, aut sibi ingrata loquatur: sed si id facit, graviter succenset, indignatur & ulciscitur. Ita S. August. lib. de Essentia divinitatis: *Zelare*, inquit, *dicitur Deus, cùm creaturam suam, quam non vult perire, sæpè castigat, corripit atque flagellat, & flagellando ad se reducit. Vel certè zelare Deus dicitur, cùm nullum peccatum impunitum vult relinquere: Justus enim est, & ideo omnis injustitia execrabilis est illi, quàm, ut dictum est, impunitam nullo modo relinquere patitur.* Dum ergo o homo, o sacerdos, o Religiose, quid mente concipis, lingua dicit manu operaris; cogita aurem zeli, id est Deus zelantem, te audire & intueri magno affectu: & ardore, ut nil nisi ipsi gratum placitumque conci-
C pias, dicas, facias. Id cogitabat sponsa dicens Cant. 2. 9. *En ipse* (sponsus) *stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*

Huc facit gnome prisci Rabbini in *Pirke avoth*, id est in Aphophth. patrum Hebr. c. 2. *Tria tibi servanda sunt, ut numquam in peccatum labaris. Primò, ut attendas oculum omnia videntem; secundò, ut aurem, cui nec ipsum tacet silentium, in omni loco reverearis; tertiò, ut cogites omnia & singula opera tua in libro scientiæ illius esse exarata.*

Tropol. Dionys. Carthusian. Deus, inquit, non tantùm est zelotes, sed & ipse zelus in abstracto, ob fervidum & eximium zelum animarum, quo pollet, juxta illud: *Zelatus sum zelo magno.* Quare simili zelo erga illum ferri & fervere debemus, ut magno studio & sollicitudine illi per omnia placere satagamus, nec quid dicamus vel agamus quod zelotypos tantæ majestatis, sanctitatis & bonitatis oculos offendat; imò quidquid tale est non tantùm in nobis, sed & in aliis quibuslibet, totis viribus amoliri, præsertim cùm verba blasphema, maledica, spurca, &c. audimus, laboremus. Ita faciebat Elias, Baal & Baalitas persequens, imò
D occidens: *Zelo zelatus sum*, inquit, *pro Domino Deo exercituum*, 3. Reg. 19. 10. Et David dicens: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*, psal. 118. 139. Et Mathathias: *Omnis*, inquit, *qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me*, 1. Machab. 2. 27. ubi vide plura zeli exempla, quæ ipse suis filiis imitanda proponit v. 54. & sequ.

ET TVMVLTVS MVRMVRATIONVM NON ABSCONDETVR) Pro *tumultus* græcè est θροῦς, id est fremitus & strepitus tumultuarius, qualis est grunnitus porcorum, à θροεῖν & θροϊάζειν sive θορυβάζειν, id est turbare & turbari, ac tumultuari. Arabicus, *& minæ non abscondentur ab eo*. S. August. lib. de Mendacio c. 16. accipit tumultum internarum cogitationum, murmurantium contra Deum vel proximum: hæ enim æquè patent Deo, ac si in externum strepitum & tumultum erumperent. Magis ad literam alii *tumultum* propriè accipiunt, pro voce & gestu tumultuante. Sensus ergo est, q. d. Tumultus murmurationum, etiam illarum quibus impii secretò inter se mussitant

contra Deum vel proximum, non latent Deum, sed ejus aures feriunt, & offendunt instar grunnituum porcorum: quare ab eo severe castigabuntur, uti Deus semper castigavit murmura Hebræorum in deserto, cùm alia peccata dissimularet, & impunita in hac vita relinqueret, uti patet Exod. 16.2. & Num. 11. v. 1. & seq. & cap. 12. v. 8.

VERS. II. CUSTODITE ERGO VOS A MURMURATIONE, QUÆ NIHIL PRODEST, ET A DETRACTIONE PARCITE LINGUÆ, QUONIAM SERMO OBSCURUS IN VACUUM NON IBIT: OS AUTEM, QUOD MENTITUR, OCCIDIT ANIMAM] Probat cavendum à murmuratione & detractione, tribus rationibus. Prima est, quod illa nihil prosit, sitque ἀνωφελής, id est inutilis, ut habent Græca, imò vehementer obsit, graviaque damna accersat. est enim miosis. Sic Job c. 15. 16 & Salomon Prov. 6. 12 apostatam, qui nihil boni facit, sed plurimum mali, vocat *inutilem*: inutilis ergo, id est planè impius, noxius, scelestus, & ad omne opus bonum reprobus, ut ait Paulus 2. Timot. 2. 21. Secunda est, quod sermo obscurus, id est obscurè, latenter & secretò dictus, in vacuum non ibit, sed regeretur in os dicentis, illudque verberabit & feriet. Tertia, quod os maledicendo mentiens occidat animam. Murmur intellige, tum contra Deum Deique providentiam, v. g. eò quod immittat sterilitatem frugibus, vitibus, arboribus, aut pestem vel bellum similesve calamitates, tum contra proximum per detractionem vel susurrationem, quæ clancularijs susurris dissuit amicitiam inter amicos.

Tribus de causis cavenda detractio.
Primò.
Secundò.
Tertiò.

A DETRACTIONE) Græcè est ἀπὸ καταλαλιᾶς, id est *à contralocutione*, qua contra aliquem secretò loqueris, eumque vel falsò, vel injustè criminaris. Hæc enim comes, imò filia est murmurationis, ut docet B. Antioch. serm. 29. Prudenter detractionem cavendam monet Sapiens, quia, ut ait S. Hier. epist. 14. ad Celantiam, *Pauci admodum sunt, qui huic vitio renuncient, raroq; invenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam: tantaque hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant.* Vide dicta Jacobi 4. v. 11. & seq. Syrus vertit, *à detractore* (vel *propter detractorem*) *parcite linguæ*. q. d. Nolite sermonem miscere cum detractore.

PARCITE LINGUÆ] Hebr. חמל *chamal*, id est parcere, significat etiam misereri, & commiseratione duci: unde aliqui vertunt, *miseratione tangimini linguæ*, ne eam temerari patiamini detractione, & obligari flammis suppliciorum, uti contigit diviti Epuloni, Lucæ 16. qui fortè à vino temulentus, laxabat linguæ maledicæ fræna in Lazarum & Deum: in utrumq; durè, sed duriùs in seipsum desæviens, unde positus in gehenna linguæ suæ ardenti petiit guttam aquæ, nec impetravit, quia Lazaro negavit micam panis, ait S. Aug. Hinc Lyran. Hugo, & Dionys. exponunt. q. d. Nolite hanc injuriam linguæ vestræ inferre, quæ illi tam noxia erit & damnosa: linguæ enim jus & officium est, laudare Deum & proximum: quare ingens fit ei injuria, si quis ea abutatur ad vituperandum Deum vel proximum. Accedit Bonav. Detractor, inquit, primò lędit seipsum suamque linguam & animam. Verum græcè est φείσασθε γλώσσης, id est abstinete lingua, ne scilicet per eam maledica loquamini. *parcite* ergo, id est cohibete & coercete prurientem linguam, ne garrulitate sua in murmura & maledica erumpat. Unde Guarinus vertit, *linguam ab obtrectatione continete*; alii ad verbum, *à contradictione abstinete* Sic Virg. 1. Æneid. *Parce metu Cytherea*, id est depone metum. Et Seneca epist. 115. *Parcere gladio*, id est abstinere à cædibus. Et Cicero l. 2. ad Atticum: *Dolori & iracundiæ parcere.* Et Lucr. lib. 6. *Lamentis parcere*, id est abstinere. Sic passim dicimus, labori, impensæ, periculo, injuriis parcere, id est, cohibere se à labore, impensa, periculo, injuriis.

QUONIAM SERMO OBSCURUS IN VACUUM NON IBIT] Arabicus, *non justificabitur*. Pro *obscurus* græcè est λαθραῖον, id est occultus, latens, secretus, qualis est clancularia detractio & susurratio. Unde Vatab. vertit, *sermo clandestinus non abibit impunè*; Lyran. & Hugo vertunt, *sermo palliatus, dubius, æquivocus*; S. Bonav. *sophisticus & fallax, licet aureo veritatis colore coopertus*. Non ergo redibit vacuus, sed plenus & onustus pœna & supplicio sibi congruente & debito.

Minùs rectè Osorius explicat, q. d. Sermo impurus licet clanculum inter sodales pronuntiatus, non frustra effertur; sed animos audientium impuritate sua inficit & sauciat, purosque & castos faciat impuros & incestos. Pro *sermo* græcè est φθέγμα, quod inter alia significat ingeniosam locutionem, sententiosum & breve pronunciatum, qualia sunt lepida, sed acuta & mordacia detrahentium dicteria & scommata, quæ pariter obscura sunt, id est tecta, amphibologica, dissimulanter & argutè vitium ejus, cui detrahitur, significantia. Hinc Cicero Officior. l. 3. virum obscurum vocat astutum & fallacem, cujus consilia obscura sunt & ignota.

A

Sapienter S. Ephrem tract. de Timore Dei: *Sicut*, inquit, *qui bonum aliquod sibi in thesaurum recondit; ita vir, qui celebrat ac laudat proximum in absentia sua*. Ita prorsus sese habet rei veritas per experientiam frequentem comprobata; sed multis obscura, imò paradoxa videtur, eò quod aliorum vituperia suas æstiment laudes: qua in re graviter falluntur. Vis ergo laudari? lauda alios, etiam absentes, imò adversantes teque vituperantes. Hoc enim te, ut magnanimum & magnificum, omnibus laudabilem & admirabilem efficit.

Vis laudari? lauda alios.

B

OS AUTEM, QUOD MENTITUR (Syrus, *os mendax*) OCCIDIT ANIMAM] quod scilicet mentitur murmurando, detrahendo, maledicendo, uti paulò ante dixit. Et hoc significat vox Græca καταψευδόμενον. q. d. Os quod contra aliquem mentitur, putà vel contra Deum, blasphemè negando providentiam aliave ejus attributa, aut affirmando & attribuendo illi ignorantiam, incuriam, aliave vitia; aut errores & hæreses fingendo & docendo, uti faciunt hæretici: vel contra proximum, falsum crimen ei affingendo, vel verum nimis & mendaciter exaggerando ita S. August. lib. de Mendacio cap. 16. Unde ex hoc loco non colligas, omne mendacium esse peccatum mortale, sed tantùm perniciosum, quod scilicet grave damnum vel perniciem famæ, bonis vel vitæ proximi infert: hoc ergo occidit animam dicentis æquè ac audientis, præsertim ejus, qui dicenti consentit, ejusque criminationes cum voluptate audit. Hoc autem contra naturam est, scilicet ut os, per quod vitalem halitum attrahimus, lethale detractionis virus in

C

animam transmittat, quod illam occidat. Ergo mendacium officiosum, æque ac jocosum, tantùm est peccatum veniale, uti communiter docent Theologi. Quare quod nonnulli, ut S. August. lib. de Mendacio c. 6. ait: *Si quis ad te confugiat, qui mendacio tuo possit à morte liberari, tibi non est mentiendum; quia os, quod mentitur, occidit animam, & cùm mentiendo vita æterna amittatur, numquid pro cujusquam vita temporali mentiendum est?* Hoc, inquam, intellige de mendacio pernicioso, quo injustè vel fidei & Deo, vel proximo nocetur v. g. si quia ut alium à morte liberet, juret falsum, vel neget fidem, aut dicat eum negasse fidem coram tyranno, qui ob fidem eum ad necem persequitur. Ita enim explicat se S. August. sub finem c. 16. dicens: *Sicut autem quæritur quo ore dixerit; Os autem, quod mentitur, occidit animam? ita quæri potest, de quo mendacio: videtur enim de illo propriè dicere, quo cuidam detrahitur. Ait enim: Abstinete ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione linguæ parcite. Fit autem ista detractio per malevolentiam.* Et Chromatius in c. 5. Matth. (extat tomo 7. Biblioth. SS.

Mendacium perniciosum, peccatum mortale, iocosum, veniale.

D

Patrum) *Perjurium*, inquit, *& mendacium divini judicii pœna damnatur, dicente Scriptura: Os quod mentitur, occidit animam*. quæ verba citantur in Jure Canonico 22. q. 5. c. *Juramentum*. Unde hac gnome refelluntur Basilides & Helseceitæ, docentes licere in persecutione fidem ore negare, dummodo eam in corde retineas. Vide Alfons. à Castro lib. 10. contra hæres. de martyrio.

OCCIDIT ANIMAM] Græcè ἀναιρεῖ, id est tollit aufert animam, hoc est animæ vitam, putà Dei gratiam & amicitiam. Sicut enim vita corporis est anima, sic vita animæ est Deus Deique gratia, ait S. Aug. Quocirca conciliat ei mortem & interitum in gehenna. Nonnulli exponunt *occidit animam*, id est, sæpè aufert vitam corporalem illi, cui detrahit. Ita S. Athan. Apolog. ad Constantium Imper. ait Arrianos se persequentes & calumniantes, quantum in ipsis est, cædem facere, quoniam *os, quod mentitur, occidit animam*. Arriani enim petebant vitam Athanasii. Huc accedit noster à Castro, qui sic exponit, q. d. Os mentiens in Deum, ejusque detrahens potentiæ, bonitati aut providentiæ, animam, id est vitam, tum præ-

præsentem, tum æternam, interimit. Itaque non evadet pœnam, quamtumvis occultè mentiatur, sed gravi scelere irretit animam ad interitum utriusque vitæ. Blasphemus enim & maledicens Deo lege veteri jubebatur lapidari & occidi, Levit. 24. 11. Et Deus ipse ærumnis ingentibus & calamitatibus eumdem affligebat. Minùs appositè Arabicus vertit, *os quod mentitur, trahit* vel *ducit animam.* q. d. Fabulones suis fabulis alliciunt ad se aures mentesque audientium.

Mendacium est menda mentis. Porrò mendacium materiale, est omnis error omneque falsum, quod profertur; formale & propriè, est illud dumtaxat, quod contra mentem mentisque conscientiam profertur, cùm scilicet ore quis loquitur, quod corde scit esse falsum. Unde *mendacium* dicitur quasi *menda*, id est, error vel erratum *mentis*, putà dictum contra mentem. Hoc propriè est mentiri, priùs verò est mendacium dicere, ait P. Nigidius apud Nonium: *Qui mentitur*, inquit, *ipse non falsus, alterum fallere conatur: qui mendacium dicit, ipse fallitur quantum in se est. Vir bonus præstare debet, ut non mentiatur: prudens, ne mendacium dicat: alterum judicet in homine, alterum non.* Hinc S. Isidor. lib. 10. Orig. litt. M. *Mendax*, inquit, *dicitur, quòd mentem alterius fallat.*

Hanc gnomen citans Clemens Rom. epist. 1. *Præcipiebat*, inquit, *S. Petrus os suum a multo & pravo colloquio custodire, & verba vana & mendacia non loqui: quia os, quod mentitur, occidit animam.* Omnibus quidem cavendum est mendacium, sed præcipuè Prælatis & principibus, quos maximè hic compellat Sapiens, ut patet ex v. 1. Unde S. Thomas opusc. de Principum eruditione, multis probat principi amandam esse veritatem, abominandum verò mendacium. *Cavendum*, ait, *est principi mendacium ut venenum. Caveant ergo principes sibi à corporali veneno, ampliùs vero cavendum est eis à veneno mendacii, quod adeò mortiferum est, ut adhuc in ore hominum existens occidat, secundùm illud Sapient. 1. Os quod mentitur, occidit animam. Hoc venenum habuit in ore serpens, qui Evam matrem nostram decepit: imò hoc venenum occasio dicitur fuisse, quòd serpens venenum corporale habeat in ore.*

Symbolicè Cæsarius Arelat. serm. 33. de Energum. *Os*, inquit, *quod mentitur, occidit animam, quia in se admittit diabolum, qui animæ est interfector.*

Rursum S. August. lib. de Mendacio c. 16. per *os, quod mentitur*, non accipit os corporis, sed os cordis, putà signaculum mentis. *Cùm os dicit*, inquit, *conceptaculum ipsum cordis significat, ubi placet & decernitur quidquid etiam per vocem, cùm verum loquimur, enunciatur: ut corde mentiatur, cui placet mẽdacium.* Probat id ex simili phrasi psal. 14. *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Et Matth. 15. *De corde enim exeunt cogitationes malæ*, &c. *falsa testimonia, blasphemiæ, hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Verùm hic sensus symbolicus est: nam ad litteram os corporis hic intelligitur.

VERS. 12. NOLITE ZELARE MORTEM IN ERRORE VITÆ VESTRÆ, NEQUE ACQUIRATIS (græcè *ἐπισπᾶσθε*, id est, *attrahatis*) PERDITIONEM IN OPERIBUS MANUUM VESTRARUM) Syrus, *ne invideatis mortem in seductione habitationis vestræ, & ne attrahamini jactura* (perditione) *operationum manuum vestrarum.* Lyran. putat hoc dici contra eos, qui censent animam esse mortalem, ideòque in rebus adversis ex desperatione sibi necem consciscunt. Verùm nulla eorum hic facta est mentio. Spectat ergo hæc gnome ad id, quod præcessit: *Os quod mentitur occidit animam.* q. d. Cùm mendacium omnisque iniquitas occidat animam, nolite hæc ipsa zelare & ambire, *in errore*, id est, per errorem & insipientiam pravæ vitæ vestræ, vestris concupiscentiis, invidiis & passionibus erranter & stultè indulgenti, ideoque à lege, virtute, Deo & salute aberranti. *Errorem* ergo *vitæ* vocat illum, quo quis, ut res, famam & opes vitæ suæ adaugeat, proximo detrahit, eumque calumniatur, ut ejus opes statumque invadat. Error enim est, velle vitæ suæ commoda procurare per aliena damna; quia, ut hic ait Sapiens, per hoc non vitam, sed mortem sibi accersit. Verbis suis addit opera manuum; quia ex maledictis venitur ad malefacta, & ex verbis prosilitur ad verbera acriora. Nolite ergo *zelare*, id est, vehementer appetere & studiosè affectare, neque accersere vobis perditionem per opera linguæ, & manuum vestrarum. Tò *zelare* sumitur in actu exercito, non signato: nemo enim tam stolidus est, ut signatè zelet mortem. Nam sicut ait Comicus: *Nolens beatus nemo est, nec miser volens.* Miser autem est moriens. Dicitur tamen eam zelare, qui zelat, id est avide ambit, calumnias, detractiones, cupiditates & scelera, quæ mortem animæ afferunt. Sic gulosus, & luxuriosus zelando, id est, avidè inhiando epulis, vinis & veneri, implicitè ambit, & zelat mortem præsentem & æternam, quia utramq; epulæ, vina & veneres adducunt. Sic de homine petulante, qui potentem vel principem conviciis & injuriis lacessit, vulgo dicimus: Hic homo sibi verbera quærit, suam necem ambit. Sic peccator zelando suas cupiditates, zelat & ambit gehennam, juxta illud psal. 48. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt* (Symmach. *constituerunt seipsos*) *mors depascet eos*; S. August. *pastor erit eis*; S. Hieron. *Merito*, ait, *pascuntur à morte, qui Christum noluerunt habere pastorem bonum*; Theodor. *supplicia sibi asciverunt, & mortem magis voluerunt, quàm vitam.*

Tò *attrahatis* notat Deum elongasse à nobis mortem & perditionem, eamque quasi religasse in orco & inferno, sed impios magna vi inde eam, solutis ejus vinculis, sibi attrahere, imò majori vi, quàm Sancti sibi è cælo quasi attrahant felicitatem & gloriam cœlestem, quæ ingens est impiorum amentia, imò furor. Græcum *ἐπισπᾶσθε* verti potest, *sugatis & attrahatis lac.* q. d. Ne interitum velut lac sugatis, & attrahendo voluptatem maledicendi, vel iniquè agendi, absconsum in ea virus letiferum peccati & mortis eliciatis: perinde ac insipientes infantes dulcedine lactis illecti, avidè capessunt papillas matris clausis oculis, ore hiante, ut se alant & pascant, ac cum lacte sugunt sibique attrahunt morbos & vitia matris. Ita Gonsal. Cervantes, qui decem alias *τοῦ ἐπισπᾶσθε* significationes affert, & huic loco adaptat.

QUONIAM DEUS MORTEM NON FECIT, NEC LÆTATUR (Syrus, *nec vult*) IN PERDITIONE VIVORUM) Arabicus, *nec percutit percussione vivos.* q. d. Ideo impii zelant & attrahunt sibi mortem, quia Deus eam primitus non fecit, sed potiùs vitam: quia creavit hominem ad vitam & immortalitatem. Verùm homo peccando, mortem sibi accersiit: per peccatum enim Deum Deique justitiam offendit, quæ proinde justum mortis supplicium homini peccanti inflixit. Nam ut ait Apost. Rom. 5. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Peccatum ergo à Deo quasi invito mortem extorsit: Deus enim sicut gaudet de hominum vita & felicitate, ita dolet de eorum morte & miseria. Id significant ejus voces Isaje 1. 24. *Heu consolabor super hostibus meis.* *Heu* enim est vox & nota dolentis & gementis. Et cùm immissurus orbi scelerato diluvium, *tactus dolore cordis intrinsecus*: *Delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, à facie terræ*, Genes. 6. 6. Et Christus videns Jerusalem, prævidensque ejus excidium, flevit super eam, Luc. 19. 41. Quòd ergo subinde Deus dicitur gaudere de pœna impiorum, intellige, eum gaudere non de malo pœnæ, sed de bono justitiæ justæque vindictæ. Unde Ezech. 5. v. 13. ait ipse: *Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor.* Similia sunt Deuter. 28. v. 63 Isajæ 1. 24. & alibi. *Mortem* intellige, tum corporis, tum animæ, quæ duplex est: prima, qua anima moritur Deo per peccatum: secunda, qua semper morietur, id est, pœnas mortis sustinebit, & tamen numquam erit mortua in gehenna.

Deus ergo non fecit mortem per se, sed per accidens; non volens, sed nolens. Fecit enim eam non ut creaturam, v. g. hominem & angelum, sed ut creaturæ recalcitrantis supplicium. Nam ut ait S. Fulgent. l. 1. ad Monimũ c. 19. *Illius rei Deus ultor est, cujus non est auctor.* Igitur mortem non fecit: *quia Deus corruptione carentem hominem creavit, & ad æternitatis suæ produxit imaginem*, ait S. Epiph. l. 2. cont. hæres. c. 19. & c. 22. *Bona igitur mors, cùm plagarum instar ad coercendos pueros reperta sit.* Et c. 18. *Artifices*, inquit, *cupiunt facere opus immortale, ergo multò magis id cupiet Deus.* Dat exemplum Phidiæ. *Hic enim*, inquit, *cùm Olympici Jovis simulacrum finxisset ex ebore, oleum ad pedes ante statuam jussit effundi, quo immortalem illam quantum posset efficeret.* Et S. August. in Sententiis sent. 303. *Justum Dei judicium est, ut peccato suo quisque pereat, cùm Deus peccatum non faciat, sicut mortem non fecit, & tamen quem mor-*

Deus mortem non fecit per se.

VERS. 13.

morte dignum sensit, occidit. Unde legitur: *Mors & vita à*
Eccl. 11. *Deo est. Quæ duo inter se non esse contraria videt profectò, quisquis ab operibus divinis judicia divina discernit: quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud judicando plectere peccatorem. Deus quidem mundum fecit, & corpora prorsus omnia, sed ut corpus corruptibile aggravet animam, & caro concupiscat adversus spiritum, non est præcedens natura hominis instituti, sed consequens pœna peccati.* Aliqui pro *peccati* legunt *damnati*. Quin & Faustus Rhegiensis de Gratia Dei c. 1. tom. 4 Biblioth. SS. Patrum, *Deus*, ait, *mortem non fecit: mors itaque peregrinum, & adventitium malum, non est ordo naturæ, sed pœna sententiæ.* Vide dicta Genes. 2. v. 17. Ita hanc gnomen quoque exponit S. Chrysost. l. 1. de Providentia tomo 5. & S. August. de Prædest. Sanctor. c. 4. & 5. & S. Thom. 1. part. q. 49. art. 2. & 2. 2. q. 19. art. 1. & qu. 164. art. 1.

Rursum Deus mortem non fecit, quia non fecit peccatum, per quod solum mors introduci potuit: mors enim non est aliud quàm peccati pœna, uti docet Concil. Trid. sess. 5. & Concil. Arausic. II. can. 2. *Injustitiam*, inquit, *Deo dare convincitur, qui mortem, quæ est pœna peccati, sine peccato, quod est meritum mortis, ad nos transisse docet.* Unde S. August. passim contra Pelagiano. ex morte omnium hominum, etiam infantium, probat peccatum originale ex Adamo transfusum in omnes posteros. Hinc

Symbolicè S. Bonavent. Dionys. & Holcot per *mortem* accipiunt peccatum. Analogias utriusque perplures recenset hîc Holcot.

Denique S. August. in Solil. c. 24. ex hac gnome sapienter & piè ita Deum precatur: *Quòd salus nostra ex Deo est, audivimus*, inquit, *de tua misericordia Domine, quòd tu mortem non facis, neque lætaris in perditione morientium; propter hoc, Domine, oramus te, ne permittas dominari quod non fecisti, creaturæ tuæ, quam fecisti: si enim doles de perditione, quid te prohibet Domine, qui omnia potes, ne semper læteris de nostra salvatione?*

Dices, Deus creavit hominem constantem quatuor elementis; hæc autem inter se sunt contraria, & se mutuò agendo & reagendo conficiunt & interimunt: ergo creavit in eo causas & principia mortis. Respond. Verum id est, si puram hominis naturam consideres: at Deus non creavit hominem in puris naturalibus, sed in creatione naturam ejus vestivit justitia originali, quæ tum animæ, tum corporis actiones & motus ita inter se componebat & adæquabat, ut homo pacificus, lætus, sanus, sanctusque victurus fuisset per multa sæcula, scilicet donec Deus eum in cælum ad beatam plenamq; immortalitatem transtulisset. Adde, corruptionis originalem causam in homine ceterisq; corporibus, non Deo auctori naturæ, sed naturali rerum ipsarum conditioni, & imperfectioni tribuendam esse, scilicet tum ipsis elementis, quæ contrarias habent naturas & qualitates, ideoque se mutuò interimunt, tum ipsi materiæ primæ, quæ novarum semper formarum est capax & avida.

Anagog. S. Ambros. libr. de Fide resurrectionis: *Deus mortem non fecit, quia*, inquit, *Deus mortem non instituit, sed pro remedio dedit*, ut scilicet ipsa mederetur, daretque finem miseriis, æquè ac peccatis hujus vitæ, ac panderet introitum ad vitam beatam & æternam.

Vers 14. Creavit enim ut essent omnia] S. Antonius Magnus epist. 2. *Vocavit ex nihilo, ut essent cuncta*, q. d. Deus creavit res ad esse, hoc est, ut essent, & in suo esse conservarentur; non autem ad non esse, ut scilicet moriantur & pereant. Probat Deum non fecisse mortem, ex eo quòd sit creator omnium. Creatoris enim officium & opus est res ex nihilo educere, & ex non esse transferre ad esse: huic autem adversatur easdem transferre ex esse ad non esse: ergo Deus non creavit mortem, mors enim transfert res ab esse ad non esse, quia esse rerum perimit. Rursum creatio est rei positivæ, putà boni cujuspiam: mors autem non est quid positivum, sed privativum: est enim privatio vitæ, ideoque ipsa est malum, quod Deus per se & primitus non fecit. Verùm, quia creatura, putà homo abusus est suo esse, ac peccando Deum privavit honore & cultu sibi debito, hinc vicissim congrua talionis pœna Deus, ut justus judex & scelerum vindex, privavit hominem suo esse, eumque morte mulctavit. Mors ergo non est conditio naturæ, sed punitio culpæ.

Porrò S. Thom. 1. p. q. 65. art. 2. ad 1. *In hoc ipso*, inquit, *quòd creatura aliqua habet esse, repræsentat divinum esse, & bonitatem ejus. Et ideò per hoc, quòd Deus creavit omnia ut essent, non excluditur* (sed potiùs includitur) *quin creaverit omnia ad suam bonitatem creaturis communicandam*, manifestandam, amandam, & cum gratiarum actione venerandam.

Et sanabiles fecit nationes orbis terrarum) *Sanabiles*, id est salubres, sanativas, quæ possent sanare, non sanari. Hoc enim significat Græcum σωτήριοι. Sic *sanarè* pro salvare sumitur psal. 40. 5. *Sana*, id est salva, *animam meam, quia peccavi tibi.* Job 34. 17. Prov. 28. 25 Jerem. 17. 14. & alibi.

Pro *nationes* græcè est γενέσεις, id est *generationes*, uti vertit S. Hieron. in c. 12. Zachar. hoc est, vires genitales mundi, putà virtutes quas Deus plantis, herbis, animalibus, gemmis, &c. in earum creatione inservit ad se propagandum, & generandum sibi simile. Item res ipsæ initio à Deo creatæ, & genitæ: hæ enim vocantur *nationes*, id est res natæ & productæ. q. d. Deus fecit, ut res primitus à se creatæ essent salutiferæ, non mortiferæ. Quæcumque in mundo à Deo creata sunt, ea sunt salutifera. Sic Festus, *In pecoribus*, inquit, *bonus proventus, bona natio dicitur.* Et Plinius l. 22. c. 24. & l. 24. c. 6. nationes mellis, & resinæ, vocat earumdem generationes, & proventus. Alludit enim *natio* ad nasci, sicut γένεσις ad γίνεσθαι & γέννησις ad γεννᾶσθαι Simile est c. ult. v. 10. *Nationes* ergo *orbis sunt* omnia, quæ nascuntur in orbe.

Aut *nationes* sive *generationes*, vocat natales, origines, & ortus mundi. q. d. Deus primordia & natalitia mundi, putà opus creationis hexameron; sive sex dierum, initio mundi fecit salutiferum, non letiferum. Deus fecit ut initio mundi, nil ei à se creato inesset noxii, sed omnia salubria, quia *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, Gen. 1. 31. Sic dicitur Gen. 2. 4. *Istæ sunt generationes cæli & terræ*, id est, hi sunt natales & origines, quibus geniti, & in lucem à Deo per creationem educti sunt cæli & terra. Hinc Vatabl. hoc loco vertit, *initia mundi salutifera sunt*; Syrus, *in generatione mundi vita*; Arabicus, *& generationes mundi habentes salutem*, supple, *fecit Deus.*

Rursum S. Hier. per *nationes*, sive *generationes*, præcisè intelligit primos homines à Deo genitos & in mundo natos, scilicet Adam & Evam, ex quibus generationes mundi omnesque homines nascituri erant, quos Deus sanos creavit & immortales, ita ut mori non possent, quamdiu in Dei obedientia & justitia persisterint; adeoque ipsi hanc sanitatem & immortalitatem generatione sua in posteros omnes transfudissent. Hoc verum, sed hoc loco duriusculum.

Porrò Lyran. sic explicat, q. d. Deus fecit primos homines sanabiles, id est medicabiles sive remediabiles, quia scilicet contra mortem animæ per peccatum contractæ, suggessit eis remedium pœnitentiæ, quæ animam peccato mortuam per gratiam ad vitam spiritualem resuscitat: contra infirmitates vero & mortem corporis suggessit eis, tum varia pharmaca, quæ infirmitates ejus sanarent, tum spem resurrectionis ad vitam æternam & beatam. Secùs fuit in angelis: hos enim creavit Deus Insanabiles. Unde Lucifer & socii ejus in peccatum prolapsi pœnitere, sanari & salvari nequiverunt. *Creavit ergo homines*, ait S. Bonav. *in spirituali sanitate per innocentiam, ad sanitatem reducibiles per pœnitentiam.* Sic & Hugo ac Dion. Unde S. Chrys. homil. 8. & 22. ad Pop quæ est de pœnitentia, & homil. 24. in Matt. & h. 24. in Acta, docet multa corporis vulnera esse insanabilia, nullum verò animæ; sed omnia facilè, putà per contritionem & pœnitentiam, sanari & curari posse. Verùm hic sensus non est genuinus, sed symbolicus aut potiùs accommodatitius.

Et non est in illis medicamentum exterminii) Primò *exterminii*, hoc est contra exterminium, putà contra mortem, ait Dion. q. d. Nullum est medicamentum, quod hominem liberet à morte, quam Deus ob peccatum illi inflixit; nulla medicina, quæ hominem à morte in perpetuum præservet. *Medicamentum exterminii quod? Resp. Primò.*

Secundò, idem Dion. & Lyr. q. d. Homo per peccatum multas infirmitates & calamitates incurrit: ac non potest ab eis se eximere sese interimendo & occidendo: hoc enim à Deo vetitum est. Verùm hæc aliena sunt, & detorta. *Secundò.*

Tertiò, S. Bonavent. Glossa, & Hugo per *exterminium* accipiunt peccatum, quod hominem à gratia, Deo, *Tertiò.*

cælo

cælo & mundo, ac vita exterminat. q. d. In natura natio- A num, sive hominum, Deus non insevit poculum sive venenum peccati, quod est causa exterminii in præsenti morte: dicitur peccatum *exterminium*, quia ponit extra terminum gratiæ: sic & dicitur mors temporalis, quia ponit extra terminum vitæ; & gehennalis, quia ponit extra terminum gloriæ, hæc illi. Verùm hoc mysticum est & symbolicum, non litterale & germanum.

Quartò genuinè. Quartò ergo & genuinè, pro *medicamentum* græcè est φάρμακον, quæ vox media est, & nunc in bonum capitur pro medicamento, q. d. φέρων ἄκος, id est ferens medelam; nunc in malum pro veneno, q. d. φέρων ἄχος, id est, afferens tristitiam. Unde illud:

Pharmaca non vendit pharmacopola mihi.

Pharmacum ergo *exterminii*, græcè ὀλέθρου, id est *perditionis*, est pharmacum è vita exterminans, perdens, interimens, putà venenum mortiferum. Unde Syrus vertit, *venenum mortis*, Arabicus, *venenum perditionis*.

Sensus ergo est, q. d. Deus in genesi, sive in mundi natalibus vel originibus, omnia creavit salutaria, ac proinde nihil in ea est venenatum, nihil quod exterminet, B occidat & perimat. Unde Guarinus vertit, *in illis nationibus*, sive *initiis mundi non est venenum periment*; Jansen. *non est in generationibus mundi creatum à Deo venenum exterminans*, sive *perdens*, hoc est, non est inter creaturas à Deo creatas, creata perditio corrumpens, aut corruptio vel malum perditionis. Vatabl *initia mundi salutifera sunt, nec inest in eis medicamentum perniciosum*; Sanctus Hieronymus in cap. 12. Zachar. *creavit ut essent omnia, & salutares generationes mundi, & non erat in eis venenum mortiferum*.

An initio mūdi fuerint res venenatæ? Quæritur hic, an nulla fuerint venena à Deo creata in genesi mundi, v. g. venenatæ herbæ aut animalia? D. August. lib. 1. de Genes. contra Manich. c. 13. censet in genesi non fuisse creatas herbas venenatas, sed post peccatum tantùm, idque in pœnam peccati, atque hoc omne videtur hic dicere Sapiens. Et favet Scriptur. Genes. 1. v. 12. & c. 3. v. 17. & 18. Huic affine est, quod docet S. Basil. homil. 3. Hexam. & Ambros. lib. 3. Hexam. 9. Damasc. lib. 2. de Fide c. 10. Beda & Raban. in Genes. primùm rosam ante peccatum productam fuisse sine spinis, post pec- C catum verò spinis armatam.

Resp. fuisse. Verùm contrarium, ut probabilius, passim sentiunt alii. Dico ergo Primò. Probabilius est venenatas herbas & animalia, item rosam cum spinis initio mundi cum aliis herbis & animalibus à Deo creata esse. Ita S. August. qui quod lib. 1. de Genesi contra Manichæos dixerat, retractat l. 3. de Genesi ad litt. c. 18. Basil. homil. 5. Hexam. & Ambros. li. 3. Hexam. c. 9. Idem censent de herbis excepta rosa, D. Thom. 1. p. q. 69. art. 2. ad 2 & ibi Schol. ac passim recent. scribentes in Genesin, vel in opus sex dierum, uti Perer. Molina, Valentia, &c.

Probatur Primò. Probatur Primo, quia id planè videtur dici Genes. 2. 2. & 5. ubi Deus dicitur creasse omnem herbam; ergo etiam venenatam. *Secundò.* Secundò, quia animalia homini noxia, tum creata sunt, scilicet cete & serpens; idem ergo de lupis, ursis & herbis venenatis dicendum. *Tertiò.* Tertiò, quia hoc exigebat universi prefectio, ut omnes perfectæ rerum species tum crearentur: maximè quia, quæ hominibus venenosa sunt, aliis animalibus sæpè non sunt: ut patet de cicuta. imò quæ uno tempore homini sunt venenata, al- D tero sunt eidem salutaria. Ita cicuta sturnis est pabulum, elleborus coturnicibus: mandragora somnum conciliat: opium sive papauer sedat dolores corporis, ait S. Basil. homil. 5. Hexam. & ex eo S. Ambros. lib. 3. Hexam. c. 9. & lib. 6. & quia illæ res, licèt secundùm se noxiæ sint, tamen in medicamentis cum aliis commixtæ, medicinæ sunt hominum & animalium; ac saltem earum scientia homini, tum prodesse poterat. Rursum rosa tum nata est cum spinis, quia hæc est rosæ natura, hoc ejus bonum & perfectio.

Non tamē nocuissent Adæ. Dico Secundò. Hæc tamen venena & venenata ante peccatum hominum, homini non erant noxia, saltem in actu secundo, sive potentia propinqua. Ut enim Sapiens hic dicit, & c. seq. v. 23. Deus creavit hominem immortalem: licèt ergo venena in se homini noxia essent, tamen partim, quia homo dominium habebat omnium animalium; partim per scientiam, qua notat omnia venena; & per prudentiam ac dexteritatem, quia facilè omnia cavere poterat, præsertim per assistentiam & protectionem Dei, homini innocentiam servanti, uti nec gladius, nec ignis, nec saxa, ita nec venenatæ herbæ aut animalia, adeoque nihil nocere poterat. Unde cum serpenti innoxiè & intrepidè loquebatur Eva: Deus enim cohibebat serpentem, ne Evam tangeret & morderet, eique venenum mortiferum infunderet: atque Adam omnibus animalibus, etiam ursis, lupis & pardis, eorum nomina imposuit. At postquam homo peccavit in Deum, sublata illa singulari Dei protectione, omnia libera relicta sunt, & naturæ suæ reddita, ut in hominem tamquam in hostem insurgerent, eique insidiarentur & nocere conarentur; ac si ex eo tempore bellum indictum fuerit & publicatum inter animalia noxia & res alias veneficas, & hominem, contra quem armavit se orbis terrarum, atque hoc est, quod post peccatum Deus dicitur posuisse inimicitias inter mulierem & serpentem.

Respondetur ergo, hic non negari venena simplicia, sed tantùm pharmaca (ut habent Græca) venenata esse composita à Deo; quia hæc inventa sunt à diabolo, & pravis hominibus. Rursum Deus nulli naturæ vel creaturæ particulari indicit venenum, aut quid noxium, quod illam interimeret & mortem afferret.

Resp. Secundò, & meliùs, nullum, neque simplex, neque compositum fuisse venenum, quod homini vel propinarit, vel incauto objecerit Deus: quin verò diligentissimè cavit (ut jam dixi) ne quid tale homini obveniret, ac consequenter, ut nihil in actu secundo homini esset pharmacum mortis: atque hoc propriè intendit hic Sapiens, Tantùm enim vult probare, mortem non Deo procurante, sed à peccato in orbem invectam. Sic Gen. 1. 13. omnia dicitur fecisse Deus bona, in se scilicet, & respectu totius universi; non autem respectu alicujus particularis, cui mala & contraria esse possunt, ut patet experientia. Sic Gen. 3. maledicta dicitur terra & spinas productura, quia eadem, quæ anteà fuerat à Deo benedicta, felix & fertilis, homini ex paradiso expulso, & ad eam excolendam damnato, cœpit esse maledicta & molesta; imò terra nativa bonitate & fertilitate ob peccatum hominis privata est, & degener facta scatens sentibus & spinis.

NEC INFERORUM REGNUM IN TERRA) Pro *regnum* græcè est βασίλειον, id est regia, palatium, aula regis: item signum regale, regium insigne, diadema. Græca ergo ad verbum habent, *neque regia*, vel *regium insigne Orci super terram*. Orcus à Poetis fingitur rex inferorum. Unde Syrus, *neque inferno est regnum super terram*. q. d. Deus non fecit, ut inferi & dæmones haberent in terram & in homines potestatem; sed id fecit culpa hominum & injustitia, quia credendo tentationibus diaboli ultrò ei consensere, & ejus potestati se subjecere: Rursum *inferorum*, id est mortis & interitus regnum, sive mortis palatium & arx regia, primitus non erat in terra; sed ex inferis ad nos evocata est arte diaboli, impellentis Adamum in peccatum: hujus enim pœna est mors. q. d. Mortis regnum & regia non erat in terra, sed in imis terræ visceribus apud inferos, *ubi umbra mortis, & nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat*, ut ait Job cap. 10. v. 22.

Igitur Adamo & hominibus in statu innocentiæ constitutis dominabatur gratia, vita, cælum & cælites, putà Angeli ac Deus ipse: at postquam peccarunt, eisdem dominati sunt peccatum, mors, infernus, dæmones & Lucifer. Unde omnes, qui ante Christum moriebantur, etjam justi, descendebant ad inferos. Hinc S. Joannes Apocal. cap. 6. 8. invitatur, ut videat: *Et ecce*, ait, *equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio fame, & morte, & bestiis terræ*.

Nota. Pro *inferorum* græcè est ᾅδου ᾅδης autem est Orcus, Pluto, Tartarus, inferi: dictus ᾅδης quasi ἀίδης, ab α privativo, & ἰδεῖν, id est videre. q. d. Locus privatus visu, id est obscurus, profundus, tenebrosus, solis expers, qui ab Hebr. vocatur צלמות *tsalmaueth*, id est, umbra mortis, Isai. 9. 2. Unde Plutarch. tra. in illud λάθε βιώσας, id est latenter vive. *Qui solem*, inquit, *Apollinem esse credunt ex majorum & priscorum mysteriis, Delium & Pythium eundem cognominant. Ceterùm qui diversæ partis est dominus, sive Deus is est, sive dæmon, Haden, id est Orcum, appellant, quod mortuus in locum tene-*

bro-

brosum & obscurum demigremus; ac densæ noctis somnique inertis regem.

ᾅδης ergo est inferorum rex, & quasi Deus, qui reipsa non est alius, quàm Lucifer, cujus regia est in gehenna. Hunc post peccatum Adæ in homines exercuisse potestatem, ostendit nomen Orcus, quod Festus ab urgendo derivat, eò quòd omnes homines ad mortem urgeat. Idem vocatur Pluto à divitiis, quòd dives sit, tum opum, tum animarum peccantium, & damnatarum: πλοῦτος enim sunt divitiæ, putà aurum, argentum, gemmæ, quæ in imis terræ visceribus sunt reconditæ. Hinc poetæ jovem cæli, Neptunum maris, Plutonem inferni Deum constituunt, eique uxorem dant Proserpinam, de quo Statius ita canit:

Orcus quis?

Sorde sedens media, regni infelicis in arce
Dux Erebi, populos poscebat crimina vitæ.

Idem dicitur Tartarus, & in plurali Tartara, à ταράσσειν, id est turbare, quòd omnia turbet ac sursum deorsumque misceat, aut à ταρταρίζειν, id est à tremore frigoris, quòd sit locus profundissimus & frigidissimus: unde Virgil. 5. Æneid. vocat *intima lethi thartara.* Alibi *tristia funesta, nigra, opaca, profunda tartara.* Hinc idem 6. Æneidos ita canit:

At læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Et rursum:

Bis patet in præceps tantum tenditque sub umbras,
Quantus ad æthereum cæli suspectus Olympum.

Ergo Orcus, Pluto, & Inferus, putà Lucifer, regnum mortis, quod habebat in gehenna, post peccatum Adæ extendit super terram in omnes homines ex Adam nascentes, quos telo mortis transfigit. Nam ut dicet c. seq. v. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem*, &c. *invidia autem diaboli mors introivit in orbem.*

Alludit ad Poetas (unde colligas auctorem hujus libri non esse Salomonem, utpote, qui Orpheo, Homero, Hesiodo, omnibusque poetis & philosophis longè fuit anterior & antiquior) qui Aden, sive Orcum, & Plutonem, asserunt esse inferorum regem, in tenebrosa & horrida regione sub terra dominantem, qui animas defunctorum omnium inevitabilibus vinculis constringat, habeatque pro stemmate regali claves, eò quòd infernus ingredientibus adamantinis quasi claustris obseretur, ac nulli in illum ingresso detur egressus, de quo plura Natalis Comes l. 10. Mythol. c. 9. Sic auctor l. Judith c. 16. 8. alludit ad fabulam Titanum, id est Gigantum, cum Jove pugnantium: *Nec filii Titan*, inquit, *percusserunt eum*, scilicet Holofernem.

Mysticè Glossa Interlin. cujus auctor est Anselmus Laodunensis: *Nihil*, inquit, *homini nocuisset diabolus, nisi acquievisset homo.* Et Holcot: *Hominibus*, ait, *in terra existentibus non ita dominantur dæmones, ut eos invitos ad malum impellant.* Rabanus quoque & Hugo: *In natura:* inquiunt, *non est conditum à Deo peccatum, propter quod in hominibus inferi, id est dæmones, regnent.*

Rursum, Lyran, & Dionys. *In præsenti vita*, inquiunt, *non est lex infernalis*, ut scilicet lapsi nequeant pœnitere, resurgere, justificari & saluari, uti nequeunt damnati in inferno.

Denique alii, q. d. Infernus, sive gehenna, ac impiorum in eo ardor & cruciatus, non est per se primitus institutus à Deo, sed post, & propter peccata hominum, ad ea punienda. Aut q. d. Peccatum, ob quod infernus & dæmon dominatur homini, non est à Deo, sed à libera & mala hominis voluntate. Aut q. d. Dæmon non ita pleno jure dominatur peccatoribus in terra, quin ab ejus manibus & tyrannide liberari possint, si pœnitere velint.

VERS. 15. IVSTITIA ENIM (Græca habent δὲ, id est *autem*) PERPETVA EST IMMORTALIS) Addunt aliqui codices, ut Complut. *Injustitia autem mortis acquisitio*, quæ verba non sunt authentica textus, sed ejus per antithesim exaggeratio & explicatio. Nam ea non habent codices Vaticani Græci & ceteri melioris notæ. Probat mortem non esse factam à Deo, ac consequenter nec medicamentum externum, ex eo quòd Deus homini primitus indiderit justitiam, quæ est pharmacum immortalitatis. Justitia enim ex Dei decreto, dono & præmio est immortalis, facietque hominem immortalem. Quare quamdiu Adam in justitia originali perstitit, mori non potuit: & si semper in ea perstitisset, numquam mori potuisset. *Justitiam* hic non specialem, uti videtur velle S. August. l. 14. de Trinit. c. 9. sed generalem & originalem intellige, quæ erat chorus, sive complexio omnium virtutum: hæc enim Adæ dabat vitam & immortalitatem: qua eversa, peccatum eidem & posteris omnibus inflixit debitum mortalitatis, ipsamque mortem. Justitia ergo velut sol dat lucem, vitam, lætitiam, felicitatem, felicemque æternitatem. Quis ergo eam non amet & ambiat? Ipsa est ἀθάνατος: facit ergo athanasios, gloriosos & immortales.

Porrò Cantacuzenus *justitiam* non hominum, sed Dei intelligit. q. d. Justitia, id est justa, benefica & suavis Dei optimi providentia, & beneficentia, quantum est ex se, esse, quod semel creaturis dedit, non revocat, sed stabilis, facitque ut sit perpetuum. Et noster à Castro: *Justitia*, ait, *quam servat Deus, dum tribuit rebus juxta insitam naturam quod illis proprium est, ad earum perpetuitatem, facit illas esse perpetuas.* Et Didymus in epist. 2. S. Joannis cap 2. (extat to. 5. Biblioth. SS. Patrum) *Dei*, inquit, *cum sanctis voluntas permanens virtus est, de qua scriptum est Sapient. 1. Justitia est immortalis.* Verùm prior sensus est genuinus.

Quærit S. Augustinus lib. 14. de Trinit cap. 9. an virtutes hujus vitæ maneant in altera, putà in cælo? *Quibusdam enim*, inquit, *visum est desituras: & de tribus quidem prudentia, fortitudine, temperantia, cùm hoc dicitur, nonnihil dici videtur: justitia verò immortalis est, & magis tunc perficietur in nobis, quàm esse cessabit.* Citat deinde Ciceronem, qui in Hortensio asserit omnes desituras, etjam justitiam; ac rationem affert: *Nec enim*, inquit, *fortitudine egeremus, nullo proposito aut labore & periculo, nec justitia, cum esset nihil quod appeteretur alieni; nec temperantia, quæ regeret eas, quæ nullæ essent libidines; nec prudentia quidem egeremus, nullo delectu proposito bonorum & malorum. Una igitur essemus beati cognitione naturæ, & scientia, qua sola etjam deorum est vita laudanda. Ex quo intelligi potest, cetera necessitatis esse, unum hoc voluntatis.*

Verùm corrigit hoc Ciceronis dictum S. Augustinus ac docet certum esse justitiam mansuram, idemque de ceteris probabiliter esse censendum. Sic enim ait: *Cui* (Deo) *regenti esse subditum, si justitiæ est, immortalis omnino est justitia, nec in illa esse beatitudine desinet, sed talis ac tanta erit, ut perfectior & major esse non possit. Fortasis & aliæ tres virtutes, prudentia sine ullo jam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum, erunt in illa felicitate; ut prudentiæ sit, nullum bonum Deo præponere, vel æquare, fortitudinis, ei firmissimè cohærere; temperantiæ, nullo defectu noxio delectari.* Sanctum Augustinum sequitur S. Thomas 1. 2. q. 57. art. 1. ubi resolute docet, omnes quatuor virtutes cardinales mansuras in cælo, velut ornamenta animæ rationalis, ac velut luctæ, quam anima cum concupiscentiis in hac vita generosè obiit, putà victoriæ ejus, præmia & trophæa.

Virtutes quatuor cardin. manebunt in cælo.

INPII AVTEM MANIBVS ET VERBIS ACCESSIERVNT ILLAM: ET ÆSTIMANTES ILLAM AMICAM, DEFLVXERVNT, ET SPONSIONES POSVERVNT AD ILLAM: QVONIAM DIGNI SVNT QVI SINT EX PARTE ILLIVS) VERS. 16 *Impii*, græcè ἀσεβεῖς, id est irreligiosi, nefarii, scelesti, qui Numen non cognoscunt, vel non timent, non venerantur, non colunt, ideoque in omnia scelera se offendunt. *Illam*, scilicet mortem: græcè enim est αὐτὸν masculinum, quod non potest referre δικαιοσύνην, id est justitiam nec ἀδικίαν, id est injustitiam, quam nonnulli addunt v. 15. ut vult S. Bonavent. cùm utraque sit feminini generis, sed masculinum θάνατον, id est mortem. *Æstimantes illam amicam*, non in actu signato, sed exercito, q. d. Perinde se gerentes erga mortem, uti se gerit amicus ad amicum, dum quæ grata & annexa sunt mortem procurant, putà concupiscentias & scelera sua, adamarunt. Simili schemate dixit v. 2. *Nolite zelare mortem.* Pro *defluxerunt*, græcè est ἐτάκησαν id est *contabuerunt*. *Sponsiones*, id est fœdus, injerunt cum morte. Alludit ad Isajæ 28. 15. *Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Vide ibi dicta. *Quoniam digni sunt*, nonnulli codices addunt *morte*, sed τὸ *morte* delent Rom. & Græci: satis enim illa intelligitur ex eo quod sequitur:

Qui

Qui sint ex parte illius, scilicet mortis, cum qua fœdus injerunt.

Dixit Deum non fecisse mortem, sed creasse hominem justum, sanum, sanctum, immortalem: jam veram mortis causam assignat, primorum parentum ceterorumque impiorum vesaniam, qui mortiferas suas cupiditates adeò ardenter adamarunt, ut mortem, quam in eis repositam sciebant, non exhorruerint, sed ultro illam sibi *manibus* inqua agendo, cædesque & rapinas exercendo; ac *verbis* murmurando, blasphemias in Deum, contumelias in proximos jactando (uti faciunt tyranni, & insolentes principes ac judices, quos maximè hic taxat, ut patet ex v. 1.) accersierint, quasi illam sibi amicam æstimarint, cùm ipsa revera esset eis hostis acerrimus: hinc *defluxerunt* ad suas voluptates, ac ad mortem & interitum in iis repositum, ibique contabuerunt, id est tabem & corruptionem, tam animæ quàm corpori induxerunt: quare ita se reipsa gesserunt cum morte, ac si cum illa amicitiam & fœdus iniissent, idque stolidè, sed jure, dignè & meritò: *quoniam digni sunt*, qui partem & societatem habeant cum morte, ejusque ærumnarum & dolorum sint participes, eò quòd cum ipsa sponte fœdus injerint. Mortem intellige, primò corporis, ut patet ex v. 14. deinde animæ per peccatum, & damnationem in gehenna.

Nota: Singula verba habent emphasim, notantque in impiis singularem æstum vel furorem cupiditatis, qua cæci, velut effrænes & amore insanientes equi, sese præcipitant in mortem præsentem & æternam. Ait ergo: *Manibus & verbis accersierunt illam*, scilicet mortem, hoc est omni conatu & studio, quod vulgò dicitur *velis remisque*, vel *manibus pedibusque*. Solent enim ardentes amantes manuum jactatione, extensione & gesticulatione advocare remotos & procul dissitos. Rursum primi parentes manus extendendo ad pomum vetitum, verbaque miscendo cum serpente, mortem sibi & posteris accersiverunt. Glossa explicat, *factis & dictis*; S. Bonavent. *manibus defensionis, & dictis gloriationis*: suas enim cupiditates & scelera manibus propugnant, eademque verbis magnificant & celebrant. Id fecit Eva, cùm pomum vetitum porrexit Adæ, eumque ad comedendum allexit: quod ille fecit, etiamsi sciret sibi dictum à Deo: *In quocumque die comederis, morte morieris*, Genes. 2. 17. Huic proverbio antistropha sunt illa veterum: *Mala ad se trahentes velut Cæcias nubem. His qui quærunt bona vix accedunt, mala verò etiam non quærentibus*. Apologus extat apud Æsopum de bajulo sub onere gemente, ideoque invocante mortem. Stitit se illa. Tum bajulus: *Te*, inquit, *invocavi non ut occidas, sed ut onus mecum in humeros leves*.

Et æstimantes illam amicam) non directè, sed indirectè & concomitanter. Adam enim, & quivis peccator, æstimat amicam non ipsam mortem, sed suam gulam & voluptatem, quam ardenter & perditè adamat, etiamsi sciat illam sibi à Deo vetitam sub pœna mortis. Dum ergo eam cæcus & amore ebrius haurit, mortem ipsam haurit. Rursum propriè mortem amicam æstimant voluptuarii, quia toti suis cupidinibus hujus vitæ inhiantes, tandem æstimant omnia in morte finiri, omniaque cum corpore interire, ut dicet initio cap. seq. ideoque liberè omnibus voluptatibus in vita indulgent, ac in omnia vitia defluunt. Aliam expositionem addit noster à Castro, q. d. Arbitrati non sibi nocituram accersitam mortem, propter illam serpentis promissionem, *Nequaquam moriemini*, aliter accidisse experti sunt, quàm putarent: nam continuo mortis stimulo puncti tabescere, atque in modum labentis undæ ad mortem defluere ac properare cœperunt, atque sic tandem perierunt.

Defluxerunt) ἐτάκησαν, id est instar ceræ paulatim liquati sunt, colliquati sunt, perierunt, consumpti & in tabem resoluti sunt; Arabicus, *liquefacti sunt*, Syrus, *corrupti sunt*. *Defluxerunt* ergo, id est instar ceræ colliquati à soliditate justitiæ originalis, sanctitatis, gratiæ, lætitiæ & immortalitatis, ad fluxam voluptatem, intemperantiam, peccatum, mœrorem, mortem & gehennam se transtulerunt; fluere cœperunt in mortem, primò culpæ, ait S. Bonaventura, deinde pœnæ & gehennæ, putà in omnes ærumnas hujus vitæ & futuræ, quas sibi omnibusque suis posteris accersiverunt.

Sponsiones posuerunt ad illam) id est ad illius comitem, imo matrem; putà ad voluptatem vetitam à Deo sub pœna mortis: illi enim tanto ardore copulati sunt, ac si cum ea fœdus arctissimum sanxissent: ideoque dicuntur pariter cum morte, quæ voluptati inseparabiliter annexa est, fœdus sanxisse. Unde Arabicus vertit, *& posuerunt cum ea pactum*. Syrus, *juraverunt & fœdus constituerunt cum ea*. Rursum propriè cum ipsa morte quasi fœdus injerunt, dum ita securè libidini & tyrannidi se toti tradiderunt, perinde ac si non essent morituri, aut potiùs ac si non nisi post multa sæcula essent morituri, & in ipsa morte amicè & pacificè conquieturi, nullum post eam expectantes judicium, nullam vitam nullum supplicium, eò quòd æstimarent omnia in morte consummari, nec aliam superesse vitam; quare letè se morituros putarunt, juxta illud Job 21. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Sic Augustus Cæsar optabat sibi εὐθανασίαν, id est facilem hilaremque mortem, illaque ipsi obtigit, teste Sveton. Fœdus ergo impiorum cum morte est, quasi ei dixerint: Ne noceas nobis ò mors, nos vicissim non nocebimus tibi, sed erimus amici. Verùm erraru nt. Nam ut eis minatur Deus Isaiæ 28. 18. *Delebitur fœdus vestrum cum morte & pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum cùm transierit, eritis ei in conculcationem*.

Quoniam digni sunt qui sunt ex parte illius) qui scilicet mortis *sint sors*, ut vertit Syrus, pars & hereditas, qui ut unici filii ex esse sint possessio mortis, eaque tam activa, ut scilicet ipsi possideant non vitam, sed mortem; quàm passiva, quos nimirum ipsa mors hereditet, ac ut hereditatem suam possideat, putà in quos ipsa desæviat exerceatque suum imperium, ac mori cogat, ait Anastasius Nicen. quæst. 16. in S. Scripturam.

Sex gradus peccati.

Notat S. Bonavent. hic gradus iniquitatis, per quos impii descendunt in profundum malorum, ipsumque gehennæ barathrum. *Nam primus gradus*, inquit, *est impietas in corde per consensum internum mentis: Secundus, eadem est impietas in manu per consummationem operis, dum scelus, quod mente designarunt opere perpetrant: Tertius, eadem est in ore per verbum defensionis & gloriationis, dum scelus excusant, imò de eo gloriantur: Quartus, dum impii cum impietate pangunt amicitiam & fœdus, per spem impunitatis: Quintus, dum toti in illam defluunt per frequentem peccati iterationem, peccandi consuetudinem & mentis obdurationem. Sextus, dum ruunt in ipsam mortem, tum impœnitentiæ finalis, tum gehennæ*.

Vita impii est mors.

Symbolicè. Vita impiorum non est vita, sed continua mors: unde rectè cum ea amicitiam & fœdus iniisse dicuntur: tum quia vita eorum plena est intemperantiis, excessibus, iris, rixis, invidiis, ceterisque animi passionibus & perturbationibus, quæ homini mille afflictiones & dolores mortis afferunt: tum quia vivunt in perpetuis crapulis luxuriis, odiis, inimicitiis, contumeliis, rapinis, ceterisque peccatis, quæ mortem animæ conciliant: tum quia horum scelerum pœnas putà luem veneream, catarrhos, nauseam, fastidia, febres, dolores capitis, stomachi, aliosque plurimos, item paupertatem, infamiam, persecutiones, omneque genus malorum sibi accersunt. Unde S. Gregor. de vita hominum quorumlibet post peccatum, sic ait homil. 37. in Euang. *Temporalis vitæ æternæ vitæ comparatu, mors est potiùs dicenda, quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis?* Vide ebriosos, qui quotidie potant & se inebriant, advertes eos numquam ferè mentis esse compotes, nec ratione uti, sed vivere ut bruta ratione carentia, imò brutis esse deteriores & miseriores: nam noctem vertunt in diem, noctem potando traducunt in ebrietate, ac proinde rationis usu se privant: per diem dormiunt, ut crapulam digerant, unde tam die, quàm nocte rationis usu ut bruta carent. Vide & contemplare invidos, superbos, ambitiosos, qui nil nisi vindictam, honores, prælaturas somniant, quot curis, æmulationibus, invidiis, suspicionibus, mortificationibus, doloribus, angoribus cruciantur? An non vita eorum mors est potiùs, quam vita, imò agonia mortis perpetua? Atque hanc ipsi ultrò sibi accersunt; amicam æstimant, & cum ea fœdus inviolabile pangunt. O stolidos, ò miseros, ò vecordes?

C A-

C A P V T S E C V N D V M.

S Y N O P S I S C A P I T I S.

Pergit impiorum qui sapientię, virtutisque & verę vitę expertes, eum insipientia, vitiis & morte fœdus inierunt, sensa & mores describere, scilicet quód sentiant omnia cum morte finiri ideoque voluptati dum vita suppetit, indulgendum, & iustum quemlibet eis adversantem, ac inprimis Christum esse occidendum & crucifigendum. Inde v. 22. ostendit eorum cęcitatem quód ignorent futura pręmia iustis, & supplicia iniustis á Deo pręparata: Deum enim creasse hominem immortalem, mortem veró invidia diaboli per peccatum in orbem invectam, quam eius sectatores impii experiuntur, acresque eius aculeos gementes sentiunt.

1 Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè: Exiguum, & cum tędio est tempus vitę no-
stræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis:
2. quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus: quoniam fumus flatus
est in naribus nostris: & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum: 3. qua extincta, cinis
erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aer, & transibit vita nostra tam-
quam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quę fugata est à radiis solis, & à calore illius
aggravata: 4. & nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit
operum nostrorum. 5. Vmbrę enim transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri:
quoniam consignata est, & nemo revertitur. 6. Venite ergo, & fruamur bonis quę sunt, & uta-
mur creatura tamquam in juventute celeriter. 7. Vino pretioso & unguentis nos impleamus:
& non pretereat nos flos temporis. 8. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pra-
tum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. 9. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: ubi-
que relinquamus signa lętitię; quoniam hæc est pars nostra, & hęc est sors. 10. Opprimamus
pauperem justum, & non parcamus viduę, nec veterani revereamur canos multi temporis. 11.
Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ; quod enim infirmum est, inutile invenitur. 12. Circum-
veniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & impro-
perat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinę nostrę. 13. Promittit se scientiam
Dei habere, & filium Dei se nominat. 14. Factus est nobis in traductionem cogitationum no-
strarum. 15. Gravis est nobis etjam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & im-
mutatæ sunt vię ejus. 16. Tamquam nugaces ęstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis no-
stris tamquam ab immunditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur patrem se habere
Deum. 17. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quę ventura sunt illi, & scie-
mus quę erunt novissima illius. 18. Si enim est verus filius Dei, suscipit illum, & liberabit eum
de manibus contrariorum. 19. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut sciamus reveren-
tiam ejus, & probemus patientiam illius. 20. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim
ei respectus ex sermonibus illius. 21. Hęc cogitaverunt, & erraverunt: excęcavit enim illos ma-
litia eorum. 22. Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitię, nec ju-
dicaverunt honorem animarum sanctarum. 23. Quoniam Deus creavit hominem inextermina-
bilem, & ad imaginem similitudinis suę fecit illum. 24. Invidia autem diaboli mors introivit
in orbem terrarum. 25. imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

Vers. 1. Dixervnt enim cogitantes apvd se non recte) sed pravè, insipienter & impiè, τὸ *enim* notat hic dari rationem præcedentium, cur scilicet impii mortem accersierint, cum eaque fœdus injerint, ideòque digni sint, qui in mortis sorte & societate statuantur. Ratio eorum hæc est: vita nostra, omniaque ejus bona & mala in morte finiuntur, ac post mortem nihil erit, quod nos exhilaret vel affligat; ergo dum vivimus, vivamus lætè, omnique cupiditati indulgeamus, ideòque aliorum opes & bona diripiamus, ut iis epulemur & voluptuemur. Radix hujus eorum paralogismi est, cupiditas & voluptas, cui toti inhiant: hanc enim ut impunè sectentur & expleant, sibi persuadent animam esse mortalem, ac proinde post mortem nullam timendam esse Numinis vindictam & pœnam. Hujus erroris & hæresis auctor fuit Cain, parricida Abelis fratris sui, qui negavit Numen Numinisque vindictam, ideoque fratrem occidit teste Josepho 1. Antiq. 3. ac Philone lib. *quòd deterius potiori insidietur*, & S. Ambros. lib. de Cain & Abel cap. 9. Hunc secuti sunt posteri ejus omnes, ob quos Deus orbem totum mersit diluvio. Post diluvium perfidiam hanc & scelus renovavit Nemrod tyrannus, auctor turris Babylonicæ, quasi per eam in cælum conscensurus, Deoque bellum indicturus Genes. 11. Deinde Samaritæ, scilicet Assyrii, qui à Salmanasar ex Assyria traducti sunt in Samariam: hi enim censebant omnia cum morte interire, nec ullam fore resurrectionem, teste Epiphan. hæresi 9. Philastrio hæresi 7. & aliis. Denique Sadoc, ejusque asseclæ Sadducæi, qui vixit sub Juda Machabæo, teste Josepho lib. 13. Antiq. c. 9. Eamdem hæresim & Gentilibus docuerunt Democritus, teste Plutarch. lib. 4. de Placitis

Cupiditas mater atheismi.

A philosf. c. 7. & post eum Epicurus, ejusque sectatores Epicurei, quorum hoc axioma.

Ede, bide, lude, post mortem nulla voluptas,

teste Plutarcho ibidem. Horum sensa & voces recenset Seneca epist. 124. *Inde*, inquit, *ad hæc pervenitur verba: Virtus, & philosophia, & justitia verborum inanium crepitus est: una felicitas est bonæ vitæ, facere omnia liberè* (alii codices legunt, *facere, esse, bibere*) *frui patrimonio; hoc est vivere, hoc est, se mortalem esse meminisse. Fluunt dies, & irreparabilis vita decurrit: dubitamus quod juvat facere,* B *& ætati non semper voluptates recepturæ, interim dum potest, dum poscit, ingerere frugalitatem, ultrò mortem præcurrere, & quidquid illa ablatura est, jam sibi interdicere.*

Verùm hæc eorum ratio est irrationalis & stolida: hic eorum syllogismus est paralogismus. Nam Primò falsissimum est animam rationalem cum corpore mori, cùm ipsa ad imaginem Dei creata, ab eo participet immortalitatem. Secundò, esto anima foret mortalis, ac vita omnis finienda esset in morte; tamen illam virtuti, non voluptati, totam impendere oporteret. Voluptas enim est C bonum bestiarum, virtus verò; sive vivere juxta doctrinam rationis, est bonum hominum, uti loco jam citato docet Seneca. Adde, virtutem, unicam veramque esse hominis voluptatem, sed spiritualem, quæ hominem Deo gratum, lætum, sanum sanctumque efficit; cùm voluptas omnis carnalis hominem bestialem, Deo & angelis invisum, tristem, morbidum & sceleratum efficiat. Unde prudenter ille juvenis in Vitis Patrum, dæmoni, qui falsò suggerebat ipsum esse à Deo reprobatum, ut eum ad D vitam in omni carnis voluntate transigendam impelleret,

Ratio atheorum stolida.

sapien-

sapienter respondit: *Si in futura vita mihi non detur servire placereque Deo; serviam saltem, placeboque in hac præsenti. Quid enim sanctius, quid melius, quid jucundius, quàm placere Deo? servire enim Deo, regnare est. Fruar ergo Deo meo in hac vita, si non liceat in altera.*

EXIGUUM, ET CUM TÆDIO EST TEMPUS VITÆ NOSTRÆ) Græcè, *exigua & molesta est vita nostra*. Nam pro *cum tædio* græcè est λυπηρὸς, id est tristis, anxia, gravis, molesta, acerba, misera, cui opponitur ἀπήμων, id est læta, jucunda, suavis, delectabilis. Sententia hæc expositione non eget, quia clarè eam nobis exponit, imò oculis eam cernendam proponit, quotidiana cujuslibet experientia. Vita enim nostra mille affert labores, mille ærumnas, mille tædia & fastidia. Numera labores & dolores, quos subis uno die, ac invenies plures esse, quàm sint horæ vel actiones, adeoq; quamlibet actionem iisdem undiq; esse inspersam & refertam. Hoc est, quod ait Jacob Pharaoni, quot annorum esset interroganti: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi & mali*, id est miseri, Genes. 47. 9. & David psal. 38. 6. *Mensurabiles* (Hebr. טפחות *tepachot*, Septuag. παλαιστὰς, id est *palmares*, hoc est exiguos instar palmi, qui est mensura continens tantum, quantum extensione digitorum manus comprehendi potest, quæ vulgò spithama dicitur. Unde Symmach. vertit σπιθαμιαίας) *posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te*. Consule Job c. 14. v. 1. & sequ.

Vitæ ærumnæ. Vidit idipsum Seneca, qui epist. 100. *Hoc*, ait, *quod inter primum diem & ultimum jacet, varium, & incertum est. Si molestias æstimas, etiam puero longum: si velocitatem, etiam seni angustum. Nil non lubricum & fallax, & omni tempestate mobilius. Jactantur cuncta, & in contrarium transeunt, & in tanta volutatione rerum humanarum nil cuiquam nisi mors certum.* Et paulò post: *Propone profundi temporis vastitatē, & universum complectere, deinde hoc, quod ætatem vocamus humanam, compara; universè videbis quàm exiguum sit, quod optamus, quod extendimus: ex hoc quantam lachrymæ, quantū sollicitudines occupant, quantum mors antequam veniat optata, quantum valetudo, quantum timor, quantum teneri, aut rudes aut inutiles anni. Dimidium ex hoc edormitur. Adiice labores, pericula, & intelliges, etiam in longissima vita minimum esse quod vivitur.* *Gnomæ.* Et Menander: *Congenita sunt dolor & vita, illeque consenescit vitæ* Zeno Imperat. *Ludibrium Dei est homo*. Alius: *Quid est homo? mancipium mortis, viator transiens*. Aristot. *Quid est homo? imbecillitatis exemplum, temporis spolium fortunæ lusus, inconstantiæ imago, invidiæ, & calamitatis trutina: reliquum verò pituita & bilis*. Ita refert Stobæus serm. 89. qui totus est de hac re.

ET NON EST REFRIGERIUM IN FINE HOMINIS) S. Bonavent. Lyran. Hugo & Dionys. exponunt, q.d. Impii post hanc vitam pergunt, non ad refrigerium cæli, sed ad supplicium gehennæ. Verum græcè est: οὐκ ἔστιν ἴασις ἐν τελευτῇ ἀνθρώπου, id est, *non est medicatio*, vel *curatio in obitu hominis*: Vatabl. *nec est remedium contra obitum*. q.d. Non est medicina, nec remedium ad evadendam mortem: juxta illud, *Contra vim mortis non est medicamen in hortis*. Verè Seneca in Consolat. ad Martiam c. 11. *Quid*, inquit, *est homo? quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile: jactatu, non tempestate, ut dissiperis, est opus: ubicumq; arietaveris, solveris. Quid est homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunę contumeliam projectum: cùm benè lacertos exercuit, cujuslibet feræ pabulum, cujuslibet victima: ex infirmis fluidisq; contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æstus & laboris impatiens: ipso rursus situ, & otio iturum in tabem, & semper alimenta metuens sua, quorum modò inopia laborat modò copia rumpitur*. Ex paucis interjectis: *Odor illi, saporq; & lassitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & sine quibus vivere non potest, mortifera sunt. Quocumque se movet, infirmitatis suæ statim conscium, non omne cælum ferens, aquarum novitatibus, flatuq; non familiaris auræ, & tenuissimis causis atque offensionibus morbidum, putre, cassum, à fletu vitam auspicatum. Ceterùm quantos tumultus hoc contemptum animal movet? In quantas cogitationes oblitum suæ conditionis venit? Immortalia, æterna volutat animo, & in nepotes pronepotesq; disponit: cùm interim longa conantem eum mors opprimit: & hoc, quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum.*

Mysticè, *non est refrigerium homini in fine*: quia cùm febri quadam hectica, ex cruda illa comestione pomi vetiti, semper æstuemus, non est refrigerium, id est, non est remedium vel pharmacum, quo ardor excitatæ febris restinguatur; ac proinde non est remedium contra obitum hominis: febris hæc est insita homini elementorum contrariorum commixtio, quæ eum lacessendo assiduè corrumpunt & interimunt. Item febris hæc est concupiscentia, quæ hominem ad excessum gulæ & luxuriæ impellit, quo plerique occiduntur.

ET NON EST QUI AGNITUS SIT REVERSUS AB INFERIS) Clarius, *non est qui post mortem iterum vitæ sit restitutus*, qui scilicet ostenderit se vivere, & aliam post mortem superesse vitam, in qua liceat miserias hujus vitæ effugere, & in voluptates commutare. q.d. Incerta & fabulosa sunt, quæ à poetis, ceterisque de inferis eorumq; pœnis, ac rebus aliis post hanc vitam, narrantur hæc enim omnia sunt aniles fabulæ, & terricnlamenta puerorum. Talis est descensus Æneæ ad inferos, indeq; reditus duce Sibylla, quam describit Virgil. 6. Æneid. & ille Thespesii Solensis apud Plutarch. li. de Sera numinis vindicta. Tacitè indicant impii, animam cum corpore interire, ideoque illi dandas suas cupiditates in hac vita, ut lęta, vivat, cùm post hanc vitam nil amplius illi sit expectandum. Ita nimirum sicut animæ immortalitas impellit hominem ad metum cultumq; Numinis per modestiam puramque vitam; sic mortalitas animæ homini persuasa, inducit eum ad negandum Numen, omnemque religionem, ut homo liberè vivat, sequaturque suas libidines.

Porrò hæc impiorum gnome falsa est: quia multi redierunt ab inferis, qui suscitati sunt ad vitam ab Elia, Eliseo, aliisque Prophetis, Apostolis & Sanctis. Vera tamen est hoc sensu, quòd illo ipsorum ævo pauci, & fortè nulli, à morte & inferis ad vitam redierint. Simili modo ait Homerus Iliad. 9.

Obnoxii prædæ sunt boves, & pinguia pecora,
Et tripodes acquiri possunt, & æquorum flavicoma capita.
At hominis anima, ut redeat, neque per prædam.
Nec aliter capi potest, ubi semel emigraverit è vallo dentium.

Et Philetas:

Iter feci ad inferos,
Per quod nullus retrorsum viator rediit.

Et Virgil. 6. Æneid.

Facilis descensus averni;
Sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Sanctorū è cælo apparentium exempla. Nota, Animæ Beatorum in cælis sæpiùs in terram redierunt, & apparuerunt mortalibus, ut cùm B. Virgo apparuit Joanni Patricio, & Liberio Pontif. jussitque basilicam sibi in Esquiliis extrui eo loco qui nive tectus erat die 5. Augusti: unde festum B. Mariæ ad nives. Cùm eadem apparuit B. Joanni Damasceno, eique manum, quam Leo Isaurus præscindi jusserat, rogata restituit, in brachio relicta ex vulnere lineola, uti in ejus Vita narrat Joannes Patriarch. Hierosol. Cùm S. Philippus, & Joannes apparuerunt Theodosio Imper. teste Theodor. li. 5. Histor. c. 34. S. Petrus, & Paulus Constantino Imper. remedium lepræ suggerentes baptismum, teste VII. Synodo act. 2.

è limbo. Animæ etiam è limbo redierunt, ut anima Moysis apparens cum Elia in transfiguratione Christi: anima Samuelis apparens Sauli, eique mortem prædicens, 1 Reg. 28. S. Jeremias & Onias apparuerunt Judæ Machabæo, victoriam contra Nicanorem prænunciantes, 2. Machab. 15.

è purgatorio. Animæ quoque è Purgatorio redierunt. Nam Paschasius Apostolicæ Curiæ Diaconus, post mortem in Angulanis thermis, à Germano Capuano inventus est luere delictorum pœnas, uti narrat S. Gregor. 4. Dialog. c. 40. Justus quidam ob retentas pecunias grave supplicium pertulit: qui tandem Commodi fratri apparens, se ab illo sanctis sacrificiis liberatum esse exposuit, teste S. Gregor. 4. Dialog. cap. 35. Fuit & presbyter, qui Centumcellis in balneis frequentissimè apparuit, qui sibi operam gratuitam, si quando lavaret, præstabat. Pro quo ubi, quemadmodum rogarat, Deo sacrificia obtulisset, spiritum fuisse cognovit, cui divina miseratione hoc modo pro peccatis satisfacere & juvari contigit, ut ibidem narrat S. Gregorius.

ex inferno rariùs. Animæ verò ex inferno subinde, sed rariùs, redeunt, & apparent, idque non tam per seipsas, quàm per dęmones: ipsæ enim ad carcerem ignemque gehennæ damnatæ, inde exire non sinuntur: unde earum loco apparent dæmones

qui in hoc aere usque ad diem judicii ad hominum tentationem & exercitationem agere à Deo permittuntur, ut inferni pœnas hominibus repræsentent, earumque metu homines à vitiis coerceant, & ad Deum colendum cogant. Sic visus est sancto quidam Eremitæ Theodoricus Italiæ rex Arrianus, inter Joannem Pontificem & Symmachum Patricium vinctis deduci manibus, & detrudi in ollam Vulcani, uti narrat S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 30. Visa est Monialis in Ecclesia S. Laurentii Romæ ante altare per medium secari, teste S. Gregor. eodem lib. cap. 51. Idem cap. 36. narrat Petrum quemdam defunctum vidisse tormenta damnatorum in igne gehennæ, eamque & ipse in eumdem projiciendus foret, angelum vetuisse, dixisseque. *Regredere, & qualiter posthac vivendum sit, cautissimè attende.* Similia narrat ibidem de Stephano quodam, alioque milite. Curma quidam municipii Tulliensis, cùm aliquot dies quasi mortuus jacuisset, rediens ad se mirabilia de mortuorum pœnis & præmiis narrans, eadem certis argumentis confirmavit, uti refert S. August. lib. de Cura pro mortuis cap. 11. ubi & plura similium apparitionum exempla recenset. Sic Josaphat conversus à Barlaam, in raptu vidit inferorum supplicia, eoque visu tentationem carnis superavit, uti narrat Damascen. in histor. cap. 30. Vide nostrum Petrum Thyræum lib. 1. de Spirituum apparit. cap. 11. Alexandrum ab Alexand. lib. 5. Genial. cap. 23. & lib. 2. cap. 9. Marsilium Ficinum lib. 16. de Immortalitate animæ. Trajani Imper. animam à pœnis inferni liberatam precibus S. Gregorii ex Joanne Diacono censet Ciacconus & alii: verum Baron. Bellarm. & alii emunctioris naris censent hanc meram esse fabulam.

Sed esto nemo ab inferis rediisset. non ideo negandi sunt inferi, animarumque vita & cruciatus in inferno. Nam idipsum S. Scriptura clarè docet & comminatur. Vnde impiis responderi posset id, quod Abraham respondit diviti Epuloni, poscenti Lazarum mitti ad fratres suos, qui illis sua & inferorum supplicia denunciaret: *Habent Moysen & Prophetas: audiant illos.* Nam *si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*, Lucæ 16. 31.

Vers. 2. QUIA EX NIHILO NATI SUMUS, ET POST HOC ERIMUS TAMQUAM NON FUERIMUS] id est, ac si *non fuissemus*, ut vertit Syrus; Clarius *quasi non fuerimus*. Pro *ex nihilo* græcè est *αὐτοσχεδίως*, id est ultrò, temerè, fortuitò, ex tempore, subitò, ex improviso, sine Dei consilio, cura, imperio & providentia nati, & in orbem lucemque effusi sumus; Syrus, *extemplò facti sumus*; Reg. *per nos nati sumus*, sicut culices, pulices, fungos, &c. per se nascuntur ex terra sine satione. Probant impii non esse inferos, nec vitam apud eos. q. d. Casus nos genuit, casus nos velut fungos & culices interimet, & annihilabit: ergo non sunt inferi, nec inferorum pœnæ, à certa justaque Dei providentia impiis decretæ. Deus enim uti nos non creavit, sic nec curat, gubernat, judicat, præmiat aut punit quemque pro meritis, vel demeritis. Sic Democritus, Chrysippus, Epicurus docuere, orbem, & homines in eo factos natosque esse ex fortuito atomorum concursu, similive casu, non certa Dei provisione & creatione Sic Aristot. 2. Politic. c. 6. ex vulgi sententia loquens, ait, veteres legislatores, quos carpit, ex pravo semine, vel ex terra esse natos. Similia habet Diodorus Siculus lib. 1. c. 1. & 2. Sic & Ovidius ac Poetæ fabulantur, homines ortos ex lapidibus à Deucalione projectis.

Verùm hos omnes refutat historia creationis hominum & mundi in Genesi à Moyse descripta, imò ratio naturalis, quæ docet hominem anima rationali constantem, esse nobilissimum perfectissimumque animal, ac proinde non fortunæ, sed Dei sapientissimi & potentissimi esse opus, uti ostendit Philo l. de Creatione mundi, Euseb. lib. 7. de Præpar. cap. 7. Justinus in Paræn. Lactant. lib. 2. cap. 12. Vide Perer. in Physica lib. 8. cap. 16. & Conimbr. lib. 3. de cælo quæst. 6. art. 3.

Impius magis non est quàm est. Tropol. B. Petrus Damiani epist. 4. c. 4. ostendit impium, etiam dum existit, videri potiùs non esse, quam esse, magisque pertinere ad nihilum, quàm ad ens, eò quòd longissime ab eo, qui verè est, & per quem omnia sunt, putà à Deo, recedat & distet. *Ratio.* Magis enim distat peccator à Deo, quàm non ens ab ente: hujus enim finita, illius infinita est intercapedo & distantia.

Accedit S. Gregor. qui de homine in peccatum prolapso ita loquitur lib. 11. Moral. c. 26. ad illa S. Job cap. 14. *Qui quasi flos egreditur, & conteritur: quasi flos enim egreditur, quia nitet in carne; sed conteritur, quia redigitur in putredinem. Quid enim sunt nati homines in mundo, nisi quidam flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem mundi præsentis, & ecce quasi tot floribus, quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne flos in fœno est. Vnde bene per Psalmistam dicitur: Homo sicut fœnum dies ejus: & sicut flos agri ita florebit.* Isajas c. 40. v. 6. quoque ait: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus sicut flos agri. Homo etiam more floris procedit ex occulto, & subitò apparet in publico: qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis nos viriditas ostendit: sed ariditas pulveris ab aspectibus retrahit. Quasi flos apparuimus, qui non eramus: quasi flos arescimus, qui temporaliter apparebamus. Et quia per momenta quotidie homo compellitur, ad mortem*, rectè adjungit: *Et fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet.* Hoc est, quod lugubri voce canit David psal. 89. v. 9. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni: si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. quoniam supervenit mansuetudo, & corripiemur*; Hebr. *quia tonsio est velox, & evolabimus*; Arias, *resecatur citò, & avolabimus*; Vatabl. *velociter transit, & avolamus*, Vnde S. Ambros. epist. 42. *tantis malis* asserit *hanc vitam esse repletam, ut comparatione ejus, mors remedium esse putetur, non pœna. Nam & ideo*, inquit, *Deus illam brevem effecit, ut molestiæ ejus, quia prosperitate non poterant, temporis brevitate finirentur.* Huc facit illud Petronii de larva argentea. *Mori est remedium malorum.*

Heu, heu nos miseros, quàm totus homuncio nil est?
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus.

QUONIAM FUMUS FLATUS EST IN NARIBUS NOSTRIS] Ita legendum cum Roman. perperam aliqui legunt, *fumus & flatus*. Minùs rectè quoque alii, ut Franc. Lucas & Complut. legunt, *afflatus*; licet hoc quasi idem sit, quod *flatus*. Pejus alii pro *in naribus* legunt, *in auribus*. Vnde Herodotus censuit animam habitare in auribus, eò quòd bonis auditis corpus recreetur, malis verò auditis ad iram stimuletur. Syrus, *quia tamquam fumus est spiritus in naribus nostris*; Arabicus, *quia flatus fumus in oribus nostris.*

Sensus est, q. d. Anima & vita nostra non est aliud, quàm flatus, id est anhelitus, quo per nares aerem attrahimus & respiramus. Hic autem anhelitus mox ut fit subsidit & deficit, ac instar fumi dissipatur, & tenues vanescit in auras. In easdem ergo abit nostra anima in morte, ac proinde post eam nulla nobis superest vita. Sic Heraclitus censuit animam non esse aliud, quam humorum respirationem, sive vaporem & exhalationem teste Aristot. lib. 1. de Anima textu 32. Quin & rude vulgus anhelitum vocat animam, nec aliam animam novit. Porrò quia communiter respiramus per nares; hinc flatum vel anhelitum narium, animam appellat. Quò pariter alludens Isajas cap. 2. 22. *Cavete*, ait, *ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est.*

Verrùm errant impii: anima enim nostra est, spiritalis, imò purus merusque spiritus instar angeli, ac proinde nequit esse flatus vel anhelitus, utpote qui corporeus est; sed ipsa anhelitum hunc operatur, ut calorem cordis in quo habitat, refrigeret. Porrò aptè anhelitus comparatur fumo. Sicut enim ignis causat fumum; sic calor naturalis causat anhelitum & respirationem. Hinc vita nostra, quæ respiratione fovetur, vocatur *vapor ad modicum parens.* Jacobi 4. 15. Hinc & Psaltes: *Defecerunt*, inquit, *sicut fumus dies mei*, psal. 101. 4.

ET SERMO SCINTILLA AD COMMOVENDUM COR NOSTRUM) Ita legendum cum Romania & Græcis, non *scintillæ*, uti legunt aliqui. Vide Francisc. Lucam notat. 200. Græca enim habent, *ὁ λόγος σπινθήρ*, id est *sermo scintilla*: licet Budæus in Pandec. & Petrus Nannius hic præferant aliam lectionem, quæ rarior invenitur, scilicet *ὁ λόγος σπινθὴρ*, id est, *exigua scintilla*. q. d. Flatus sive anhelitus, quo respiramus & vivimus, est quasi scintilla quædam, id est. exiguus calor & vapor, qui tamdiu durat, quamdiu durat motus cordis; vel motus, quo movetur & vivit cor nostrum. Vita enim consistit in calore naturali motuque cordis, qui anhelitum velut sui scintillam emittit in altum: imò Stoici censuerunt animam non esse aliud, quàm calidum spiritum; vel ut Heraclitus, calidam exhalationem, quam asserebant semper flue-

re ex

re ex corde velut ex caloris naturalis officina, in qua proinde generentur spiritus vitales, per quos fit motus, omnisque sensuum actio. Ita Plutarch. lib. 4. de Placit. Philosoph. c. 3. Hic sensus commodus est, & facilis.

Verùm codices plures, & melioris notæ legunt, non ὁ λίγος, sed ὁ λόγος, id est *sermo scintilla*. Porrò λόγος verti potest, ratio. q.d. Ratio & mens, qua homo præ ceteris animalibus pollet, est quasi scintilla, quæ movet cor & voluntatem ad omnia, quæ agit. ita Osorius. Verùm meliùs Noster & alii λόγος vertunt, *sermo*.

Significant ergo impii, vitam nostram non esse aliud, quàm vivacem ignem in corde existentem, qui non ad motionem, vel, ut græcè est, *ἐν κινήσει*, id est, in motione cordis nostri, emittit de se scintillas, scilicet sermonem, & verba, quæ loquimur; ac fumum, scilicet respirationem, & anhelitum: sicut ignis cùm movetur, scintillas ejaculatur & fumum.

Rursum, sicut deficiente igne deficit scintilla, abitq; in favillam & cinerem; sic deficiente loquela, & consequenter anima, corpus abit in cineres. Quid brevius, quid inanius, quid vanius, quid fugacius sermone & scintilla? quid pariter brevius, quid vanius, quid fugacius vita? Adhæc, sermo movet cor, quia illud nunc commovet ad iram, si aspersit; nunc ad lenitatem, si blandus sit; nunc ad amorem, nunc ad odium. &c. idque leviter, subitò & variè; sicut præcipitanter & tumultuariè scintillæ excitantur & evolant è fornace. ita Jansen. à Castro & alii. Unde Syrus vertit, *& sermo tamquam scintilla minima è flamma exiliens, movet cor nostrum*; Arabicus, *& sermo scintilla in vapore* (evaporatione) *cordis nostri*.

Addit noster Lorinus, quòd formatur sermo scintillæ similis, dum movetur cor nostrum: & sicut spiritus, qui est in naribus, & quo spiramus, est tamquam fumus, qui evanescit: ita spiritus idem, qui est instrumentum quo loquimur, & cujus virtute movetur cor, est veluti scintilla, quæ extinguitur. linguam Jacobus c. 3. ver. 5 propter sermonem vocat parvum ignem. Item dici posset, quòd, quemadmodum candela quando extinguitur, mittit in fine scintillam, sic accidat homini morienti in extremo spiritu. Verùm hic sensus obscurior & alienior videtur.

Alii, ut Dionys. per *sermonem* accipiunt calorem naturalem; Hugo animam, quæ sermonis est effectrix. sed obscuriùs & alieniùs. Accedit Cervantes; Sermo scintilla, ait, est anima, quæ declaratur sermone: hæc enim vegetat corpus, & flatum è naribus, quasi fumum è fornace, exhalat & efflat, cordis ac pulmonum, quasi follium, motu; est quasi scintilla fragilis, & citò deficiens, anhelo semper spiritu ex periclitatione: unde timor, & trepidatio, & creber anhelitus. Verùm & hoc impropriè dicitur.

Porrò S. Bonavent. & noster Salmeron tomo 11. tract. 2. censent in voce *sermo* alludi ad opinionem Diogenis, qui censuit animam esse aerem: in aere enim, & per verberationem aeris in ore, fit sermo: in voce *scintilla*, alludi ad opinionem Democriti, dicentis animam esse ignem: in voce *ad commovendum cor*, ad opinionem Melissi, vel, ut alii, Thaloti, qui dixit animam esse vim moventem corpus. Verùm hoc quoque obscurum est, anceps & dubium, nec impiis tanta doctrinæ subtilitas in mentem venisse videtur.

Analogiæ sermonis & scintillæ, fornacis, & cordis.

Sensus ergo primo loco assignatus, est planus & genuinus. Ubi Nota sermonem aptè comparari scintillæ, halitum fumo, cor igni sive fornaci. Primò, quia sicut fornax ejaculatur fumum & scintillas: sic cor ejaculatur halitum & sermonem. *Prima.* Secundò, sicut fornax tumultuariè, & vagè evomit fumum, & scintillas, eodem modo & cor evomit verba. *Secunda.* Tertiò, sicut fornax illa effundit pro motu ignis & lignorum: sic & cor effundit sermonem ex motu affectus amoris, iræ vel odii, quo agitatur. *Tertia.* Unde si moveatur amore, verba promit amica, & blanda: si ira, iracunda & minacia: si odio, tetrica & funesta: si timore, timida & anxia, &c. Quartò, sicut fumus & scintillæ certi sunt indices, æquè ac effectus ignis: sic & halitus ac verba certa sunt indicia & effectus vitæ, æquè ac affectus dominantis in corde. *Quarta.* Quintò, sicut cessante fumo & scintilla cessat ardor fornacis: sic cessante respiratione & loquela cessat vita, vitalisq; affectus in corde. *Quinta.* Hinc *silere* in Scriptura est *mori*, ipsaque *mors* vocatur דומה *duma*, id est *silentium*. Quare quàntum minuitur vis respirandi & loquendi, tantum decrescit, & minuitur vita. Unde senes & moribundi graciliter, tenuiter & submissè loquuntur, ut vix intelligi queant, juxta illud Eccles. 12. vers. 4. *Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis*. *Sexta.* Adde, scintilla, licèt splendeat & cum stridore emicet, omniumque oculos ad se convertat, illico tamen dissipatur: sic sermo licèt elegans & magnificus sit, ut omnes ad se rapiat; tamen illico abit ac dissipatur. Hinc contra præfidentes, suique nimiùm amantes profertur hic apologus: Candens scintilla flammę vi in sublime levata, sibi placebat impensiùs, ac mox inter sidera se relatum iri existimabat. Verùm ut ad mediam camini gulam ascendit, extincta, & cinis facta decidit. *Apologus scintillæ in superbos.* Igitur sicut citò evanescit fumus & scintilla; sic & halitus, sermo & vita. Si ergo quis quærat: Quid est vita hominis? quid est homo? respondeas: Homo est sermo, homo est halitus, homo est fumus, homo est scintilla. Ita Joannes Baptista rogatus: Tu quis es? respondit: *Ego vox clamantis in deserto*, Isajæ 40.3. Vide ibi dicta. *Septima.* Rursum sicut parva sæpè scintilla neglecta, magnum excitat incendium: sic sermo exiguus, v.g. convicium in aliquem jactum, magnas sæpè suscitat lites, rixas & cædes. Unde S. Jacobus c. 3. 6. *Lingua*, ait, *ignis est universitas iniquitatis*, &c. *& inflammat totam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna.*

Denique cum S. Bernardo tract. de Interiore domo cap. 58. per sermonem accipias fabulosum, putà fabulam. *Sicut fabula*, ait, *sic est vita mea timeo ego, ne egomet sic fabulando fabula efficiar, si sine bonis operibus inveniar*. Qui enim multum utuntur ore sermocinando, parum utuntur manu laborando. Anima enim eorum tota est in ore & lingua. Hinc loquaces & garruli solent esse desides & otiosi. Unde Apostol. 2. Thessal. 3. 11. *Audivimus*, inquit, *inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes*, in scrutandis & narrandis aliorum dictis & factis.

Porrò flatui, sive respirationi, rectè annectitur sermo, velut effectus suæ causæ, sicut enim flatus in tibiis & organis suavem efficit melodiam: sic anhelitus in ore ad dentes, labra & palatum lingua repercussus, efficit sermonem & vocem articulatam. *Pulmo instar follis.* Unde S. Gregor. Nyssen. lib. de Opificio hominis c. 9. *Mens*, inquit, *humana velut industrius artifex animata organa pulsat*, &c. Et Theodor. lib. 3. de Providentia, agens de organo humanæ vocis, ait: *Organo musico, quod æneis fistulis constat, & follium flatu, vel aurea inspiratum, artificisq; digitis motum, soni consonam vocem edit, planè id simillimum est. Unde ansam accipiens ars tibias fecit, lyras citharasque composuit.*

Porrò sicut folles in organo flatum, qui melodiam efficit, producunt: sic quoque pulmones faciunt anhelitum, qui sermonem efformat. Unde pulmones, velut folles organi flantes, à Galeno lib. 9. de Usu partium, *aeris promptuaria* appellantur. Iidem velut folles vitalem ignem, id est calorem naturalem, acuunt & accendunt. Unde Nyssen. lib. de Opific. homin. c. 30. cùm dixisset, *cor esse à quo spiritus ignei per corpus diffunduntur atque id sine intermissione moveri, ac proinde esse igni natura simile*; subjungit, *Instar follium, quibus in officinis suis utuntur fabri, aera semper attrahit è vicino pulmone, aeris receptaculo, & quod igneum est in ipso efflat.*

Qua extincta, cinis erit (græcè *ἀποβήσεται*, id est, *evadet*) corpus nostrum) Ita legendum cum Roman. & Græcis: perperam ergo nonnulli, ut Complut. & Regia, pro *qua* legunt, *quia*. Vide Francisc. Lucam notat. 203. ubi notat alios legere, *quia extinctus cinis erit corpus nostrum*; aut, *post corpus nostrum*; aut, *extinctum*; vel, *extincta cinis erit corpus nostrum*; alii apud Budæum in Pandect. legunt, *qui extinctus cinis, erit corpus nostrum*. Ipse verò Budæus legendum censet, *qua extincta*, putà scintilla. Sensus est, q. d. Cùm scintilla sermonis nostri in morte extinguetur, ut ampliùs loqui non possimus, tunc corpus resolvetur in cineres. Sicut enim dum ignis scintillæ deficiunt, deficit pariter ignis, abitque in cineres: sic pariter ubi defierit in nobis sermo, & motus cordis, qui eum efficit, ut ampliùs loqui non possimus, tunc caro nostra diffluet, redibitque in pulverem, ex quo primitus à Deo producta est. Rursum, sicut fieri nequit, ut ignis extinctus ex cinere excitetur: sic extincta in corde vitali scintilla, hoc est calore naturali, ille ipse redire, ac per eum corpus reviviscere nequit, inquit Cantacuzenus; nihil enim tam mortuum, & terrestre, quàm cinis. Vers. 3.

Animam esse ignem qui putarint. Nota. Multi philosophi censuerunt animam esse ignem, A vel igneum quid, teste Lactantio lib. 2. Instit. c. 13. & Nysseno lib. de Anima c. 1. & Cicerone Tuscul. 1. Vnde & nonnulli Hebræum איש *isch*, idest *vir*, derivant ab אש *esch*, id est, *igne*. Significant ergo impii extinctionem vitalis ignis, quo vivens hominis corpus, instar facis accensæ resplendet, ut testantur lumina ex oculis emicantia, scintillæ ex ore salientes, fumus efflatus è naribus, unde totus homo, qui quasi flos enitet, ac φῶς dicitur græcè, hoc est lux ignis, per mortem talis efficitur, ut cadaver ejus sit quasi cinis exbusto reliquia.

Hinc dicunt impii animam cum corpore, dum homo moritur, in cinerem abire: in eum enim ignis abit. Rursum in fine mundi omnia corpora exurentur igne conflagrationis, ibuntque in cinerem. Audi S. Clementem lib. 5. Constit. Apostol. c. 8. quod est de resurrect. *Quòd si Græci*, inquit, *derident nos non credentes nostris Scripturis, saltem fidem habeant vati suæ Sibyllæ, quæ ad verbum ita inquit:*

B

Atque ubi cuncta cinis fuerint, tenuisque favilla,
Atque idem Deus extinguet, quem incenderit, ignem,
Ossaque restituet rursum, cineresque sepultos,
Et genus omne hominum (ut fuerant) Deus ipse reponet.

Denique Romani aliique populi, teste Alexand. ab Alexand. lib. 3. Genial. cap. 7. corpora defunctorum cremabant vertebantque in cineres, ne fœda tabe diffluerent & putrescerent: alioqui corpus per se non abit in cinerem, sed in pulverem: per cinerem ergo hic pulverem quoque intellige: Hebræis enim vicina sunt אפר *epher* & עפר *aphar*, id est cinis & pulvis.

Et spiritus diffundetur tamquam mollis aer) *Spiritus*, id est flatus & halitus, quo respiramus, vegetamur, calescimus, loquimur, de quo dixit v. præc. qui ut ex aere fit, sic in aerem abit, dum homo moritur. Philosophi per spiritum intelligunt animam hominis, quam censent esse corpus quoddam tenue & subtile, quale *Variæ philosoph. de anima sententia.* est spiritus & ventus. Hinc Democritus censuit animum, uti & cetera omnia, ex fortuito atomorum concursu conflatam, qui cùm perenni motu agitentur, etiam corpus a- C gitent & commoveant. Stoici dixerunt animam esse spiritum calidum: alii perplures animam esse aerem censuerunt. Hinc illud Lucretii lib. 5.

Aurarumque leves animæ, calidique vapores.

Et Varro in Cosmotoryne: *Detis habenas animæ levi, dum ventus nos flamine sudo suaviter ad patriam perducit.* Heraclitus animam putavit esse igneum quid, alii esse lumen quoddam, Diogenes esse aerem, Thales humorem, Critias sanguinem, Empedocles harmoniam quamdam & temperaturam elementorum. Hippocrates dixit animam esse spiritum tenuem per corpus omne dispersum, qui cum ætate & corpore crescat, & decrescat, augeatur & minuatur, consumatur & intereat. Ita Plutarch. de Placit. philosoph. lib. 4. cap. 2. & 3. Vide S. Justinum in Parænesi, S. Nemesium lib. de Natura hominis cap. 2. & Abulens. paradox. 5. cap. 51. Verùm errant. Anima enim rationalis non est corporea, sed purus spiritus, instar angeli à Deo ad sui similitudinem creatus. *Spiritus* ergo hic non anima, sed anhelitus intelligitur, qui corporeus est, puta aer, quem respirando attrahimus, qui in morte dis- D pergitur.

Videntur ergo impii partim ex sententia philosophorum, partim ex sermone & sensu vulgi censere animam non esse aliud, quàm spiritum sive flatum, quo respiramus, & quem in morte expiramus, qui tum instar aeris & vaporis evanescit; ac proinde post mortem non superesse animam, quæ cognitionis, sensus, dolorum & suppliciorum sit capax: eò quòd, sicut in morte corpus abit in cineres, sic spiritus & anima abeat & diffluat in auram & aerem, ex quo venit. Sic Comicus animam vocat halitum dicens: *An anima fœtet uxori tuæ?*

Qua in re graviter errant. Primò, quia licet in brutis quidem anima est halitus, sed nobilibus & spiritualius quid, quo imaginantur, recordantur, concupiscunt res sibi commodas & jucundas. Secundò, quia in homine manifestum est ex ejus operibus animam esse quid sublime, cæleste & angelicum, instructum potentiis & dotibus divinis, scilicet intellectu, quo cognoscit non solùm corporalia, sed & angelos ac Deum ipsum: memoria, qua eadem licèt absentia & diu præterita reminiscatur; voluntate, qua eadem amat, & ceteris potentiis, sensibus membrisque omnibus, vel politicè, vel dispoticè imperat.

Audi Lactantium libr. de Opificio Dei cap. 17. *Quid autem sit anima, nondum inter philosophos convenit, nec umquam fortasse conveniet. Etenim alii sanguinem esse dixerunt, alii ignem, alii ventum, unde anima vel animus nomen accepit; quòd græcè ventus ἄνεμος dicitur; nec illorum tamen quisquam dixisse aliquid videtur.* Et pluribus interiectis: *Vnde apparet animam nescio quid esse Deo simile. At illi, qui ventum putant esse, hoc falluntur, quòd ex aere spiritum ducentes, vivere videamur. Varro itaque definit: Anima est aer conceptus ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus. Hæc apertissimè falsa sunt. Neque enim tam obscuram nobis hujusmodi rerum dico esse rationem, ut ne hoc quidem intelligamus, quid verum esse non possit.* Et post nonnulla: *Anima ergo non est aer ore conceptus quia multò priùs gignitur anima, quàm concipi aer ore possit. Non enim post partum insinuatur in corpus, ut quibusdam philosophis videtur, sed post conceptum protinus, cùm fœtum in utero necessitas divina formavit. quia adeò vivit intra viscera genitricis, ut & incremento augeatur, & crebris pulsibus gestiat emicare.* Audi & S. Isidor. lib. 11. Orig. c. 1. *Anima à ventis nomen accepit, eò quòd ventus sit. Vnde & ventus græcè ἄνεμος dicitur, quòd ore trahentes aerem vivere videamur: sed apertissimè falsum est, quia multò priùs gignitur anima, quam concipiatur aer, quia jam in genitricis utero vivit. Non est ergo aer anima, quod quidam putaverunt, qui non potuerunt incorpoream ejus cogitare naturam.* *Anima ab ἄνεμος, id est, ventus.*

Tamquam mollis aer] Græcè χαῦνος, id est mollis, laxus, fluxus, solutus, remissus, cedens, inanis, fungosus, vagus, fugax. Alludit ad etymon aeris. Nam ut ait Plato in Cratylo: *Aer unde dicitur? an quoniam αἴρει, id est tollit sursum ea, quæ sunt in terra? an quoniam ἀεὶ ῥεῖ, id est, semper fluit? an quoniam ex seipso semper fluente existit spiritus sive flatus. Sic æther dicitur, quasi ἀεὶ θεῖ, id est, semper currens circa aerem.* Aliis magis placet, ut aer derivetur ab ἄημι, id est spiro: aer enim ventum expirat, & vento perflatur. Rursum respiratio in homine fit, per aerem inspiratione & expiratione attractum. Halitus ergo noster est quasi mollis fluxusque aer. Hinc epitheton aeris est, quòd sit fusus & extenuatus, id est sparsus, extensus & tenuis. Unde Cicero l. 2. de Natura Deorum: *Exin mari finitimus aer*, inquit, *die & nocte distinguitur, isque tum fusus & extenuatus sublime fertur; tum autem concretus in nubes cogitur.*

Et transibit vita nostra tamquam vestigium (græcè ἴχνη, id est *vestigia*) nubis. Vestigium propriè est similitudo pedis, putà à pede impresso arenæ vel luto. Inde tamen transfertur ad quodlibet signum. Vestigium ergo nubis sunt reliquiæ, signa & effectus nubis, quales sunt stillæ, pluvia, nigredo vel fuscedo in aere apparens, ac præsertim nebula, ut sequitur, quam nubes post se relinquere solet. Unde explicans subdit: Et sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est a radiis solis) Nubes enim crassior, vel à vento, vel raptu cælorum, vel à sole dissipata, desinit in nebulam subtiliorem, quæ proinde statim à radiis solis disiicitur, ideoque nube jam prorsus dissipata serenitatis est index: atque cùm ex se sit frigida, aerem, in quem disiicitur, infrigidat. qua de causa aurora solet esse frigida, quia oriens sol nebulas vaporesque frigidos noctu collectos per aerem dispergens, eum frigidiorem efficit. Hinc Poetæ dicunt auroram esse matrem ventorum. Paulò aliter Hugo & Holcot: *Vestigium nubis*, inquiunt, *est exigua nubis particula, quanta est extrema pars pedis, cujus solent in terra vestigia impressa relinqui.* Sic enim 3. Reg. 18. 44. orante Elia, *Nubecula parva, quasi vestigium hominis*; Hebr. *sicut planta pedis, ascendebat de mari.* Comparant impii vitam suam brevem & fugacem, primò, fumo, v. 2. secundò, scintillæ extinctæ & cineri, ibidem; tertiò, molli aeri, v. 3. quartò, nubi & nebulæ, ibidem, quintò, umbræ, v. 5.

Symbolicè, S. Bonav. in fumo censet notari offuscationem intellectus: in vento, sive flatu irascibilis perturbationem: in scintilla, concupiscibilis inflammationem: in aere, intentionis vacuitatem: in cinere, operum infructuositatem: in nube densiore, oppositionem contra gratiam: in nebula leviore, mentis elationem: in umbra, exteriorem simulationem.

Et a calore illius aggravata) Cantacuzenus aliam à præcedenti hic ponit similitudinem. q. d. Vita nostra mutatur & moritur, sicut mutatur nebula

cum

cùm in hyeme radios solis, sed debiliores sentiens, contra eorum calorem per antiperistasin se coëstringit, aggravat & condensat, ut nebula esse desinat, & transeat in rorem vel nubem crassiorem.

Meliùs alii passim censent eamdem esse similitudinem. q. d. Vita nostra dissicitur, sicut nebula à calore solis aggravatur, id est degravatur, premitur, opprimitur, & dissipatur, ut vel per aerem dispergatur, vel in stillas, & pluviam resolvatur.

Nubis origo. Porrò aptè vita nostra comparatur nubi, & nebulæ, quæ non est aliud, quàm vapor humidus calore solis è terra extractus, rarefactus, & in altum elevatus, qui raritate sua per aerem expansus, sua magnitudine videtur solem obumbrare, itaque oculos hominum fallit; sed tandem vi solis aut ventorum dispellitur, in nihilum abit & evanescit. Simili enim modo dissipatur & evanescit vita nostra, omnesque ejus pompæ, opes, & voluptates, juxta illud Job c. 7. 9. *Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos non ascendet.* Et Oseæ 13. 3. *Erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.* Hinc.

Symbolicè, nubes sunt gubernatores & principes, qui à rege ex humili terræ loco in altum elevantur: hi enim mox ab æmulis aliove casu, vel à morte deiiciuntur. Hinc Hebr. נשיאים *nesim*, id est elevati, vocantur, tam vapores, & nubes, quàm principes. Ratio analogiæ, inquit Cervantes, est, quia, ut vapores illi de terra elevantur à sole, & ab eodem plerumque dispelluntur, ita terreni principes de terræ pulvere, ac ab extremis terræ suscitantur à rege, qui est veluti jubar, ex quo illi divitiarum, bonorum, nobiliũ stemmatum splendores mutuantur; & ab eodem deiiciuntur ac disperguntur. Sic mundus suos elevat, ut deprimat.

Hercules est sol, Antæum, id vaporem, disjiciens. Quare Hercules græce dictus ἡρακλῆς, hoc est aeris gloria & illuminatio, qui ex Macrob. 1. Saturn. c. 24. sol est, Antæum gigantem illum terræ filium procero corpore, hoc est vaporem, elevare in sublime dictus est, ut inter radiorum suorum brachia constrictum interimeret. Probat id Macrob. ex nomine. Nam Hercules, sive ἡρακλῆς, idem est quod ἥρας, id est aeris, κλέος, id est laus vel gloria: quæ est autem aeris gloria, nisi solis illuminatio, ait Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 24. malè enim alii notant cap. 20. Idem dictus est duodecim labores confecisse, quia sol annuo cursu duodecim signa Zodiaci lustrat, & conficit. Ad *nesim* & nubes hasce facit, quod ait Salomon Prover. 25. 14. *Nubes & ventus, & pluviæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.*

VERS. 4. ET NOMEN NOSTRUM OBLIVIONEM ACCIPSET PER TEMPUS; græcè *in tempore*, id est progressu lapsuque temporis, sive labentibus annis, aut suo tempore, eoq; brevi affuturo, scilicet in morte & post mortem. tempus enim omnia obliterat & abolet: unde NEMO MEMORIAM HABEBIT OPERUM NOSTRORUM) Quare non est quòd aucupemur famam, & gloriam, quæ nobiscum ferè interibit; nec quòd studeamus augendæ & exaltandæ familiæ, utpote quæ nostri citò obliviscitur; nec quòd posteritati consulamus, utpote cujus nullum habebimus sensum; nec quòd virtutibus vitæque austeræ incumbamus, utpote cujus nulla erit merces, imò nec memoria. Utere ergo & fruere præsentibus, frustra futura expectaturus. Hæc impii.

VERS. 5. UMBRÆ ENIM TRANSITUS EST TEMPUS NOSTRUM) Syrus, *umbra quæ transit, est incolatus noster*; Arabicus, *quia tempus nostrum est umbra adveniens.* q. d. Tempus vitæ nostræ transit ut umbra, quæ cum sole vel alio corpore, cujus est umbra, transeunte pari passu pergit & pertransit. Sic Pindarus dixit: Non umbra, sed *Umbræ somnium est homo.* Quod perurgens Plutarch. Consolat. ad Apollon. *Quid*, inquit, *umbra debilius? At hujus somnium, ne alius quidem explicare dilucidè queat: totum umbra robur, corporis obiectus est: ita vita tota ex alio pendens, quasi illius umbra existit.*

Vita est umbra.

Gnomæ.

Audi Philonem lib. de Joseph: *Sicut in somniorum visionibus videntes non videmus; audientes, gustantes aut tangentes, nec audimus, nec gustamus, nec tangimus; loquentes non loquimur, deambulantes non deambulamus; sed cùm videamur uti motibus, & habitibus, nullo prorsus utimur, mente inaniter sine ullis veris obiectis, pingente sibi simulachra rerum non existentium, tamquam existentium. Eodem modo etiam in hoc mundo corruptibili, vigilantium imaginationes somniis sunt simillimæ: veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, &*

A *priusquam comprehendantur, avolant.* Idem ibidem: *Cuncta*, inquit, *quæ sub mundo sunt, umbris spectrisq; sunt similia: & sicut cùm pompæ traducuntur, prima quæque conspectum prætereunt: item in torrentibus fallente visum celeritate, unde præterfluunt: sic vitæ totius negotia currentia præterlabentiaq; videntur manere, cùm ne momentum quidem maneant, nunquam non subterfluentia.* Et S. Chrysost. hom. 21. ad Theodorum Monachum: *Omnia umbra, somnia, cursus. Cursor est vita. Ut si quispiam rupis excelsæ verticem tenens, pelagus omne prospiciat, multosq; inde navigantium crebris fluctibus freti unda submergi, alios in prærupti montis saxo collidi, nonnullos ad alia littora contendendo properare, alios tabulæ unius auxilio ex fragmentis navis inventæ à morte defendi, aliquando pro gubernaculo atque remigiis manibus tantummodo suis uti, alios autem videat turbidos fluctus, multiformi genere, cadavera ferre. Ita est qui militat Deo, cùm se à tempestatibus atque turbinibus vitæ istius separarit: consistit in arduo semper ac tuto securus loco. Quid enim celsius potest esse, quid tutius, quàm unam tandem nos solicitudinem gerere, quomodo Deo placere possimus? Vidisti naufragia hujusmodi:*
B *pelagus undasque declina, & excelsum hujuscemodi pelago quære navigantem: & excelsum locum occupa, à periculo captivitatis immunem.* Idem dixere Poetæ. Sophocles hominem vocat simulachrum, & umbram. Horatius: *Pulvis, & umbra sumus.*

Plures umbræ & vitæ analogias recensui Eccles. 7. v. 1.

ET NON EST REVERSIO FINIS NOSTRI) Græcè ἀναποδισμός, id est repedatio, regressus, reditus, reversio: πόδες enim sunt pedes. Complut. vertunt, *impedimentum*: cui enim pedes sunt impediti, huic non licet regredi, nec progredi. q. d. Nullus est, qui possit impedire, & arcere finem, sive mortem nobis imminentem. Verùm ἐμποδισμός propriè significat impedimentum, non ἀναποδισμός, uti hic est. Pro *finis* græce est τελευτή, id est obitus, mors & finis vitæ. Sensus est q. d. Ubi mortui fuerimus, non licebit nobis repedare, sive pedem revocare, ac à morte, & interitu regredi ad vitam. ita Vatab. Idem dixerunt v. 1. *Et non est refrigerium in fine.* Inculcant enim hominis animæque interitum, ut hujus vitæ voluptatibus liberè, sine metu numinis, & vindictæ, in-
C dulgeant. Syrus vertit, *& non est sanitas in exitu nostro*; Arabicus, *non est morti nostræ mora*, vel *remora & impedimentum.*

QUONIAM CONSIGNATA EST, ET NEMO REVERTITUR) *Consignata est*, scilicet *reversio*, ne fiat fierivè possit; aut clarius *finis*. Finis est tam feminini, quàm masculini generis. Unde Virg. 2. Æneid. *Hæc finis Priami fatorum; hic exitus illum Sorte tulit.* Livius: *Et quænam finis futura tantis cladibus esset.* Cicero lib. 2. de Legib. *Neque necesse est edisseri à nobis, quæ finis funestæ familiæ.* Hinc Complut & S. Paulin. epist. 31. ad Alethium, legunt masculinè: *Non est reversio finis nostri quia consignatus est*, scilicet finis, & dies obitus nostri, idque S. Paulinus refert ad solatium desperatorum. Syrus, *quia determinatum est, & non est qui revertatur*; Arabicus, *quoniam præceptum moriendi cuique) signatum est, & nemo avertet illud.* Sensus est q. d. Finis, & mors nostra certò definita, & inevitabilis est, nec ab ea ad vitam reverti licet. Solent enim, quæ certa sunt obsignari. Sigillum enim rei sigillatæ dat certitudinem, imò subinde perpetuitatem, & æternitatem.
D Sic enim Apoc. 20. v. 3. diabolus in inferno obsignatur, id est in longissimum tempus conclusus dicitur: *Misit eum*, inquit, *in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat ampliùs gentes, donec consummentur mille anni.*

Porrò sigillum, quo obsignata est mors cujusque, diesq; & hora moriendi, est partim naturæ defectus, indeque naturalis necessitas moriendi, partim Dei decretum, quo cuique homini, tam diem nascendi, quam moriendi præfinivit, juxta illud Job cap. 14. 5. *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Utrumque Gentiles vocavere fatum: utroque, velut duabus seris, & claustris adamantinis, obsignata, & obserata est mors cujusque, ejusque fores occlusæ, ut ex ea ad vitam hanc resurgere sit impossibile. Minùs rectè Cantacuzenus consignationem hanc accipit illam, quæ fit per lapidem vel tumulum sepulchralem, quo mortui corpus concluditur, juxta illud *Sepulchra eorum domus illorum in æternum*, psal. 48. 12. Sic ferè & Hugo ac Lyran.

VENITE ERGO, ET FRUAMUR BONIS QUÆ VERS. 6.

SVNT) q. d. Post mortem nulla erit vita, nulla voluptas, nullus dolor. Ergo fruamur bonis, id est voluptatibus, præsentis vitę, quia post eam nulla erunt. Hæc Epicuri & Epicureorum est ratiocinatio & paralogismus. Longè secius, imò contrarium, ex vanitate & brevitate vitæ concludit Apost. 1. Cor. 7. 29. *Tempus*, ait, *breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores tamquam non habentes sint, & qui flent tamquam non flentes, & qui gaudent tamquam non gaudentes*, &c. *præterit enim figura hujus mundi*. Imò vitæ brevitas, acer est stimulus fidelibus ad omnem virtutem, etiam heroicam, eò quòd credant & sperent per illam tam brevem & modicam assequi gloriam sempiternam; cùm vice versa infidelibus sit stimulus ad omnem voluptatem, eò quòd post hanc vitam non credant, nec sperent aliam.

VENITE] Invitant impii se invicem ad convivandum & compotandum, &c. quia nullius rei sine socio jucunda est possessio, ait S. Bonav. Idem locum habet in virtute, religione & gloria cælesti.

FRUAMUR BONIS QUÆ SUNT) Quia nulla credimus nec speramus futura; ergo fruamur præsentibus.

ET UTAMUR CREATURA (legit Interpres κτίσει, id est *creatura*, jam legunt κτήσει, id est *possessione*, id est B rebus possessis, sive bonis quæ possidemus) TAMQUAM IN JUVENTUTE CELERITER) τὸ *tamquam* Primò, accipi potest, ut nota veritatis, juxta illud Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti*, id est gloriam, quæ decebat eum qui verè erat unigenitus. Sic sensus erit. Fruamur voluptatibus creatis ad nostrum usum gustumque, dum & quamdiu juvenes sumus, quantum & quamdiu permittit juventus, in qua reipsa degimus; cùm adhuc viget & nos recreare potest tam juventus, quàm voluptas: senes enim utramque fastidiunt, uti ait Berzellai ad Davidem 2. Reg. 19. 35. Causam dant: per τὸ *celeriter*. q. d. Brevi cùm juventute voluptas gustusque voluptatis transibit & avolabit; ergo utamur ea celeriter, græcè σπουδαίως, id est festinè, studiosè, diligenter, alacriter, seriò, attentè, accuratè, ut nullas recreandi occasiones præterlabi sinamus, nec ulla temporis momenta, utpote adeò fluxi & brevis. Hinc Vatabl. vertit, *rebus creatis simul ac juventate utamur*; alius, *creatura quasi ab adolescentia utamur*; Vatican. *utamur creatura tamquam juventute*, id est hilariter & valenter, uti juvenes solent propter corpus vegetum, & animi alacritatem. Juventus enim vegeta & hilaris, apta est captandæ cuilibet voluptati, ejusque avida.

Tacitè ergo significant impii brevitatem & vanitatem, tam juventutis suæ, quàm voluptatis creatæ, quod scilicet utraque illicò abeat & pertranseat, ac proinde indicant suam insipientiam, quòd res quarum esse non consistit, sed situm est in transitu, adeòque potiùs non est, quàm est, ambiant; res verò consistentes, solidas, durantes, æternas non curent & negligant. Ideo enim bona hujus vitæ sibi celeriter arripienda dicunt, quòd fugacia sint, avolantia & extemplò non futura. Igitur voluptatis umbras dumtaxat, & inania deliciarum simulachra captant. nam res ipsa nullibi reperitur. Adeò enim fluxa & lubrica sunt bona, quibus mortales tam avidè inhiant, ut, antequam manibus apprehendantur & teneantur, elabantur & effluant, imò antequam homo ea vix primis labris degustarit, vix oculis, vix auribus acceperit, evanescant, itaque non modò gustum gustantis, sed & oculos attentissimè contemplantis celerrimeque intuentis aspectum, ac aures avidissimè auscultantis prætervolent, & velut ludiones deludant. D
Si ad honorem respicias, quod idolum mortales maximè colunt, teneri manibus non potest quin effugiat. Vidit
Ps. 36. 35. Regius Psaltes illum alterum superexaltatum, & elevatum
super cedros Libani: & transivit, & ecce non erat: vidit
Ps. 48. 21. hominem, cùm in honore esset, comparatum jumentis,
& similem factum illis. Vidit Daniel leænam grandibus
Dan. 6. 4. alis, aspexit donec evulsæ sunt alæ ejus, & super pedes stetit. Vidit arborem cùm in summa viriditate & pro-
Dan. 4. ceritate esset, excisam: regem detractu diademate & purpura, de regno ad pastum inter bestias abiectum, &c. Quid moror? Si ad vitam spectes, ea nihil citiùs evanescit: vestigio nubis, aut fumi & undarum comparatur, ut verum sit illud Job xv. *Antequam dies ejus impleantur, peribit*. Ita noster Mart. de Roa lib. 2. Singul. c. 1.

Totum ergo malum hominis est, frui utendis, & uti fruendis: hoc faciunt impii, qui rebus caducis fruuntur, veris & solidis utuntur, ut se caducis pascant & expleant.

A Frui est potiri fine, quasi summo bono, in quo beatè conquiescas, uti est adhibere media ad finem jam dictum assequendum. Audi S. Augustinum lib. 8. quæst. quæst. 30. *Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui, & rursus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti. Fruendum est autem honestis, utendum verò utilibus*. Idem lib. 11. de Civit. c. 25. *Temporalibus*, inquit, *magis utendum est, quàm fruendum, ut frui mereamur æternis. Non sicut perversi qui frui volunt nummo, uti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt*.

Secundò noster à Castro *tamquam* accipit propriè ut notam similitudinis. Unde τὸ *tamquam in juventute* refert ad τὸ *creatura*, quasi ejus juventus & flos captandus sit. q. d. *Utamur creatura uti in juventute*, videlicet est, vel tamquam in adolescentia existente, ne sinamus præterire creaturam dum viget, floret, dum in sua adolescentia, antequam senio confecta marcescat, quin ea fruamur. Adverbium autem σπουδαίως, idem est, quod gnaviter, studiosè, nempè ut in eam perfruitionem toto studio ac cupiditate incumbatur. Et hic sensus potior est, tum quia impii, non tantùm adolescentiam suam, sed & vitam universam senio quoque miserè confectam, voluptati capiendæ dicavere, antequam morte repellantur: tum quia ex sequentibus constabit, impios sese excitare ac invitare, ut omni studio & cupiditate præripiant creaturam omnem dum viget floretque, ne per negligentiam quidpiam voluptatis, quod capi possit, eorum aviditatem effugiat, prætereat, aut inscüs elabatur.

Aliter τὸ *tamquam in juventute* explicat Cervantius, refertque ad senes, qui volunt videri juvenes, ac ut juvenes luxuriari. Hinc annos vitæ suæ juveniles simulant miseri, atque canos, monumenta cineris, in quem paulatim abeunt, plumbeis instrumentis, obscuri que pigmentis infuscant, quasi præsagientes carituros se æternitate vitæ felicis, & atra inferorum caligine involudos, qui quamvis annosi & decrepiti senes, numquam senescunt, sed semper pueriliter, imò puellariter vivunt, atque puellascunt in dies. Quas tres explicationes capit Græca sententia; hanc tertiam, ut planiorem, reliquis antepono, q. d. Ne sinamus nos senescere voluptatum medicamine; juxta C illud Ovid. in Fastis,

Nequitia est, quæ te non finit esse senem, hæc ipse.

Verùm hic sensus subtilior est, quàm solidior; ac alienior, quàm germanior. Hæc enim vel utrorumque, vel juvenum potiùs, quàm senum sunt verba; unde subdunt: *Non prætereat nos flos temporis*. Meliùs alii exponunt q. d. impii, Sic nos exhilaremus, ut maneamus semper hilares sicut juvenes. Non dedamus nos mœrori & vitæ severæ, ne citò fiamus senes, imò ut numquam senescamus, sed potiùs ante senium molestum & tetricum, vita ejusque jucunditate defungamur.

Insipiens est hæc impiorum illatio: unde idipsum illi serò agnoscentes, tandem dicent illud c. 5. 6. *Ergo erravimus à via veritatis*. Sapiens enim est illa Apost. collectio: *Dum tempus habemus, operemur bonum*, Galat. 6. 10. Et illa Davidis psal. 36. 1. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem; quoniam tamquam fœnum velociter arescent*. Unde S. August. in psal. 70. *Cùm dixisses*, ait, *Manducemus & bibamus; adjunxisti, Cras enim moriemur*, Isajæ 22. 13. *Audi contrà à me: Imò jejunemus & oremus: cras enim moriemur*. Hinc sapiens ille rogatus, cur adeò parcè & sobriè viveret? respondit: *Morituro hoc sufficit*. Viatori enim modicum viaticum sufficit, si via sit modica.

VINO PRETIOSO ET UNGUENTIS NOS IMPLEAMUS] *Vino* interiùs bibendo; *unguentis* exteriùs ungendo. Vers. 7.
Rursum utrisque interiùs. Solebant enim deliciarum causa, vino miscere unguenta quædam sapida & odorata, itaque illa cum vino ebibere, uti alibi ostendi. Sic erit hendiadys: *Vino & unguentis*, id est vino unguentoso, juxta illud Virg. 2. Georg. *Pateris libamus & auro*, id est, pateris aureis. Porrò solebant veteres in conviviis priùs aqua calida ablui, deinde unguentis inuncti cœnitare, tum deliciarum, tum fragrantiæ, tum sanitatis causa, uti docent Athen. lib. 5. Plutarchus lib. 3. Sympos. Clemens Alex. lib. 2. Pædag. ceterique, qui de prisciа conviviorum ritibus scripsere. Vinum autem pretiosum, est vinum *Cos*, quod scilicet egregiè est coloratum, odoratum, sapidum.

Et

ET NON PRÆTEREAT NOS FLOS TEMPORIS) A Primò, *flos temporis*, inquit Holcot, est flos juventutis. q. d. Utamur flore juventutis ad omnes voluptates quas ipsa concupiscit; in adolescentia enim est longè vividior aviditas voluptatis, quàm in ætate virili vel senili. Unde Guarin. vertit, *neque florem vitæ prætereamus*. Verùm græcè est, ἄνθος ἀέρος, id est *flos aeris*. Unde.

Secundò, Cervantius sic exponit, quasi dicat, Loti innunctique in mollibus culcitris accumbamus mensæ, ut caveamus ne lædi possimus flore aeris; vel aura delicata perflante penetrari, & contrahere catarrum aliumve morbum, utpote poris corporis per lotionem & unctionem jam apertis. Verùm græcè & latinè est, *Et non prætereat*, non autem, *& non penetret, nos flos aeris*.

Tertiò ergo, & genuinè, flos ἀέρος, id est *aeris*, vel, ut alii per metathesin legunt, ἔαρος, id est *veris*; est vernum tempus, quod est quasi flos omnium anni temporum: illo enim cuncta virent & florent, ac grato habitu & odore, quem expirant, aerem imbuunt, per eumque nares totumque corpus recreant & restaurant: unde aer vernus saluberrimus æquè ac jucundissimus est, juxta illud, B

Nunc formosissimus annus.

Et illud,

Omne ver anni decus, & venustas.

Et Ovid. 1. Metamorph.

Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.

Idem 1. Fastorum.

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modò formatis operitur frondibus arbos.
Prodit & in summum seminis herba solum.
Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe fingit opus.
Tunc patitur cultus ager, & renovatur aratro.
Hæc anni novitas jure vocanda fuit.

Denique Plinius lib. 21. c. 1. *In hortis*, inquit, *coronamenta seri jussit Cato, inenarrabili, florum maximè, subtilitate: quando nulli potest facilius esse loqui, quàm rerum naturæ pingere, lascivienti præsertim, & in magno gaudio fertilitatis tam variè ludenti.* C

Porrò, veri aptè respondet juventus: ipsa enim est quasi ver ætatum. Unde Ovid. 10. Metamorp.

Citraque juventam,
Ætatis breve ver, & primos carpere flores.

Quartò, pleniùs, generaliùs, magisque adæquatè ad Uulgatam, flos aeris est flos temporis & vitæ, qua aere & aura hac fruimur. Unde Vatabl. vertit, *nec florem auræ prætereamus*. Hinc noster à Castro per *florem temporis* aut vitæ, accipit quidquid in tempore deliciosum floridumque reperitur, ne scilicet ulla occasio labi sinatur, nulla opportunitas prætereatur, in qua voluptate frui concedatur. *Flos temporis* ergo est communis voluptas cujuslibet temporis, in hyeme ignes, in vere flores, in æstate viridaria, in autumno fructus, &c. ut *flos temporis* dicatur, quidquid jucundum ac delectabile singula fuerunt tempora, ad quorum voluptates sese impii hortantur. Tales autem, ait Bonav. *nihil curant de fructu animæ cælestis, sed de flore veris præsentis.*

Porrò, vide hic insipientiam impiorum, qui res vanissimas & celerrimè evanescentes, putà flores, ambiunt; fructus verò solidos respuunt. Quare eos meritò S. August. in titulo psal. 53. vocat *Ziphæos*, id est *florentes, qui florent in sæculo, & arescunt in judicio, & post ariditatem in ignem æternum mittentur*. De quibus Isaiæ 40. dicitur: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri*; Septuag. & D. Pet. 1. 1. 24. *& omnis gloria hominis tamquam flos fœni*. S. August. in id psal. 102. *Homo tamquam flos agri sic efflorebit. Totus*, inquit, *splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, flos fœni est: & sicut vix annuæ est pulchritudo agri, & perexiguo tempore transeunt flores, qui sunt pulchritudo herbarum; sic & humana prosperitas.* Sed de hoc mox plura.

VERS. 8. CORONEMUS NOS ROSIS, ANTEQUAM MARCESCANT) Græcè, *coronemur calycibus rosarum*. Rosæ enim planè apertæ illicò flaccescunt & marcescunt: calyculi verò, sive baccæ clausæ, rosarum, dum sensim sese aperiunt, & folia explicant, diutiùs durant; & quia conclusi stipatique sunt, hinc densiorem suavioremque odorem exspirant; sed & iidem mox marcescunt. Rosa enim, quia excitatissimi est odoris, hinc citissimè marcessit, ait Plutarch. A 2. Sympos. quæst. 1. Et Plin. lib. 21. c. 1. *Flores*, ait, *odoresq; in diem gignit* (terra) *magna, ut palàm est, admonitione hominumquæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere.* Idem c. 11. *Novissima*, inquit, *rosa, eadem prima deficit* inter flores.

Rosa resistit ebrietati cur?

Porrò rosæ & coronæ ex rosis à temperantibus adhibentur conviviis, tum odoris causa, tum ut sua frigiditate resistant ebrietati, præsertim dum suo halitu suavi poros aperiunt, per quos vapores vini exspirent, ne cerebrum gravent. Audi Athenæum lib. 5. *Vinciebant primùm capita fasciis ac vittis ex lino & lana: tum ornatus causa frondes additæ floresque: nam adversus incommodum viai præsidio sunt exhalationes florum, si calidi sint, molliter poros aperiendo efficiunt ut perspiret vinum; si leviter frigidi, vapores mediocri suo contactu repellunt.*

Hinc corona rosea sacra erat Musis, teste Plutar. lib. 2. Sympos. quæst. 1. Idem lib. 3. docet rosas mirificè cor cerebrumque recreare, habereque vim astringendi, ac ea quæ caput gravant, odore suo reprimendi. Hinc Ovid. 5. Fastor.

Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis.
B *Et latet injecta splendida mensa rosa.*

Et paulò pòst:

Annuit, & motis flores cecidere capillis:
Decidere in mensas ut rosa missa solet.

Et Horatius:

Non desint epulis rosæ,
Non vivax apium, non breve lilium.

Rosa regina florũ.

Est enim rosa regina florum. Unde Leucippe apud Achillem Tatium lib. 2. *Si regem*, inquit, *floribus constituere Jupiter voluisset, non alium certè quàm rosam tali honore dignatus fuisset.* Hæc est terræ ornamentum, plantarum splendor, oculus florum, prati purpura, pulchritudo coruscans. Hæc amorem spirat, decorem conciliat, speciosis foliis luxuriat, tremulisque delectat, ejus frondes Zephyri afflatu rident: atque adeò usque eò verum est, rosæ tribui regnum florum, ut corona e rosis præter cetera designet potentiam, regnum, imperium. Hinc & Virgil. rosam auroræ comparat, imò æquat:

Ambigere, inquit, *raperetne rosis aurora ruborem,*
An daret, & flores tingeret orta dies.
C *Ros unus, color unus, & unum manè duorum,*
Sideris & floris est domina una Venus.
Forsam & unus odor: sed celsior ille per auras
Difflatur; spirat proximus ille magis.

Denique Dracontius de Opif. sex dierum, omnes flores vocat roseos, & ex rosa Deum opificem ita celebrat:

Qui roseis stillare nemus vel floribus agros
Imperat, autumni qui dulcia poma saporat.

Impii verò non hoc sine, sed alio ajunt, *Coronemus nos rosis*, scilicet ut pleno earum odore & colore nares oculosque pascant & impleant, incitentque ad omnem voluptatem, præsertim veneream. Hinc subdunt: *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Rosæ enim amorem gratiamque conciliant, qua de causa olim Veneri dicabantur. Unde ex Pausania in Eliacis Natalis Comes li. 4. Mythol. cap. 13. *Venus*, ait, *rosea corona solebat insigniri.* Et Valerius scribens Ruffino ne uxorem ducat, epist. 44. tom. 9. operum D. Hieronymi: *Placet*, ait, *delectatio, sed pungit dilectam; flos, Veneris rosa est, quia sub ejus purpura multi latent aculei.*

Rosa virginis symbolum.

D Quocirca aliqui, inter quos est Josephus Stephanus lib. de Rosario B. Virg. capit. 3. sic exponunt: Coronemus nos rosarum calyculis, seu vasculis, hoc est, virginum amplexu foveamur, antequam decorem ætatis floremque deponant. Nam pudoris ac virginitatis symbolum rosam esse, præter profanos qui id insinuant, affirmat Sanctus Hieronymus in epist. 8. ad Demetriadem cap. 1. & Joel. 3. in illa verba: *Et fons de domo Domini*, in verbis extremis.

Verùm, hic sensus symbolicus est, non literalis. *Rosæ*, inquit Fulgent. lib. 2. Myrtholog. in Venet. *& rubent, & pungunt, ut etjam libido: rubet enim hæc verecundiæ opprobrio; pungit etjam peccati aculeo. Et sicut rosa delectat quidem, sed celeri motu temporis tollitur; ita & libido libet momentaliter, & fugit perenniter.*

Hinc & Cleopatra in luxuriosissimo suo convivio, in rosas expendit talentum, hoc est sex millia coronatorum Francicorum, cùm per omnia discumbentium triclinia foliorum passim acervi, cubiti mensura pavimentis undequaque extarent. Hinc Martianus Capella lib. 1. Veneri ple-

plectit coronam è rosis. *Huic*, inquit, *rosis decussatim vinculatis sertata contextio*. Et solent meretrices amasios data vel injecta rosa ad se pellicere. Lucretius lib. 2. de Idæa matre, denso rosarum jactu ab omnibus petita, ita canit:

Ninguntq; rosarum
Floribus, umbrantes matrem comitumq; catervas.

Scripsit Anacreon vetus Poeta Græcus encomium rosæ, in quo ita canit:

Cum vere patre florum,
Socianda laus rosarum.
Rosa flos odorq; divum,
Hominum rosa est voluptas:
Decus illa gratiarum,
Florente amoris hora.

Porrò Tertull. lib. de Corona militis c.9. & ex eo Martin. de Roa l. 2. Singul. c. 1. negant apud Hebræos fuisse usum coronarum in festis & conviviis, eò quòd illarum non meminerit Script. Verùm contrarium insinuat Clemens Alex. lib. 2. c. 8. idque patet ex hoc loco. Impii enim Hebræi hic dicunt: *Coronemus nos rosis*. Sic iidem hedera coronabantur in honorem Bacchi, ut patet 2. Machab. 6. 7. Nec id mirum, cùm illi ipsi declinantes in idola ritusque Gentilium, Venerem, eiusq; amasium Adonidem adorarint, & sacro planctu coluerint, ut patet Ezech. 8. 14. Quòd ergo ait Tertul. Hebræis non fuisse in usu convivales rosarum florumque coronas, intellige ex more proprio, non ab Ethnicis sumpto.

Rosa est voluptas spinosa.

Moraliter, rosa symbolum est voluptatis evanidæ & spinosæ, id est multis amaritudinum dolorumque spinis commistæ. Impii ergo florem, imò floris inchoationem dumtaxat, putà calyculos rosarum, captant; ac pii fructum flori anteferunt, juxta illud sapientiæ: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis*, Eccl. 24. 23. Nullius enim arboris fructus melior, quàm vitis: hæc enim profert uvas & vina. Hinc S. Ludovicus rex Franciæ vetuit gestari rosas feria sexta, in honorem coronæ spineæ Christi Domini. Unde S. Basil. hom. xi. Hexam. *Transitoria*, inquit, *ac brevis momenti vernorum florum gratia, adhuc desiderantes destituit*. Et S. Ambr. l. 3. Hexam. c. 11. *Irrutiles*, inquit, *homo licèt splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis; semper tibi spina proxima est semper inferiora tua respice, super spinas germinas, nec prolixa manet gratia: brevi unusquisque decurso ætatis flore marcescit*. Et huc id Virgil. de rosa pertinet:

Quàm longa una dies, ætas tam longa rosarum:
Quas pubescentes juncta senecta premit.
Quam modò nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens serò vespere vidit anum.

Et Hieron. Angerian. in Epigramm.

Pulchra brevi durat rosa tempore, forma breviq;
Tempore; sic formæ par rosa tempus habet.

Et Horat. lib. 2. Carm. ode 3.

Huc vina & unguenta, & nimiùm breves.
Flores amœnæ ferre jube rosæ.

Quocirca Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 8. asserit usum florum esse noxium, & celeriter præterire sopplicio affectum. Additque hinc probari vitæ eorum brevitatem, quòd ambo flaccescunt, nempe flos & pulchritudo. Ea re Artemidorus monet, etsi coronæ è rosis per quietem visæ omnibus bonæ sint, id est faustæ; hinc tamen ægrotantes excipi. *Hos enim*, inquit, *occidunt*, id est morituros prædicunt, quòd facile marcescant. Ipsa rosa non tantùm Locrensis, sed quælibet, cùm sit specimen omnium florum; tamen eodem propè momento, quo nascitur senescit. Virgil. de hoc flore:

Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
Et dum nascuntur consenuisse rosas.

Hoc ipsum Latinus Callimachus:

Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti,
Sub matutino cocta jacere Noto.

Hanc ob causam Ausonius in Epigram. virginem admonens mortalitatis, ait:

Collige virgo rosas, dum flos novus, & nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Scitè à Domitiano dictum est, nec gratius esse quidquam decore, nec brevius. Hinc est, quòd Paulus nominans coronas hasce floreas, eas vocat *corruptibiles*: *Qui in agone*, inquit, *contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam*. 1. Cor. 13.

A Denique Statius lib. 3. Sylvar. omnem florum hilaritatem funere terminari asserit, dum ita canit:

Qualia pallentes declinant lilia culmos.
Pubentesq; rosæ primos moriuntur ad Austros,
Aut ubi verna novis exspirat purpura pratis,
Illa sagittiferi circum volitastis amores
Funera maternoq; rogos unxistis amomo.

Flores quasi fluores.

Quæ omnia confirmant id, quod ab Isidoro traditur, nempe *flores* dici quasi *fluores*, quòd citò decidant, & citò solvantur. ita ipse lib. 17. Orig. c. 6. Sic & Græcè ῥόδον id est rosa, dicitur à ῥοῇ, id est fluxo, q. d. fluens odor, eò quòd odoris prodiga ut ait Plutarc. lib. 3. Sympos. quæst. 1. ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι, id est, ingentem odoris fluxum emittit. hoc ergo suo fluxu ipsa effluit, diffluit, marcescit: sicut planta nimio fluxu humoris, homo sanguinis, diffluit & emoritur. ita Clemens Alex. 2. Pædag. c. 8. Nuper Leo XI. Pont. Florentinos ex familia Medicea in insignibus gestabat rosam, cum hoc lemmate: *Sic florui*. Verus sibi fuit vates: nam paucis diebus in Pontificatus culmine stetit & floruit, & illicò instar rosæ defloruit, mo-

Rosæ etymon.

B riensque orbi sui desiderium, velut odorem suavem aspiravit.

Christianorum est corona spinea, non rosea.

Denique Clemens Alex. loco jam citato docet, Christianos non debere coronari rosis, quia Christus coronatus fuit spinis. Idem fusiùs inculcat Tertull. lib. 2. de Corona militis, ubi & docet Christianos, ut Christum sequerentur, exhorruisse coronas è rosis & floribus. Idem fuit sensus S. Ludovici, uti paulo antè dixi. Sic & Godefridus Bullonius expugnans Gierosolymam anno Domini 1099. ipso die Parasceves, quo Christus in eadem passus fuerat, dum à proceribus communi consensu crearetur & inauguraretur primus è Christianis Gierosolymorum rex, auream regum coronam noluit coronari, eò quòd in eadem urbe, eodem die, Christus spineam tulisset; imò nec rex Hierosolymæ aut Judææ, sed protector S. Sepulchri nuncupari voluit, eò quòd Christi crucifixi titulus proprius fuerit, *Rex Judæorum*. Ita refert Guilielmus Tyrius in historia Belli sacri, Joannes Molanus Doctor Lovan. in Militia sacra, & alii. Disce, ò Christiane, sub capite coronato, non debere membra esse delicata; nec sub Christo sentibus confixo, de-

C cere te rosis deliciisq; coronari.

NULLUM PRATUM SIT, QUOD NON PERTRANSEAT LUXURIA NOSTRA] Hæc sententia non est in Græco, sed in Romanis, ac ceteris Latinis. Prata amœna herbis, floribus, nemoribus apta sunt voluptati. Unde Horatius.

Neu desint epulis rosæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium.

Sensus ergo est q. d. Ubique luxuriemur, ubique voluptuemur, ubique in pratis florum odores, herbarum virore, fontium rivulorumque crystallino decore, nemorum arborumque umbra nos oblectemus, ibique gulæ, ventri & veneri indulgeamus. *Luxuria* enim hic non solam libidinem, sed quemvis luxum epularum, deliciarum & voluptatum significat. Hoc est, quod Judæis fornicantibus, tum corporaliter, tum potiùs spiritualiter, putà idololatrantibus, improperat Jerem. c. 2. 20. *Sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix*. Hic impii indicant radicem sui mali & malitiæ, scilicet impotentem veneris & voluptatis aviditatem & cupidinem usque ad luxuriam. Luxuria

D enim copiam, redundantiam & effusionem significat. Unde Cicero act. 1. in Verrem: *Quas res*, inquit, *luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis*, &c. *Luxuria*, inquit Festus, *est morum solutio*. Et Ovid. lib. 1. de Arte:

Mens erit apta capi tunc cùm lætissima rerum
Ut seges in pingui luxuriabit humo.

Et lib. 2.

Luxuriant animi rebus plerumque secundis.

Sic vocatur lætitia luxuriosa, id est nimia & profusa. Vites quoque, segetes & arbores luxuriantur, cùm nimis redundant ramis & germinibus.

NEMO NOSTRUM EXORS SIT LUXURIÆ NOSTRÆ) Græcè, *nemo nostrum expers sit ἀγερωχίας*, id est insolentiæ, luxuriæ, magnanimitatis, superbiæ; Vatab. *petulantiæ*; Complut. *strenuitatis*; alii, *ferociæ nostræ*. q. d. Quisque nostrum expromat suam cupidinem, petulantiam, insolentiam, strenuitatem, superbiam; quisque se virum ostendat in suis libidinibus & passionibus; valenter & potenter indulgeamus nostræ lubentiæ nostroque

animo,

animo, ut quidquid illi lubet & libet, idem liceat, ac licenter, petulanter & strenuè id ipsum expleamus. Nam ut ait Eustath. in Iliad. 2. *Infusio & diffusio facilis in id, quod lubet, & quo quis glorietur, insolescat.* Notant animum suum effrænem ad omnes cupiditates explendas, qui duos maximè affectus & passiones continet, scilicet amorem ardoremque voluptatis, ac superbiam, iram & insolentiam ad prosternendum illos qui fruendæ voluptati obsistunt. Amor enim rei cupitæ acuit iram in eos qui obicem obiiciunt, ac ferociam in eos quos spoliare quis vult, ut habeat unde suo ventri & veneri, aut pompæ & fastui satisfaciat: quare cupido sæva est, & quo magis gliscit cupido, eo magis & quasi passu crescit ira & sævitia.

UBIQUE RELINQUAMUS SIGNA LÆTITIÆ) *Signa* hæc sunt flores, odores, epularum reliquiæ, rami, frondes, cantus, tripudia, &c. Pro *signa* græce est σύμβολα, quod signa & collationem significat, qua scilicet convivæ conferunt in commune pecunias, vel cibos ad instruendum lautum epulum. q. d. Ubique epulemur, ubique epuli nostri pars existat; quisque locus de nostro epulo ac lætitia participet, ut omnia nostris deliciis & gaudiis compleamus. Adeò enim effusi simus in voluptates, ut iis non tantùm ventrem & nosipsos; sed & alios quosque, quin & prata ac locum quemlibet implere satagamus.

QUONIAM HÆC EST PARS NOSTRA, ET HÆC EST SORS) Vatabl. *hic est fructus noster.* q. d. Post mortem non expectamus aliam hereditatem, aliam vitam, aliam voluptatem. sed omnis illa hac vita terminabitur. Ergo dum vivimus, illi indulgeamus. Hæc est enim nostra portio hæc nostra sors, hæc nostra hereditas.

Secùs planè dicunt pii, qui continentiæ vacantes, post mortem expectant gaudia cælestia, ideoque canunt cum Psalte psal. 15. 5. *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.*

Vers. 10. OPPRIMAMUS PAUPEREM IUSTUM, ET NON PARCAMUS VIDUÆ, NEQUE VETERANI REVEREAMUR CANOS MULTI TEMPORIS) Voluptatis comes, imò filia, est sævitia & tyrannis. Hinc voluptas est crudelis: qui enim suas opes decoxerunt, easque in gulam & libidines exhauserunt, velut lupi famelici, imò fame rabidi, sæviunt in pauperes, viduas & senes, ut eorum velut infirmorum & impotentium bona invadant & diripiant. Hinc aliqui vertunt, *tyrannidem exerceamus in pauperem*, vel *per tyrannidem subiiciamus nobis inopem, nec parcamus viduæ, neque canitiem senis longævam revereamur*; Jansen. *nec senis canos annosos revereamur.* Græcum enim καταδυναστεύω significat per tyrannidem aliquem opprimere, sibique subiicere. Vide hic, ut rosæ in spinas transeant, ac gula in crudelitatem. Audi S. August. in psal. 52. in explicat. tituli: ubi ait: *Post illam descriptam latius luxuriam, coronemus nos rosis*, &c. quid sequitur? *Occidamus justum*, &c. *lenes iam dudum loquebantur, Coronemus nos rosis. Quid blandius? quid delicatius? de hac lenitate sperares cruces & gladios? Noli mirari, lenes sunt & radices spinarum; si quis eas contrectet, non pungitur, sed quo pungeris inde nascitur.*

Voluptas est crudelis: cur?

Idem fuit sensus & syllogismus Epicuri & Epicureorum, quem graphicè depingit & refellit Lactant. lib. 3. ca. 17. *Verùm ille*, inquit, *impunitatem vitiis suis spopondit; fuit enim turpissimæ voluptatis assertor, cujus capiendæ causa nasci hominem putavit. Quis cùm hoc affirmari audiat, vitiis & sceleribus abstineat? Nam si perituræ sunt animæ, appetamus divitias, ut omnes suavitates capere possimus. Quæ si nobis desunt, ab iis qui habent auferamus clàm, dolo, vi. Voluptatibus igitur quomodo possumus serviamus. Brevi enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis sine voluptate patiamur; ne quia ipsi quandoque perituri sumus, id ipsum quod viximus, pereat. Hoc ille licèt non dicat verbo, re tamen ipsa docet.* Rationem claram subiicit. *Nam cùm disputat omnia sapientiam sui causa facere, ad utilitatem suam refert omnia, quæ agit. Itaque qui audit hæc flagitia, nec boni quidquam faciendum putabit, quoniam benefacere ad utilitatem spectat alienam: nec à scelere abstinendum, quia maleficio præda conjuncta est. Archipirata quisquam, vel latronum ductor si suos ad grassandum cohortetur, quo alio sermone uti potest, quàm ut eadem dicat, quæ dicit Epicurus? Deos nihil curare, non ira, non gratia tangi; inferorum pœnas non esse metuendas, quòd animæ post mortem occidant, nec ulli omnino sint inferi; voluptatem esse maximum bonum; nullam esse humanam societatem, sibi quemque consulere; neminem esse, qui alterum diligat, nisi sui causa.*

SIT AUTEM FORTITUDO NOSTRA LEX JUSTITIÆ) Ita Roman. & Græca. Perperàm ergo Complut. & alii legunt, *lex injustitiæ*, q. d. Fortitudo nostra nobis sit lex & norma, non justitiæ, sed injustitiæ, ut scilicet juxta eam non justa, sed injusta perpetremus, spoliando & opprimendo pauperes, viduas & senes. Verùm legendum est, *lex justitiæ*, uti dixi, Arabicus, *sit autem fortitudo nostra velox ad justitiam.* Sensus est q. d. Nobis justum & legitimum habeatur, & quasi lex justitiæ, non quòd ipsa justitia & recta ratio dictat, non quod senes canitie venerabiles dicant, sed quod vis & fortitudo nostra efficere & rapere potest: quod vulgò dicitur, justitia ipsi est gladius, jus suum portat in armis; uti Callicles ait apud Platonem in Gorgia. Hoc est axioma tyrannorum, imò leonum & ferarum, qui non aliam habent justitiam quàm ungues, dentes, vim & rapinam, ac proinde injustitia ipsis est pro justitia, & norma vitæ, juxta illud Juven. satyra 6. Vers. 11.

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Talis fuit Nemrod validus venator, non tam ferarum, quàm hominum, Gen. 10. 8. Causam subdunt.

QUOD ENIM INFIRMUM EST, INUTILE INVENITUR) Arabicus, *quoniam virtus infirma apparet inutilis.* Pro *invenitur* græcè est, ἐλέγχεται, id est arguitur, convincitur, dum infirmitas omnium patet injuriis. q. d. Qui viribus prævalet, hic validus, potens & dives est: qui infirmus & impotens potentiori resistere nequit, sed succumbit, hic ad nihil utilis est; nisi ut alterius sit spolium & præda, uti sunt pauperes, viduæ, senes: idque naturæ videtur conforme. Nam quod validius est, naturaliter dominatur invalido, uti in bestiis est videre. Hinc pisces majores devorant minores; lupi rapiunt oves; leones, lupos, tigrides venantur quævis animalia. Ergo & id in hominibus habeat locum oportet, ut opes infirmorum cedant invalidis & potentibus. Hoc est principium tyrannorum & atheorum, quod hoc sæculo renovavit Machiavellus, qui religionem, virtutem, justitiam censuit subservire debere potentiæ & libidini dominandi, ut iis utaris quantum juvant ad ditiones tuas propagandas; non utaris, quantum id impediunt. Hinc olim Christianis objecere Pagani, quòd ipsi utpote humiles, mansueti, tolerantes, quieti, inertes essent & inutiles ad rempublicam armis propagandam; teste Tertull. Apolog. pro Christianis.

Verùm, hoc principium non humanum est, sed ferinum; non Christianum, sed atheum; non divinum, sed diabolicum. Feræ aguntur suo appetitu ferino: at homo agitur ratione & humana æquitate, quæ ei à Deo data est velut lux & dux vitæ; illam ergo sequatur oportet. Hoc est quod deplorat Habacuc c. 1. v. 3. & 4. *Factum est*, inquit, *judicium & contradictio potentior, quia impius prævalet adversus justum.* Vide Job cap. 20. & 21.

CIRCUMVENIAMUS ERGO JUSTUM, QUONIAM INUTILIS EST NOBIS, ET CONTRARIUS EST OPERIBUS NOSTRIS, ET IMPROPERAT NOBIS PECCATA LEGIS, ET DIFFAMAT IN NOS PECCATA DISCIPLINÆ NOSTRÆ) Arabicus τὸ *justum* accipit in genere neutro, unde vertit, *coadamus, fingamus, fabricemus justum*: q. d. Lex justitiæ veræ nobis nostræque cupiditati adversatur: formemus ergo aliam legem justitiæ, conformem non rectæ rationi, sed concupiscentiæ nostræ, ut justum sit quidquid nobis libet. Verùm Hebræa, Septuag. Vulgata, Chaldæus, Syrus, ceterique omnes accipiunt *justum* in genere masculino, idque exigunt sequentia. Vers. 12.

Ex antecedentibus ergo & subsequentibus liquet, hanc esse vocem impiorum contra quemlibet insigniter justum & pium, qui eorum impietatem verbis & vita redarguat, quem proinde ipsi, ut sibi invisum, persequantur ad necem, uti factum est omni ævo. Sic enim Cain persecutus est justum Abel, Sodomitæ Lot, Esau Jacobum, fratres Josephum, Pharao Moysen & Hebræos, Saul Davidem, Jezabel Eliam, Manasses Isajam, &c. Qui enim plenè & perfectè est justus, non sibi soli est justus, sed & toti reipublicæ, ac proinde justitiæ est hyperaspistes, id est acer propugnator, propagator & vindex, quem proinde impii pessimè oderunt, & ad necem persequuntur. Ita censent Hugo, Lyran. Osorius, Jansen. hic, ac S. Chrysost. hom. 5. de verbis Isaiæ: *Vidi Dominum*, & S. Ambros. lib. 2. Offic. c. 9.

c. 9. & 7. Hinc Simeon Metaphrastes in Vita S. Auxentii, in ipso impletum ait illud Sapient. 2. *Exterminemus justum, quoniam inutilis est nobis.*

Prophetia de Christi cruce. Verùm Secundò, hic esse prophetiam de Christo, ejusque passione, quem impii pontifices & Judæi, utpote scelerum suorum castigatorem, persecuti sunt usque ad crucem, liquet. Primò, ex ipsis verbis, quæ hic planè sunt eadem cum iis, quibus Judæi Christum in cruce pendentem subsannaverunt, ut patet utraq; conferrenti, præsertim

Probatur Primò. illa: *Liberet nunc si vult eum: dixit enim, Quia filius Dei sum*, Matth. 27. 43. Quibus respondent hic illa v. 13. *Filium Dei se nominat*; & illa v. 16. *Gloriatur patrem se habere Deum.* Et illa v. 18. *Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum.* Rursum illa v. 20. *Morte turpissima* (putà crucis) *condemnemus eum*: quæ omnia propriè soli Christo competunt. Adde Christus per antonomasiam vocatur justus, quia justissimus, imò non tantùm caput, sed & pater auctorque omnium justorum, ut patet Jerem. 23. 6. Isajæ 51. 5. & c. 41. 2. & 10. & c. 45. 8. & c. 62. 2. & Zachar. 9. 9.

Secundò. Secundò, idem docent passim Patres. S. August. 17. de Civit. c. 20. & lib. 12. contra Faustum c. 44. asserit hoc loco passionem Christi aptissimè prophetari. Sic & S. Cyrill. in Isajæ c. 59. S. Cyprian. tract. de Sion. & Sina, S. Ambros. 2. Offic. c. 6. & 7. Auctor imperfecti in S. Matthæum, hom. 43. Clemens Alex. 5. Strom. c. 6. Tertull. lib. 3. contra Marcion. c. 22. S. Athanas. in Synopsi. Lactantius lib. 4. cap. 16. ex hoc loco convincit Judæos, ac demonstrat Christum ab eis occisum fuisse justum, & filium Dei: *Salomon*, inquit, *in libris Sapientiæ his verbis usus est: Circumveniamus justum, quoniam insuavis est nobis, & exprobrat nobis peccata legis, promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat*, &c. *Nonne ita descripsit nefarium illud consilium ab impiis initum contra Deum, ut planè interfuisse videatur? Atqui à Salomone, qui hæc cecinit, usque ad id tempus quo gesta res est, mille ac decem anni fuerunt. Nihil nos affingimus, nihil addimus.*

Causam dat S. Chrys. putà Auctor imperfecti apud S. Chrysost. hom. 43. in Matth. *Ex superbiæ vitio nascitur*, inquit, *ne quis velit ante se meliorem habere, sicut Judæi Christum: non enim nescientes filium Dei esse occiderunt, sed habere eum talem non sustinentes, sicut & prophetat de illis Salomon: Venite circumveniamus*, &c.

Sensus est ergo q. d. Impii persequuntur justos insignes, à quibus eorum impietas culpatur & arguitur; sed maximè impii Judæi persequentur Christum, qui est justus justorum, & Sanctus sanctorum, utpote qui acerrimè eorum, & præsertim pontificum & Scribarum, vitia taxabit, ut passim ea taxat in Euangeliis.

Simili modo Moyses prophetat de Christo Deut. 18. 18. dicens ex ore Dei: *Prophetā suscitabo eis de medio fratrū suorū similem tui. Prophetam*, id est Prophetas varios, sed unum ex eis eximium, & ceterorum principem, putà Messiam, sive Christum: hic enim similis fuit Moysi, imò longè eo superior. Ita S. Ambros. in tit. psal. 35. *Dominus*, inquit, *exprobrat Judæis: Ego propter vos pauper ego pro vobis dolens, & vos mihi manus impias intulistis, dicentes: Tollamus justum, quia inutilis est nobis. Injiciamus lignum in panem ejus. Benè panem dixit pro carne ejus. Ille alimentum detulit, isti pro beneficio retulere supplicium. Non mirum ergo si esuriunt, qui sibi vitæ æternæ alimoniam denegarant.*

Porrò alludit auctor Sapientiæ ad Isajæ c. 3. v. 10. ubi Septuag. pro אמרו *imru*, id est, *Dicite justo quoniam benè*, legentes אסרו *isru*, id est, *ligate*; sic vertunt, *consiliati sunt consilium malum contra semetipsos dicentes: Ligemus justum, quoniam inutilis* (S. Hieron. ibidem vertit, *injucundus*; utrumque enim significat δύσχρηστος) *est nobis. Itaque fructus operum suorum comedent.* Quæ verba planè competunt Judæis, capientibus & ligantibus Christum orantem in horto. Hinc & S. Justinus Dial. contra Tryphonem legit, *vinciamus justum, quoniam inutilis est nobis*; Syrus, *retardemus*, vel *impediamus justum*; Tertul. lib. 3. contra Marc. 2. 22. *auferamus justum*, scilicet Christum; Clemens Alex. lib. 5. Strom. *tollamus justum à nobis.* Græcè est, ἐνεδρεύσωμεν, id est *insidiemur justo*, per insidias eum capiamus, ligemus, necemus, opprimamus. Sic Judæi insidiosas quæstiones proposuerunt Christo, ut eum caperent in sermone, sicut cùm quæsierunt ab eo: *Licètne censum dare Cæsari, an non?* Matth. 22. v. 15. & 16. Rursum per insidiosam proditionem Judæ eum comprehenderunt in horto. *Justum* vocant non tam ex suo sensu, quàm ex communi æstimatione & nuncupatione vulgi.

A Porrò impius persequendo pium magis sibi nocet, quàm pio. Nam ut ait S. August. in psal. 36. *Tuum corpus premit adversitas, illius animum putrefacit iniquitas. Nam quidquid in te profert, in illum redit. Ejus enim purgatio te facit purgatum illum reum! cui ergo plus nocet?* Imò impius persecutione sua pio prodest, non obest. Audi S. August. in psal. 128. *Exercuerunt me, non oppresserunt. Valuerunt mihi sicut ignis ad aurum non sicut ignis ad fœnum: Ignis enim accedens ad aurum sordem tollit, accedens ad fœnum in cinerem vertit.* Transit flamma, & remanet aurum purum; transit persecutio ut somnium, & manet anima patientiæ merito nitida & splendida. Scriptum est enim: *Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges* psal. 72. 20. *Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel*, id est contra Ecclesiam ejusque fideles, quæ dicitur *Ariel*, id est leo Dei, à fortitudine, Isajæ 29. 7.

QVONIAM INVTILIS EST NOBIS) Est miosis, *inutilis* enim, id est noxius Græcè δύσχρηστος id est Primò, inutilis; Secundò, difficilis, incommodus morosus, intra-B ctabilis, qui nescit se nobis accommodare, & ad vitia nostra connivere, eaque dissimulare. Unde Syrus *quoniam non est benignus nobis.* Talis Judæis videbatur Christus, utpote qui eorum avaritiam, rapinas, libidines, superstitiones assiduè verbo & vita castigabat. Alludunt ad nomen Christi per antiphrasin. q. d. χριστὸς non est χρηστός, id est comis, benignus, humanus, facilis ad gratificandum, commodus, clemens; sed ἄχρηστοι, id est inutilis, imò δύσχρηστος, id est, difficilis, offensus, durus, inflexibilis, rebellis, perniciosus, abhorrens à nostra conversatione & vita, imò eam assiduè culpans & mordens: ergo tollamus eum è medio. Verum ex parte dicunt, quia Christus Scribis & Pharisæis, utpote sceleratis, impœnitentibus & in malo obstinatis, perpetuus erat hostis, censor & reprehensor; idque ex officio: ad hoc enim à Patre missus erat ad Judæos, ut eos à Patriarchis degenerantes ad avitam fidem & probitatem reduceret. Ceteris verò probis, imò peccatoribus suam fidem & pœnitentiam non aspernantibus; erat dulcissimus & clementissimus, uti fuit. S. Magdalenæ, S. Paulo, S. Matthæo, Zachæo, S. Petro & aliis plurimis, adeò ut Scribæ hoc ca-C lumniæ loco objecerint Christo, quòd cum meretricibus & peccatoribus versaretur. Unde ipse eos ad se blandè invitans: *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve* Matth. 11. 28. Sic Christum ab humanitate & suavitate laudant Isajas c. 42. 2. & cap. 61. 1. Zachar. c. 9. 9. & ceteri Prophetæ, æquè ac Apostoli, ut S. Petrus Actor. 10. 38. *Qui*, inquit, *pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Dei enim est benefacere omnibus, & suam bonitatem omnibus communicare, imò effundere. Sic Christus ægros sanabat, mortuos suscitabat, dæmones pellebat, turbas pascebat, procellas sedabat, imò corpus, vitam, animam, deitatem suam dedit pro nobis, iisque inimicis & peccatoribus, ac indies eadem dat cuilibet in Eucharistia. Idem indies sua gratia peccatores prævenit, vocatque ad salutem. Quid ergo Christo utilius, suavius, benignius? Hinc hebr. dicitur Messias, græcè χριστὸς, latinè Christus, id est unctus, scilicet à D Deo in Regem, Prophetam, Legislatorem, Redemptorem & Pontificem novæ legis: à Gentilibus vocabatur χρηστὸς per η, id est utilis, suavis, benignus, beneficus: unde & Christiani vocabantur Chrestiani, id est, blandi suaves, commodi: quia sicut in Christo nihil fuit, quod non esset utile, suave commodum hominum saluti: sic & in Christianis esse debet, de quo plura alibi dixi. Verè S. Thom. canit de Christo: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.* Et S. Bernard. *Jesus mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Gustate ergo & videte, quoniam suavis est Dominus*, psal. 33. 9.

ET CONTRARIVS EST) Syrus, *adversatur, obstat*) OPERIBVS NOSTRIS) Nostra enim opera sunt impia injusta, scelerata, noxia; ipsius justi verò, ac præsertim Christi, opera sunt pia, justa sancta, salutaria. Ecce hic explicant cur Christus eis videatur δύσχρηστος, id est, inutilis, molestus, & perniciosus, quòd scilicet taxaret improbos Scribarum mores, eisque *væ*, id est fulmen æternæ damnationis, intentaret, ut patet Matth. toto cap. 23. Sic hodie viri Religiosi, quòd improborum mores vel verbo

vel

vel exemplo castigent, eis sunt odio. Unde Apostolus 1. Timoth. 3. *Omnes*, ait, *qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Causam unam inter varias dat S. Aug. in psal. 127. *Si mortuus est diabolus*, ioquit, *mortuæ sunt persecutiones; si autem ille adversarius noster vivit, unde non tentationes suggerit? unde non sævit? non minas aut scandala procurat?*

Et improperat nobis peccata legis) Putà peccata cootra legem à Deo per Moseo datam, à nobis commissa.

Et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ) Græcè ἐπιφημίζει, id est cum infamia nostra propalat, evulgat, celebrat. Uude S. August. 17. Civit. 20. legit *infamat*, exprobrat, occlamat nobis peccata, quæ contra disciplinam legemque nobis à Deo datam committimus, ac præsertim, quod eam prava interpretatione per Pharisaicas traditiones corrumpamus, ut quòd filios doceamus non honorare, nec alere parentes; sed suas opes offerre templo ad sacerdotum lucrum; quod doceamus inimicos esse odio habendos; quòd peccantes excusemus, dum nobis dant munera, &c. quæ Christus recenset & carpit Matth. 5. quodque calices & paropsides mundemus, cùm intus pleni simus rapina & immunditia, Matth. 23. 25. Rursum Joan. 7. 19. *Nonne*, ait, *Moses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Vide Lucæ 11. v. 39. & seq. Unde v. 45. ait illi quidam ex legisperitis: *Magister hæc dicens contumeliam nobis facis*. Porro, id justè & sanctè fecit Christus. Ipsius enim, velut legati ad hoc à Deo, erat publica Scribarum & Pharisæorum scelera libere carpere, ne populus ea ut licita & sancta æstimaret, ac sequeretur & imitaretur; etjamsi sciret se illos per hoc concitaturum ad necem crucemque sibi inferendam, uti reipsa contigit. Idem fecere Isajas, Jeremias cæterique Prophetæ ad unum omnes, utpote Christi prodromi & antitypi.

Hæc ergo est vera causa odii impiorum in pios, quòd eorum impietas borum pietate coarguatur & infametur. Hinc causam assignat & exaggerat Lactant. lib. 5. c. 9. *Hujus tanti*, inquit, *& tam pertinacis odii quam potissimùm causam esse dicamus? utrumne veritas odium parit, ut ait poeta, quasi divino spiritu instinctus: an erubescunt coram justis & bonis esse nequam? an potiùs utrumque? Nam & veritas idea semper invisa est quòd is qui peccat vult habere liberum peccandi locum, nec aliter se putat malefactorum voluptate securiùs perfrui posse, quàm si nemo sit, cur delicta non placent. Ergo tanquam scelerum & malitiæ suæ testes, extirpare funditus nituntur & tollere, gravesque sibi putant, tamquam vita eorum coarguatur*. Subdit deinde impiorum ratiocinium: *Cur enim sint aliqui intempestivè boni, qui corruptis moribus publicis convicium bene vivendo faciant? cur non omnes fiat æquè mali, rapaces impudici adulteri, perjuri, cupidi, fraudulenti? quin potiùs auferatur, quos coram malè vivere pudet, qui peccantium frontem etsi non verbis, quia taceat, tamen ipso vitæ genere dissimili feriunt & verberant. Castigare enim videtur quicumque dissentit. Nec est magnoperè mirandum si adversus homines ista fiunt, cùm adversus ipsum Deum propter eamdem causam insurrexerit etjam populus in spe constitutus, nec Dei nescius: sequiturque justos eadem necessitas, quæ ipsum justitiæ violavit auctorem.*

Vers. 13. Promittit se scientiam (Vatabl. *notionem*) Dei habere) Hræcè ἐπαγγέλλεται, id est annunciat, prædicat, evulgat publicè & solemniter, velut cùm quid per præconem edicitur & promulgatur: Christus enim fuit preco Euangelii, qui illud è cœlo in terram dedit S. Bonav. ex Glossa explicat q. d. *Firmiter asseuerat se scire omnia, tamquam Deum*. Verùm sensus genuinus est, q. d. Christus publicè & passim prædicat & præconizat se Deum, veramque Dei fidem ac religionem, id est modum rectè pieque Deum colendi, illique serviendi & placendi, nosse docere & prædicare, ac proinde improbat nostros Judaicos ritus & traditiones, quasi parergos & Deo ingratos. Hoc est quod ait Christus: *A me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem nescitis: ego scio eum*, Joan. cap. 7. 28. Et: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*, ibidem v. 16. *Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*, Matth. 12. 27. Et: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum* Joan. 17. 3. Et: *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*, Joan. 8. 24.

Et filium Dei se nominat) Græcè παῖδα κυρίου, id est *puerum Domini*: *puerum*, id est filium vel servum: hic autem filium accipi patet ex eo, quod sequitur v. 16. *Et gloriatur se patrem habere Deum*. Tota enim contentio Christi cum Judæis fuit, quod ipse se diceret verum Dei filium idque miraculis & Script. probaret: ipsi verò id ipsum denegarent, ut patet Joan. c. 5. & sequent. ubi continua est Christi cum Scribis hac de re disputatio. Hinc liquet, hæc, licet ad quemlibet justum pertineant, qui filius est Dei adoptivus per gratiam; tamen propriè spectare ad Christum, qui filius est Dei naturalis per essentiam. Porrò hæc fuit potissima causa odii impiorum Judæorum in Christum, quòd diceret se Dei filium: tum quia ipsi erant superbi, ideòque indignè ferebant Christum se Scribis & pontificibus, imò & Moysi anteferre, uti superius dixi ex S. Chrysost. tum quia eo gravior eis accidebat reprehensio Christi, quo à grandiore persona, putà à filio Dei, proficiscebatur: tum quia ex hoc, quòd ipse erat filius Dei, sequebatur ejus adversarios Judæos esse filios diaboli, juxta illud Christi: *Vos ex parte diaboli estis*, Joan. 8. 44. atque hæc etjamnum est causa pertinacis odii Judæorum omnium B in Christum, quòd scilicet audire & conquerere nequeant se esse filios & heredes eorum; qui suum Messiam filium Dei occiderunt: hanc enim infamiam tanti sacrilegii, imò deicidii, sibi aspergi ferre nequeunt.

Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum) Græcè εἰς ἔλεγχον, id est in redargutionem & reprehensionem q. d. Christus traducit, id est in publicum ducit, propalat, & omnibus carpendas proponit nostras cogitationes, id est nostras intentiones, nostra studia, nostros conatus. Unde alii vertunt, *hic cogitationum nostrarum judex existit*; S. Bonav. *cogitationes nostras in lucem traducit*; alius, *factus est nobis ad redarguendas cogitationes nostras*. Christus enim cognoscebat, & revelabat arguebatque pravas Scribarum cogitationes, etjam secretas de ipso redarguendo, capiendo, occidendo, ut patet Matth 9. 4. *Quid cogitatis*, inquit, *mala in cordibus vestris?* Et Lucæ 6. 7. *Observabant autem Scribæ & Pharisæi, si in sabbato curaret: ut invenirent unde accusarent eum, Ipse verò sciebat cogitationes eorum*, &c. Atque ex hac revelatione secretarum cogitationum ostendebat Ju- C dæis se esse Deum, Deique filium. Nam ut ait Tertull. Apolog. cap. 20. *Testimonium divinitatis est veritas divinationis.* Vers. 14.

Gravis (onerosus, molestus, infestus, intolerabilis) est nobis in etiam ad videndum) Græcè βλεπόμενος, id est *visus*. q. d. Adeò justus, præsertim Christus, nobis est exosus, ut non solùm ejus concio & reprehensio; sed & sola præsentia nobis sit gravis & molesta, ut eum intueri & videre sine tædio & offensa nequeamus. Odium enim & invidia faciunt, ut eum quem quis odit, aspicere non sustineat. Nimirùm, *qui malè agit*, *odit lucem*, Joan. 3. 20. Tenebris adversatur clara lux solis, ideoque cæcutientes offendit, *Oculis ægris odiosa lux*, ait S. August. lib. 7. Confess. c. 6. Sic *non rectis oculis Saul aspiciebat David*, 1. Reg. 18. 9. Ita Tertull. lib. de Patientia c. 5. *Quomodo Prophetis*, inquit, *manus intulerunt nisi per impatientiam audiendi: Domino autem ipsi, per impatientiam etiam videndi*. Unde ibidem docet, *omne peccatum impatientiæ esse ascribendum*. Et S. Chrysost. hom. 5. de verb. Isaiæ. *Vidi Dominum*: *Neminem*, inquit, *mortalium sic aversantur oderuntque D qui peccant, atque eum qui parat redarguere, captantque occasiones ut elabantur cupientes effugere reprehensionem. Objurgator enim non solùm cùm promit vocem, verùm etiam cùm videtur, gravis est peccatori: Gravis est, inquiunt, nobis etiam aspectus*; cui lectioni Vatablus adhæsit legens, *aspectui quoque nostro gravis est*. Hinc illæ voces: *Tolle, tolle*, Matth. 27. Vers. 15.

Accedit, quòd Christi modestia, castitas, sanctitas verberabat oculos immodestos, incestos, impuros Judæorum, Denique fulgor divinitatis ex uultu Christi emicabat, ait S. Hieron. qui percellebat impiorum aspectum; pios verò rapiebat in sui amorem, reverentiam & admirationem. Sic Nero Thraseæ senatoris optimi venerabilem speciem ferre non poterat, ideo eum necavit, ait Tacitus lib. 16. Annal. Nam ut sapienter ait S. Chrysost. hom. 3. ad pop. Antioch. tom. 5. *Sanctorum non tantùm verba, sed etiam aspectus spirituali gratia pleni sunt, ut vel suo aspectu solo aliorum iram extinguere valeant, & emollire corda.*

Nota. Impii hic congrunt duodecim rationes, ob quas se odisse Christum & persequi asseverant. Prima est v. 12. quo- *Odii in Christum*

Causæ duodecim.

quoniam ipsis inutilis, id est molestus & noxius est. Secunda, quia contrarius est operibus ipsorum. Tertia, quòd improperet eis peccata in legem admissa. Quarta v. 13. quòd se dicat esse filium Dei, ac divinam scientiam doctrinamque docere, quasi major sit Moyse, ejusque lege & religione aliam sanctiorem afferat. Quinta v. 14. quòd secretas eorum cogitationes iniquas propalet & carpat. Sexta v. 25. quòd ejus præsentia, gravitas, modestia, sanctitas ipsorum oculos offendat. Septima, quòd dissimilis aliis sit vita ipsius. Octava, quòd immutatæ sint viæ, id est actiones ejus. Nona v. 16. quòd ab eo habeantur velut viles, fabulosi & nugaces. Decima, quòd abstineat se à viis eorum, quasi immunditiis. Undecima, quòd præferat novissima justorum. Duodecima, quòd glorietur se patrem habere Deum. Hæc sunt duodecim capita accusationis, quam impii intentant justo, præsertim Christo; quibus se mutuo ad necem illi inferendam exhortantur & exacuunt. Improbi enim pravos quosque diliguot, laudant, & ad scelera excitant, quia similes sibi animos & mores habent; & dum improbitas plures sibi sectatores numerat, auctoritatem inde sumit, atque infamiam sibi congenitam quodammodo eluit ac purgat. Unde sequitur.

QVONIAM DISSIMILIS EST ALIIS VITA ILLIUS) Christus enim prædicabat beatos pauperes, humiles, mites, lugentes, patientes persecutionem; cùm Judæi cæterique mundani beatos prædicent divites, arrogantes, imperiosos, gaudentes, & dominantes ceteris, Christus prædicabat mortificationem carnis, refrænationem concupiscentiæ, castitatem, abstinentiam, crucem, amorem inimicorum, odium animæ, quæ Judæis videbantur paradoxa, utpote qui carnales, non nisi carnis opes & dapes, æquè ac honores atque vindictam de inimicis quærebant.

Hæc ergo est radix totius odii & invidiæ impiorum in justum, præsertim Christum, scilicet dissonantia morum & vitæ, Nam, ut docet Aristotel. ceterique Ethnici, sicut amoris & amicitiæ causa est morum similitudo & consonantia; sic odii causa est morum dissimilitudo & dissonantia. Hinc Seneca epist. 7. *Qui vivit*, inquit, *in multitudine, vel similis multis, vel iis exosus est*. Et Pithagoræ præceptum fuit: *Per viam publicam ne incesseris*, id est, vulgi mores ne sequaris, esto ea de causa in ejus odium incurras: *argumentum enim recti est, malis displicere*, ait Seneca.

Radix odii morum dissonantia.

Hanc odii radicem assignat Christus Joan. 15. dicens & prædicens Apostolis: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus*; ideoque *si me persecuti sunt*, inquit, *& vos persequentur*. *Magnum piorum hominum solatium*, ait quidam Doctor. *video in hac esse ratione constitutum. De medio enim electos mundo, & à perditorum universitate discretos, morum dissimilitudo invisos reddit: hoc etenim oderunt illi, quod esse nolunt; atque ex ejus rei, quam vehementer improbant, odio, fremunt premuntque persequendo. Habere iniquitas non potest cum justitia pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia, non amat superbia mansuetudinem, non petulantia verecundiam, non avaritia largitatem. Si caput ipsum ob hanc morum adversitatem persecutus est mundus; profectò & pios omnes, qui eodem spiritu vivunt persequetur.* Ferre ergo Christum impii Judæi minimè potuerunt, quòd affectus dissimilis studia vitæ contraria faciebat, alteraque vita alterius erat manifesta damnatio: ideoque fratribus quoque suis, cùm in eum nec ipsi crederent, ajebat: *Non potest mundus odisse vos*, cultores videlicet suos atque amatores, *me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala sunt*. Inde est quòd boni improbis semper fuere graves. Hoc est quod S. Prosper canit epigram. 32.

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos.
Ridens nolentes opibus præsentibus uti,
Sperantesque sibi credita posse dari.

Ut igitur pax esse inter Christum & Belial non potest; ita nec civitates illæ duæ, quarum est altera piorum, altera impiorum, vera jungi concordia possunt. Sanctæ civitatis Christus est conditor, civitatis impiæ diabolus fundator & rector est. Illam constituit amor Dei usque ad contemptum sui: hanc è diverso amor sui usque ad contemptum Dei. Sibi enim placens ac tumens, & omnia quæ prosecutione digna sint, in se una posita existimans, loquitur apuud Prophetam & dicit: *Ego sum, & præter me non est altera*. Utitur illa mundo, ut fruatur Deo. Hæc contrà Deo utitur, ut mundo perfruatur. Peregrinatur illa hic, & manentem fixamque in terris non habens civitatem, futuram inquirit, quemadmodum sanctissimi cujusdam civis ea declarat oratio, qua dicit: *Advena ego sum in terra, & peregrinus sicut omnes patres mei*. Hæc verò mundi hujus inescata deliciis, in terrena felicitate penitus acquiescit. Eò fit, ut quidquid huic adversum senserit, removere conetur, & propter hanc suam cupiditatem, etiam odio prosequatur & persequatur veritatem. *Omnia*, inquit ille, *mandata tua veritas: idcirco iniqui persecuti sunt me; adjuva me*.

Isaia 47.

Psal. 38.

Psal. 118.

Porrò, odium hoc cùm tantum sit, necesse est ut illico in bellum & persecutionem erumpat. Ut enim ignis & aqua simul esse, nisi pugnent inter se, non possunt: ita necesse est, ut duæ illæ civitates assidua inter se adversitate confligant. Atque, ut in eodem homine contra spiritum caro, & contra carnem spiritus concupiscit: ita in eadem repub. cum bonis mali pacem habere non possunt. Oderunt igitur boni non homines, sed hominum vitia, & si qua umquam ab illis movetur persecutio, ea non ex odio, sed ex charitate proficisci credenda est, qua vel malis consulitur ad correctionem, vel certè bonis & integris ad tutelam. Unde illa sunt in psalmo: *Non proponebam ante oculos meos rem injustam, facientes prævaricationes odivi. Non adhæsit mihi cor pravum, declinantem à me malignum non cognoscebam. Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar*. Ecce persecutor bonus non hominis, sed peccati. *Est enim*, inquit S. Ambros. *etiam justa persecutio, si oderimus obscœnos, si infesti simus injustis, si iniquos velimus opprimere, ne pluribus noceant, si avarum fraudis suæ compendiis exuamus, si execremur insolentiam superborum*. Nam ut est apud Sapientem in Proverbiis: *Abominantur justi virum impium, & abominantur impii eos qui in recta sunt via*. At horum terrena civitas non corrigere cupit, sed perdere; nec ei vitia tollere cordi est, sed ingratam sibi & exosam demoliri, atque opprimere veritatem. *Hoc enim est judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera*. *Invidentiæ enim diabolicæ*, inquit S. August. *qua invident bonis mali, nulla alia causa est, quàm quia illi boni sunt, isti mali. Semper enim inimica virtutibus sunt vitia, & optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur*. Recteque illud Cicero: *Dispares mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias*. Nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quòd tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum studiorumque distantia.

Psal. 100.

Ambros. serm. 11. in Psal. 118.

Prov. 29.

Joan. 3. 19.

Lib. 15 de Civit. Dei cap. 5.

Lib. de Amicitia.

ET IMMUTATÆ SUNT VIÆ EJUS) Hugo & alii addunt, *in veritate*. Sed nil tale habent Græca & Romana. Vatabl. *suisque differt institutis*; Guarinus, *differentesque sunt semitæ ejus*, Glossa S. Bonav. *dissimilia sunt dogmata ipsius & facta*, putà doctrina & vita; alius *peregrinæ, insolentes, inusitatæ, inauditæ & à communi norma formaque abhorrentes sunt semitæ, per quas graditur*, id est verba & opera ipsius.

Sensus ergo est q. d. *Viæ*, id est actiones justi, præsertim Christi, ejusque modus agendi & vivendi, putà ejus doctrina, conversatio, religio, secta planè à nostra discrepat, immutata est & diversa. Nostra enim, sive Pharisaica, justitia & religio sita est in externa specie, purificatione, nitore, pompa, ostentatione eleemosynarum: at Christi justitia Euangelica sita est in interna puritate, pietate, charitate, &c. uti docet Christus Matth. 5.

Rursum, per hypallagen, *immutatæ sunt viæ ejus*, id est, viæ nostræ per vias ejus. q. d. Christus per suum Euangelium immutat & abolet nostram legem, nostra Sacramenta, nostrasque cæremonias & ritus, dum pro circumcisione substituit baptismum, pro manna Eucharistiam, pro lavacris pœnitentiam, &c. Denique ipse judaismum nostrum vult destruere, & convertere in christianismum. Hæc enim fuit causa summi odii Judæorum in Christum & Paulum. Unde Judæi S. Stephanum lapidaturi, hoc ei crimini dederunt: *Audivimus*, inquiunt, *eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses*, Actor. 6. 14. Et S. Paulo cùm eum caperent in templo. *Viri Israelitæ*, inquiunt, *adjuvate: hic est homo, qui adversus populum, &*

legem, & locum hunc, omnes ubique docens, insuper & Gentiles induxit in templum, & violavit sanctum locum istum, Actor. 21. 28.

Simili modo hoc tempore, imò omni ævo, viri religiosi & zelosi, qui voluerunt reformare lapsos Religiosorum, Sacerdotum, Christianorum mores, & avitæ puritati restituere, multorum in se odia concitarunt: sed solati sunt seipsos exemplo Christi, eoque confirmati constanter egerunt, ac sua constantia peregerunt, quod moliebantur. Idem sentiunt, quià sociis se subducunt, ut vacent severiori vitæ, orationi, studio: mox enim socii eos linguis & cachinnis involant, hypocritas, Jesuitas, sanctos nuncupant; quia ægrè ferunt se ab eis deseri, superari, taciteque carpi & redargui; sed & hi audiant solamen à Christo: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, Matth. 5. Hi dicant: *Amicus socius, sed magis amicus Christus, magis amica sanctitas, animæque salus.* Plato aiebat: *Amicus Socrates, sed magis amica veritas.*

Vers. 16. TAMQUAM NUGACES ÆSTIMATI SUMUS AB ILLO, ET ABSTINET SE A VIIS NOSTRIS TAMQUAM AB IMMUNDITIIS] Pro *tamquam nugaces* græcè est ὡς κιβδήλοι, id est *in spurium vel scoriam*, aut *æruginem* æstimati sumus ab eo, putà quasi spurii aut quasi quisquiliæ, nugæ & res nihili: κίβδηλον enim propriè significat aurum, argentum, vel æs non purum, & sincerum, sed cui scoria admixta est, ideoque fucatum, vitiatum & adulterinus. Ita Christus taxavit Judæos, quòd legem suis traditionibus humanis & superstitiosis adulterarent & corrumperent. Unde eos vocavit *generationem malam & adulteram*, Matth. 12. 39. *mendaces sepulchra dealbata, serpentes & genimina viperarum*, Joan. 8. 55. suas enim nugas, & nugaces manuum corporisque lotiones præferebant legi Dei & Christi. Hinc S. Bonav. explicat. q. d. *Æstimati sumus ab illo tamquam inania facientes ac dicentes*; Dionys. *perinde ac vani & mendaces*; Clarius, *tamquam adulterini*; Vatabl. *pro adulterinis habemur*; Compl. *in spurium reputati sumus.* Alludunt ad Joan. 8. 39. ubi Judæis jactantibus, *Pater noster Abraham est*, respodit Christus: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo: hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum.* q. d. Tu ò Christe negas nos esse filios Abrahæ legitimos, ac proinde spurios & adulterinos ex fornicatione natos videris asserere, qua in re nobis insignem injuriam & notam inuris, quia nobis alium patrem ab Abraham obiicis, scilicet diabolum, utpote cujus opera sequamur: at nos falsò calumniaris, quia non alius adulter, sed verus pater nobis in terra est Abraham, in cœlo Deus, nosque unicum Deum patrem colimus æquè ut Abraham: falsò ergo criminaris nos Deum, ac pietatem & opera Abrahæ non sequi, quasi spurios. Respondit Christus: *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim a meipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Quibus verbis ostendit, & confirmat illos non esse filios Abrahæ, sed spurios diaboli.

ET ABSTINET SE A VIIS NOSTRIS TAMQUAM AB IMMUNDITIIS] quasi à sordibus, inquinamentis, spurcitiis. q. d. Nostrum vivendi modum refugit & detestatur, velut immundum, pravum scelestum. Sic Christus Lucæ 12. 1. *Attendite* (cavete) inquit, *à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*, &c. Sensus est q. d. Christus sectarius est: à nostra enim religione, tamquam immunda, homines ad suam sectam, velut mundam adducit. Dicunt partim verum, quia Christus Pharisæorum superstitiones & pravos mores confutabat: partim falsum, quia Christus statis diebus frequentabat templum, ibique orabat & docebat, ac legem servabat, servandamque docebat. Sapienter S. Greg. Nazianz. orat. in laudem S. Basilii, monet cavenda malorum consortia: *Ne*, inquit, *cum flagitiosissimis sodalium consuetudinem habeamus, sed cum optimis & honestissimis; nec cum pugnacissimis, sed cum tranquillissimis, iisque quorum consuetudo magnos fructus afferat: illud exploratum habentes, multò facilius vitium contrahi, quam virtutem communicari; quemadmodum facilius quoque morbus contrahitur, quàm sanitas impertitur.*

ET PRÆFERT NOVISSIMA JUSTORUM] In S. Augustin. 17. Civit. 20. legitur, *nobilissima*, sed perperam, ut videtur. Primò, Hugo exponit q. d. Novissimos justorum præfert nobis, dicens: *Erunt novissimi primi, & primi novissimi.* Matth. 20. 16. Et: *Væ vobis divitibus, beati pauperes spiritu*, Lucæ 9. Matth. 5. & : *Viri Ninivitæ surgent in judicio, & condemnabunt generationem istam*, Matth. 12. 41.

Verùm græcè est μακαρίζει τὰ ἔσχατα δικαίων, id est, *beatificat extrema justorum*, id est beatum prædicat exitum justorum; Complut. & Vatabl. *extrema justorum beata prædicat*; Glossa & Bonav. *vitam æternam præponit voluptati.* q. d. Christus paupertatem, compunctionem, humilitatem, lacrymas, mortificationem, crucem justorum beatam prædicat ex fine, quòd scilicet ducat eos ad felicitatem & gloriam cælestem: atque hoc ipso condemnat nos, qui in opibus, gaudiis, risu, epulis, libidinibus, fastu, ceterisque huius vitæ voluptatibus omnem felicitatem collocamus: nam iis ipse væ & fulmen æternæ damnationis intentat. Id patet ex historia divitis Epulonis & Lazari, Lucæ 16. Sic & Ecclesiasticus viros gloriosos celebrans c. 44. v. 14. ait: *Quorum corpora in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem.* Et psal. 115. 15. *pretiosa* dicitur *in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Et Apocal. 14. 13. *Audivi vocem de cælo dicentem, Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Rationem affert Nazianz. orat. in funere patris, *Quia mors; quæ non solum nos à præsentibus malis vindicat, verùm ad supernam quoque vitam sæpe traducit, nescio*, ait, *an propriè mors appellari queat, utpote nomine magis quam re formidabilis: una vita est, oculos ad vitam conversos habere, una mors, peccatum: animæ enim est interitus.*

ET GLORIATUR PATREM SE HABERE DEUM] ac consequenter nos sibi contrarios diabolo, ceu filios patri assignat. Pro *gloriatur* græcè est ἀλαζονεύεται, id est, cum fastu, gloriatione & ostentatione jactat. Alius, q. d. Sibi falsò fingit, mentitur, arrogat, ac velut impostor jactabundus, insolens, & ultra modum elatus ostentat patrem Deum. Dixerat enim Christus: *Est Pater, qui glorificat me, quem vos dicitis, quià Deus vester est, & non cognovistis eum*, Joan. 8. 54. Quare vos, ò Judæi, qui negatis me Filium, negatis & Patrem, ac consequenter negatis Deum vestrum. Hoc stimulo Christi acriter se pungi sensere Scribæ & pontifices, ideoque ei necem machinati sunt: quantum enim decus & gloria est Deum habere patrem, & in eo omnia bona; tantum dedecus & infamia est patrem habere diabolum, & in eo omnia mala, tam culpæ, quàm pœnæ.

VIDEAMUS ERGO SI SERMONES ILLIUS VERI SUNT] scilicet, quibus jactat se filium esse Dei, Deumque habere patrem, ac veram Dei fidem, legem, cultum docere. Si enim est filius Dei, Deus utique eum proteget, & liberabit è manibus nostris, aut certè occisum à nobis resuscitabit, uti ipse asserit & jactat. Vers. 17.

ET TENTEMUS QUÆ VENTURA SUNT ILLI] Videamus quonam res illius evadant; græcè, *& experiamur quæ in exitu ejus*, scilicet erunt; S. Prosper par. 1. de Prædict. c. 26. legit, *an succedant quæ ventura sunt illi*, ac scilicet Deus, quem patrem suum gloriatur, liberet eum è manibus nostris, aut à morte resuscitet. Unde explicantes subdunt, *Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum.* alii vertunt, *periculum faciamus eventuum ejus*, quid scilicet illi tandem eventurum sit, quem finem habiturus sit, in quem terminum & catastrophen tragœdia vitæ & sectæ ejus desitura sit: abibit enim in fumum, imò in infamiam.

ET SCIEMUS QUÆ ERUNT NOVISSIMA ILLIUS] Hæc desunt in Græco, Lactan. & S. Cypr. l. 2. Testim. c. 14. legunt tamen Rom. & S. Aug. 17. Civit. 20. Videtur esse epanalepsis, idemq; dici aliis verbis. Nam *si tentemus, quæ ventura sunt illi*, videtur explicari per id, quod subditur: *Et sciemus quæ erunt novissima illius.* q. d. Christus nobis, nostræq; voluptati & felicitati præsenti præfert novissima justorum, quorū ipse dicit se esse caput & principem. Videamus ergo, quæ sint novissima ipsius, ac inde colligemus qualia sint futura justorū ejus novissima. Occidamus eum, & videamus, an ipse à morte resurgat: & sic apparebit inania esse novissima, putà vitæ æternæ gaudia, quæ ipse justis suis frustra promittit. Ita impii & athei.

VERS. 18 SI ENIM EST VERUS FILIUS DEI, SUSCIPIET ILLUM] Græcè & syriacè, *si enim justus est filius Dei justus*, tum quilibet, tum per excellentiam, putà Christus. q.d. Si Christus, qui *justum* se nominat per eminentiam, est verè filius Dei, utique Deus velut pater illum *suscipiet*, id est, ruentem in mortem porrectâ manu apprehendet, fulciet, roborabit, proteget ne cadat. *Suscipere* enim in Script. significat labenti succurrere, opem ferre, conservare, protegere. Petita sunt hæc verba ex Psal. 21. 9. *Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum:* quibus impii Judæi Christo in cruce exprobrarunt, quòd filium Dei se dixisset, ut patet Matth. 27. 40.

ET LIBERABIT EUM DE MANIBUS CONTRARIORUM] putà de manibus Scribarum & pontificum illi adversantium, eumque ad crucem & necem adigentium.

VERS. 19. CONTUMELIA (græcè, ὕβρει, id est, injuriam, dedecore, contumelia, sævitia, ferocia, vi illata) ET TORMENTO; Lactantius lib. 4. c. 16. legit in plurali, *contumeliis & tormentis*; S. Bonav. *contumelia verborum*, inquit, *& tormento*, sive *cruciatu verborum* INTERROGEMUS EUM; græcè, ἐξετάσωμεν, id est probemus, exerceamus, exquiramus ab eo veritatem: sic enim judex à reo per interrogationes & tormenta exquirit crimen, quæ vocantur quæstiones judiciariæ. Arabicus, *investigemus eum calumnia & tormento*. Tormenta quæ Judæi intulerunt Christo, fuerunt plurima, maxima, ignominiosissima: hæc Judæi dicunt, hìc se irrogare Christo, UT SCIAMUS, inquiunt, REVERENTIAM EJUS] græcè, ἐπιείκειαν, id est, æquanimitatem, modestiam, mansuetudinem, trãquillitatem, compositionẽ animi, qua justus, præsertim Christus, injustè verberatus veretur & horret, non tantùm se ulcisci, sed & indignationis, vel doloris, vel impatientiæ minimũ signum edere. Probemus ergo ejus justitiam per probra & tormenta, quia si vera sit ejus justitia, ostendet se per patientiam; sin fucata sit & simulata, prodet se per impatiẽtiam. Impossibile enim est, ut superbus, hypocrita & fictus, si vexetur & verberetur, non prorumpat in verba maledica, minas gestusque impatientes. Unde S. Greg. 1. Dial. c. 5. *Qualis*, inquit, *quisque apud se lateat, contumelia illata probat.* Hinc & Græcum βάσανος, id est tormentum, tortura, quæstio, significat quoque lapidem indicem, sive Lydium & Herculeum, de quo Plinius lib. 33. c. 8. quòd ejusmodi cruciatus tamquã ille lapis manifestet, ut auri præstantiam, excellentiam virtutis: hinc & tormento examinare, est interrogare; quia sicut examinatus à judice in quæstione respondet, neque celat veritatem, quam extorquent supplicia; similiter illud examen ab iniquis judicibus contumelia & tormento factum, ostendit veritatem divinitatis atque doctrinæ Christi, & etiam sanctitatis dignæ vero Deo.

Confer hæc cum passione Christi descripta in Evangeliis, ac dices Sapientem hìc æquè ac Isaiam c. 53. passionis Christi, non tam esse Prophetam, quàm historicum & Evangelistam.

Reverentia activa qua? Hæc ergo *reverentia* justi, præsertim Christi, tum activa erat, tum passiva. Activa erat sacer quidam pudor & sancta verecundia, qua Christus etiam in atrocissima passione & cruce ex respectu & reverentia, tum suæ personæ, tum ipsius virtutis patientiæ & modestiæ, tum Dei, Angelorum & hominum, in quorum præsentia versabatur & patiebatur, verebatur quid agere vel dicere, non dico impatienter, sed minùs dignè vel decorè, quod scilicèt minùs deceret virum patientem, modestum, constantem, perfectum, cælestem, divinum: unde nullum gemitum, nullum doloris, infirmitatis, vel timoris signum dedit. Quod considerans Sanctus quidam scriptor exclamavit: *O virum infractum animo, qui nec pretem, nec lacrymam fudit.* Hinc Syrus vertit, *ut agnoscamus diligentiam*, vel *sollicitudinem humilitatis ejus, & probemus eum*, Arabicus, *ut sciamus obedientiam*, vel *subjectionem ejus; & probemus vere patientiam ejus.*

Passiva. Passiva erat affectus activæ, qua scilicet activa reverentia, quæ in Christi vultu composito, pio, reverenti & reverendo, omnibusque ejus dictis, factis & gestibus elucebat, faciebat eum omnibus venerabilem & reverendum, atque in spectantibus sui reverentiam, amorem & admirationem excitabat: uti fecit in Centurione, qui videns eum tanta constantia, resignatione & pietate mori, dum clamaret: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; exclamavit: *Verè filius Dei erat iste*, Matth. 27. Quin & latro unus in ipsa cruce, Christi sancta patientia commotus compunctusque increpavit socium blasphemantem, & ad Christum conversus coram Judæis & Scribis: *Memento mei*, inquit, *Domine cùm veneris in regnum tuum*. Idem fecere Judæi, ceterique de quibus ait Lucas cap. 23. 48. *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud* (quo in Christi morte sol obscuratus est, terra tota contremuit, petræ scissæ sunt, &c. quasi sanctam creatoris sui necem lugentes & indignantes) *& videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur*. Hinc & Christus Deo Patri tanta obedientia & patientia, quasi sui reverentiam injecit, ut ab eo obtineret quidquid postularet. Nam *cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*, Hebr. 5. 7.

Similimodo Martyres in martyriis suis, tantam præ se tulere in vultu & verbis æquitatem, constantiam, pietatem, sanctitatem, hilaritatem, ut suos tortores ad sui reverentiam compulerint, eosque Christianos, imò Martyres effecerint, uti S. Laurentius tormentorum suorum lætitia & alacritate convertit S. Romanum, & Hippolytum cum tota familia; ita ut ad unum omnes martyrium generosè obierint. Sic S. Cæcilia sua patiendi hilaritate convertit Maximum, aliosque quadringentos. Sic S. Polycarpus sua veneranda canitie, comitate, promptitudine & sanctitate, militibus ad eum comprehendendum missis tantum pudorem & timorem injecit, ut vix auderent eum contingere, teste Euseb. libr. 4. Hist. cap. 15.

Sic S. Thecla leonibus objecta, virgineo pudore & reverentia eisdem reverenda, illæsa permansit, de qua S. Ambros. lib. 3. epist. 25. ad Eccles. Vercell. *Quo munere*, ait, *venerabilis Thecla etiam leonibus fuit, ut ad pedes prædæ suæ strata impasta bestia, sacro deferrent jejunio, nec procace oculo virginem, nec ungue violarent aspero: quoniam & ipso aspectu virginitatis violatur sanctitas.* Idem pleniùs & elegantius lib. 2. de Virgin post initium, *Thecla*, inquit, *naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit. Namque parata ad feras, cùm aspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni, fecit, ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent.* Gestus deinde leonum reverentes graphicè depingens, subdit: *Cernere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi, muto testificantem sono, quod sacrum virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia, & propriæ oblita naturæ, naturam induerat quam homines amiserant. Videres quadam naturæ transfusione homines feritatem indutos, sævitiam imperare bestiæ; bestiam exosculantem pedes virginis, docere quid homines facere deberent.* Unde per epiphonema exagerando concludit: *Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. Non impastos cibus flexit, non citatos impetus rapuit, non stimulatos ira exasperavit, non usus decepit assuetos, non feros natura possedit. Docuerunt religionem, dum adorant Martyrem: docuerunt etiam castitatem, dum virginis nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis, tamquam verecundantibus, ne mas aliquis vel bestia virginem nudam videret.*

Disce hic, quàm modestia, mansuetudo, pietas & patientia sit reverenda, quamque sui asseclas faciat venerabiles & reverendos, qui ergo sibi auctoritatem & reverentiam quærit, quærat eam non gravitatis ostentatione, non pompa rhedarum & asseclarum, sed mansuetudine, beneficentia & virtute.

ET PROBEMUS PATIENTIAM ILLIUS] Sic quoque legit sanctus Cyprianus. Lactant. & S. Augustinus. Aliqui codices pro δοκιμάσωμεν, id est *probemus*, legunt ἀκρίνωμεν, id est *judicemus*.

Rectè impii ad explorandam justi, præsertim Christi, justitiam, probant ejus patientiam: patientia enim est Lydius lapis, quo probatur vera justitia & sanctitas. Nam *tange montes*, id est superbos, impatientes, *& fumigabunt*; exhalabunt enim fumum iræ, jurgiorum, maledicentiæ & vindictæ. Hoc est, quod ait Paulus Roman. 5. v. 3. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem.* Et S. Jacobus c. 1. v. 4. *Patientia autem opus perfectum habet*, ut ostendat virtutem patientis ad culmen sanctitatis & perfectionis evasisse. Porrò in Christo

præ

præ ceteris Sanctis & Martyribus, tanta tamque divina in tot blasphemiis, iniuriis, tormentis atrocissimis & immensis, utpote quæ in ipsum Deum jaciebantur, emicuit patientia, constantia, charitas, qua pro ipsis etiam Judæis se occidentibus Deum oravit, eisque veniam & salutem impetravit, ut hæc sola sufficeret ad probandum ipsum esse Messiam & Prophetam, imò Deum, & Dei filium; præsertim quia ad hoc ostendendum ipsa à Christo adhibebatur & exhibebatur: virtus enim veritatis est soror, ideoque ab omni fuco aliena: quare testis esse nequit falsitatis, sed solius veritatis index sit oportet.

VERS. 20. MORTE TURPISSIMA] græcè ἀσχήμονι, id est indecora, fœda, deformi, ut non sit ei species, neque decor, Isaiæ 53. contumeliosa, infami, ideoque turpi per excellentiam, id est *turpissima*, putà crucis) CONDEMNEMUS EUM] Syrus, *morti publica & infami deputemus eum*. Crucis enim supplicium, præsertim clavis illi affixorum, erat atrox & longa mors: unde à cruce dictus est cruciatus: idemque erat ignominiosissimum, tum Judæis, tum Gentibus Judæis ex lege Deuter. 21. 23. *Maledictus*, inquit, *à Deo est, qui pendet in ligno*. Quocirca crucifixus ibidem jubetur eadem die ante vesperam sepeliri, ne contaminet terram. Unde Apostolus Galat. 3. 13. *Christus*, ait, *nos redemit de maledictio legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Similiter apud Romanos & Gentes crux erat infame & horrendum supplicium latronum & scelestorum. Unde Lipsium & Gretserum de Cruce.

Cur Christus cruci fixus? Causa ergo cur Christus crucifixus sit, ex parte Judæorum eum crucifigentium, fuit immana eorum odium in Christo, quo eum ad crucem, velut ad summè infamem & atrocem mortem adegerunt. Ex parte verò Adæ & hominum fuit, quòd Adam peccavit in ligno, comedendo scilicet pomum arboris vetitæ: quare in ligno crucis, hoc ejus inobedientiæ scelus à Christo expiari decuit & debuit, ut diabolus, *qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur* à Christo. Ex parte verò Dei offensi causa fuit amor justitiæ, ut per crucem ostenderetur gravitas offensę Adę & hominum in Deum, quòd scilicet per eam maledictionis æternæ reos se fecerint, adeoque facti sint maledictum: Christus ergo hoc Adæ & nostrum maledictum in se luendum & piandum suscepit, ideoque cruci suffixus est: quia pendens in cruce apud Judæos ex lege jam citata, censebatur maledictus & maledictum. Atrocitas ergo culpæ, quasi ex æqua justitia poscebat atrocitatem pœnæ, ut illi condignè satisficeret. Talis autem est pœna crucis. Ex parte Christi causa fuit immensitas amoris, ut per crucem Christus ostenderet quantum nos amavit, utpote pro quibus tam dira & dura passus sit, utque exemplum daret nobis mortificationis, ad assiduè crucifigendos concupiscentiæ motus; ac martyrii, ad quamlibet mortem, quantumvis horridam & probrosam, pro ipso & virtute libenter subeundam, uti subiere Martyres, ut Christo crucifixo quoad possent par pari, scilicet dolorem dolori, & amorem amori, rederent. Unde sanctus Augustinus in psalm. 140. *Crucem*, ait, *qua nihil videbatur execrabilius, ipse Dominus suscepit, ut discipuli ejus mortem quidem, non modo non timerent, sed nec mortis genus horrescerent*. Idem hom. 32. de Sanctis: *Tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivatur, crux est atque martyrium*. Plura vide apud Gretserum lib. 1. de Cruce cap. 41. 42. & seq. & libr. 4. cap. 1. & seqq. ac D. Thomam, Suarez & Scholast. 3. p. quæst. 48. artic. 4. & Cassianum libr. 4. de Inst. renunc. cap. 34. & 35.

ERIT ENIM EI RESPECTUS EX SERMONIBUS ILLIUS] Pro *respectus* græcè est, ἐπισκοπή, id est observatio, visitatio, consideratio, inspectio. Triplex hic potest esse sensus. Primus Clarii, qui vertit, *ex ejus enim verbis & factis inspiciamus quid sit*: & Syri, *sit autem adversus eum interrogatio ex verbis illius*. q. d. Dum affligetur à nobis, considerabimus, & conspiciemus ex verbis ejus qualis sit, ait Jansen. Aut q. d. Si in cruce potuerimus eum extinguere, cognoscemus mentitum, quando se Dei filium, qui immortalis est, nuncupavit. Ita S. Bonav. Dion. Lyran. & alii. Aut, ut Osorius & Lorinus, q. d. Crucifigamus eum, ut ex verbis illius, quæ dolor vehemens expresserit, de hominis mente statua-

A mus. Volebant enim Judæi atrocitate crucis & tormentorum, elicere veritatem ex ore Christi, quasi territus aut cruciatus aliquid locuturus fuerit, quod adhuc noluisset; vel apertè dicturus, quod simulasset, aut dissimulasset. Hic sensus satis Græco ἐπισκοπή respondet, non æquè Latino *respectus*.

Secundus est Vatabli, qui vertit, *tractabitur autem secundum dicta sua*. q. d. Quia blasphemavit dicendo Deum suum esse patrem, seque ejus esse filium, condignas hujus blasphemiæ pœnas luet in cruce. Et Hugo: *Erit*, inquit, *noster respectus, id est defensio & excusatio, ut, si rogemur cur eum occiderimus, respondeamus, quia filium Dei se fecit*.

Tertius & magis genuinus est, ut sit ironia, q. d. Deus respiciet eum & liberabit à cruce, vel suscitabit à morte: hoc enim ipse crebris sermonibus jactavit. Unde Guarinus vertit, *ejus enim ratio juxta ipsius sermones habebitur*. Hinc & Scribæ obsignaverunt sepulchrum Christi, eique custodes apposuerunt, ne quis corpus furaretur, fingeretque eum resurrexisse: quæ omnia ipsosmet Judæos condemnaverunt, & Christum verum esse Messiam ac
B Dei filium demonstraverunt, dum ipse per clausum sepulchrum præsentibus custodibus resurrexit, Matthæo 27.

Aliter noster à Castro, q. d. Visitabitur & explorabitur à nobis per crucem & tormenta, ut videamus an patientia & constantia ipsius respondeat sermoni. Ipse enim prædicat amorem crucis, patientiæ, constantiæ; experiamur, an ipse in cruce eamdem opere præstet: multi enim prædicant jejunium bene pasti, continentiam adulteri, humilitatem superbi, mansuetudinem iracundi, crucem lauti & delicati: hoc est ore prædicare, sed opere contradicere.

HÆC COGITAVERUNT, ET ERRAVERUNT: EXCÆCAVIT ENIM ILLOS MALITIA EORUM] VERS. 21.
S. Gaudentius serm. 19. legit, *nequitia cordis eorum*; Lactant. lib. 4. cap. 16. *stultitia ipsorum*. Huc usque verba impiorum, quæ nunc Sapiens acri reprehensione castigat: *Erraverunt*, inquit, & à malitia sua excæcati sunt: malus enim affectus in voluntate trahit ad se rationem & judicium intellectus, illudque vitiat & corrumpit: facit enim
C ut ratio ob speciem boni delectabilis apparentem, judicet id esse eligendum velut melius, quod detestandum est velut pejus.

Porrò, error hic & cæcitas impiorum multiplex est. Primus, quòd voluptatem rationi, vitium veritati, bona caduca æternis præferant; Secundus, quòd per hæc mortem & gehennam sibi accersant; Tertius, quòd credant hominem instar bestiæ in morte planè interire, nec superesse aliam vitam, eò quòd anima hominum sit mortalis, & pereat cum corpore; Quartus, quòd justum, putà Christum, quem ex vitæ sanctitate, prophetiis & miraculis esse filium Dei agnoscere poterant & debebant, velut castigatorum suorum scelerum odarint & crucifixerint. Hi verò in gehenna agnoscunt suum errorem. Unde dicunt cap. 5. 6. *Ergo erravimus à via veritatis*.

Hinc patet Primò, cæcitatem hanc esse gravem non tantùm pœnam, sed & culpam, utpote ex voluntaria malitia promanantem, uti docet D. Thom. 2. 2. q. 15. art. 1.

Secundò, peccatorem propriè & directè seipsum excæ-
D care & obdurare; Deum verò impropriè & indirectè. Deus enim, quantum est ex se, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed peccatores hoc lumen recipere nolunt, illique oculos claudunt, eosque aperiunt suis voluptatibus & cupiditatibus, quare seipsos vero lumine privant & excæcant: sicut sol radios spargit ubique, sed qui illi fenestram occludit, causa est tenebrarum in domo, non autem ipse sol. Ita D. Thom. 1. 2. quæst. 79. art. 3. Hoc est quod Judæis improperat Christus Joan. 3. 19. *Lux*, inquit, *venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera*. Vide dicta Exodi 7. 3. ubi fusè egit de causa excæcationis & obdurationis.

ET NESCIERUNT SACRAMENTA DEI, NEQUE MERCEDEM SPERAVERUNT JUSTITIÆ, NEC JUDICAVERUNT HONOREM ANIMARUM SANCTARUM] VERS. 22. Ecce hic est impiorum error & cæcitas, isque duplex. Primus, quòd *nescierunt sacramenta Dei*: secundus, qui ex primo consequitur, est, quòd *non speraverunt mercedem justitiæ*, nec *honorem animarum sancta-*

rum. Primum hoc loco prosequitur, secundum cap. sequenti.

Igitur *sacramenta*, vel, ut græcè est, mysteria, *Dei* hoc loco sunt, quæ subiicit, scilicet quòd Deus creavit hominem immortalem & ad similitudinem suam, sed homo invidia diaboli deceptus per peccatum illi adhæserit, seque fecerit mortalem & miserum; quodque justos, quos Deus sinit occidi vexarique ab impiis, præmiet æterna gloria, ut dicet cap. seq. In cruce ergo latet gloria, & in morte immortalitas. Unde Apostolus: *Mihi*, ait, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*; quia in ea *est salus, vita & resurrectio nostra*, ut canit Ecclesia: sed hæc crucis sacramenta ignorant impii, ideoque crucem & Christum crucifixum aspernantur.

Secundò, alii per *sacramenta* accipiunt res quaslibet sanctiores; alii prophetias & oracula Dei; alii sacrificia. q. d. Impii nesciunt justos à se occisos esse Dei sacramenta, id est sacrificia & holocausta. Alii aptiùs accipiunt consilia, judicia & opera Dei, quibus mundum gubernat, ac præsertim, quibus hominem creavit, ac lapsum per Christi incarnationem & passionem redimere decrevit. Hoc enim operum Dei est summum & maximum. Ita Cantacuzenus, De Christi enim nativitate & passione sermo longus præcessit, ac rursum sequitur c. 18. 14. Magna enim mysteria in passione & cruce Christi sunt recondita, ut Christi resurrectio & exaltatio, Ecclesiæ institutio & sanctificatio; fidelium consolatio, virtus, gratia, gloria, felicitas & omne bonum, quæ ignorarunt impii Judæi.

Eucharistia mysterium mysteriorum.

Mysticè, per *sacramenta* accipias Sacramenta legis novæ, instituta à Christo, præsertim Eucharistiam, cujus typus fuit manna, uti patebit c. 16. 20. Eucharistia enim antonomasticè vocatur Venerabile Sacramentum, imò Sacramenta, quia, multa eaque mira Dei arcana continet. Unde à Patribus vocatur Sacramentum, mysterium, typus, antitypa, quia sub speciebus panis & vini, velat & continet reale corpus, animam, sanguinem, deitatem & personam Christi, adeoque ipsa est viva repræsentatio, imò exhibitio incarnationis & passionis Christi, de qua hucusque actum est: sicut enim cetera Sacramenta gratiam, quam significant, putà ablutionem à peccatis, reipsa exhibent & conferunt: sic & Eucharistia Christi corpus, quod significat, reipsa exhibet. Sed hæretici nesciunt & non intelligunt hæc Sacramenta Dei, qui volunt ea dumtaxat esse nuda symbola panis, quæ non contineant, sed tantùm repræsentent corpus Christi; sed sic longè meliùs imago pictoris repræsentat Christum, quàm aridus modicusque panis & vinum. Et quod quæso ibi esset mysterium profundum, divinum & inexplicabile, quòd adeo celebrant Patres? repræsentare enim unum per aliud Deo, imò homini, est facillimum. Quare verè Ecclesia & Patres censent, hoc Sacramentum esse symbolum rei, putà carnis Christi olim crucifixæ, sed præsentis, non absentis & existentis in cælo. Hoc enim est mirabile, ineffabile, Deoque dignum opus & Sacramentum. Audi Tertull. lib. 4. contra Marcionem, sub finem: *Acceptum panem corpus suum illum fecit: Hoc est corpus meum, dicendo, id est figura corporis mei: figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus*. quem locum explicui Jerem. 11. 19. Et Theod. Dial. 3. qui inscribitor Ἄτρεπτος, id est *Impassibilis*: *Quod si caro in deitatis naturam*, inquit, *mutata est, quod heretici* (Eutychiani) *dixere, quamobrem participant antitypa corporis? supervacaneus est enim typus veritate negata*. Pari modo supervacaneus est typus, imò falsus, veritate realis præsentiæ corporis Christi negata. Et Hilarius Papa de consecr. dist. 2. *Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum videtur; veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate interius creditur*. S. Chrysost. hom. 83. in Matth. hoc Sacramentum explicans: *Nec secum*, inquit, *in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque id fide solum, sed reipsa nos corpus suum efficit*. Et S. Cyrillus in illud: *Ego sum vitis. Salvator ait: Qui manducat carnem meam, in me manet, & ego in eo. Unde considerandum est non habitudine solum, quod per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verùm etiam participatione ejus naturali*. S. Ambr. lib. de Mysteriis, & citatur de consecr. dist. 2. *In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi; non ergo corporalis esca, sed spiritualis. Unde & Apostolus de ejus typo ait: Quia patres nostri eamdem escam spiritalem manducaverunt. Corpus enim Dei, est corpus spirituale: corpus Christi, corpus divini spiritus est*. S. Epiphan. contra Melchisedecianos: *Melchisedec*, ait, *proposuit panes & vinum mysteriorum ænigmata, præfigurans & exemplaria*. Nam, ut ait S. Hier. ad Marcellam, *Dum panem & vinum obtulit, mysterium Christianum in Salvatoris corpore & sanguine dedicavit*. Idem in c. 26. Matth. *Post typicum Pascha ad verum Pascha transgreditur Sacramentum, ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedec summi Dei sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret*. Et S. Machar. h. 27. ait, *quòd in Ecclesia operatur panis & vinum, antitypus* (id est repræsentans præsentem, non absentem) *carnis & sanguinis Domini: & quòd qui participant eum, qui apparet, panem spiritualiter carnem Domini edunt*. Eucharistia ergo est mysterium mysteriorum, quia Christum, quem sensibiliter specie panis, ceu cibum animæ repræsentat; spiritaliter, id est insensibiliter, quasi angelum sub specie panis latentem, exhibet verè, realiter & substantialiter.

NEQUE MERCEDEM SPERAVERUNT JUSTITIÆ] Græcè ὁσιότητος, id est *sanctitatis*. *Justitia* enim est complexio omnium virtutum, ipsaque sanctitas.

NEC JUDICAVERUNT HONOREM ANIMARUM SANCTARUM] Græcè ἀμώμων, id est *irreprehensibilium*; *sanctæ* enim *animæ* sunt, quæ in nullo reprehendi possunt. Pro *honorem* græcè est γέρας, id est decus, dignitas, præmium, honor, munus, donum, remuneratio. Sensus est q. d. Impii non secum reputarunt, æstimarunt, uti par erat; quanti honores, quæ coronæ, quæ dignitates, quanta præmia à Deo præparata sint animabus sanctis, quæ in hac vita ipsi servierunt in continentia, puritate, patientia, persecutione; ac proinde ipsarum sortem miseram & infelicem judicantes, tradiderunt se voluptatibus & libidinibus, adeoque ipsas persecuti sunt, bonisque & vita spoliarunt; sed serò experientur agnoscentque suum errorem, quando animæ sanctæ assidentes Christo in judicio, illorum judices erunt, illosque condemnabunt ad æternæ gehennæ supplicia, uti explicabit c. 3. 4. & 5. Aliter explicat Angelus de Paz exposit. in Symb. c. 23. scilicet, ut per *honorem animarum sanctarum* intelligantur Sancti omnes, quos impii in Christo à se judicato & damnato tacitè judicarunt & damnarunt.

QUONIAM DEUS CREAVIT HOMINEM INEXTERMINABILEM] Græcè ἐν ἀφθαρσίᾳ, id est, *in incorruptione*, id est *in incorruptionem*, immortalem, inexterminabilem, qui scilicet mori & è vita exterminari non posset, quamdiu in Dei obedientia, & gratia persisteret; Syrus *sine corruptione*, id est incorruptibilem: sic & Arabicus; Complut. vertunt, *in integritate*, id est integrum quoad corpus & animam; vel potiùs, *ad integritatem*, hoc est, ad immortalitatem, & ad statum nunquam interiturum. Verti quoque potest, *Deus creavit hominem incorruptionis*, vel *immortalitatis*, vel *ad immortalitatem*, si videlicet vellet Deo obedire. Unde S. Athanas. tract. de Incarnatione Verbi legit, *Deus hominem condidit ad immortalitatem, & imaginem æternitatis suæ: verùm invidia diaboli factum est, ut mors intraret*. Vers. 23.

Post longam de justi Christique persecutione digressionem redit ad id, quod dixit cap. 1. v. 13. *Quoniam Deus mortem non fecit*, &c. *& non est in illis medicamentum exterminii: impii autem manibus & verbis accersierunt illam*, scilicet mortem. Idipsum deinde longa digressione explicuit, ostendendo, quòd impii nimia cupiditate voluptatis illecti sævierunt in justos, præsertim Christum: hac enim ratione accersierunt sibi mortem præsentem & æternam. Eò ergo hic redit. Rursum significat animas non interire cum corpore, quasi illis post hanc vitam nulla restet pro meritis pœna, vel gloria, uti volunt impii & athei; eò quòd Deus crearit hominem immortalem, hoc sensu, ut mori non posset, si in sua rectitudine perstaret; quòd ergo nunc moriatur, id non ex Deo, sed ex invidia diaboli processit.

ET AD IMAGINEM SIMILITUDINIS SUÆ FECIT ILLUM] Legit ὁμοιότητος, id est *similitudinis*, pro quo Cantacuzenus & Clemens Alexan. 6. Strom. legunt ἰδιότητος, id est *proprietatis*. q. d. Homo est imago divinæ naturæ, quæ Deo est propria; vel homo est imago divinarum proprietatum, attributorum & donorum, quæ Deo sunt propriæ. Unde Guarin. vertit, *& imaginem propriæ similitudinis fecit illum*, Vatabl. *& eum ad imaginem propriam*

fabri-

fabricavit; alii legunt, ἰσότητος, id est *æqualitatis*; alii, ἀϊδιότητος, id est *æternitatis*. q. d. Homo factus ad exemplar Dei immortalis & æterni, pariter immortalis est & æternus. Unde Nicetas in orat. 52. Nazianz. legit, *Ex imaginem æternitatis suæ fecit illum*. Sic quoque legit S. Epiphan. & S. Athanas. lib. de Incarnatione Verbi. Distinguunt nonnulli *imaginem à similitudine*, quòd imago sit naturæ, similitudo gratiæ & sanctitatis; ut homo fit ad imaginem Dei, quia pollet naturali intellectu, voluntate, & libertate, sicut pollet Deus: idem fit ad similitudinem Dei, quia conditus est in sapientia, gratia & sanctitate, quæ sunt dotes propriæ Deo. Verùm meliùs S. August. in Deuter. quæst. 4. & alii censent similitudinem esse eamdem cum imagine, sed illi addere auxesin. q. d. Deus creavit hominem ad imaginem similitudinis suæ, id est ad imaginem sibi valdè similem. Hæc imago inchoatè sita est in natura, sed plenè perficitur in gratia. In natura, quia anima rationalis in usu rationis, voluntatis. liberi arbitrii; item in incorruptione & immortalitate, similis est naturæ divinæ. In gratia, quia Adam conditus in gratia & justitia originali, repræsentabat Dei justitiam & sanctitatem.

Igitur imago Dei in homine invenitur, Primò, in ratione & intellectu; deinde in arbitrii libertate, quæ ex ratione velut radice manat, propter quæ duo homo capax est omnis dominii. Ita passim Patres, qui proinde contra Origenem docent, hanc Dei imaginem in homine etiam post peccatum mansisse, & manere. Verùm, quia hæc imago primitùs à Deo exornata fuit, & simillima facta Deo per gratiam, sapientiam, justitiam & alias virtutes, quæ peccato deperditæ sunt; hinc subinde S. August. S. Basil. & Cyrill. dicunt imaginem hanc, aut potiùs similitudinem, Dei in homine per peccatum periisse: imaginem non quamvis, sed apprimè planeque similem intelligentes. Vide dicta Gen. 1. 26. & c. 5. 1.

Vers. 24. INVIDIA AUTEM DIABOLI (Luciferi, qui tentavit Evam & Adamum) MORS INTROIVIT IN ORBEM TERRARUM] Hic assignatur causa peccati, & mortis ex eo consequentis, scilicet invidia diaboli: quia enim cælo & beata immortalitate diabolus ob superbiam depulsus, vidit sibi suisque in cælo thronis à Deo surrogari hominem; illi, æquè ac Deo hanc gloriam invidit, adeoque illum ad comestionem pomi vetiti tentando induxit, & in mortem, tum corporis, tum animæ præcipitavit. Ita S. Ambros. lib. de Paradiso c. 12. & alii. Igitur invidia diaboli fuit, quòd ipse lapsus in peccatum & mortem gehennæ, ideoque homini ad lapsum locumque suum reparandum creato, invidens gratiam, vitam & gloriam, cum ad peccatum, indeque ad mortem sollicitavit & impulit. Invidia ergo diaboli facta est malitia hominum. Unde S. Ambros. lib. de Fide resurrect. legit, *malitia hominum mors introivit in orbem terrarum*. Additque: *Et si benè discutias, non natura mors ista est, sed malitia. Manet enim natura malitia moritur. Resurgit quod fuit; atque utinam, ut jam peccandi liberum, ita vacuum culpæ prioris, &c. Resurget enim natura eadem jam stipendiis mortis honoratior*. Mors enim, & miseriæ hujus vitæ patienter à Sanctis toleratæ, merentur beatam immortalitatem, & vitam gloriæ sempiternæ.

An primum diaboli peccatum invidia?

Hinc Patres invidiam vocant peccatum diabolicum, ut S. August. epist. 28. S. Greg. 31. Moral. c. 34. Cassianus collat. 18. c. 17. & alii. Porrò Patres nonnulli censent primum Luciferi peccatum fuisse invidiam, quia invidit homini imaginem Dei. Ita S. Cyprianus tract. de Zelo & livore, S. Basilius h. 11. de invidia, Tertul. lib. de Patientia c. 5. Irenæus lib. 4. c. 78. Verùm meliùs alii censent primum Luciferi peccatum fuisse superbiam, qua sibi nimis complacens, voluit plus esse quàm erat, ac quasi quidam Deus ceteris creaturis eminere & dominari: ex qua secuta est invidia. Nisi dicas superbiam Luciferi in eo constitisse, quòd humanitati Christi unionem hypostaticam cùm Verbo inviderit, eamque sibi appetierit. Aliam enim nullam propriè dictam æqualitatem Dei appetere potuit. Ita S. Bernard. serm. 17. in Cantic. Rupertus lib. 8. in Joannem ad illa: *Ille homicida erat ab initio*, Alex. Alensis 3. p. q. 2. m. 13. idemque censent hoc tempore nonnulli Doct. Scholastici, ut Catharinus, Viguerius, Naclantus, Ruardus, Dionys. Molina, Martineogus, & alii, quos citat Gabr. Vasquez 1. p. q. 63. disp. 233. c. 1. Franc. Suarez lib. 7. de Angelis c. 13. ubi hanc sententiam valdè probabilem asserit, multisque confirmat.

Denique Cæsarius Arelat. hom. 23. asserit *tot dæmonibus esse occupatum hominem, quot vitiis. Qui superbus est*, inquit, *diabolo plenus est; quòd autem, qui invidus est, sine dæmone esse non potest, dicit Scriptura: Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius*. S. Chrysost. verò hom. 22. & 47. in Gen. *Invidiam* dicit *diaboli inventum pestem perniciosissimam, vitiorum teterrimam; malam bestiam, super omnia vastantem salutem nostram*.

Unde sapienter concludit S. Basil. hom. de invidia: *Fugiamus ergo fratres intolerabile malum: serpentis est præceptum, diaboli inventum, inimici satio, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cælorum privatio. Nam & ipso fatentur ore hoc vitium invidi: aspectus illis est aridus & obscurus, gena subtristis*, &c. *anima ipso morbo suffusa, providentiam in dignoscenda veritate, ac rebus gerendis minimè habens*. Et S. Chrysost. hom. 45. ad Pop. *Hujus quæso vitii pestem fugiamus: omnium enim vitiorum hoc est perniciosissimum, & ipsam salutem nostram super omnia vastat: improbi namque diaboli est in-* B *ventum, & propterea Sapiens dicebat: Invidia diaboli introivit mors in orbem terrarum*. Et Nyssen. suprà: *Invidia malorum princeps mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix*, &c. Et Cyprian lib. de Zelo: *Quale malum est fratres, quo angelus cecidit, quo circumveniri & subverti alta illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est is, qui decipit?*

Epitheta et damna invidiæ.

Denique S. August. serm. 83. de Tempore: *Et ideo*, inquit, *observemus fratres vitii hujus incursum, ne forte participes operis diaboli inveniamur, & pari cum illo sententia condemnemur, sicut scriptum est: Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem eum qui sunt ex parte ejus. Quod malum lædit parum aliquid etiam eos, in quos intenditur; graviùs tamen & perniciosiùs eos prius à quibus procedit, affligit. Sicut enim ærugo ferrum: ita invidia illam ipsam animam in qua est, interimit & consumit. Et sicut ajunt viperas dilacerato & dirupto illo ipso materno utero, in quo conceptæ sunt, nasci: ita & invidia natura illam ipsam animam, à qua concepta est, & consumit & perdit. Qualis hæc animæ tinea est? quæ cogitationum tabes pectoris? quanea rubigo zelare in homine donum Dei, & in* C *malo opprobrio bona aliena convertere, aliorum gloriam facere pœnam suam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent?*

IMITANTUR AUTEM ILLUM QUI SUNT EX PARTE ILLIUS] q. d. Impii imitantur diabolum, quasi suum parentem, ut mortem, quam ipse sua invidia in orbem invexit, in se aliosque peccando & invidendo propagent, dum ejus pravis suggestionibus consentiunt, uti consensit Adam. Moriuntur ergo, quia diaboli, qui auctor est mortis, instinctus sequuntur: Justi verò, quia Deum Deique inspirationes sectantur, ab eo donantur vita & felicitate æterna. Unde sequitur: *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis*. Vers. 25.

Pro *imitantur* græcè est πειράζουσι, id est *tentant*: qui enim imitatur, tentat & experitur eam rem, quam vult imitari, ait Jansen. Hinc Secundò, valdè appositè sic cum S. Basilio hom. de invidia, S. August. l. 4. de Bapt. contra Donat. c. 8. & Christ. à Castro exponas: Tentant il- D lum, vel imitantur, aut conantur imitari illum, qui sunt a parte ejus: hoc est, diabolus invidia motus mortem invexit in mundum, & protoparentes nostros interemit, & omnes quotquot ejus sequuntur factionem, conantur illum imitari occidendo filios Dei, sicut ille occidit Adam Deo filium charissimum: sed frustra id tentabunt aut conabuntur, quia *justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum*. Placuit hic sensus Patribus: Tertull. lib. de Bono pacis c. 5. *Quòd enim*, inquit, *ipsum Adam & Evam morti immerserat, docuit & filium ab homicidio incipere*: Cypr. in epist. de zelo & livore, dum ait: *Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum, qui zelat, imitatur, sicut scriptum est: Invidia autē diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur ergo illum qui sunt ex parte ejus. Hinc denique nova fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel justum Cain zelat injustus; & quòd Esau fratri suo Jacob inimicus extitit, zelus*

fuit, & quòd Joseph fratres sui vendiderunt, causa venden- A *di de æmulatione descendit. Saul quoque rex ut David odisset, quid aliud, quàm zeli stimulus provocavit? Et ne longum faciam singulos recensendo, Judæi nonne inde perierunt, dum Christo malunt invidere, quam credere?*

Hoc est quod Judæis ait Christus Joan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere: ille homicida erat ab initio.* q.d. Sicut diabolus occidit Adam: sic vos ejus filii me vultis occidere.

Alii Græcum πειράζουσι vertunt propriè, *experiuntur*, quasi dicat, Impii experiuntur mortem (θάνατος, id est mors) enim græcè est masculini generis) qui sunt ex parte & sorte ejus, scilicet diaboli, qui nimirum diaboli, à quo mors est introducta, superbiam, invidiam & scelera imitantur. Et sic ferè eodem redit sensus. ita Osorius, Jansen. Vatabl. Unde aptè finis capitis connectitur initio sequentis. Sequitur enim per antithesim: *Justorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tangat illos tormentum mortis.*

Huc accedit Catacuzenus: *Nemo namque magis*, inquit, *mortis malitiam participat, quam qui se prorsus dignum reddidit, qui esset suillius partibus.* Hic auctor, uti & alii, *in ex parte illius* referunt ad mortem: eò enim ex Græco referri potest: meliùs tamen refertur ad diabolum. Utrumque verum. Impii enim, tam sunt partis sortisque diaboli, quàm mortis. In regno enim mortis rex est, & principiatur diabolus. Hinc S. Bonavent. explicat q.d. *Imitantur diabolum qui sunt ex parte mortis*, id est, morti destinati, putà qui sunt mortis pars & pabulum.

C A P U T T E R T I U M.

S Y N O P S I S C A P I T I S.

Justorum, quos impii persequuntur, præsertim Martyrum, describitur felicitas & gloria impiorum verò infelicitas, ac nominatim in generanda prole sterilitas, vel nequitia, quòd scilicet uxores habeant insensatas & dulteras, ideoque filios adulterinos & nequissimos; cùm contrà pii casti, castas probasque habeant conjuges ac proles.

1. Justorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. 2. Visi sunt oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio exitus illorum; 3. & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. 4. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. 5. In paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. 6. Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. 7. Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ inarundineto discurrent. 8. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. 9. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam donum & pax est electis ejus. 10. Impii autem secundùm quæ cogitaverunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt justum, & à Domino recesserunt. 11. Sapientiam enim, & disciplinam qui abiicit, infelix est: & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. 12. Mulieres eorum insensatæ sunt, & nequissimi filii eorum. 13. Maledicta creatura eorum, quoniam felix est sterilis: & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum: 14. & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. 15. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ. 16. Filii autem adulterorum inconsummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. 17. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit novissima senectus illorum. 18. Et si celeriùs defuncti fuerint, non habebunt spem nec in die agnitionis allocutionem. 19. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

VERS. 1. JUSTORUM ANIMÆ (Arabicus, *animæ beatæ*) IN B MANU DEI SUNT, ET (id est, *idcirco*) NON TANGET ILLOS (Syrus, *non appropinquat eis*, vel *non accedit ad eas*) TORMENTUM MORTIS] Nexus hujus capitis cum præcedenti est facilis & obvius. Ibi enim descripsit acerba odia, quibus impii persequuntur justos usque ad necem & mortem, etiam turpissimam. Ne quis ergo impios, velut rerum dominos, felices; justos verò, utpote ab eis oppressos, infelices existimet; idcirco hic contrarium ostendit, ex eo quòd justorum animæ post mortem transeant ad vitam beatam, ubi degunt in domo, imò in manu Dei; cùm ex adverso impiorum animæ post mortem primam corporis transeant ad secundam gehennæ, eamque æternam, ubi sunt in domo, imò in manu diaboli. Per *justos* hic quoslibet, sed maximè pro justitia patientes, putà Martyres, intellige. Unde Ecclesia hæc legens in officio Ecclesiastico applicat Martyribus. Sensus ergo est q. d. C Mors à Martyribus subita pro Christo, non eos affligit, sed delectat. Non dolent in exitu, nec horrent in transitu, nec pudefiunt in conspectu & judicio Domini, quod est mortis triplex tormentum impiorum. Ex hoc loco probat S. Epiph. lib. 2. contra hæreses c. 36. animam hominis esse immortalem, æquè ac resurrectionem corporum. Anima enim in morte non interit, sed superest, vivit degitque in manu Dei, ut illam in fine mundi corpori rursus uniat, resuscitet, & beet. Rursum Theophyl. in c. 8. S. Matth. Anima, inquit, è corpore egressa, in mundo non errat, neque vagatur, uti Gentiles putavere: *Justorum enim animæ in manu Dei sunt:* peccatorum verò animæ & ipsæ hinc abducuntur in gehennam, ut anima divitis Epulonis. Sumpsit hoc more suo Theophyl. ex S. Chrysost. hom. 29. in Matth.

IN MANU DEI SUNT] S. August. in psal. 118. ait plures legere, *in manibus tuis*, scilicet, ò Deus. *In manu*, id est in peculiari cura, providentia, tutela, protectione conservatione, corroboratione, directione, remuneratione, beatificatione & glorificatione *Dei sunt*. q. d. Deus justorum Martyrumque animas in hac vita, & in ipsis tormentis protegit, conservat, corroborat, ut illa superent, fidemque Deo datam servent; ac multò magis post mortem easdem æterna gloria donat, & coronat. Hoc posterius magis huic loco est proprium & genuinum.

Moraliter, portatur justus manu Dei. Primò, sicut puer manu matris vel nutricis, juxta illud Osee 11. 3. *Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & nescierunt quod curarem eos.* *Justus portatur manu Dei Primò.*

Secundò, sicut charta est in manu scriptoris, ut in ea scribat & pingat quidquid velit, juxta illud Isaiæ 49. 16. *Ecce in manibus meis descripsi te.* Sic Christus crucifixus in manibus suis inscripsit dilectos suos, non calamis, sed clavis; non atramento, sed sanguine, ut amorem suum eximium in eos testaretur, utque eos in gratia confirmaret & solidaret, juxta illud Joan. 10. 28 *Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas* (oves meas) *quisquam de manu mea.* Unde sicut Spiritus sanctus dicitur digitus Dei Patris Lucæ 11. 20. sic conse- *Secundò*

quen-

quenter Filius dicendus est manus Dei Patris, quia mediat inter Patrem & Spiritum sanctum, sicut manus media est inter brachium & digitum.

Tertiò. Tertiò, sicut annulus est in manu regis: æquè enim pretiosa est anima justi in manu & oculis Dei. Vide Jerem. c. 22. 24. Eccli. 49. v. 13. Aggæi 2. 24. & quæ illis locis annotavi. Unde Isaias c. 62. 3. *Eris, ait, corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.*

Quartò. Quartò, sicut æger vel debilis est in manu confortantis, juxta illud Ezech. 3. 14. *Manus enim Domini erat mecum, confortans me.*

Quintò. Quintò, sicut lilia, rosæ & flores sunt in manu odorantis: sic enim animæ sanctæ fragrantem odorem exhalant in nares Dei, Deoque placent in odorem suavitatis: *Christi* enim *bonus odor sumus Deo*, 2. Corinth. 2. 15.

Sextò; Sextò, justorum animæ in manu Dei sunt, sicut materia, vel instrumentum est in manu artificis, ut eas tunsionibus, pressuris, patientia, omnique virtute & gratia expolint: & sicut gladius est in manu militis ad occidendum hostem. Unde S. Chrysost. hom. in hæc Sapientis verba: *Justorum animæ*, &c. quæ extat in fine tom. 1. *In tua pugna*, B inquit, *Dominus congreditur, Dominus dimicat, Dominus præliatur, & victoria tibi ascribitur. Certamen tuum, Dei certamen est: prælium tuum, Christi est prælium. Quid trepidas, quid formidas, quasi sua virtute devincas? prehende arma, procede in bellum, fortiter dimica, ut dimicanti adsit ille, qui vinci non novit.* Et post nonnulla: *Alios enim post unum certamen ad alias victorias Dominus servat, alios consummato martyrio jam coronat, alios victores retinet in exemplum, alios jam perfectos transmittit ad cælum; alios frequenter desiderat videre certantes, alios passione jam meritos imponit regnis cælestibus triumphantes; ut imperatoris Christi ab omnibus dignatio collaudetur qui in suis & semel & frequenter hostem devincit, & quem quomodo pugnare viderit, munerabit: tantùm contra hostem excitetur animus, exeratur virtus, & devotio præparetur, ut procedens miles ad bellum, vel primo prælio coronetur, vel frequentibus trophæis palmarum numero honoretur.*

Septimò. Septimò, justorum animæ sunt in manu Dei quæ scilicet eis coronas imponit, ac lucem, vitam & gloriam aspirat. Unde Theodorus Patriarcha Alexand. in Conc. Ni- C ceno II. act. 3. *Sancti* (ait) *sunt promptuaria Dei, & pura Christi habitacula, Spiritusque sancti immaculata specula: quin etiam animæ eorum in manu Dei sunt, ut scriptum est Sapientiæ 3. Deus enim est vita existens; cùm ergo Sancti in manu Dei sint, in vita & lumine necessarium est ut existant.* Et Damascen. lib. 4. de Fide cap. 16. *Quod justorum animæ in manu Dei sint, & non tangat illos mors, dicit divina Scriptura Sapient. 3. Nam mors Sanctorum dormitio magis est, quam mors: laboraverunt etiam in præsenti sæculo, & vivunt in æternum. Psal. 115. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius; at quid pretiosius, quam in manu Dei esse? vita enim est Deus & lux; & qui in manu Dei sunt, in vita & luce existunt.*

Animæ ergo justæ, ait Damascen. in manu Dei sunt, *dulci somno, mente vigilante dormientes*, sicut puer securè dormit in sinu matris, juxta illud Isaiæ 51. 16. *In umbra manus meæ protexi te.* Et Deuter. 33. 3. *Dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt.* Præclarè S. Ambros. in psal. 118. octon. 3. expendens illud Thren. 4. *In umbra tua vivemus: Christus*, inquit, *vita est, & qui in umbra Christi* D *vivit, in umbra vitæ est. Nobis expandit manus suas Jesus, ut totum mundum obumbraret: quomodo non sumus in umbra, qui crucis eius protegimur velamento? quomodo non sumus in umbra, quos crucifixus a malignitate sæculi & corporis ardore defendit?* Sancti ergo in periculis, in tormentis, in morte & martyriis non pavent, sed hilarescunt, ac velut leones impavidi dicunt cum Psalte psal. 26. 1. *Dominus illuminatio mea, & salus mea* (ex Hebræo, vertas, *Dominus lux mea*, puta sol meus, *& Jesus meus*) *quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?*

ET NON TANGET ILLOS TORMENTUM MORTIS] Pro *mortis* aliqui legunt *malitiæ*: neutra vox est in Græco, qui sic habet: *Et non attinget eos cruciatus.* Sic & Syrus & Arabicus. Noster ergo voci *tormentum* adiecit τὸ *mortis*, quia tormenta ducunt ad mortem, & Martyres occidunt: alludit enim ad illam impiorum vocem c. 2. 19. *Contumelia & tormento interrogemus eum*, hoc est, ut mox explicant, *morte turpissima condemnemus eum.* Summum enim tormentum est mors ignominiosa. Sensus est q. d. A Quia justorum animæ in potenti Dei manu & tutela sunt; hinc etiamsi ab impiis affligantur & torqueantur; tamen tormenta hæc vel non sentiunt, uti multi Martyres non sensere suos cruciatus & dolores; vel certè ea forti excelsoque animo superant & transcendunt, ut in iis gaudeant & exultent, nec dolores, sed favores Dei æstiment. In ipsa verò morte non sentiunt ejus agoniam & tormentum, quia jam anima eorum à corpore per desiderium, quo ad cælum Deumque anhelant, quasi est separata; ut cupiant optentque dissolui, & esse cum Christo: multò minus tangit illos tormentum mortis secundæ in gehenna. Abest ergo à justo angor moriendi, periculosus cum diabolo conflictus, æterna damnatio, neque confunditur cùm loquitur inimicis in porta, ait S. Hieronym. epist. 34.

Rursum, *tormentum mortis* est, quo impii torquent justos adiguntque ad mortem, quasi ad plenum interitum summumque malum: censent enim animam interire cum corpore. q. d. Torquebimus justos, tum tormentis vitæ, tum tormento mortis; ut in morte doleant, quòd vitam exegerint in doloribus, pœnis & pœnitentiis, simulque, quòd in morte omnis eorum vita, spes & voluptas finienda sint, sine ulla alterius vitæ spe vel recompensa: quod sanè si verum esset, esset ingens tormentum, adeoque tormentum mortis. Nam si *in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, ait Apostolus 1. Cor. 15. 19.

Verùm, hoc tormentum non tangit justos, quia credunt, certoque sperant alteram vitam & gloriam æternam. Quare potiori jure dicunt id, quod Anaxarchus Nicocreonti Cypri tyranno dixit, cùm ejus jussu in pila tunderetur: *Tunde, tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum* (animam) *enim non tundis*, uti refert Cicero Tuscul. 2. Unde explicans subdit: *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.*

Tormentum ergo *mortis* quinque significat: Primò, tormenta acria & mortifera, vel æqualia agoniæ mortis, qualia tyranni intulere justis; sed hæc eos non tetigerunt in actu perfecto, hoc est non eos penetrarunt, non cruciarunt; sed potiùs hilares, fortes & gloriosos effecerunt. *Tormentum mortis Primò.* C Sic Christus resurgens ait Magdalenæ: *Noli me tangere*, id est, noli hic desidere me tangendo, sed vade, nuncia Apostolis mœstis me resurrexisse, Ioan. 20. 17. Secundò, ipsam agoniam mortis, quando anima separatur à corpore: hæc enim ingens est tormentum impiis, non verò justis ob spem & transitum ad meliorem vitam. Tertiò, ipsam animæ mortem & interitum, quam justo se inferre censent impii, sed errant. Quartò, tormento gehennæ, quæ est mors secunda & æterna. Quintò, tormentum malæ conscientiæ, quod dicitur mortis, quia acerrimum, & quia in morte ob instans judicium & gehennam maximè moribundum torquet, & torquebit in æternum. Audi S. Bernard. lib. 5. de Consider. *Hic est*, inquit, *vermis, qui non moritur, memoria præteritorum, semel iniectus, vel potiùs innatus per peccatum, hæsit firmiter, nequaquam deinceps avellendus; nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus, esca utique inconsumptibili perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ numquam peroccidit, sed semper occidit. Quis det* D *illis semel mori, ut non moriantur in æternum? Quid nisi mortem beneficio mortis, aut finire, aut evadere volunt? Denique invocabunt mortem, & non veniet*, Apoc. 9. v. 6. *Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò. Gnomæ.*

Præclarè idem Bernard. serm. 41. inter parvos: *Mors, ait, peccatorum pessima; mala in amissione mundi quia non possunt sine dolore separari ab eo, quem diligunt. Peior in dissolutione carnis, à qua evelluntur eorum animæ a spiritibus malignis. Pessima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuis simul addicuntur ignibus. E contrario bonorum mors optima, quoniam quidem fit ibi quies à labore, fit jucunditas de novitate, fit securitas de æternitate.* Idem alibi: *Est*, inquit, *in morte malorum dolor in exitu, horror in transitu, pudor in Dei conspectu. Sed certè*, inquit Holcot, *ista non erunt in morte justorum, imò pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Unde dicit quidam Sanctus: mors nihil aliud est quam exitus animæ de carcere, finis exilii, laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis finitio, oneris gravissimi depositio, de equo furioso descensio, de domo ruinosa liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum evasio, omnium malorum con-*

sum-

sumptio, omnium vinculorum diruptio, debiti naturæ solutio, reditus in patriam, ingressus in gloriam.

Vers. 2. VISI SUNT OCULIS INSIPIENTIUM MORI (interire, tàm anima, quàm corpore:) ET ÆSTIMATA EST AFFLICTIO EXITUS ILLORUM] Pro *afflictio* græcè est κάκωσις, id est *malitia*, id est miseria, ærumna, afflictio; Syrus & Arabicus, *æstimata sunt illis* (impiis) *damna*, vel *læsiones*; q. d. Sicut miser fuit piorum ingressus in vitam, sic & miser fuit exitus. Miserè nati sunt, miserè vixerunt, miseri mortui sunt. Tota ergo eorum vita non aliud fuit, quàm continua miseria, totum esse & existere eorum fuit miserum, ut non nisi ad miserias nati factique videantur. Ita ratiocinantur insipientes, sed insipienter. Audi S. Bernard. serm. 2. de Petro & Paulo: *Quantos, dum paterentur Apostoli, credimus affuisse, qui nequaquam pretiosis mortibus illorum inviderent? visi sunt enim oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus eorum. Et sic quidem visi sunt oculis insipientium.* Psal. 138. *Mihi autem (ait Propheta) nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Fratres, amici Dei mori videntur oculis insipientium, sed in* B *oculis sapientum judicantur potiùs obdormire. Denique & Lazarus dormiebat, quia amicus erat: & cùm dederit dile-* Psal. 126. *ctis suis somnum, ecce hereditas Domini. Studeamus fratres vivere vita justorum; sed morte eorum mors multò magis desideremus.*

ET AB ITINERE JUSTO ABIERUNT IN EXTERMINIUM] Ita legunt passim codices; quin & Lucifer Calar. Apolog. pro S. Athanas. sed hæc delent Roman. & Græc. ac Missalia antiqua, & codex manuscriptus Montis Amiati.

ET QUOD A NOBIS EST ITER, EXTERMI- Vesr. 3. NIUM: ILLI AUTEM SUNT IN PACE] Ita legens Roman. & Græcis. Perperam ergo in nonnullis legitur *exterminii*, licèt eodem redeat sensus. q. d. Exitus justorum ex hac vita, quod est quasi *iter*, quo justi exierunt *à nobis*, id est à societate hominum, *exterminium*, scilicet æstimatum est ab impiis, putà plenus interitus & exitium, quo planè exterminarentur & extinguerentur; cùm tamen hic exitus justis sit ingressus in pacem, id est in requiem & vitam æternam. Nam ut ait S. August. 13. C Civit. 4. tantam Deus præstitit gratiam fidei, ut mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum sit, per quod transitur ad vitam. Vide hìc paradoxum: *Mors justis est principium & janua vitæ.* Unde pro *iter*, græcè est πορεία, id est profectio, migratio. q. d. Mors non est aliud, quàm profectio ad vitam beatam. Hinc Themistius apud Stobæum serm. 120. θάνατον, id est mortem dictam censet, quòd hominem è vita migrantem ἄνω εἰς θεὸν, id est sursum ad Deum, & ad divinam sedem transferat. Et Cicero Tusculan. 1. *A malis*, inquit, *mors abducit, non à bonis, & mors non est interitus omnia tollens atque delens, sed quædam quasi migratio commutatioque vitæ, quæ in claris viris & feminis dux in cælum solet esse.* Hinc Syrus vertit, *& tamquam contritus est exitus eorum à nobis*, Guarinus, *eorumque exitus ærumna est existimatus*; Vatabl. *calamitosus existimatur exitus eorum, & discessus eorum à nobis exitialis, cùm illi fruantur felicitate.*

Sensus ergo est. q. d. Justorum exitus ex hac vita tribulationibus & cruciatibus plenus, perinde, ab insipien- D tibus æstimatur malus & calamitosus, ac si ob admissum facinus è patria in exilium inviti pellerentur. Sed revera est longè secùs: nam à molestissimo exilio in optatissimam patriam placidissimè revocantur. Verè enim usurpare possunt illam Apostoli vocem 2. Cor. 6. 9. *Quasi morientes, & ecce vivimus*: & luculenta illa S. Cypriani verba de Mortalitate: *Ad immortalitatem morte transgredimur. Nec potest vita æterna succedere nisi hinc contigerit emigrare: non est exitus iste, sed transitus.*

Pro *exterminium* græcè est σύντριμμα, id est contritio, confractio, desumpta videlicet metaphora à vasis testaceis, quæ ubi semel casu minutatim confringuntur, reparari deinde ac rursus refici nequeunt, juxta illud Jerem. 19. 11 *Sic conteram civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultrà instaurari.* Sic justorum obitus mundanis, qui præsentia tantùm norunt, æterna ignorant, apparet miserrima contritio, funestissimus exitus, & quasi prorsus irreparabilis interitus. Sed aberrant cæci quàm longissimè. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis*, 2. Cor. 5. 1. Hinc in Martyrol. dies mortis Sanctorum vocatur dies eorum natalis, quo scilicet mortui vitæ huic, imò morti, renati sunt beatæ immortalitati, atque ex hac vita, tamquam ex utero obscuro, in vivorum regionem evolant, ait Orig. l. 3. in Job. Quin & Brachmanes apud *Gnome.* Strabon. lib. 15. dixerunt, mortem esse nativitatem ad veram felicemque vitam. Vide quàm dispar, imò contrarium, sit judicium sapientum, etiam Gentilium, & insipientium, sive impiorum, de vita & morte. Nam Plato in Gorgia citat illud Euripidis: *Quis novit utrùm vivere mors sit, mors autem vivere?* Et Maximus Tyrius Platonicus serm. 25. ait: *Hoc quod mortem homines vocant, idipsum est immortalitatis initium, & futuræ vitæ procreatio.* Et Nazianz. orat. de vita humana: *Haud scio*, inquit, *an hac vita nostra mors potiùs dicenda sit, & mors è contrà vitæ nomine nuncupanda; tametsi aliter vulgò videatur.*

ILLI AUTEM SUNT IN PACE] Hebræi *pacis* nomine omne bonum, omnemque felicitatem significant. Vita æterna ergo est pax, in qua plenè requiescunt justi liberi ab omni miseria, dolore, periculo, ac pleni omni felicitate, gaudio, securitate: unde vivunt jubilantque perenniter: *In pace in idipsum, dormiam & requiescam*, ps. 4. Sic Isaias beatitudinem justorum describit per pacem, & commoda pacis cap. 32. 17. *Et erit*, inquit, *opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum: & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.*

Adde, ante Christum, quando scriptus est hic liber, necdum justis patuisse aditum in cælum ad videndum Deum, sed animas eorum descendisse in limbum patrum, putà in sinum Abrahæ, ibique quietè expectasse Christum, qui cælum reseraret. Hic ergo locus quietis rectè *Limbus vocatur pax: cur?* vocatur *pax*: tum quia justi à bello, quod in hac vita gesserunt cum concupiscentia, cumque impietate de impiis, transeunt ad pacem: tum quia mors omnibus huius vitæ laboribus, miseriis, passionibus finem imponit, itaque homines constituit in quieta tranquillitate: tum quia justos deducit ad sinum Abrahæ, in quo erat magna sanctorum patrum pax, lætitia & gaudium, præsertim ob spem futuræ beatitudinis dandæ per Christum. Hinc nomen regni cælorum non invenitur in veteri testamento, ait S. Chrysost. hom. 4. in Marcum; sed primus illud nominavit & prædicavit S. Joannes Baptista, dicens: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum*, Matth. 3. Aliis tamen nominibus idipsum priscis fuit agnitum. Crediderunt enim, & sperarunt ipsi resurrectionem mortuorum sanctam & beatam, ut patet Job 19. 25. Isaiæ 26. 19. Daniel. 12. 2. 2. Machab. 7. 9. & alibi.

ET SI CORAM HOMINIBUS TORMENTA PASSI SUNT (græcè κολασθῶσιν, id est puniti, animadversi, Veri. 4. castigati, malis affecti sint) SPES ILLORUM IMMORTALITATE PLENA EST] Vatabl. *etenim dum cruciantur in conspectu hominum, spem alunt immortalitatis plenam.* Loquitur de justis, qui tribulationes & persecutiones patiuntur, sed maximè de Martyribus: hos enim in tormentis sustentat & roborat spes gloriæ, quæ postea mox vertitur in rem ipsam. Tormenta ergo Martyres consecrant, & in ipsa passionis probatione sanctificant, ait S. Cyprian. de Exhort. Martyr. cap 12. qualia passi sunt Machabæi ab Antiocho, ac Judæi sub Ptolemæo Lagi, qui primus Alexandro Magno successit in regno Ægypti, ac vicinos Judæos oppressit, teste Josepho, sub cujus tempora hic liber scriptus videtur. Ad illorum ergo passiones & martyria hìc alludit.

SPES ILLORUM IMMORTALITATE PLENA EST] Primò, *spes* accipi potest metonymicè pro re sperata, putà pro mercede & præmio. q. d. Merces justo- *Spes immortalitatis. Primò.* rum afflictorum & Martyrum, quam in hac vita sperarunt, & jam possident in cælo, est plenitudo immortalitatis, divitiæ non perituræ, copia bonorum non deficientium, ait Joan. Alba Electorum c. 83. Audi S. Cypr. de Exhort. Martyrum cap. 12. *Quæ spes & merces maneat Martyres, post conflictationes huius temporis & passiones, per Salomonem Spiritus sanctus ostendit, & præcavit dicens: Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* Hoc est quod ait Job c. 11. 17 *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, & cùm te consumptum putaveris orieris ut lucifer.* Et Apost.

Hebr.

Hebr.11.35. *Distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt,* &c.

Secundò. Secundò, *spes* propriè accipi potest, q.d. Martyres & in vita & in morte, ac multò magis post mortem, partâ jam victoria, sperant plenam immortalitatem. Hanc enim sperabant justi illius ævi vita functi, se brevi adepturos per adventum Christi. *In Purgatorio manet spes.* Hinc patet in animabus patrum in limbo, æquè ac iis quæ sunt in Purgatorio, manere spem, etiamsi ipsæ certæ sint de sua salute. *Prob.* Probat id Franc. Suarez tract. de spe disp. 1. sect. 8. dicto 3. *Primò.* Primò, quia in eis manet fides & charitas, ergo & spes, quæ media est inter fidem & charitatem. *Secundò.* Secundò, quia nondum obtinent beatitudinem: ergo eam sperant. *Tertiò.* Tertiò, quia nulla est in eis causa corruptionis spei, neque sunt in tali statu, in quo spei sint incapaces. Dices: Illis non est ardua consecutio beatitudinis: nam potiùs judicant esse necessariam, & impossibile judicant eam amittere, neque hoc propriè timent. Respondetur, non esse necessarium ad spem, ut consecutio boni sperati apprehendatur ut difficilis, id est dubia, vel quæ possit impediri; sed satis est si apprehendatur ut excedens naturæ perfectionem, & hoc etiam modo animabus Purgatorii offertur ut ardua, consecutio beatitudinis. Unde non est de ratione spei, ut possit semper habere conjunctum timorem servilem propriè dictum cum anxietate: quare si etiam in hac vita Deus revelaret alicui suam gratiam, & perseverantiam in illa, nihilominus posset verè & propriè sperare, quamvis non posset illo modo timere. Hinc sequitur, in partibus veteris testamenti mansisse veram spem usque ad Christi adventum. Patet ex ratione dicta, & quia peculiariter sperabant adventum Messiæ, unde de illis dicitur vers. 4. *Spes illorum immortalitate plena est.* Et hæc ita sunt certa, ut non sit dissensio ulla. Huc usque Suarez, qui & addit, in animabus quoque jam in cælo beatis manere habitum spei, imò & actum secundarium, quia actu sperant resurrectionem & gloriam corporis.

Spes acuit Martyres Hæc spes excitavit Martyres, ut non tantùm tormentis se offerrent, sed & ambirent, ac maiora exposcerent. Audi S. Ephrem Encomio in omnes sanctos Martyres, sub initium: *Sic quippe sancti Martyres toto se corde & animo tradiderunt Deo, ut deinceps & ipsam mortem, & cunctas inimicas tyrannorum insidias contemnerent, parati ad perferenda verbera, & tormentorum necessitates, diversosque totius corporis cruciatus. Terga in lororum dederunt sectiones, & in varias fibrarum atque medullarum concisiones.* Et post nonnulla: *Quin & ossa ipsorum immaniter confringebant: atque ideo virtutem à Deo accipiebant, ut cunctas fortiter passiones sustinerent, & quasi sensus doloris expertes, sese ad quascumque insidias gerebant, & tamquam in alienis corporibus paterentur: imo & principibus ipsis atque judicibus audacter insultabant, & ad majorem eos iram excitabant, dicentes: Si graviora habetis tormenta, admovete nobis: hæc enim nullius momenti sunt. Quare etiam illi magis incensi, iraque effervescentes, velut immanissimæ feræ adversus ipsos rugiebant, vocatisque lictoribus vehementius sancta fortium pugilum corpora cædenda dilacerandaque curabant. Illi vero vicissim ad præfectos ac judices: Ubi sunt, inquiebant, suppliciorum vestrorum minæ? nam ignis vester frigidus apparet, ac tormenta inefficacia, percussores imbecilles, & gladii vestri ligna marcida: nihil quod nostræ respondeat promptitudini atque alacritati, habetis: ad plura & majora toleranda parati consistimus.*

Exempla Vis exempla? accipe. Hac spe animatus S. Quirinus Martyr, pater S. Balbinæ virginis & Martyris, sub Alexandro I. Pont. ad Aurelianum Comitem intrepidè dixit: *Si vis occidere, si fustibus cædere, si ignibus concremare, fac quod libet: omnes enim ad mortem pro Christo subeundam, non secùs ac famelici ad panem, parati sumus.*

S. Sabina Martyr Antiocho præsidi S. Seraphiam vexanti, constanter exprobravit: *Canis rabide Asiatice, noli in tuam perniciem sanctam Dei virginem, & dominam tuam injuriis afficere.*

S. Hesteria virgo & Martyr Bergomas ad præsidem: *En*, inquit, *cervix mea præsto est, in hanc sævito: hanc pro Christi Domini mei fide libenti animo trado.*

S. Sylverius Pont. & Martyr sub Justiniano Imp. relegatus in Pontiam insulam, ad Amatorem Episcopum scribens: *Sustentor*, inquit, *pane tribulationis & aqua angustiæ, nec tamen dimisi aut dimitto officium meum.*

S. Genesius ex mimo Martyr sub Dioclet. dum in eculeo suspenderetur, ungulis laceraretur, lampadibus ureretur, dicebat: *Non est Deus præter Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteris.*

S. Eusebius, Pontianus, Vincentius & Peregrinus Martyres Romani sub Commodo Imper. cum in eculeo torquerentur, nervis & fustibus cæderentur, asserebant tortoribus: *Nolite remittere: ante enim vobis tempus, quam nobis animus pro Christo patiendi, deficiet.* Cumque Vitellius præses constantiam eorum admiratus, eos magia præditos, in tormentis lætari diceret; Vincentius respondit: *Non gaudemus nisi in Domino Jesu Christo.*

S. Achatius centurio & Martyr sub Dioclet. ad præsidem: *En corpus, ait, ad flagella paratissimum; utere illo ut libet, animi certè propositum neque tu, neque Imperator, nec omnis dæmonum malitia, ne impuris, id est dæmonibus, sacrificem, evertere poterunt.*

Inter septem fratres Machabæos, qui sub Antiocho gloriosum martyrii agonem obierunt, ordine tertius *linguam postulatus citò protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* Eadem spe se ceteri fratres ad martyrium animarunt, 2. Machab. 7.

Denique Apost. Hebr. 11. 1. *Fides*, inquit, *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, ubi deinceps toto capite priscos fidei heroes profert, qui hac spe animati heroica virtutum opera ediderunt, ac se suumque nomen immortalitati consecrarunt.

IN PAUCIS VEXATI, IN MULTIS BENE DISPONENTUR] Græcè eleganter, ὀλίγα παιδευθέντες, μεγάλα εὐεργετηθήσονται, id est in exiguis castigati, multis beneficiis vel felicitatibus afficientur, uti vertit interpres Clementis Alex. lib. 4. Strom. Noster videtur legisse εὐτεθήσονται, id est bene componentur, vel *bene disponentur*; quia congrua & æqua merces est, ut qui hic vexari & malè habiti sunt in cælo, optimè habeant, optimeque disponantur. Syrus, *exiguum probavit eos, & multam hereditabunt*; Arabicus, *& quia probati sunt paucis conversationibus, benefaciet illis beneficiis multis*; Vatabl. *leviter vexati ampla beneficia consequentur*; Pagnin. & Arrias, *in multis bono afficientur*; alii, *modicè disciplinati*, sive *parum disciplinæ subeuntes, magnis beneficiis cumulabuntur.* Disciplinam intellige morum castigationem, quam irrogat Deus, vel Superior, vel etiam hostis. Cantacuzenus, *Non sunt*, inquit, *tormenta propriè, sed castigatio: nec ea gravis, sed levis: in paucis vexati, non quidem respectu sævitia tortorum, sed spei & præmii eorum, qui torquebantur*; Jansen. *correcti ut filii vel discipuli à parente vel magistro.* Propriè ex Græco vertas, *eruditi & edocti*: nam effectus tribulationis justorum, est eorum institutio, juxta illam exhortationem Pauli ad Hebræos 12. 5. ex Prov. 3. & Job 5. *Fili mi noli negligere disciplinam Domini; neque fatigeris dum ab eo argueris.* Vers. 5

Hinc 2. Machab. 7. 32. ait martyr: *Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur: & si nobis propter increpationem & correptionem, Dominus Deus noster modicum iratus est, sed iterum reconciliabitur servis suis.* Et v. 36. *Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt.* Et 38. *In me verò & fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum justè superducta est.* Hinc S. Hieron. epist. 4. ad Marcellam, exhortans eam ad laborum & tribulationum tolerantiam: *Dominus*, inquit, *te in laboribus bonitatum posuit, & salutifero paternæ pietatis verbere visitavit, ut in paucis vexatam in multis benè disponeret.*

Loquitur Sapiens propriè de Martyribus: consequẽter tamen de quibuslibet justis, qui gravia tolerant & superant per patiẽtiam, fortitudinem, continentiam aliamve virtutem. Qualibet enim virtus suum habet agonem, suumque martyrium. *Martyriũ virtutũ.* Unde S. Nazianz. orat. 20. in laudem S. Basilii: *Citra sanguinem, ait, martyr, & citra plagas victricem coronam assecutus.* D. Hieron. in Epitaph. Paulæ ad Eustochium: *Mater tua, ait, longo martyrio coronata est: non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devota quoque mentis servitus immaculata, quotidianum martyrium est.* *Gnome.* S. Gregor. in fine hom. 3. in Evang. *Quamvis*

occasio

occasio persecutionis desit, inquit, *habet tamen & pax martyrium suum: quia etsi carnis colla ferro non subdimus, spiritali tamen gladio carnalia desideria, in mente trucidamus.* S.Bernard. serm. 30. in Cantic. *Genus martyrii est spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quo membra caeduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Idē serm. 1. in festo omnium Sanctorum: *Quid sibi vult, quod eadē promissio facta est pauperibus & Martyribus; nisi quia verè martyrii genus paupertas voluntaria est?* &c. Idem in Sententiis: *Martyrium sine sanguine triplex est: parcitas in ubertate, quam habuit David et Job: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias & vidua: castitas in juventute, qua usus est Joseph in Ægypto.* S.Hier. epist. ad Demetriad. *Habet & pudicitia servata martyrium suum.* S.Ambr. lib. 1. de Virg. de Beata Agnete: *Habetis in una hostia duplex martyrium, pudoris & religionis.* B. Petrus Damiani de S. Alexio: *Novum martirii genus, novum prabet in admiratione spectaculū: Martyribus enim carcer erat pœna, catena pressura: isti vero propria domus auratis decorata triclinis, erat materia tentationis. Illos torquebat manus armata carnificum: istum gravius puniebat cōspecta quotidie pietas genitorum*, &c. Idē in fine serm. de S. Apollinari: *Vis aperte discere, qualiter in pace S. Ecclesia valeas martyrium invenire?* &c. *ascende tribunal mentis, & temetipsum pertrahe ad judicium quaestionis. Cogitatio accuset, animus judicet, pœnitens conscientia velut carnifex feriat; lacrymarum rivus velut vulnus erumpat: sic per martyrii similitudinem ad veram pervenies Martyrum dignitatem.*

S. Laur. Just. serm. de S. Martino: *Sanctorum*, inquit, *collega extitit, & Martyrum consors cujus animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmā tamen martyrii non amisit*, &c. *Magnum est hoc martyrii genus, ultrò se pro Christi honore dare periculis.* Et post pauca: *Toties martyrii promeruit palmam, quoties se inimicis fidei disputando opposuit.* Deinde: *Erat planè et hoc singulare martyrium, ut cum infirmantibus pariter infirmaretur*, &c. *Audi sine ferro Martyrem, ex sola charitate morientem. Quotidie morior* (inquit *Paulus*) *propter gloriam vestram.* Ad extremum: *Meritò Sancto huic martyrii non est deneganda corona, qui Ecclesiarum curam gerens, ac proximorum salutem zelans, nec mori timuit, nec vivere recusavit.*

Illustre martyrii exemplum dedit Martinianus cum sociis Martyribus, qui ob heroica fidei & Apostolatus opera, à Gerserico rege Arriano dirè excruciati, fortes spe coronæ in tormentis perstitere. Audi Victorem Uticensē lib. 1. Persec. wandal. *Jubet* (Geisericus) *famulos Dei ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca silvarum pariter interire, ut ducta atq; reducta damnosis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur, ita deligati, ut exitum suum invicem pervidcrent. Qui cum è vicino currentibus Mauris sese mutuo conspicerent, vale sibi in angusto fuga unusquisque ita dicebant: Frater ora pro me. Implevit Deus desiderium nostrū, taliter pervenitur ad regnum cœlorum. Itaq; orando atq; psallendo, gaudentibus angelis, pias animas emisere, ubi usque in hodiernum diem non desinit ingentia mirabilia Jesus Christus Dominus noster operari.*

QUONIAM DEUS TENTAVIT EOS, ET INVENIT ILLOS DIGNOS SE] Deus non tentat, id est non sollicitat aliquem ad peccatum; hoc enim diaboli est opus. *Deus enim intentator malorum est*, ait S. Jacob. cap. 1. dicitur tamen tentare, id est probare & explorare hominum fidem & virtutem, cùm eis paupertatem, morbum, infamiam, persecutionem, mortem, martyrium immittit, aut immitti permittit: etsi enim ipse præsciat eorum fidē & virtutem, tamen vult ut ipsi eam exerceant, aliisque testatam faciant, uti ostendi Jacob. 1. Ita S. Gregor. 23. Moral. c. 18. *Ecce*, inquit, *inter adversa validius fidei robur eminuit: recte concisa est integritas carnium, sed patefacta sunt ossa virtutū. Hinc de eis per Sapientiā dicitur: Deus tentavit illos, & invenit illos dignos se. Tentati sunt quippe adversitate plagarum, sed digni inventi sunt nudatione ossium. Nā quia hæc eorum illa tentatio est, quæ ex flagellis adhibetur, illic aperte declaratur, dum sequitur: Tamqua aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.*

Symbola virtutis. Accipe hujus rei elegantia symbola. Anthracites lapis ignitus & carbo, si jaciatur in ignem, velut inter mortuos extinguitur; at contrà aquis perfusus exardescit, inquit S. Isidor. lib. 16. Orig. c. 13. Gagates lapis accenditur aqua, oleo restinguitur, ait Plinius lib. 36 cap. 19. Ita justi oleo voluptatis peruncti torpescunt: at aqua tribulationis

A aspersi, in virtute exardescunt, Deoque fiunt gratiores & digniores. Dionysias lapis fuscus est, rubentibus notis sparsus. Idem si aquæ mixtus conteratur, vinum fragrat, & quod in illo odore mirificum est, ebrietati resistit, ait Solin. in Polyhist.

Sic prorsus virtus inter adversa exerit vires suas: nam ut vulgato fertur proverbio, παθήματα solent esse μαθήματα, juxta illud Ovid. Trist. lib. 4. eleg. 3.

Materiamque tuis tristem virtutibus imple;
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.

Ita noster Causinus lib. 11. Parab. Histor. c. 32. & sequent.

ET INVENIT EOS DIGNOS SE] sua gratia, amicitia, hereditate, regno & gloria cælesti. Hinc patet justos non tantùm ex congruo, sed & ex condigno mereri gloriam cælestem: licèt enim opera in se nudè spectata, v.g. dare eleemosynam pauperi, non mereantur tantam gloriam, juxta illud; *Non sunt condigna passiones hujus tēporis ad futuram gloriam*, Rom. 8. 18. tamen quatenus illa

B manant a gratia Dei, homineque Deo grato, eatenus condigna sunt tantæ gloriæ. Gratia enim commensuratur gloriæ, ejusque est quasi semen & inchoatio. Assignat hic finem, ob quem Deus tribulationes & martyria justis immittit, aut permittit, ut scilicet eos probet exerceat, dignosque suo regno efficiat. Audi Luciferum Calarit. tr. *Moriendum esse pro filio Dei. Tormentis namque Martyres consortari*, inquit, *& ipsa probationis passione coronari, aperiunt ita S. Script. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Et si corā hominibus tormenta passi sunt, spes illorū immortalitate plena est: in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniā Deus tētavit illos & invenit eos dignos se.*

Audi & Euseb. Emissen. hom. de sanct. Martyr. Epiphodio & Alexandro, ubi pathaticè sic Martyres loquentes & exhortantes inducit: *Num nobis ad cor nostrum clamat cognati viva vox sanguinis? Discite, si quis, ex nobis fidē quærendo acquirere, vivendo, excolere, moriendo servare; discite plus peccatum timere, quam gladium; discite propter vitam magis justitiam amare, quam vitā fidemq; & timorem Dei. Quem nos in media belli tribulatione servavimus, observate,*

C *ne vos in pace vel pacis securitate perdatis. Cavete, ne anchoram spei ac religionis, quam nos custodivimus in fluctu, vos amittatis in portu. Cavete ne vitam bonam, si quando afflictionibus subditā videritis, miseram judicetis. Cavete ne in arena mundi, in qua ad subeūdos agones missi sumus, aliquā felicitatem expectandam putetis. Beatitudo hic parari potest, non potest acquiri. Non hic quæras, quod hic nullus Sanctorū consummatus vel consummato labore nullus Confessor obtinuit. Non hic quæras, quod hic nec Christus invenit. Si mundus pacem haberet, gloriam Martyres non haberent si examinatio non præcederet, tribulationis periret occasio.*

Audi & S. Paulinum epist. 4. ubi citans illud Cant. 5. 11 *Caput ejus aurum optimum. Hoc aurum*, ait, *forma Sanctorū est, qui in capite corporis ut lumina micant, & sunt aurum ignitum Deo: quia videlicet eos per examina passionum, in hujus mundi fornace cōflatos invenit (ut scriptum est) dignos se; & in his faceam imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus & linguis eorum veritatis suæ verbū, eosdēq; ipsos statuens nummularios, ut secundum suā forma probabiles Domino cuderent nummos, & abolita de nobis signea Cæsaris Matth. 22. vivum regis æterni numisma signarent;*

D *& spiritu redemptionis inscripti, cervice jam jugo libera, & sutoris titulo præmunita seonte caueremus psalm. 4. Signatū est super nos lumen vultus tui Domine. Summa itaque ope enitamur, ita nos comparare, ut divini capitis (quod nobis per gratiam Dei Christus est) crines & aurum esse mereamur.*

TAMQUAM AURUM IN FORNACE PROBAVIT ILLOS] q. d. Sicut aurum in fornace expurgatur à scoria, & fulgidius resplendet: sic Deus justos per tribulationes & martyria, à fæce vitiorum venialium purgat, ac patientia & virtute fortiores clarioresque effici. Unde Hugo Victorin. tract. de filia Jephte: *Hunc imitata*, ait, *multa Martyrum milia usque ad mortem pro veritate certarunt, et ab inimicis sævientibus immolata sunt, de quibus dicit Script. Tamquam aurum in fornace probavit eos.* — VERS. 6.

Primus hac gnome usus est S. Job c. 23. 10. dicēs: *Ipse* (Deus) *scit viam meam, & probavit me quasi aurum, quod per ignē transit.* Deinde David psal. 65. 10. *Probasti*, inquit, *nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum*, &c. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

gerium. Tertiò, Salomon Proverb. 17. 3. *Sicut igne,* inquit, *probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Quartò, Isaias c. 48. 10. *Ecce,* inquit, *excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Quintò, Daniel cap. XI. 35 *Et de eruditis ruent* (in persecutione Antiochi & Antichristi) *ut conflentur, & eligantur, & dealbentur.* Sextò, Zachar. c. 13. v. 9. *Ducam tertiam partem per ignem, & uram eos sicut uritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum.* Septimò, Malachias c. 3. 2. de Christo ait: *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentū, & purgabit filios Levi & colabit eos quasi aurum & argentum.* Unde fiet id quod sequitur: *Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia,* utpote jam plenè purificati & justificati. Octavò Ecclesiastic. c. 25. *Quoniam,* inquit, *in igne probatur aurum & argentum: homines verò receptibiles* (Deo accepti) *in camino humiliationis.*

Pii tribulatione purgantur, ut aurum igne. Gnoma.

En tibi tot Prophetarum testimonia, quibus hanc gnomen Deus omni ævo per oracula, æquè ac exempla confirmavit. Æterna est lex à Deo sancita, ut justi omnes tribulatione, velut igne probentur, purgentur, perficiantur: nemo ab ea excipitur, uti multis ostendit Judith c. 8. 21. & Mathathias 1. Machab. 2. 52. Noli ergo & tu excipi, ne pariter excidas à justitia. Præclarè Tertull. in Scorpiaco c. 7. *Audi enim,* inquit, *& illos dicentem Deum: Uram illos sicut uritur argentum, & probabo illos sicut probatur aurum, utique per tormenta ignium & suppliciorum, per martyria fidei examinatoria.* Et S. August. in illud psal. 61. *Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea: Venit,* inquit, *tribulatio mea, venit & patientia mea, & purgatio mea. Numquid lucet aurum in fornace artificis? in monili lucebit, in ornamento lucebit; patiatur tamen fornacem, ut purgatum à sordibus veniat ad lucem: fornax ista, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat aurifex; in fornace ardet palea, & purgatur aurum; illa in cineres vertitur, à sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio, ibi me ponit artifex, tolero: jubeor ergo tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, & quasi consumendum me, illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? quia Deo subiicietur anima mea, quoniam ab ipso patientia meá.*

In eodem igne aurum rutilat, palea fumat: sic in eadem tribulatione pius sua patientia fulget, impius murmurat, suaque impatientia turpatur. ignis aurum probat, miseria fortes viros. Unde Ennodius Ticinensis:

Mundior excoctis fulgescat luce metallis,
Munera disponit qui dare digna Deo.

S. Augustin. in psal. 21. *Fornax aurificis,* inquit, *magni Sacramenti res est: ibi ignis non diversis diversa agit, paleam in cineres vertit, auri sordes tollit.* Sic S. Savinianus Trecensis ad Aurelianum Imperatorem: *Excoque,* inquit, *carnem igne totius tribulationis, ut refudet in me si quid est aruginis. Nam thus magis flagrat iniectum ignibus.* Rursum S. August. serm. de S. Laurentio. *Aurum,* inquit, *purgatur veneris vehementissimis sicut rosa suavius olet juxta allia.* Synesius lib. de Providentia: *Liquatur cera,* inquit, *& induratur lutum, & tamen non est caloris diversa natura.* Hercules ut hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur. Rursum, ut ignis paleam exurit, aurum nitidius reddit: sic calumniæ vanum aut vacuum absumunt, vera virtute gravem illustrant. Sicut uno eodemque igne lignum nigrescit in carbonem, lapis albescit in calcem.

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum;
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Nam *quod terrulentum & sordidum, flammis necesse est decoqui,* ait S. Laurentius apud Prudentium. *In fornace aurificis, si aurum non es, simul ardes; si aurum es palea tua valut: si tu es palea, simul eris & fumus,* ait S. Aug. ser. 53. de Verbis Domini. Dixerat antea Tertullianus de Habitu muliebri c. 5. *Terra planè gloriosior, quando in maledictorum metallorum feralibus officiis, pœnali opere deplorata, in igne nomen terræ relinquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiis in honores metalli refuga mutatur.* Imo Sappho poetria aurum vocat filium solis, quòd noctu ut ignis coruscet & velut ardeat: aurum verò non cremari igne, sed purgari propter argenti vivi & sulfuris optimas conditiones, testatur Albertus Magnus lib. 3. tract. 2. c. 5. de Mineral. & lib. 4. c. 6. Nec fit minoris ponderis in igne, quia constat ex sicco &

Cur aurū igne non crematur

humido subtilissimis, nec habentibus aliquid impurum aut admixtum, uti docet S. Thomas 3. Meteorologicorum, digressione de coloribus. Marsilius Ficinus in Plotinum Ennead. 2. lib. 1. cap. 6. ait, propter arctissimam connexionem aurum esse indissolubile, & per viscosum humorem liquescere ad ignem; & quia non est terræ particeps, æruginem non contrahere; ac fulgorem sortiri à specie & idea solari; atque quo sæpiùs arserit, & apparuerit igni simillimum colore, eo fieri melius. Idem prorsus dicas de patiente in tribulatione.

Tribulatio ergo est fornax, quæ probat homines: fortes enim & sancti in ea constantes, egrediuntur splendentes ut aurum; pusillanimes verò remanent ut scoria. Memorabile est, quod scribit Victor Uticens. libr. 1. Persecut. wandal. Geisericum Arrianum regem, eùm insignem fidei heroem, nomine Masculan, damnasset ad mortem, secretò jussisse, ut, si in mortis articulo fidem negaret, occideretur; si in fide persisteret, liber dimitteretur: *Nam si gladio,* inquit, *peremeritis, Romani Martyrem prædicabunt.* Audi Victorem: *Qui* (Masculan) *cùm fortis atque invictus maneret, jubet eum subire sententiam capitalem: ita tamen callidus occultè præcipiens, ut si in illa hora vibrantis gladii pertimesceret ictum, magis eum occideret, ne Martyrem gloriosum fecisset: si autem fortem in confessione conspiceret, à gladio temperaret. Sed ille, ut columna immobilis Christo solidante fortis effectus Confessor, revertitur gloriosus. Et si Martyrem invidus hostis noluit facere, Confessorem tamē nostrum non potuit violare.* Quàm insipiens & infelix fuisset Masculan, si in morte à fide defecisset: perdidisset enim corpus & animam, & à morte præsenti transisset ad æternam; nunc autem in fide constans, utrumque ad utramque vitam conservavit, & gloriam æternam in cælo & in terra peperit.

Exempla constantiæ in martyrio.

Subiicit Victor probationem Saturi, procuratoris domus Hunerici regis, qui cùm & à regiis ministris & ab uxore acerrimè tentaretur ad negandam fidem, intrepidè respondit: *Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris: formidarem, mulier, si sola esset huius vitæ amara dulcedo: artificio, coniux, diaboli ministraris. Si diligeres maritum, numquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent uxorem, auferant substantiam, mei Domini ego securus de promissis verba tenebo. Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, aut domū, meus non poterit esse discipulus. Quid ultra? discedente muliere cum filiis refutata, confortatur Saturus ad coronam, discutitur, expoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur. Interdicitur ei prodeundi accessus, totum ei tulerunt, stolam tamen baptismatis auferre non potuerunt.*

Idem lib. 3. narrat Hunericum dolosè hoc juramentum Catholicis obtulisse. Jurate, inquit, vos desiderare, ut filius meus Hildericus mihi in regno succedat, & vos Ecclesiis vestris restituam. Sapientiores dolum suspicati, jurare noluerunt, dicentes in Evangelio prohibitum sibi esse juramentum, Matth. 5. 34. Simpliciores jurarunt. Tum res his dixit: Ite in exilium, quia contra Evangelium jurastis. Similiter non jurātibus ait: Quia regnum filii mei non optatis, idcirco jurare noluistis: quam ob causam jubeo vos in Corsicam relegari. Anguinum ergo & vulpinum fuit hoc ejus juramenti postulatum, atque utrimque cornutum, ut certò omnes orthodoxos configeret & perderet.

Mysticè, per *aurum* gloriam divinitatis & felicitatis æternæ accipit Philo Carpathius in Cant. tom. 1. Biblioth. SS. Patrum p. 664. *Tamquam aurum in fornace probavit eos,* &c. *Comparantur auro,* inquit, *propter fidei probationem, & ærumnarū tentationumq; firmissimum argumentū. In his enim & singulis electorum animabus resplendet aurū; dum eis divinitatis suæ potentia contemplationem ostēdit, ex qua, dum pulchritudo cælestium gaudiorum paulatim monstratur, quasi reclinatorium aureum fit electis, in quo se vel in hac mortali luce contemplando resocillent, ac requiescant.*

ET QUASI HOLOCAUSTI HOSTIAM ACCEPIT ILLOS] Græcè quasi *holocaustum hostiæ;* S. Cypr. de Exhort. mart. c. 12. & Lucifer Calar. Apol. pro S. Athanas. legunt, *quasi holocaustam hostiam;* Vatabl. *ut solidum sacrificiū excepit;* Anastasius Nicenus quæst. 9. in S. Script. legit, *& tamquam oblationem sacrificii.* Omnes justi patientes adversa ex amore Dei sunt ejus holocausta, sed præsertim Martyres, qui totos se in holocaustum Deo offerunt. Triplex erat Judæorum hostia, sive victima, uti dixi Levit. 1. 2. & 3. scilicet hostia pro peccato, hostia paci-

Martyr est holocaustum, cur?

pacifica, quæ ſcilicet offerebatur pro pace & ſalute cujuſpiam; & holocauſtum, quod totum cremabatur Deo: hoc enim ſignificat græcè ὁλόκαυστον, cùm ex ceteris hoſtiis ſolus ferè adeps & ſanguis cederet Deo; reliqua verò cederent ſacerdoti, & laicis hoſtiam offerentibus. Igitur pœnitentes ſunt quaſi hoſtia pro peccato, quia pro eo carnis macerationem Deo offerunt: innocentes ſunt quaſi hoſtia pacifica; quia mentis puritatem Deo conſecrant: Martyres verò ſunt quaſi holocauſtum; quia & carnis macerationem & mentis puritatem, & vitam & omnia quæ habent Deo per martyrium dedicant. Unde Themiſtius apud Stobæum ſerm. 120. ait vicina & cognata eſſe hæc tria, ſcilicet τελευτᾶν, id eſt mori, & τελευτή, id eſt victimæ, & τελεῖσθαι, id eſt initiari ſacris. Hoc holocauſtum martyrii ſibi ambiebat S. Ignatius. Unde epiſtol. ad Tarſenſes palàm ardenti voce proteſtatur: *Paratus ſum ad ignem, ad beſtias, ad gladios, ad crucem, tantum ut Chriſtum videam Salvatorem meum & Deum, qui pro me mortuus eſt.* Et in Epiſt. ad Roman. *Si beſtiæ noluerint me vorare, ego ipſis vim ingeram, ego urgebo. Ignoſcite mihi, ego ſcio quid mihi expediat.* Pluribus ibidem eumdem teſtatur ardorem. S. Ambroſ. in Exhort. ad Virgines: *Quam bonus, ait, eſt Dominus, pro quo dulces & injuriæ ſunt, & grata mors? Et bene grata, quæ acquirit immortalitatem.* B. Petrus Damiani ſer. de S. Petro Apoſt. *Fortiter diligit, qui, cùm neceſſe fuerit, pro Salvatoris fide corpus & animam tormentis exponit. Hic eſt fructus operis, laboris conſummatio, probatio dilectionis, &c.*

& Religioſus: Simili modo myſtici Martyres, æquè ac holocauſta, ſunt Religioſi, qui totos ſe Deo devovent, ſcilicet bona externa per votum paupertatis, corpus per votum caſtitatis, animam & mentem per votum obedientiæ, uti pulchrè oſtendit S. Thom. 2.2.q. 18. art. 7. ac noſter Hieron. Platus lib. 2. de Bono ſtatus Relig. c. 13. & 15.

et fidelis: quis? Porrò, fideles omnes ſunt ſacrificia & holocauſta Dei, ſi omnia ad ejus legem & honorem referant. Nam ut ait S. Auguſt. 10. de Civit. cap. 6. *Corpus noſtrum cùm per temperantiam caſtigamus, ſi hoc quemadmodũ debemus propter Deum facimus, ut nõ exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma juſtitiæ Deo, ſacrificiũ eſt. Ad quod exhortans Apoſtolus ait: Obſecro itaque vos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam vivã, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Si ergo corpus, quo inferiore, tamquàm famulo, vel tamquã inſtrumento utitur anima, cùm ejus bonus & rectus uſus ad Deum refertur, ſacrificiũ eſt: quanto magis anima ipſa, cùm ſe refert ad Deum, ut igne amoris ejus accenſa, formam concupiſcentiæ ſæcularis amittat, eique tamquàm incommutabili formæ ſubdita, reformetur; hinc ei placẽs, quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit ſacrificium. Quod idem Apoſtolus conſequenter adjungens: Et nolite conformari, inquit, huic ſæculo, ſed reformamini in novitate mentis veſtræ, ad probandum quæ ſit voluntas Dei, quod bonum et beneplacitum & perfectum.*

Vide S. Gregor. hom. 22. in Ezechiel. ubi docet fidelem eſſe templum Dei, mentem & cor eſſe altare, hoſtiam verò eſſe corpus. Fidelis enim per tria bonorum operum genera omnia ſua dicat Deo, ſcilicet per eleemoſynã offert bona externa, per jejunium offert corpus, per orationem & devotionem offert animam & voluntatem. Ita S. Thom. 2.2.q. 85. art. 3. ad 7. Quare, qui ſic operantur, quæ ſunt Dei, ut tamen & quædam ſæculi non relinquant; hi ſacrificium quidem, ſed non holocauſtum Deo offerunt, ait S. Gregor. hom. 12. in Ezechiel.

Nota. Pro *holocauſti* græcè eſt ὁλοκάρπωμα, quod noſter à Caſtro cenſet ſignificare oblationem frugum, ut dum manipulus ſpicarum adolebatur Deo die ſecũda Paſchatis, cum holocauſtum ſit animalium, putà bovum, ovium, columbarũ, quæ totæ comburebantur Deo. Verùm horũ quoque animalium ſacrificium, ſive holocauſtum, à Septuag. vocatur ὁλοκάρπωμα, ut patet Levit. 1. & ſeq. Quare ὁλοκάρπωμα idem eſt quod holocauſtum, ita dictum, quòd totum per ignem & fumum cederet in καρπὸν, id eſt fructum, uſum cultumque Dei, uti dixi Levit. 5.

ET IN TEMPORE ERIT RESPECTUS EORUM] *Et*, id eſt *ideirco*. q. d. Quia juſti, præſertim Martyres, ſuam conſtantiam in tormentis, velut aurum in fornace Deo probavere, ſeque in holocauſtum Deo obtulere, idcirco erit eorum reſpectus, græcè ἐπισκοπή, id eſt viſitatio, inſpectio, ſpeculatio, reſpectus: hoc eſt, Deus viſitabit eos A ſua beneficentia, præmiando eos corona gloriæ Martyrio debita, ac præſertim corpora eorum, quæ tam atrocia tormenta ſuſtinuerunt, exornando dotibus immortalitatis, quas mox ſubdit. Unde Græca hanc gnomen cum ſequenti nectunt, ſicque legunt: *In tempore viſitationis ſuæ fulgebunt*. q. d. In die judicii, cum Deus viſitabit & examinabit ſingulorum facta, tunc patientes & Martyres mira gloria donabit, ut fulgeant velut ſtellæ in cælo. Tunc ergo reſpiciet Deus illos, quos nunc deſpicit mundus. Simili phraſi v. 13. dicitur de virgine vel cælibe: *Habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.* Et cap. 4. 15. *Et reſpectus in electos illius. Reſpectus* ergo hic eſt retributio, merces, præmium, quod intuitu & reſpectu bonorum operum, præſertim patientiæ, datur juſtis & Martyribus. Unde nonnulli vertunt, *in tempore præfecturæ ipſorum reſulgebunt.* Hinc & explicans ſubdit: *Judicabunt nationes, & dominabuntur populis.*

Rurſum, viſitatio hæc & reſpectus ad præſentem vitam referri poteſt. q. d. Ad horam latent & deprimuntur juſti, ſed ἐν καιρῷ, id eſt cùm tempus oportunum fuerit, Deus faB ciet ut palàm inſpiciantur & celebrentur. Ita fecit, ut Martyrum fortitudo & ſanctitas in tormentis elucens toto orbe, quin & ab ipſis Gentilibus & tortoribus, celebraretur. Unde iterum aliqui ſic exponunt: *In tempore viſitationis*, id eſt examinationis, tentationis, patientiæ & martyrii ſui, Deus faciet, ut patientes & conſtantes magna virtute, laude & gloria fortitudinis fulgeant.

FULGEBUNT JUSTI, ET TAMQUAM SCINTILLÆ IN ARUNDINETO DISCURRENT] *Fulgebunt* ſicut ſtellæ, imò *ſicut ſol in regno patris eorum*, uti huc alludens explicat & teſtatur Chriſtus Matth. 13. 43. VERS. 7. Stellæ enim in cœlo ſunt quaſi ſcintillæ in arundineto, quoad ſimilem, tum ſplendorem, tum colorem, tum multitudinem, tum pulchritudinem, tum efficaciam, tum gloriam, tum varietatem, tum celeritatem. Unde illud Poetæ; *Vos æterni ignes*, id eſt vos æternæ ſtellæ. Vide dicta Daniel. 12. 3. & 1. Corinth. 15. 41.

In Græco τὸ *fulgebunt* nectitur præcedenti ſententiæ, hoc modo: *In tempore viſitationis*, vel *reſpectus, eorum fulgebunt*. Unde S. Athanaſ. Apolog. pro fuga, hæc explicat C de præſenti vita, non futura; refertque ad juſtos perſecutionem fugientes: qui hac fuga magis, ut ſcintillæ reſplenduerunt, ac populos docuerunt, & inſigne fortitudinis decus gloriamque obtinuerunt, uti obtinuit ipſe, velut eorum primipilus, per continuam 46. annorum fugam: Quem ſecutus noſter à Caſtro, hæc & ſequentia ſic explicat. q. d. *In tempore*, quo erit *reſpectus*, ſeu viſitatio *eorum*, hoc eſt, cùm tribulatione probabuntur ut aurum in igne, fulgebunt clariores evadentes, ut aurum ex igne erutum refulget. Nam virtus eorum ſummaque conſtantia eluceſcit, & celebris & admirabilis omnibus fit. Et ſicut ſcintillæ prehendunt paleas, & facilè diſcurrunt inter arundines, ita illi inter improbos, leves, & inconſtantes attollunt caput, & tangunt invidia ſui excellentia eorum, & ſilentium injiciunt illis: ſic condemnabunt ſua virtute infirmitatem nationum, & ſua conſtantia levitatem cruciantium eos, & efferent caput ſuper omnes populos, quantum effert civitas ſupra montem poſita, & lucerna ſuper candelabrum collocata. Erunt igitur reges populorum, & Dominus rex illorum erit. Hunc ſenſum verum eſſe, exD perimento comprobat ſubjectis illis verbis: *Nam qui fiduciam habent in illum, intelligent*, experienturque hanc veritatem. Hæc ipſe.

Verùm, alii magis appoſitè & genuinè, hæc & ſeqq. referunt ad futuram vitam & gloriam cœleſtem, non ad præſentem. Id enim verba planè ſignificant. Id etiam omnino exigit, quod ait v. 2. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod à nobis eſt iter exterminium; illi autem ſunt in pace:* quæ verba non poſſunt accipi, niſi de mortuis & beatis. Ita cenſent Clemen. Alex. lib. 4. Strom. cap. 6. S. Cyprian. Exhort. ad Martyr. cap. 12. S. Bonav. Lyran. Dionyſ. Franc. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 48. ſect. 1. & ſeq. & alii paſſim, qui voce *fulgebunt* cenſent notari dotem claritatis, voce *diſcurrent* dotem agilitatis, quæ erit in corporibus Beatorum, præſertim Martyrum, qui obſcuritate carcerum claritatem hanc, & ſuis vinculis agilitatem hanc meruerunt. *Quatuor dotes corporis glorioſi.* Porrò S. Bonav. in 4. diſt. 49. par. 2. art. 2. qu. 1. cenſet quatuor dotes corporis glorioſi ſignificari hiſce verbis, cùm dicitur: *Fulgebunt juſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto*

diſcur-

discurrent. Nam *in fulgore*, inquit, *significatur claritas: in justitia impassibilitas: quia justitia est perpetua & immortalis: in scintilla subtilitas, in discursu agilitas*. Addit deinde subtiliter, quòd numerus harum quatuor dotum deduci possit ex duplici causa, scilicet formali & materiali. Primò, ex formali: quia cùm in corpore nostro, inquit, sit natura & forma duplex, scilicet elementaris, quæ modò dominatur; & cælestis, quæ est natura lucis, quæ erit sicut formalis & completiva corporis gloriosi, hæc dominabitur in resurrectione. Igitur quia lux habet istas quatuor proprietates, sicut patet in radio, scilicet claritatem, quia illuminat; impassibilitatem quia nihil ipsum corrumpit; agilitatem, quia subitò vadit; penetrabilitatem, quia corpora diaphana sive eorum corruptione pertransit: sic etiam corpus gloriosum, in quo dominatur natura lucis, quatuor habet dotes. Secundo modo accipitur secundùm causam materialem sic: Corpus nostrum est compositum ex quatuor elementis, & quia elementa sunt imperfecta, quadruplicem habet ab eis defectibilitatem. Ab aqua, quæ est elementum humidum & passibile, habet passibilitatem & corruptionem: unde humidum aqueum corpus corrumpit. A terra verò habet obscuritatem, quia est elementum opacum. Ab igne animalitatem, quia calor consumit continuè, ideò continua indiget alimonia ciborum. Ab aere verò habet infirmitatem; aer enim facillimè immutatur & cedit cuilibet impellenti. Quoniam igitur quatuor isti defectus debent per bona opposita removeri ad hoc, quòd corpus sit perfectum perfectione completa, ideo quatuor sunt dotes. Contra corruptionem impassibilitas, contra obscuritatem claritas contra animalitatem spiritualitas, id est agilitas, contra infirmitatem virtus sive penetrabilitas, id est subtilitas. Et hæc ultima sumptio convenientior est inter omnes, quoniam correspondet auctoritati & rationi. Auctoritati Apostoli, ita enim sumit Apostolus: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione*; ecce impassibilitas: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*; ecce claritas: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*; ecce penetrabilitas, id est subtilitas: *Seminatur animale, surget spiritale*; ecce agilitas, Unde Apostolus sumit dotes per comparationem ad illos quatuor defectus quos removent Similiter S. Aug. de Civit. Dei, Aberit à corporibus nostris, ait, omnis deformitas, omnia tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio. Omnis deformitas per claritatem, omnis tarditas per agilitatem, omnis infirmitas per subtilitatem, vel penetrabilitatem, omnis corruptio per impassibilitatem. Hucusque S. Bonav.

Earum origo.

1. Cor. 15.

Lib. 22. c. 19.

Potest quoque τὸ *fulgebunt* referri ad famam posthumam Martyrum, quà gloria, miraculis, festis, templis, imaginibus, cultu, invocatione refulgent in terra æquè ac in cælo. *Magna* enim, ait S. Cyprian. de Laude martyrii, *est claritas, vitam salutis æternæ honestate passionis ornare: magna sublimitas, ante ora Domini aspectumque Christi potestatis humanæ tormenta non horrere, sed contemnere Sic Daniel minas regis, leonum frementium rabiem per constantiam fidei suæ vicit*.

Denique pro *fulgebunt* græcè est *ἀναλάμψουσι*, id est *desuper resplendebunt*, de supernis miro fulgore illustrabuntur, è cælo recepto splendore inflammabuntur, atque instar fulgentissimarum lampadum irradiabunt, quia scilicet à Christo Christique gloria, velut sole desuper illuminante, Martyres suæ claritatis radios & fulgores haurient & rapient: *ἀνὰ* enim in compositione significat *re*, vel *sursum*.

TAMQUAM SCINTILLÆ IN ARUNDINETO DISCURENT) Arabicus, *fulgebunt justi tamquam cursus scintillarum in arundineto*; græcè *ἐν καλάμῃ* id est *in stipula*: hæc enim crebriores jacit scintillas, quàm arundo. Unde illud Ovidii 4. Fastor.

Moxque per ardentes stipulæ regnantis acervos,
Traiicias celeri strenua membra pede.

Sensus est. q.d. Sicut stipulæ, vel arundines siccæ ab igne correptæ, illico in scintillas abeuntes celerrimè evolant, & emicant quaquaversum: sic pariter corpora justorum & Martyrum fulgida, velut quædam fulgetta huc illuc ad libitum agillimè discurrent, ac velut scintillæ emicabunt & volabunt.

Tropol. S. Hieron.) vel quisquis est Auctor: stylus enim dissidet à stylo S. Hieron.) epist. 7. de viro perfecto tom. 9. *Arundinetum*, ait, *sunt infideles, inter quos justi in hoc mundo non sistunt, nec pedem mentemque figunt, sed quasi peregrini anhelantes ad cælum discurrunt*. *Quid est*, ait, *quòd astris per arundineta comparati volitabunt, & in fide ei forma fulgoris stirpes terrarum miserrimas permeabunt, cùm longè incongruè misceantur vel fulgores arundinetis, vel arundineta fulgoribus?* ac respondet: *Intellige per arundineti imagines infideles homines & incredulos demonstrari, eorumque corpora superficie grata, & interiùs cassa virtutibus: quæ ubi primùm spiritus vanitatis inflarit, sibila serpentis imitentur, & savos partus, viperarum progenies obsequantur. Scintillæ*, *inquit, in arundineto: Sancti ergo inter peccatores; quoniam non omnis caro eadem caro. In arundineto, ait, id est vacua luce corpora, & alienis arsura fulgoribus, quibus Sanctorum claritas futura pro pœna est: quoniam Deus ignis consumens est; & justi in imaginem Deitatis advenient*. Ex S. Greg. 33. Moral. c. 3. *Arundinetum*, ait, *vitam sæcularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris quasi ad alta proficiunt, sed intus à soliditate veritatis inanescunt*. Rursum S. Bonav. Hugo, & Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 5. Impius, inquiunt, est arundo, quia crescit arundo in luto, cedit vento, inanis est, instabilis, sonora, levis, vilis, infirma & igni apta: talis prorsus est impius, inter impios ergo discurrunt justi; similes scintillis ob subtilitatem, parvitatem, agilitatem, processionem de igne magno, & magnam aliarum rerum (putà proximorum) inflammationem, sive per charitatem eos convertendo, sive per zelum justitiæ eos pudore confusionis, & dolore gehennæ succendendo, fulminata unà cum Christo sententia damnationis, quæ eos velut paleas & arundines instar jacti fulminis afflabit, & siderabit. Sic Apostoli, quasi scintillæ discurrentes in arundinetis, imò spinetis conctarum gentium, omnes igne amoris divini inflammarunt.

Arundines sunt impii.

JUDICABUNT NATIONES, ET DOMINABUNTUR POPULIS) Justi omnes in judicio universali judicabunt gentes infideles, & populos impios judicio, non propriè dicto, sed metaphorico & comparativo, quia scilicet suæ vitæ & virtutum exemplo, tacitè condemnabunt sceleratam vitam impiorum, quàm proinde etiam viva voce redarguent, & dignam gehenna asserent: Sic Christus ait Lucæ 11. 31. *Regina Austri surget in judicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis; & ecce plusquam Salomon hic. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ; & ecce plusquam Jonas hic*. Hac ratione multi ex Patribus acceperunt judicium Sanctorum, ut S. Hieron. in 50. Isajæ: *Judicat*, inquit, *quis cum Domino non auctoritate regnantis, sed comparatione virtutum, quomodo & Apostoli judicant duodecim tribus Israel, & Ninivitæ & regina Saba populum Judæorum*. VERS. 8.

Unde piè & patheticè S. Aug. in Medit. cap. 4. *Tot*, inquit, *judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono: tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla: tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos junctis dederunt actionibus*.

Apostoli verò, ac viri Apostolici & Religiosi, præsertim Martyres, qui omnia pro Christo reliquerunt, quin & vitam pro illo in holocaustum obtulerunt, in judicio propriè judicabunt tamquam Assessores Christi, ejus sententiam approbantes & confirmantes. Hoc est enim, quod promittit Christus dicens Matth. 19. 28. *Amen*, inquit, *dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*.

Apostolici viri propriè judicabunt in die judicii.

Quare in judicio Martyres judicabunt & damnabunt suos olim reges & judices, à quibus iniquè judicati & occisi sunt, putà Machabæi judicabunt Antiochum, S. Petrus, & Paulus Neronem, S. Laurentius Decium & Valerianum S. Sebastianus Diocletianum, &c. Unde S. Cyprianus Exhort. Martyr. c. 12. *Quando ergo, judicaturos vos & regnaturos cum Christo cogitatis, exultetis necesse est, & futurorum gaudio præsentia judicia calcetis*. Et Tertull. ad Martyres cap. 2. *Judex expectatur*, inquit, *sed vos estis de judicibus ipsis judicaturi*.

ET REGNABIT DOMINUS ILLORUM IN PERPETUUM] Pronomen *illorum* non refertur ad τὸ *Dominus*, sed ad τὸ *regnabit*. q.d. Dominus Deus *regnabit illorum*, id est regnabit super eos, vel *in eis*, ut vertit Vatabl. Est græcismus. Græcè enim est *βασιλεύσει αὐτῶν*, id est, quasi

rex dominabitur eorum. Significat ergo, quòd rex justorum & Martyrum non erit Antiochus, Nero, vel Decius, uti fuit olim in hac vita; sed ipse Deus, qui in eis regnabit per amorem, & per gloriam, aspirando & communicando eis omne suum gaudium, omnes opes, omne regnum, omnem felicitatem, faciendo eos reges totius universi, juxta illud: *Regnum & potestas dabitur populo sanctorum Altissimi*, Daniel 7. 27. Quare tunc Deus erit omnia in omnibus, 1. Corinth. 15. 28.

Vers. 9. QVI CONFIDVNT IN ILLO, INTELLIGENT VERITATEM: ET FIDELES IN DILECTIONE ACQVIESCENT ILLI: QUONIAM DONOM ET PAX EST ELECTIS EJVS) Græcè πεποιθότες, quod est participium præteritum. q. d. Antea confisi in Deo.

Celebravit hucusque justorum in adversis fortitudinem, & Martyrum in tormentis constantiam; nunc, qui & quales illi sint, ostendit; nimirum qui confidunt in Deo, & fideles sunt in dilectione, quo simul declarat, qua via, quibusque mediis ad illam fortitudinem & constantiam perveniatur, nimirum confidentia in Deum, & amore fideli erga Deum. Sensus ergo est q. d. Hi sunt justi patientes, qui ob patientiam fulgebunt, & velut scintillæ discurrent, judicabunt nationes, & in æternum regnabunt cum Deo, qui scilicet jam antè toti confisi Deo, omnem suam spem in eo locarunt. Ex hac enim spe roborati à Deo [Deus enim in se sperantes, seque in adversis invocantes exaudit, solatur & roborat) fortiter adversa & tormenta quælibet sustinuerunt. Hi ergo illuminati à Deo intelligent veritatem eorum quæ dixi, scilicet justorum animas non interire cum corpore, sed esse in manu Dei, ab eoque confortari, curari & beari in æternum, ut in gloria cœlesti velut soles refulgeant, ac velut reges dominentur populis infidelibus & impiis. Rursum justi constantes, patientes quasvis tribulationes, sunt illi, qui fideles sunt in dilectione & amore Dei. Hi enim acquiescent illi, græcè, προσμενοῦσιν αὐτῷ, id est permanebunt apud eum, id est, ei in hac vita firmiter adhærebunt, ejusque cultui legique obedient. Unde unus ex illis dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas?* &c. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli*, &c. Causam subdit: *Quoniam donum & pax est electis Dei*. Sic quoque legit S. August. in Speculo & codex Vaticanus. q. d. Justi adeò sunt confidentes in Deum, Deique amantes, ideoque adeò in adversis constantes, quia sciunt Deum amicos suos electos nunquam deserere, sed iis adesse & opitulari, ideoque suum donum multiplicis gratiæ & virtutis, suamque pacem, id est omne bonum, ac præsertim requiem æternam in cælo, eis communicare, juxta illud Roman. 8. 29. *Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, hos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Porro Græca jam aliter habent, & nonnulla addunt: *Quoniam*, inquiunt, *gratia & misericordia sanctis ejus, & visitatio*, vel *respectus, in electis ejus*. Quæ verba clariùs sensum jam datum exprimunt. q. d. Deus sanctis suis dat gratiam patientiæ & constantiæ in hac vita, ac gloriam electis suis in futura. Porrò hæc verba habentur in Vulgata c. seq. v. 15. & inde videntur huc in Græcum translata, uti solerte advertit Jansenius.

Vers. 10. IMPII AVTEM SECVNDVM QVÆ COGITAVERVNT, CORREPTIONEM HABEBVNT: QVI NEGLEXERVNT JVSTUM, ET A DOMINO RECESSERUNT) Transit à justis ad impios, horumque sortem cum illorum sorte per antithesin componit, opponit & postponit; quòd sicut illorum sors est felicissima, sic horum sit infelicissima, etiam in hac vita. Sensus ergo est q. d. Sicut pii recipient gloriam secundùm suas patientiæ cogitationes & passiones: sic impii recipient correptionem; græcè ἐπιτιμίαν, id est mulctam & pœnam; Vatabl. *mulctabuntur*; alii, *punientur*, secundùm suas injuriæ & scelerum cogitationes & persecutiones, quibus pios spoliarunt, vexarunt, occiderunt. Unde explicans subdit: *Qui neglexerunt justum*, id est, eum velut vilem & neglectum omnibus probria malisque affecerunt. Est miosis. Vel *neglexerunt justum* in neutro genere, id est justitiam violarunt, omne jus fasque conculcarunt, idque magis respondet illi, quod explicans subdit: *Sapientiam enim & disciplinam qui abiicit, infelix est*.

SECVNDVM QVÆ COGITAVERVNT) Id est pro merito pravarum cogitationum & volitionum: ex hisce enim procedunt pravi sermones & pravæ operationes, inquit S. Bonav. Lyran. & Dionys. Aut Secundò, q. d. Corripientur & punientur, prout ipsi conscientia dictante dum peccarent, cogitaverunt, id est augurati & ominati sunt; supplicia quæ timuerunt, reipsa eis obvenient: incident in mala, quæ expaverunt, juxta illud Job 3. 25. *Quia timor, quem timebam, evenit mihi*. Magna enim supplicii pars est, præsagitio, angor, jugisque formido illius velut capiti imminentis. Nam ut dicitur Proverb. 10. 24. *Quod timet impius, veniet super eum: desiderium* (quoque) *suum justis dabitur*.

ET A DOMINO RECESSERUNT] ad diabolum, velut apostatæ, perfidique & sacrilegi proditores: unde græcè est, καὶ τοῦ κυρίου ἀποστάντες. q. d. Apostatantes à Domino, illique rebellantes; quia spreta justitia dederunt se totos injustitiæ & sceleribus. Agit maximè hic & toto libro de tyrannis & injustis judicibus, qui ut suæ ambitioni, avaritiæ, libidini & tyrannidi planè indulgeant, tandem apostatant à fide & Deo, fiuntque hæretici vel athei, quales multos hoc ævo vidimus. Unde Cantacuzenus legit, *qui neglexerunt Dominum, & à justitia recesserunt. Primum enim*, inquit, *illud est ut negligatur Dominus, & ab ejus gloria simul & cultu recedatur: deinde ut illius quoque præcepta contemnantur*.

SAPIENTIAM ENIM ET DISCIPLINAM QUI ABIICIT, INFELIX EST: ET VACUA EST SPES ILLORVM, ET LABORES SINE FRVCTV, ET INUTILIA OPERA EORUM) *Disciplinam*, græcè παιδείαν, id est instructionem, eruditionem, castigationem puerorum, qua scilicet puerilis hominum levitas, petulantia & cupiditas corripitur & castigatur. Hinc & ipsa virga, sive flagellum, ipsaque flagellatio, vulgo vocatur disciplina. Rursum omnia adversa quibus Deus justum erudit, purgat & perficit, sunt disciplinæ Dei. Audi Apost. Hebr. 12. 5 *Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit, quis enim filius, quem non corripit pater? Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ*. Nam ut ait S. Cyprian. initio libri de Disciplina & habitu Virgin. *Disciplina est custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis. Facit in Christo manere semper, ac jugiter Deo vivere, & ad promissa cælestia, & divina præmia pervenire. Hanc & sectari salubre est, & adversari & negligere lethale*. *Laus disciplinæ.*

Disciplina ergo est instructio, & formatio morum ad omnem honestatem & virtutem. Hanc *qui abiicit*, græcè ἐξουθενῶν, id est contemnens, vilipendens, nihili faciens; qui scilicet ea, quæ agere debet, discere negligit; aut si scit, opere non exequitur, *infelix est*; græce ταλαίπωρος, id est ærumnosus, miser, calamitosus; quia in multas ærumnas Deo vel homine vindice incidet, juxta illud psalm. 2. 10. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa*. Ex adverso, *beatus homo, qui invenit sapientiam*, uti ait & fusè describit Salomon Prover. 3. 13. & seq. & Eccli. cap. 1. 19. & seq. Sapienter S. Leo serm. 7. de Epiphan. *Tota*, ait, *sapientiæ Christianæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, nec in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & voluntaria humilitate consistit*. Paulò aliter legit & explicat S. Aug. (vel quisquis est Auctor: stylus enim dissonat à stylo S. August.) tractat. de Bono disciplinæ c. 5. ubi sic ait: *Ecce dicit Propheta. Qui spernit disciplinam, odit animam suam. Et verè ut dixit, ita est: nam hostis est & inimicus animæ suæ, qui spretis disciplinæ monitis, diabolicis occupatur officiis. Dicunt aliquanti, disciplinam satis duris legibus constitutam. Loquantur ista satis miseri, quos ad omne facinus ille diabolus auctor mortis invitat, quorum mentes insatiabilis gula possidet, super quos regnat ebrietas, quos turpis luxuria captivos tenet, & à quibus nunquam superbia ingrata discedit. Illis autem quibus est studium honestæ fidem servare continentiæ, humilitati pietatique servire, dulce disciplinæ onus est, & leve jugum Domini, quod non gravat, nisi aut perditos, aut perituros*.

VA-

VACUA EST SPES ILLORUM) insipientium, id est A impiorum, cum sapientum & justorum *spes immortalitate plena sit*, ut dixi v. 4. Ratio à priori est, quòd impius careat gratia & charitate, quæ est principium & fons omnis meriti de condigno: quare esto impiùs oret, jejunet, det eleemosynas, &c. tamen per ea non meretur vitam æternam & gloriam cælestem: opera ergo ejus, etiam aliàs bona & meritoria, in ipso quasi inania, & mercede vacua sunt. Rursum *vacua est spes illorum*, quia opes, gloriam & felicitatem, quam sperant, non assequuntur. Hinc *labores sine fructu*, græcè ἀνόνητοι, id est sine utilitate & pretio sunt, imò verò noxii & exitiales; quia laborant serviuntque peccato & dæmoni, ad æternam suam damnationem. Aliqui legunt ἀνόητοι, id est fatui: stulti, insensati sunt labores impiorum, quia ipsi sunt insensati & stulti. Hinc & *inutilia opera*, imò perniciosa, quia impia. Perperam Hugo, Holkot, Dion. & Glossa legunt, *inhabitabilia opera*, sicque exponunt q. d. In quibus Deus non inhabitat; vel quæ habitationi, convictui & societati hominum repugnant; vel quę eos ab habitatione Ecclesiæ, tum militantis, tum triumphantis, putà à cælo, excludunt. Verùm parerga sunt B hæc omnia: græcè enim est ἄχρηστα, id est *inutilia*.

Laborant ergo pii & impii, sed pii parvi laboris magnam referunt mercedem, scilicet æternum gloriæ pondus, ut ait Apost. 2. Corinth. 4. impii verò magni laboris nullam referunt mercedem, sed ingentem pœnam, tum præsentem, tum futuram, putà incendia gehennæ. Quàm ergo pii sapientes sunt; impii verò amentes & insipientes!

VERS. 12. MULIERES (uxores) EORUM INSENSATÆ (ἄφρονες: id est amentes, stultæ) SUNT ET NEQUISSIMI (græcè, πονηρά, id est pravi, nequam per antonomasiam, id est nequissimi) FILII EORUM) q. d. Insipientium, id est impiorum, inter alias hæc sors & pœna est, quòd uxores & filios habeant sibi similes, putà insipientes, id est pravos, sceleratos & impios. Maritus enim velut pater familias toti familiæ suam insipientiam, id est sua vitia, verbo & exemplo affricat, & instillat, juxta illud: *Mali corvi malum ovum* Et illud Senecæ in Hyppolyt.

Redit ad auctores genus,
Stirpemque primam degener sanguis refert.

Et illud lib. 4. Esdræ c. 9. 17. *Qualis ager, talia & semina; & quales flores, tales & tincturæ; & qualis operator, talis & creatio; & qualis agricola, talis & cultura.*

Secundò, propriè per *insensatas* intelligit adulteras, & consequenter per filios *nequissimos* accipit spurios & adulterinos. q. d. Hæc est pœna impiorum, ut, cùm ipsi sint infideles Deo, uxores pariter experiantur sibi infideles & adulteras, quæ proles ex alio viro, putà, adultero, susceptas marito quasi proprias arrogent & substituant. De adulteris enim & adulterina sobole in seqq. agitur ita Jansenius. Hinc disce viros, qui fidem Deo datam violant, impieque vivunt, Deo vindice id consequi, ut nec ab uxoribus eis fides præstetur, nec à filiis honor. Docet hoc Apost. Rom. 1. 21. *Qui*, inquit, *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ: nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam.* Hinc apud hæreticos eorumque Prædicantes tot sunt adulteria, fornicationes & incestus, sed occulti: qui enim fidem Deo non servat, quomodo servabit homini? qui credit vel docet castitatem servatu impossibilem, quomodo eam ser- D vabit, imò quomodo credet eam sibi possibilem?

Filii sequuntur parentum mores. Moraliter discant hic mariti, si probas & castas velint habere uxores & proles, ipsi eis probitatis & castitatis exemplo præeant: hoc enim sequentur ipsæ, ac Deus mariti probitatem, hoc congruo suorum præmio remunerari solet: si enim maritus sit improbus & incestus, improbam & incestam habebit uxorem ac liberos. Rursum, si mater sit impudica, impudicitiam ab ea discet filia. Ita communiter fieri videmus, etsi subinde contrarium per extraordinariam Dei

Gnome. providentiam contingat. Hinc D. Ambr. l. 3. de Virgin. loquens de Herodiade: *Quid*, ait, *potuit filia de adultera Matre discere, nisi damnum pudoris?* Ideoque Ezechiel Propheta c. 16. 44. *Sicut*, ait, *mater, ita & filia ejus.* Et in hanc sententiam Glos. in c. *Si quis cum militibus*, 6. q. 1. adducit versum vulgarem:

Insequitur leviter filia matris iter.

Unde & Virgilius in Bucolicis eclog. 1.

Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos
Noram.

Cornel. in lib. Sapientiæ. x v.

Cujus auctoritate Columella lib. 3. Rei rusticæ: *Nihil*, inquit, *dubium, quin ipsa natura sobolem matri similem esse voluerit.* In idque alia quædam scribit, trahitque etiam ad vineta. Diogenes Cynicus teste Laertio cùm ebrium in foro vidisset: *Illius*, inquit, *pater ebrius fuit.* Horat. l. 4. Carm. ode 24. sic canit: *Dos est magna, parentum Virtus.*

Porro adulterorum uxores sæpè esse adulteras liquet, tum experientia, tum ratione. Adulterium enim viri facit uxorem impudicam; tum quia dat illi exemplum libidinis: viri enim mores uxori sunt speculum, quod ipsa imitetur. Tum quia illi suggerit modum se vindicandi: uxor enim videns fidem sibi à marito datam non servari; fidem pariter ei non servat, utque injuriam per adulterium ab eo illatam vindicet, similem illi injuriam per adulterium irrogat. Ovidius libro de Art. exemplum dat Agamemnonem & Clytemnestram: *Adulteri uxor fit adultera: cur?*

Dum fuit Atrides, inquit, *una contentus, & illa*
Casta fuit: vitio est improba facta viri.

Et mox:

Et malè peccantem Tyndaris ultra virum est:

B Quo circa Arist. lib. 2. Oeconom. c. 4. *Primùm*, inquit, *leges sint viro ad uxorem: ut injuria esset sic nec ipse injuriam patietur. Est autem* (ut ille paucis interjectis scribit) *viri injuria externarum mulierum congressio.* Et ut scribit Seneca ad Lucil. epist. 95. *Gravissimum est in uxorem injuriæ genus, habere pellicem.* Quo circa sapienter maritum admonet Lactant. lib. 9. *Exemplo*, inquit, *continentiæ docenda uxor, ut se castè gerat. Iniquum est enim, ut id exigas, quod ipse præstare non possis.* Et paulò pòst scribit uxorem ejus, qui circa corrumpendas alienas uxores occupatur, exemplo incitatam aut imitari se putare, aut vindicare. Idque est, quod ipse S. Augustinus similiter in c. *Si dicturi*, 32. q. 6. monebat, ut, quales volumus uxores nostras invenire, & ipsæ nos inveniant; & si intactas quærimus, intacti simus. Hac de causa Job ille vir rectus & timens Deum cap. 31. 9. *Si deceptum est*, ait, *cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum; scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii.* Sed & Æsopus apud Planudem, ita Ennum filium monet: *Semper uxori tuæ adhære, ne alterius viri periculum velis facere.* Huc quoque pertinet il- C lud Osee 4. 14. *Non visitabo super sponsas vestras cùm adulteraverint; quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur.* Tamquam scilicet quodammodo excusentur mulieres adulteræ, ob virorum adulteria. Hinc Seneca epist. 94. ad Lucilium: *Improbus est*, inquit, *qui ab uxore pudicitiam exigit; ipse alienarum corruptor uxorum.* Denique S. August. tract. de Decem chordis: *Si caput*, inquit, *est vir, meliùs debet vivere, & præcedere in omnibus factis suis uxorem, ut illa imitetur virum.* Nam ut ait Pacatus in Panegyr. ad Theodos. Imper. *Imperata correctio exasperat, blandissimè autem jubetur exemplo.* *Gnomæ.*

MALEDICTA CREATURA EORUM, QUONIAM FELIX EST STERILIS? ET INCOINQUINATA, QUÆ NESCIVIT THORUM IN DELICTO, HABEBIT FRUCTUM IN RESPECTIONE ANIMARUM SANCTARUM] Syrus, *maledicta est progenies eorum: quoniam melius est sterili quæ non est coinquinata, quæ ignoravit lectum casus*, vel *ruinæ*; Arabicus, *maledicta conditio eorum: quoniam sterilis quæ non habet maculam, in se beata, quæ nescivit lectum in ruina*, VERS. 13.

D Opponit piorum prolem proli impiorum. q. d. *Creatura*; græcè γένεσις, id est generatio & progenies, putà filii & filiæ sunt maledicti, id est impii & scelerati; tum quia parentes vitia uti corporis, sic & animæ, in proles generando trajiciunt: utrimque enim infectum est semen parentum. Unde videmus, si parentes sint calculosi, podagrici, epileptici, ebriosi, libidinosi, adulteri, filios quoque iisdem morbis & vitiis obnoxios: tum quia parentes impii implè educant suas proles, ac vitiorum, quibus obnoxii sunt, exempla quotidie filiis suis præbent. Quid enim discat filius à parente, quem quotidie rixari, jurare, inebriari videt, nisi ut & ipse rixetur, juret, seseque inebriet? Paternum enim & domesticum exemplum potens est & efficax in animis filiorum: quare eos suorum vitiorum hæredes relinquit. Ex adverso *felix est mulier sterilis & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto*, id est quæ cubile & lectum adulterii & fornicationis ignorat, id est, quæ immunis est ab adulterio & fornicatione: licet enim sit sterilis, tamen non carebit suo fructu & prole in judicio, quo Deus visitabit, judicabit, res-

piciet & præmiabit animas castas & sanctas. Præfert ergo mulierem probam & castam, licet sterilem, impiæ & incestæ, licet fœcundæ & prolibus abundanti; quod hæc proles impias generet, educet & formet; illa verò præmium illustre suæ castitatis consequatur à Deo. Unde Budæus in Pandectas vertit, *execrabilis eorum genitura, quando beata sterilis non inquinata*. Non enim omnem sterilem beatificat, ait Jansen. sed non inquinatam; sicut nec v. seq. omnem spadonem, sed eum, qui non est operatus iniquitatem, & non cogitavit prava contra Deum. Unde & S. Hieron. in c. 56. Isajæ & 9. Oseæ legit: *Beata sterilis immaculata, quæ non cognovit stratum in delicto*, vel *cubile in peccata*, putà adulterio: hoc enim ob enormitatem antonomasticè dicitur delictum, vel peccatum. Vatabl. *sanè beata est sterilis incontaminata, quæ concubitum flagitiosum non novit, fructum in cognoscenda animarum causa capiet*. Per *sterilem* nonnulli accipiunt conjugatam, quæ servat castitatem conjugalem, & thorum immaculatum in matrimonio. Ita Hugo & D. Thom. & noster à Castro, qui appositè & contrapositè sic exponit: Maledicta creatura, id est proles impiorum, utpote ex adulterio habita. q. d. Infelix illa uxor, quæ quòd non generet ex viro suo, & ipsa flagitium committit maculando thorum viri sui, & filios generat execrandos. Sanè multò felicior est infœcunda, quæ contenta orbitate filiorum oon est passa maculare aut coinquinare lectum suum delicto; nempè quod non cognovit thorum seu lectum in delicto, pro non cognovit delictum in thoro per hysteron proteron, hoc est, concubitum flagitiosum: Deum enim prætulit filiis.

Beata sterilis: quæ.

Resp. Virgo.

Meliùs tamen, pleniùs & perfectiùs alii per *sterilem inquinatam* accipiunt virginem: hæc enim sola est *incoinquinata*, id est incorrupta, non marcida, quæ florem virginitatis illibatum servat: mox enim cap. 4. 1. in virginitatis laudes excurrit. Nam conjugata in veteri testamento si esset sterilis, non tam benedicta, quàm maledicta censebatur, utpote carens communi donio illius ævi, scilicet fœcunditate. Ita de virgine hunc locum accipit Ecclesia in officio Ecclesiastico de Communi Virginum, & S. Hieronym. loco jam citato, ac S. Ambros. lib. 1. de Virgin. ubi legit, *melior sterilitas cum virtute*. Sic & Holcot, Dionys. & noster Gabriel Vasquez, quem audi: Nescire thorum in delicto, non est violare thorum per adulterium, sed idem quod esse sine uxore, cum qua quis in eodem thoro cubare posset, eò quod eunuchus vel sterilis sit, & tamen esse plenum bonis operibus: sicut è contra fœcundus, & qui filios habet, etiam ex legitimo thoro, tamen legem Dei non servat, dicitur scire thorum in delicto, id est scire thorum & habere fructum matrimonii, & simul contra legem Dei peccare. Ita Vasquez 3. p. t. 2. disp. t 24. n. 47.

Idem patet ex versu seq. ubi quod hic dixit de femina, dicit de viro, eumque vocat *spadonem*, id est eunuchum, qui nequit aliud esse, quàm virgo. Idem exigit præmium eminens utrique promissum v. 14. *Dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima*, quod utique non conjugatis, sed virginibus datur.

Igitur *quæ nescivit thorum in delicta*, idem est quod, *quæ nescivit delictum* (putà adulterium, fornicationem) *in thora*, id est lecto, qualis tum est conjugata per castitatem conjugalem: tum potiùs virgo per castitatem virginalem, ideoque dicit, non *quæ nescivit delictum in thora*, sed *quæ nescivit thorum in delicta*. q. d. Virgo adeò abest & abhorret à delicto adulterii & foroicationis, ut ipsum thorum sive lectum concubitus, quo delinqui potest, & quo delinqui solet, ignoret. q. d. Virgo omnem concubitum, omnem copulam ignorat.

Sensus ergo planus & plenus est q. d. Maledicta est generatio, id est tam parentes, quàm proles adulterinæ & sceleratæ impiorum, quia ex adverso benedicta & felix est generatio & stirps piorum. Nam felix est uxor incoinquinata, ideoque quoad prolem corporalem sterilis, quæ omnem omnino thorum & concubitum, quo delinqui solet, ignorat: habebit enim fructum copiosum in respectione animarum sanctarum.

Excurrit hic Sapiens in vituperium libidinis, & encomium castitatis & virginitatis, quia sapientiæ comes, imò soror, est castitas & virginitas. Unde S. Gregor. Nazianz. teste Ruffino, per visum utraque specie feminea & virginea apparuit, illoque feminas aversante, vultumque avertente, ab eis audivit: *Ne ægrè feras ô juvenis nostrum conspectum: sorores enim sumus, tibique familiares: uni nomen est*

Visio S. Gregorii Nazianz.

A *sapientia, alteri castitas. Visitare te venimus, quia jucundum nobis in anima sua habitaculum præparasti*.

Studium servat castitatem: cur?

Quo circa amor sapientiæ tuetur castitatem, castitas vicissim incitat ad studium sapientiæ. Olim multis Religiosis hoc dedi consilium, & etiamnum do, ut, si velint puritati animæ, & bono Religionis suæ consultum, in eam inducant cum pietate studium litterarum, præsertim Theologiæ & sacræ Scriptur. per hoc enim tollitur otium, quod est causa omnis mali, ac mens à carne carneisque voluptatibus elevatur ad cognitionem, & gustum rerum divinarum; tertiò, homo fit doctus, ut & alios docere, & ad perfectionem erudire possit: quare experientia constat, nil ita reformare Religionem & disciplinam monasticam, ac studia litterarum pietati juncta. Sanè in Societate nostra multi mirantur hæc tria ita contraria conjungi, scilicet tantam humilitatem cum tanta scientia, tantam obedientiam cum tanta prudentia, tantam castitatem cum tanta juventute; sed causa post Dei vocationem & gratiam, est assiduum studium sapientiæ. Semper enim discimus & docemus, quo fit, ut casti simus, & tentationes carnis vel non sentiamus,
B vel per Dei gratiam superemus, juxta illud S. Hier. *Ama scientiam Scripturarum, & vitia carnis non amabis*. Tantùm curent studiosi sapientiæ, ante omnia studere cognitioni Dei & sui ipsius, ut Deum summè revereantur, seipsos summè despiciant; nam alioqui *scientia inflat, charitas ædificat*, ait Apostol.

Apologus cælibatus est phœnix.

Hujus sententiæ veritatem insigni phœnicis & viperæ apologo aureis gnomis ceu gemmis insperso, repræsentat Cyrillus lib. 4. Apolog. moral. c. 7. *Vipera*, inquit, *phœnicem solitariam recumbentem reperiens; salutavit, & dixit, Ut quid tu sola sedes, ubi est tui generis amica societas? cui illa: Quippe sola sum in genere meo, nec ullius in me est sexus discretio, una tantùm sum & singularis in mundo. Quo audito mirata valdè vipera dixit: Numquid tibi soli fuit illiberalis natura, cum cæteris animalibus tam sit in generationis suavissimo gaudia, & gratissimo prolis bono? Ad quid tibi pulchritudo hæc, postquam privata es vitæ conjugalis dulcedine, & coeundi delectatione? Nempe si morituraes, tota deficies; si immortalis, in æternum eris tristis. Quid plura? In hac tua castitate, tibi oculis clausis & obturatis, quid ma-*
C *lum bonumque sit numquam senties, neque nosti. Ad hæc illi phœnix, venereorum non ignara fastidii, & puritatis non inscia gaudii, minimè turbata respondit: Ibi est summa & gaudiosa societas, ubi totius speciei intima est unitas. Igitur quia singularis specie sum assimilata cælestibus gaudeo intentissimè, totam & non partialem me esse exulto. Tota enim res, tota vis in me una, & omnis bonitas mei, species est clara. Quòd si generationis lepore non fruor, etiam aurum, sapphirus, stella, orbis & animus non generant, nec minùs tamen pretiosa se putant. Indignior enim à primo bonitatis fonte per dissimilitudinem elongata natura, semper in sua unitate esse non potuit: sed ex divisione successivæ generationis pensatur solatium, cur non etiam ejus desudationis tormentum? Quamquam enim fœtus una instantanea delectatione concipitur, tamen abominatione fovetur, labore portatur timore servatur, dolore parturitur, periclitatione gignitur, fœtore nutritur, servitute augetur, anxietate diligitur, & in puncto cum maxima tribulatione amittitur. An fortè tu sola gaudeas de generatione, experientia disces, concipies enim delectabiliter, & lethaliter paries; cùm prolem nutriveris, tunc propter eam te perdendo ipsam amittes.*
D *Atque ita paras tibi charissima cibum mortis. Dic amabo quænam gratia galline est quæ pullos genitos tanto amoris impetu foves? Nonne ab eis cùm creverint, ignoratur?* Ex quibus castitatem sibi suique similibus gratulans, concludit: *Hoc ergo meum gaudium est generare me ipsam; meum solatium est, fovere meipsam, dum sine divisione & maculatione, igne purificante me ipsam genero; & cùm senio gravis deficio, tunc innovata resurgo, & sic veriùs semper vivo. Cinis enim meæ resolutionis, semen est vivificum novæ vitæ. Ne dicas certè in vacuum me depravasse, vel depurasse naturam, cùm sim gemmatæ & floridæ castitatis exemplum; & ob hoc non solùm delectationem veneream me nescivisse non tribulor, sed inviolabili puritate ligata eam nunquam me noscituram delector. Tua ergo scientia, imò concupiscentia sit boni & mali, quo momentanea dulcedine coitus, furore libidinis insanis, & perdis in æternum vitam & caput. Quo dicto, ab invicem sunt divisi.*

Ejus gaudia.

HABEBIT FRUCTUM IN RESPECTIONE (græcè rursum est, ἐν [illegible], id est in visitatione, inquisitione, examine, respectu) ANIMARUM SANCTARUM) id est, cùm singularum merita visitabuntur, dijudicabuntur

& præ-

& præmiabuntur, uti legit & explicat S. Hieron. in cap. 56. Isaiæ. Τὸ *sanctarum* non est in Græco, sed subintelligitur; non enim præmiabuntur animæ, nisi sanctæ. Hoc ergo addidit Uulgatus ad contrahendum nomen respectionis, ut significet remunerationem sanctitatis. Sensus ergo est. q. d. Castæ & virgines esto sint steriles, id est careant prole; suum tamen habebunt fructum, id est mercedem, in futuro sæculo, putà in die judicii, quo Christus omnium dicta factaque visitabit, id est examinabit, judicabit & coronabit. Potest Secundò, cum Petro Nannio per *fructum* accipi proles: hæc enim merces aptè respondet sterilitati. q. d. Virgo licet sit sterilis, nec corporales generet filios; non tamen carebit sua prole spirituali, prole inquam virtutum ex castitate manantium, quomodo proles castitatis, est oratio, meditatio, abstinentia, eleemosyna, &c. ac gloria & aureola iis respondendens in cælo. Rursum proles virginum sunt alii Sancti, quos virgines suo verbo & exemplo ad sanctitatem & virginitatem impulerunt: hi enim sunt filii spiritus, non carnis. Qua phrasi S. Ambros. libr. de Arca & Noe c. 4. *Probati viri genus*, ait, *prosapia, virtutis est: & sicut hominum genus homines sunt, ita animarum genus virtutes sunt.*

Alludit ad Isaiæ c. 56 3. *Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum*, &c. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Ubi fusè hac de re egi. Quare hic plura non addam.

Nota hic ante Christum in veteri testamento extitisse laudem & consilium Euangelicum cælibatus & virginitatis; licet enim hæc propheticè accipi possint de novo testamento, ubi hæc verissima esse conspiciuntur; Sapiens tamen in genere loqoitur de omnibus castis, etiam sui ævi, ut patet. Unde S. Ignatius epist. ad Philadelph. tradit in veteri testamento virgines fuisse Eliam, Eliseum, Josue, Jeremiam, Melchisedec & Joannem Baptistam: virgines quoque fuere filii Prophetarum, de quibus in libris Regum crebra fit mentio.

Præclarè S. Gregor. Nazianz. in carm. de Virginitate, hæc ei dat elogia:

Virginitas res est omni mirabilis ævo.
Virginitatis amor mentes ad sidera tollit.
Prima Trias virgo est, hoc est, prima virgo est S. Trinitas.
Virginitas magni pars inclita Christi.
Virginitas promtissima cæli
Semita, consiliisque Dei sapientibus hærens.
Virginitas (Danielis) *fulvos potuit sopire leones.*
Virginitas Angelorum vita.
Virginitas decoratur conjuge Christo.

ET SPADO (græcè, eunuchus) QUI NON OPE-
VERS. 14. RATUS EST PER MANUS SUAS INIQUITATEM, NEC COGITAVIT ADVERSUM DEUM NEQUISSIMA [repete ex v. præcedenti, *Felix est*. Rationem subdit) DABITUR ENIM ILLI FIDEI DONUM ELECTUM) Laudavit virginem feminam, hic à pari laudat virginem virum, illumquè virgini feminæ combinat & adæquat. q. d. Sicut dixi felicem esse feminam sterilem & incoinquinatam, id est virginem: sic pariter felicem esse prædico virum virginem: qui scilicet per propositum vel votum castitatis, quasi spado vel eunuchus, se castravit propter regnum cælorum, juxta consilium Christi Matth. 19. 12. puta, qui ex amore puritatis omnem libidinis usum sibi interdixit, ideoque *non operatus est per manus suas iniquitatem*, putà pollutionem, tactus impudicos, aliaque scelera, tum libidinis, tum aliorum vitiorum. *nec cogitavit adversus Deum nequissima*, græcè πονηρά, id est mala & prava. q. d. Qui nec per actus manuum, nec per pravas cogitationes mentis in Deum peccavit; qui manus ab opere vetito, & mentem à mala cogitatione, præsertim venerea (hac enim sæpè peccatur etiam à continentibus, per internam libidinis delectationem morosam, etiamsi actus externus absit, imò horrori sit) cohibuit, imò manibus multa bona operatus est, & mente, multa pia cogitavit & destinavit. Est miosis. Virgines enim liberæ ab oneribus conjugii totæ vacant Deo, piisque cogitationibus & operationibus, ideoque merentur tantum præmium, quantum subdit.

Minùs appositè Dionys. *spadonem* accipit per naturam, qui scilicet natus est eunuchus, vel castratus ab hominibus: *Hic enim*, inquit, *cogitare potest contra Deum, ac murmurando dicere: Cur me creasti eunuchum & impotentem ad generandum?* Ab hoc enim murmure abstinere, est præceptum, ideoque laus exigua, quæ tamen magna huic spadoni datur, cùm subditur: *Dabitur enim illi fidei donum electum*, &c. Ego spado hic non per naturam, sed per voluntatem & virtutem intelligitur, putà cælebs & virgo. Magis appositè noster à Castro spadonem accipit virum conjugatum, sed orbum liberis propter uxoris fortasse sterilitatem, qui ita fidelis est legi Dei, ut superet filiorum cupidinem, quæ adeò populum illum occupabat, ut multi non vererentur ex alienis uxoribus filios sibi procreare contra Dei præceptum. Ille ergo eunuchi nomine hic commendatur, qui ita adhærebat divino præcepto, ut ne illud transgrederetur, sua fidelitate vinceret amorem filiorum, & opprobrium quod sterilibus eo tempore oriebatur. Nam id ostendit quod dicit: *Felix sterilis immaculata, quæ nescivit thorum in delicto*; & felix eunuchus, *qui non est operatus iniquitatem*: at infelices impii, qui ex adulterio filios procreant. Nam ejusmodi filii profani erunt, & delebuntur tamquam ex iniquo thoro nati. De ejusmodi ergo eunuchis loquitur. hæc ipsa. Licet enim spado significet propriè eunuchum, qui nequit esse maritus, utpote impotens ad copulam conjugalem; tamen ad orbum, qui filios alia de causa procreare nequit, extendi potest. Omnia hæc eò spectant, ut præferant carentiam filiorum cum virtute, copiæ filiorum cum vitio: unde ca. sequent. v. 1. Græcus habet, *melius est esse sine filiis cum virtute.*

DABITUR ENIM ILLI FIDEI DONUM ELECTUM, ET SORS IN TEMPLO DEI ACCEPTISSIMA) Græcè *dabitur enim fidei gratia electa, & sors in templo Domini acceptior, jucundior* vel *gratior*; vel, ut S. Hieronym. in 56. Isaiæ, *delectabilis*, Græcè est, θυμηρέστερος, id est animo placentior, à θυμῷ ἀρέσκω, id est *animo placeo*: aliqui legunt, θυμηδέστερος, id est *animo delectabilior*, à θυμηδέω, id est *animum oblecto*; sed eodem redit sensus.

Donum electū virginis quod?

Quæres, quodnam *fidei donum electum* hic promittatur spadoni voluntario, putà virgini? Primò, Lyran. accipit fidei donum omnibus electis commune. Secundò, S. Bonav. & Vatabl. accipiunt fidem, non quamlibet, sed efficacem & eminentem, quæ in spe beatificat, esto nec dum in re, atque ex Dei electione datur, ac homines efficit perfectos. Tertiò, Cantacuzenus accipit collocationem ad dexteram Christi in die judicii: hoc enim est proprium & eximium electorum donum. Quartò, Dion. accipit donum puritatis internæ, & interioris profectus. Quintò, magis planè & genuinè noster à Castro explicat q. d. Ut fides, id est fidelitas ejus in Deum, qua contra tentationes carnis, quæ creberrimæ & vehementissimæ sunt, constanter dimicavit, coronetur insigni & exquisita gratia Dei, quam explicat, dum subdit: *Et sors in templo Dei acceptissima*; græcè, *gratior & jucundior*. Hæc ergo sors & gratia electa, promissa virginibus, est peculiaris sensus & gustus rerum spiritualium, cælestium & divinarum, quem Deus eis impertitur. Congruum enim est, ut qui amore Dei privant se voluptatibus carnis, spiritus consolationes persentiscant; ut qui hominem sponsum renuunt, sponsum accipiant Deum & Christum; ut qui liberos à se abdicant, Angelorum & Sanctorum consortio fruantur: sic enim fruuntur virgines, quæ in templis & oratoriis vacant orationi, lectioni, concioni, meditationi rerum cælestium, ac piis operibus. Hæc est beata sors Magdalenæ, quam ei attribuit Christus dicens: *Optimam* (id est sanctissimam perfectissimam, summè meritoriam æquè ac iucundissimam) *partem sibi elegit Maria, quæ non auferetur ab ea*, Lucæ 10. 42. Gratia ergo electa virginum est, vita & conversatio angelica, qua liberi & vacui cura conjugum, filiorum, ancillarum, quietam agunt vitam in Dei obsequio & cultu, ubi crebrò sentiunt multitudinem dulcedinis Domini, delicias charitatis, gloriam conscientiæ, pacem & gaudium spiritus: quæ est unctio docens de omnibus, & manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit, juxta illud Apostoli 1. Corint. 7. 34. *Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Et mox virginitatis fructum & mercedem affert, *quòd facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi*, vel, ut alii legunt, *observandi*, quòd sanè est donum electum, imò angelicum, quod summam in cælis laudem & gloriam promeretur. Unde Holcot & Lorinus per

Resp. — *Primò.* — *Secundò.* — *Tertiò.* — *Quartò.* — *Quintò.*

donum electum accipiunt peculiarem coronam virginum, quæ aureola dicitur: hæc enim dabitur fidei, id est fidelitati, eorum, qua respuentes omnes maritos terrenos, uni Christo, ceu sponso, fidem castitatis dederunt & servarunt, juxta illud 2. Corint. 11. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Hinc rursum *fides* hic propriè accipi potest. Virgines enim, quæ tota vita se continent, & assiduos carnis insultus mortificando strenuè pro castitate decertant, merentur fidei donum electum, id est eximiam rerum cælestium, quas fide credimus, cognitionem, amorem, sensum & gustum, uti jam explicui.

Denique *fidei donum electum* posset tribui non solis virginibus, sed & conjugibus illiberis; utrosque enim opponit & anteponit adulteris, prole adulterina abundantibus. Conjugii enim & conjugum donum electum est triplex, scilicet fides, proles & Sacramentum. Fides, est fidelitas & conjugalis amor, qui supplet defectum prolium. Unde Elcana dicebat Annæ uxori sterili: *Numquid non ego melior tibi sum, quàm decem filii?* 1. Reg. 1. Sacramentum, quia conjugium in nova lege est Sacramentum, & gratiam confert. Verum *donum electum* magis propriè & plenè competit virginibus.

Et soas in templo Dei acceptissima) Quænam hæc sors virginibus promissa? Aliqui hanc sortem interpretantur peculiarem curam, & singulare Dei patrocinium. Verùm hæc mystica est sors. Litteralis ergo est illa, quam dixi, scilicet peculiaris gratia, quæ datur virginibus, ut aveant & gustent totæ servire Deo, ideoque ire de virtute in virtutem, ut animas suas perficiant, quò plenè placeant sponso suo Deo & Christo, quæ est sanctissima, æquè ac quietissima & jucundissima sors & vita Magdalenæ, uti jam exposui.

Alludit ad eunuchos per naturam: hi enim velut exsecti, mutili & semiviri, Ecclesia Mosaica arcebantur, Deuter. 23. 1. uti etiamnum Jure Canonico arcentur sacerdotio. Sensus est q. d. Eunuchi per naturam arcentur templo Dei: at ego eunuchos per virtutem & gratiam in meo templo, id est in mea Ecclesia, tum militante, tum triumphante, velut primos primo optimoque loco collocabo.

In Ecclesia enim militante à Christo, Apostolis & Patribus, virgines præferuntur viduis & conjugatis. Unde à Tertull. lib. de Pudicitia, S. Cypriano, S. Athanasio, S. Basilio ac S. Chrysost. tract. de Virgin. status virginum vocatur *flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguiais, fides generis, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis flos Ecclesiastici germinis, gaudium Prophetarum gloria Apostolorum, Angelorum vita, corona Sanctorum; beata species Deoque digna, cui nihil comparandum, angelica corona, super hominem perfectio.* De Constaotino Magno refert Eusebius l. 4. Vitæ ejus, ipsum virgineum chorum tantùm non adorasse; istic se habere Deum, cui puellæ se devoverunt, arbitratum.

Elogia virginum.

Alludit ad Isajæ 56 5. *Dabo eis* (eunuchis, id est virginibus) *in domo mea, & in muris meis locum*; Hebr. יד *jad*, id est, *manum*, hoc est separatam & selectam sortem, gradum, locum; *& nomen melius à filiis & filiabus.* Quod S. Hier. & Cyril. ac S. Basil. lib. de S. Virgin. interpretantur, ut casti non solùm in domo Dei habitent, sed ea etiam gloria & dignitatis excellentia illustrentur, quæ omnem splendorem, quem liberorum procreatio & successio afferre potuissent, longè superet: imò, ut docet S. August. de S. Virgin. c. 25. gloria quadam propria & excellenti præ aliis Sanctis potiantur, quæ à Scholasticis Aureola nuncupatur. Addit noster à Castro, olim spadones & castos in templo præcipuis quibusdam ministeriis fuisse deputatos, uti de Rechabitis ob similem sanctimoniam asserit Jerem. c. 35. v. ult. Videntur ergo cælibes inter Levitas & Sacerdotes honore & dignitate excelluisse, ac præsertim inter cantores; sicut hodie videmus eunuchos & exsectos in templis, ceteris voce & cantu eminere, idque innuitur vers. 16. ut ibi ostendam. Rursum apud Judæos in templo erat gynæceum, id est locus honoratus virginum, inter quas præsentata & educata fuit B. Virgo. Unde illæ dicuntur excubare ad ostium tabernaculi, Exod. 38. 8. 1. Reg. 2. 22. 2. Machab. 3. 19. ibi enim vacabant orationi, jejunio, mortificandis passionibus, sanctitati, perfectioni, æquè ac operi manuali, texendo, sarciendo, ornando vestes & res templi.

Sic pariter apud Christianos nemo admittitur ad ministerium templi, ut sit Episcopus, Sacerdos, Diaconus, nisi virgo aut cælebs profiteatur castitatem. In monasteriis vero, quæ sunt semnæa & templa Dei, solemne ab omnibus fit castitatis votum, quibus proinde mirus honos à regibus & principibus omni ævo tributus legitur. Ut taceam alios, S. Helena Imperatrix Constantini Magni mater, teste Ruffino lib. 2. Histor. c. 8. virgines, quas Hierosolymis reperit Deo sacratas, ad prandium invitatas tanta devotione curavit, ut indignum crederet si famularum uterentur officiis; sed ipsa manibus suis habitu succincta eis cibum apposuit, poculum porrexit, aquam manibus infudit.

Audi S. Bernardum epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: *Quid castitate magis decorum, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus & angelus; sed felicitate, non virtute; sed etsi illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia, morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubuntur, præbens quodammodo terris cælestis jam illius conversationis experientiam.* Et mox: *Hoc itaque tantæ pulchritudinis ornamentum, dignè dixerim sacerdotium honorare, quod dilectum Deo & hominibus facit sacerdotem; cujus quippe memoria, non in carnis successione, sed in spiritali benedictione fit, reddatque similem in gloria Sanctorum, in hac licèt adhuc regione dissimilitudinis constitutū.*

Virgo angelo fortior.

Rursum in templis olim (uti etiamnum Romæ, & per totam Italiam fit) separatus à viris erat locus feminarum, in eoque primo loco degebant virgines. Testis est S. Clemens lib. 2. Coust. Apost. c. 61. *Adolescentulæ*, inquit, *si sit locus, seorsum maneant*, &c. *Virgines, & viduæ, & anus primæ omnium, vel stent vel sedeant.* S. Greg. Nazianz. in somnio Anastasiæ: *Sanctæ virgines*, inquit, *una cum gravibus matronis è sublimi tecto, castissimas sermonibus meis aures inclinabant.* Clariùs & nervosiùs S. Ambros. ad Virginem lapsam: *Nonne*, inquit, *vel istum locum tabulis separatum, in quo in ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ & nobiles certatim currebant sua oscula petentes, quæ sanctiores & meliores te erant? nonne vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipse inscriptus paries ingerebat, recordari debuisti? Divisa est mulier, & virgo, quæ non est nupta, cogitat quæ Domini sunt, quomodo sit sancta corpore & spiritu. Tu autem in contrarium verteas dictum*, &c.

In templis primo loco erant virgines.

Præclarè Tertul. de Cultu feminarum c. 1. *Cum omnes*, inquit, *templum simus Dei, illato in nos & consecrato Spiritu sancto, ejus templi antistes & æditua pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.*

Virginum ergo, præsertim Religiosorum & Religiosarum, *donum electum, & sors in templo Dei acceptissima*, est occupatio nobilissima ac dignissima, putà Deum & sponsum suum Christum assiduè contemplari, Deum perfectè amare, cupiditates resecare, animam omni virtute & sanctitate imbuere & roborare, ut tentationibus, dæmonibus, totique mundo superiores existant, iisque dominentur: quia *judicabunt nationes, & dominabuntur populis.* Hi ergo sunt electi & dilecti, quos Deus, ut perfectos, ideoque charissimos filios singulariter amat; Beata Virgo, ut proles pulcherrimas, diligit; sancta Ecclesia, ut pretiosissimas gemmas, quibus illustris & splendida ac decora procedit, cordi habet. Ipsi denique sunt aliis Ecclesiæ filiis meliores & pulchriores, quia curiam Dei ornant, palatium æterni regis ædificant, & nobilitatem Ecclesiæ constituunt. Vide quo pacto perfectio est arctissima cognatio cum Deo, quæ perfectos viros, non utcumque filios Dei facit, sed filios charissimos Dei, & patri simillimos & conjunctissimos efficit. Qui ut filii Dei, & hæredes regni cælestis, omnibus virtutibus, tamquam regalibus indumentis vestiuntur, cibis delicatissimis sanctorum desideriorum & piarum cogitationum reficiuntur, & angelis velut regiis ministris cinguntur, & patris sui occupatione, scilicet divina contemplatione, delectantur, & nihil aliud quærunt, nisi Dei similes esse, & in omnibus Dei filios & servos ob divinum honorem sese exhibere. Ita noster Alvarez de Paz lib. 4. de Dignit. perfectionis p. 1. cap. 8. & 9. Ita & S. Hieronym. in cap. 56. Isajæ, & interpretes hoc loco.

In Ecclesia verò triumphante virgines proximè sequuntur

tur

tur Agnum quocumque jerit, & cantaot caoticum novum, A quod nemo poteſt dicere niſi virgo, Apoc. 14. 3. Unde de iis ſubdit: *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.* Vide ibi dicta.

Denique per *fidei donum electum*, & per *ſortem in templo Dei acceptiſſimam*, poſſent accipi filii parentum ſterilium, quos ob caſtitatis & ſanctitatis meritum Deus parentibus dedit, fecitque glorioſos atque eximios, ſuos quaſi in templo adminiſtros, uti fecit Samuelem, Joannem Baptiſtam, & Jeſum Chriſtum, alioſque, de quibus dicam verſ. 16.

Audi S. Grægor. 3. part. Paſtor. c. 29. *Eunuchi quippe ſunt, qui compreſſis motibus carnis affectum in ſe pravi operis abſcindunt. Quo autem apud Patrem loco habeantur oſtenditur, quia in domo Patris, videlicet in æterna manſione, filiis præferuntur. Audiant quod per Joannem dicitur: Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocumque jerit.*

Apoc. 14. 4.

Virginitas mira S. Emerici.

Porrò quia *vita Sanctorum eſt interpretatio Scripturarum*, ut ait S. Hieron. diſce ex Vita S. Emerici (quam ex Bonfino & aliis deſcripſit Surius 5. Novemb.) quàm caſtitas B io templo Dei ſit clara & pulchra, quæ non ſolùm illam poſſidentes, ſed & per illos etjam alios atros & ſpurcos efficiat Deo ſpecioſos & fulgidos. Nam S. Emericus, filius S. Stephani primi Hungarorum regis, cùm nocte orans in eccleſia S. Georgii, cogitaret quodnam poſſet gratiſſimum Deo munus offerre; ecce tibi cum cæleſti fulgore vox de cælo: *Præclara*, inquit, *res eſt virginitas. Itaque mentis & corporis virgineam integritatem à te exigo. Hanc offeras Deo, & in ea conſtanti animi propoſito perſeveres.* Obſecutus eſt ille, ſtatuitque virgo permanere. Verùm cùm pater juberet ut uxorem forma, genere & moribus ſpectatiſſimam duceret, quæ filios regni hæredes pareret; paruit ipſe, ſed cum uxore quaſi cum ſorore vixit in perpetua virginitate. Rarum hoc in juventutis flore, & regiis deliciis puritatis exemplum: ſed ipſe carnem, ne laſciviret, jejuniis edomabat. Contigit ut Conradus quidam, qui ſpurciſſima & enormia ſcelera perpetrarat, illorum pœnitens, Pontificis juſſu loricam ferream ad nudum corpus aſtringeret, cum charta, in qua ejus crimina ſcripta erant, ac varia Sanctorum ſepulchra viſeret, donec lori- C ca ſolveretur, & ſcriptura obliteraretur. Cùm varia viſiſſet incaſſum, venit tandem ad ſepulchrum S. Stephani, ubi orans ab eo audiit: *Surge amice, & Emerici filii mei monumentum, quod juxtà eſt, adito. Ille, quòd carnis ſervanda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum veniam tibi impetrabit. Ex eorum enim numero eſt, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua ſequunturque Agnum quocumque jerit, & ante thronum Dei cantant canticum novum.* Evigilat homo, illico ad B. Emerici ſacellum ſe confert, fundit preces, atque opinione celeriùs diſſiliunt ferrei nexus, charta reſignata oullum habet literæ veſtigium. Id audiens Ladislaus Hungariæ rex, honorificè elevari curavit corpus S. Emerici, eumque Sanctorum catalogo aſdcribi ad diem 5. Novembr.

VERS. 15. BONORUM ENIM LABORUM GLORIOSUS EST FRUCTUS, ET QUÆ NON CONCIDAT RADIX SAPIENTIÆ) *Glorioſus*, qui ſcilicet non tantùm ad præſens tempus, ſed & in æternum coram Deo & angelis duraturam gloriam conciliat. Virginum labores glorioſi, ideoque glorioſus præmiorum fructus producentes (cujus rei D ſymbolo apud Romanos olim, ad templum honoris non patebat aditus, oiſi per templum virtutis, teſte Plutarch. in Moral.) ſunt aſſiduæ luctæ cum carne, orationes, jejunia, eleemoſynæ, ſtudium, doctrina, prædicatio, zelus animarum, quibus vacant virgines, quia rebus terrenis non occupantur, &c. Hinc virginibus à Chriſto aſſignatur fructus centeſimus, viduis ſexageſimus, conjugibus trigeſimus. Matth. 13. 23. Hinc & Chriſtus noluit virginitatem, utpote rem adeo arduam, præcipere, ſed tantùm conſulere: *Qui poteſt*, inquit, *capere capiat*, Matth. 19. 12. Nam, ut ait S. Auguſt. ſerm. 250. de Tempore: *Sola duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria.* Hinc lectulum caſtum Salomonis ambiunt ſexaginta ex fortiſſimis Iſrael, Cant. 3. 7. Quin & veteres Palladem virginitatis & ſapientiæ deam, armatam pingebant. Et Aſtrologi ſignum Virginis io cælo medium collocant inter Libram & Leonem, ut indicent virginitatem indigere leonina fortitudine, & librata temperantia. Vide S. Gregor. lib. 6. in lib. Reg. c. 1. & 2.

Pallas armata: cur?

Porro fructus virginitatis ſuot ejus præmia & aureola, quæ recenſui v. præced.

ET QUÆ NON CONCIDAT RADIX SAPIENTIÆ) Græcè, *& quæ cadere nequit* (id eſt firma & ſtabilis eſt) *radix ſapientiæ*. Dat cauſam, cur bonorum laborum glorioſus perenniſque ſit fructus, quia ſcilicet eorumdem radix eſt ſapientia, quæ numquam concidit, oec marceſcit, ſed ſemper vivâ, virens & vegeta fructus hoſce progerminat. Per *ſapientiam* intellige, noo ſpeculativam, ſed practicam, putà prudentiam & virtutem præſertim caſtitatem & cælibatum. Hæc enim juges profert orationis, mortificationis, eleemoſynæ aliorumque bonorum operum fructus. Hunc fructum opponit & præponit fructui, id eſt proli, impiorum & luxurioſorum, qui ex alienis uxoribus, vel ex alienigenis (quod lege veteri vetitum erat) proles ſuſcitabant. Unde de iis ſubdit: *Filii autem adulterorum in inconſummatione erunt.* Porrò *radix ſapientiæ* accipi poteſt ipſa ſapientia, uti jam dixi, ſicut virtus caſtitatis eſt ipſa caſtitas. vel præciſè radix ſapientiæ, id eſt virtutis, eſt timor Dei, juxta illud: *Initium ſapientiæ timor Domini.* Eccli. 1. 16. vide ibi dicta. Hic enim timor non decidit, nec deperit, ſed manet in æternum. Aliter noſter Lorinus, qui per *radicem ſapientiæ* accipit cognitionem Dei & ſuiipſius: ſcilicet ſcire ſe nihil eſſe, nec poſſe eſſe caſtum ſuis viribus; ſed hoc eſſe donum Dei, uti & cetera omnia. Hoc enim practice noſſe eſt radix & cauſa caſtitatis, ut docet Sapiens cap. 8. v. ult. Additque appoſitè: Rectè autem de caſtitate priùs locutus, quæ eſt *σωφροσύνη*, radicem ejus dixit eſſe *φρόνησιν*. Maxima enim requiritur ad caſtitatem prudentia & ſapientia, eaque eſt ceu radix illius: rurſus verò prudentiam atque ſapientiam *σώζει*, id eſt conſervat & cuſtodit, caſtitas atque temperantia. Unde illud Apoſtoli, quod legimus, *ſapere ad ſobrietatem*, *εἰς τὸ σωφρονεῖν*. S. Hieronymus lib. 2. contra Jovin. vertit, *ad pudiciam*, licet S. Auguſt. epiſt. 47. legat, *ad temperantiam*; Irenæus lib. 5. cap. 20. *ad prudentiam*.

Poſſet Secundò, per *fructum bonorum laborum* accipi proles ſterilium: hæc enim directè oppooitur proli adulterorum. q. d. Proles, quas Deus ſubinde dat parentibus ſterilibus, ſed caſtis & piis, eò quòd noluerunt quærere proles ex alienis vel alienigenis uxoribus, quia hoc lege erat vetitum, ſunt glorioſi caſtitatis & pietatis eorum fructus, ideoque Deus eos ſolet evehere, facereque Prophetas, pontifices, vel Sanctos eximios & glorioſos: uti Abrahæ & Saræ ſterilibus dedit filium Iſaac Patriarcham, ex quo prognati ſunt Jacob, omneſque Patriarchæ & Iſraelitæ, ipſeque Chriſtus: qui proinde rectè à Deo vocatus eſt Iſaac, id eſt riſus & gaudium parentum, æque ac poſterorum omnium. Sic Deus Manue & uxori ſterilibus filium dedit Samſonem, qui fuit robuſtus vindex Iſraelis, Judic. 13. Sic Annæ ſterili dedit filium Samuelem, qui fuit judex Iſraelis, ac ſub Heli Deo in templo miniſtravit, 1. Regum 2. Zachariæ & Eliſabeth ſterilibus dedit filium Joannem Baptiſtam, qui fuit præcurſor & index Chriſti, ideoque in eremo, velut in templo, quaſi angelus inter angelos vixit. Sic denique B. Virgini non ex natura, ſed ex voto virginitatis ſterili filium dedit Chriſtum Jeſum, qui fuit ſalvator & redemptor totius orbis. Vide ergo ut Deus ſterilitatem caſtam & ſanctam remuneretur fructu, id eſt prole ſancta & glorioſa, quæ Deo velut in templo jugiter aſſiſtat, famuletur & obſequatur, uti fecere omnes jam nominati. Ubi Nota, omnes qui ex parentibus ſterilibus nati fuere, evaſiſſe in viros eximios & glorioſos, utpote dono Dei datos pareotibus & mundo, ad ejus ſalutem: ideoque Deus ſingulis nomen proprium impoſuit, quod officium & gloriam eorum præſignificaret. Et hoc eſt *donum fidei electum*, *& ſors in templo Dei acceptiſſima* de qua dixit v. 14. Hiſce jam opponit fructum, id eſt prolem. impiorum, qui cùm ex ſuis uxoribus proles noo habeant, vel deformes habeant, quærunt contra jus & fas alias pulchras, ut ex iis filios pulchros ſuſcitent. De his ergo ait.

Sterilium filii illuſtres.

FILII AUTEM ADULTERORUM IN INCONSUMMATIONE (ita legendum cum Græcis & Roman. non *in conſummatione*, uti legunt multi, nec ineptè. Senſus eſt enim q. d. *citò conſummabuntur*, id eſt, conſumentur & morientur) ERUNT) Græcè eſt, *ἀτέλεστα ἔσται*, quod duo ſignificat; Primò, *inconſummati* vel *imperfecti erunt*, ad conſummationem vel perfectionem, ſive corporis, ſive ætatis, ſive proſperitatis, non pervenient. Secundo, *non* VERS. 16.

mi-

initiati, nec sacri erunt, sed profani. Unde Tigur. vertit, *filii adulterorum verò sacris arcebuntur*. Sic & Osorius. Sensus est. q. d. Filii parentum fidelium & castorum solent esse consummati & perfecti, tum in natura, tum in gratia, ideoque sacri & quasi sacerdotes Dei: filii verò parentum adulterorum non semper, sed crebrò sunt imperfecti, tum in natura, ut ad plenam perfectamque ætatem non perveniant, ideoque imbecilles, languidi vel manci miserè vivunt, ac parum vivaces citò moriuntur; tum in gratia & virtute, ideoque profani & exosi Deo, quasi adulterorum parentum adulterini & impii filii. Sic filius Davidi natus ex adulterio cum Bethsabee, à Deo cita morte percussus est, 2. Reg. 12. 18. Her. & Onan filii Judæ luxuriosi nullos genuerunt filios, sed & ipsi celeri nece à Deo mulctati sunt, Genes. 38. v. 7. & seqq. Abimelech filius spurius Gedeonis occidit 70. fratres suos, seque fecit tyrannum Israelis; ideoque paulò pòst à muliere interfectus est, Judic. 9.

Filii adulterini imperfecti:

Causa duplex est: Prima divina, quòd scilicet Deus hac pœna congruè puniat adulteros, ut in quo peccaverunt, putà in filiorum generatione, in eodem puniantur. Secunda naturalis, quòd adulteri ceterique libidinosi crebro veneris usu spiritus viresque exhauriant, itaque vim generandi debilitent; quo fit ut languidos & debiles, æquè ac vitiosos sibique similes generent filios.

Hunc esse sensum liquet, quia sic se explicat Sapiens, cùm subdit: *Et ab iniquo thoro semen exterminabitur*. q. d. Filii nati ex adulterio, vel ex conjugio cum alienigenis lege vetito, ad plenam & perfectam ætatem non excrescent, non pervenient ad statum & gradum honoratum & stabilem, sed præmaturè & dedecorosè morientur. Causam dat Theognis:

> *Non etenim*, inquit, *è squilla rosa nascitur aut hyacinthus,*
> *Sed neque ab ancilla filius ingenuus.*

Rursum, exterminabuntur ab Ecclesia Domini, juxta legem Deuter. 23. 2. *Non ingredietur mamzer, hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem.* ita à Castro.

Sic, ut alios taceam, hoc seculo Henricus VIII. Angliæ rex, cùm ex Catharina uxore sua non posset habere prolem masculam, eam repudiavit, & duxit Annam Bolenam, ex eaque Elisabetham genuit; sed in ea omnis ejus stirps & progenies defecit, etiamsi successivè sex duxisset uxores. Sic & principes mysticè adulteri, id est apostatæ, putà qui à fide & Ecclesia deficientes fiunt hæretici vel idolatræ, sæpè non habent proles, vel non longævas, quæ in secunda vel tertia generatione deficiant, uti contigit Zamri, Osee, Jehu & aliis regibus Israel idololatris. Lege li. 3. & 4. Regum. Idem hoc seculo fieri vidimus in nobilissimis familiis. Quocirca Optatus Milevitan. l. 4. contra Parmen. *Filii adulterorum inconsummati. Hoc*, inquit, *de hæreticis dictum est, apud quos sunt Sacramentorum falsa connubia, & in quorum thoris iniquitas invenitur, ubi in exterminium fidei corrupta sunt semina. Dum Valentinus filium Dei in phantasmate, non in carne fuisse contendit, fidem suam suorumque corrupit. Nativitatis eorum semen exterminatum est, qui non crediderunt Filium Dei in carne natum de Virgine Maria, & passum in carne.*

Porro Gratian. dist. 58. can. 12. *Cenomanensem*, sic legit, sicque explicat, q. d. Filios adulterorum, utpote vitiosos, juxta canones, non esse sacris initiandos. Sic enim ait: *Quòd autem vitium originis semini imputari negatur, videtur esse contrarium illi sententiæ: Adulterorum filii abominatio sunt Domino: sed, sicut supradictum est de presbyterorum filiis, ita & hoc de filiis adulterorum intelligendum videtur, ut illi dicantur esse abominatio Domino, ad quos paterna flagitia hereditaria successione descendunt.*

Unde ibidem can. 9. scribit S. Bonifacius Martyr Anglorū regi, vitia adulterorum in proles proseminari. *Si gens Anglorum*, inquit, *spretis legalibus connubiis, adulteranda & luxuriando, ad instar Sodomiticæ gentis fœdam vitam duxerit; de tali commistione meretricum æstimandum est degeneres populos, & ignobiles, & furentes libidine fore procreandos, & ad extremum universam plebem ad deteriora & ignobiliora vergentem, & novissime nec bello sæculari fortem, nec in fide stabilem, nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam, sicut aliis gentibus Hispaniæ, & Provinciæ, & Burgundiorum populis contigit: quæ sic à Deo recedentes fornicatæ sunt, donec vindex talium criminum ultrices pœnas per ignorantes legem Dei, id est per Saracenos venire & sævire permisit.*

Obiicit S. Justinus quæst. 78. ad Orthodox. qua ratione vera sit hæc sententia, cùm genealogia Christi ducatur ex David adultero? Respondet, David pœnituisse, atque Uriæ defuncti relictam viduam, quam priùs vivente viro violaverat, uxorem duxisse, Deumque pœnitentiam David eo quoque modo honorare voluisse, ut mentio nominatim fieret uxoris quondam Uriæ.

S. Ambros. verò serm. 9. de Joanne Baptista tom. 5. adulterorum filios non initiatos, ut ipse pariter legit, interpretatur viles, spurios & infames. Agens enim contra concubinarios sic scribit: *Sed dicet aliquis: Uxorem non habeo, & ideo ancillam mihi sociavi. Audi quid dicat Scriptura ad Abraham: Eiice ancillam, & filium ejus; non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Si igitur ancillæ filius heres non est, ergo nec filius est. Cur ergo quæritur tale conjugium, de quo susceptus filius, nec successionis possit heres esse, nec sanguinis? Nec enim habere potest hereditatis consortium, qui non habet originis privilegium. Cur inquam, quæritur tale contubernium, de quo nati filii non matrimonii, sed testes sint adulterii? cur hujusmodi suscipiuntur adulterini, qui patri pudori sint, non honori? Dicit Scriptura: Adulterorum filii non initiati erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Mulier igitur tua si talibus moribus prædita est, ut mereatur consortium, mereatur & nomen uxoris: præsta concubinæ tuæ libertatem & nomen uxoris, ne tu adulter sis potiùs, quàm maritus.*

ET AB INIQVO THORO SEMEN EXTERMINABITVR) *Iniquo*, id est injusto, putà adulterino. Adulterium enim contra justitiam: adulter enim corpus ex justitia debitum addictumque uxori, illi subtrahit, datque adulteræ: quare uxori gravem facit injuriam. Rursum, *iniquo*, græcè *παρανόμου*, id est illicito & lege vetito, qualis est copula soluti cum meretrice vel alienigena & idololatra: quæ licet non sit contra justitiam; lege tamen Dei est prohibita, utpote nocens educationi prolis ac bono reipubl. Unde S. Hieron in c. 9. Osee legit, *ex iniquo concubitu semen peribit*: Vatabl. *ex illegitimo concubitu semen abolebitur*, Osorius & Cartus. *conjugati adulteri privabuntur prolis fœcunditate*, aut si quæ proles eis nascatur, infelix vivet, & interibit immatura. Ita sæpè fiebat olim & etjamnum fit, at non semper, ob alia secreta Dei judicia.

Porrò hæc sententia vera est, non tantùm in adulterinis filiis, sed & in legitimis. Sæpè enim ex hac lege sterilitatis à Deo lata contra adulteros fit, ut qui ex alieno thoro filios quærit, neque ex suo quidem suscipiat. Sic *concluserat Dominus omnem vulvam domus Abimelech, propter Saram uxorem Abrahæ*, quam sibi vendicarat Abimelech, Genes. 20. 18. Quare si adulter fuerit rex, regno deiicietur posteritas: si castus, proles in regno firmabuntur. Ita non rarò fit.

ET SI QVIDEM LONGÆ VITÆ ERVNT, IN NIHILVM COMPVTABVNTVR. q. d. Impii & adulterini impiorum adulterorum filii, si quando diutiùs vivant, sintque longævi; nullius tamen erunt pretii viles & abjecti: ET SINE HONORE ERIT NOVISSIMA SENECTVS ILLORVM) q. d. Quo diutiùs vivent, eo magis erunt inhonorati & dedecorosi: tum quia cum ætate crescit eorum impietas & infamia: tum quia, cùm juxta legem Deuter. 23. 1. velut infames repellantur ab Ecclesia & societate ceterorum Israelitarum; hinc quò diutiùs vivent, diutius majusque erit eorum dedecus, infamia & probrum, præsertim quia senectus ipsa tot miseriis onusta, per se solet esse despicabilis & contemptibilis; cui si accedat ignominia natalium, æquè ac morum & vitæ, duplex, imò triplex & quadruplex, consurget turpitudo & infamia. Candorem enim argenteæ quasi canitiei plumbo, imò cœno, inspergunt turpitudinis. Hinc S. Hieron. in c. 9. Osee sic legit: *Cùm longi fuerint temporis, reputabuntur in nihilum, & ignobilis in novissimis erit senectus eorum*. Verè Ecclesiast. c. 25. v. 3. *Tres*, inquit, *species odivit anima mea, & aggravor* (nauseo & indignor) *valdè animæ illorum: pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum & insensatum*; græcè *senem adulterum & imminutum intellectu*, quales fuere senes illi, quos increpat Jerem. c. 29. 22. & illi insidiantes Susannæ, Daniel. 13. Vers. 17.

Egregiè hanc gnomen pertractat. S. Fulgent. epist. 2. ca. 3. ubi Gallam de morte mariti juvenis consolatur. *Tales*, inquit, *quantumlibet longævi moriantur, acerbo funere demerguntur, & quamvis ætas eorum matura videatur in corpore, mortifera tamen mundi dilectio, immaturæ mentis acerbita-*

bitatem retentat in corde. Christianus autem, qui in timore Dei A *vixerit, quacumque fuerit defunctus ætate corporis, non acerbo funere mergitur; sed placita Deo subnixus maturitate transfertur, legimus namque in eodem Sapientiæ libro: Quia senectus honorabilis est non diuturna, neque numero annorum computata; cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Et inferius: *Sicut enim vita mala, quanto magis fuerit temporaliter prolongata, tanto magis delinquentibus multiplicat pœnam: sic vita bona, quamvis hic brevi tempore terminata, magnam sempiternamque conquirit bene viventibus gloriam. Vita igitur mala immaturos acerbosque senes demerges in tartarum: vita verò bona defunctos juvenes, maturos perducit ad regnum.*

Vers. 18. ET SI CELERIVS DEFVNCTI FVERINT, NON HABEBVNT SPEM) melioris, honoratioris & felicioris vitæ, quia cùm in vita vixerint impiè & infamiter, nullam post mortem sperare possunt aliam mercedem, nisi supplicium & opprobrium sempiternum in gehenna, juxta illud Isaiæ c. 66. v. ult. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt usque ad satietatem visionis omni carni.*

NEC IN DIE AGNITIONIS (Græcè διαγνώσεως, id est diiudicationis, discretionis, examinis, animadversionis, condemnationis, putà in die judicii, quo causa cujusque cognoscetur & diiudicabitur, ac pro meritis condemnabitur) ALLOCVTIONEM) Græcè, παραμύθιον, id est consolationem. q. d. Non habebunt impii in die judicii ullam allocutionem, qua vel sua scelera excusent, vel eorum supplicium deprecentur, vel suas miserias consolentur: nec enim ipsi loqui pro se poterunt, nec quis alius pro eis loqui audebit: sed omnes obmutescent & obstupescent. Erunt enim ab omnibus omnino hominibus & creaturis deserti, imò omnibus invisi & exosi, ideoque in summa rerum desperatione: omnis enim creatura consurget contra impios ad vindicandam injuriam sui creatoris, juxta illud c. 5. 21. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Magna hæc erit damnatorum afflictio, cùm nec à Christo, nec à B. Virgine, nec ab angelis, nec ab amicis, nec à parentibus, nec ab ullo mortalium vel verbulum unicum blandæ allocutionis aut consolationis accipient. Sic *allocutio* pro consolatione, ac doloris le- C nimine, vel medicamento accipitur à Seneca in Troade.

Alios parentes alloqui in luctu decet.

Ubi vide nostrum Delrio, qui plura hujus significationis affert testimonia. Et à Catull. in Hendec. ad Cornific.

Qua solatus es allocutione.

Porrò S. Fulgent. epist. 2. cap. 3. pro *agnitionis*, legit, *magnitudinis* (nescio unde) sicque piè & patheticè explicat: *Non habebunt spem, nec in die magnitudinis allocutionem. Quæ est autem dies magnitudinis, nisi dies, in qua non judicandus, sed judicaturus veniet Dominus? Nunc enim, cùm venit ut pro nobis judicaretur, non fuit dies magnitudinis, sed minorationis, in qua minoratus est paulò minùs ab angelis: tunc autem erit dies magnitudinis, quando secundùm Joannis attestationem, omnes mali abscondi cupient in cavernis montium, dicentes montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à conspectu Patris sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam veniet dies magnus iræ illorum; & quis poterit stare?* Apocal. 6. *In hac die magnitudinis mali non habebunt allocutionem; sed increpationem. Non enim audient: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi; sed dicetur eis: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.*

B NATIONIS ENIM INIQVÆ DIRÆ SVNT CONSVMMATIONES) id est diri fines, diri exitus. q. d. Impiorum fines & exitus sunt acerbissimi, tristissimi, funestissimi, quia fulminante Christo sententiam damnationis, ibunt in mortem præsentem & æternam, putà in gehennam & ignem æternum. Minùs rectè nonnulli codices legunt: *Nationes enim iniquæ diræ sunt consummationis*, licet eodem redeat sensus. Vers. 19.

Adde, adulterium à plerisque gentibus, etiam hæreticis, quin & ab infidelibus, morte puniri, uti ostendit Tiraquell. leg. 13. connub. n. 6. & seqq.

Porrò harum omnium minarum & pœnarum, quæ hic impiis & adulteris intentantur, exemplum illustre est in filiis Heli, quos propter incestas libidines, adulteria, sacrilegia Deus cum patre Heli hisce pœna mulctavit. *Ecce dies veniunt*, inquit, *& præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel: & non erit senex in domo tua omnibus diebus. Veruntamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi* C *tui, & tabescat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophini & Phinees: In die uno morientur ambo.* 1. Reg. 2. vers. 32.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit castam piamque sobolem præferre incestæ & impiæ, quòd illa sæpè longæva sit, honorata et prospera; hæc brevis ævi, infamis et infausta. Esto enim casti iustique subinde morte cita præoccupentur, ac velut flos purpureus aratro succidantur; tamen excipit eos melior vita, ac maior fama et gloria. Quare ætas senectutis est vita immaculata, & justus consummatus in brevi explevit tempora multa.

1 O Quàm pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius; quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. 2. Cùm præsens est, imitantur illam; & desiderant eam cùm se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. 3. Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. 4. Et si in ramis in tempore germinauerint infirmiter posita, à uento commouebuntur, & á nimietate uentorum eradicabuntur. 5. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & nihilum apti. 6. Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua. 7. Iustus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. 8. Senectus enim uenerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata; cani sunt sensus hominis. 9. & ætas senectutis uita immaculata. 10. Placens Deo factus est dilectus, & uiuens inter peccatores translatus est. 11. raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. 12. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum si-

ne

ne malitia. 13. Consummatus in breui expleuit tempora multa; 14. placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem uidentes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia: 15. quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos ejus, & respectus in electos illius. 16. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, & juventus celeriùs consummata, longam vitam injusti. 17. Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus. 18. Videbunt & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit. 19. & erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum; quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commovebit illos à fundamentis, & usque ad supremum desolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum peribit. 20. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.

VERS. 1. O QUAM PULCHRA EST CASTA GENERATIO (id est casta natio, putà casti homines: hos enim opponit nationi pravæ, de qua cap. præcedenti vers. ultimo: generatio ergo significat omnes genitos, sive natos) CUM CLARITATE) Græcè, *κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς*, hoc est, *melior est orbitas*, sive carentia, *filiorum cum virtute*: melius est esse illiberem, id est sine liberis, & virtute præditum, scilicet quàm habere liberos ex adulterio, adulterinos & improbos, uti præcessit. Unde S. Ambros. lib. 1. de Virginit. legit, *melior est sterilitas cum virtute*, S. Hieron. in cap. 9. Osee, *melius est filios non habere cum virtute*; S. Cyprian. lib. de Singular. Cleric. *melius est esse sine filiis cum claritate*; Syrus, *melius est esse sine filiis cum gloria*; Arabicus, *res præclara privatio filiorum cum virtute*. *Integritas*, ait B. Petrus Chrysolog. serm. 146. *est cæleste consortium: virginitas juncta Christo, copula est virtutis*. Virgines ergo sunt angeli terrestres, & homines cælestes, ideoque sponsæ Christi.

Noster *ἀτεκνία*, videtur legisse *ἁγνογονία*, id est *casta generatio*, vel castitatis, aut castorum generatio: licet enim hæc vox composita Græcis non sit in usu, simplicia tamen, ex quibus componitur, sunt usitata. Auctor enim libri hujus multas voces novat, novèque componit. Sanè videtur Noster aliud habuisse Græcum exemplar: diversum à modernis. Nam moderna non habent exclamationem *ὁ*, nec *τὸ quàm pulchra*.

Aut potiùs Noster solerter per orbitatem filiorum intellexit, non nudam orbitatem & sterilitatem, hæc enim non est pulchra, sed potiùs deformis: prudenter ergo adverte sterilitatem ex virtute, putà ex pulchra castitate, manantem. Unde vertit, *ὁ quàm pulchra est generatio casta*, id est natio. q. d. O quàm pulchri sunt homines casti, ò quàm pulchra est castitas & castorum cœtus, sive ii sint conjuges, sive cælibes & virgines. Sapiens enim per antithesin hic opponit & anteponit castos steriles adulteris prole abundantibus: casti enim *cum virtute*, id est ex virtute, putà ex amore castitatis, vel conjugalis, vel virginalis, malunt orbari filiis, quàm perdere virginitatem, aut se polluere adulterio, esto ex eo liberos sperare possent. Horum enim virtus, putà castitas & virginitas, clarior & illustrior est omni laude & gloria, quam sperare possent ex filiis. Sensus ergo est q. d. Melius, id est, præclarius, laudabilius & gloriosius, est carere filiis, si iis careas ex virtute, putà ob amorem castitatis, qua non vis adulterari aut perdere virginitatem, quàm prolem habere copiosam adulterinam & improbam. Ita S. Ambros. lib. 1. de Virginit. ubi hanc gnomen applicans virginibus, sic videtur explicare, q. d. *Melior est sterilitas*, id est, melior est virginitas. Quia enim illo legis veteris ævo ob expectationem Messiæ, quem singuli ex sua stirpe nasci optabant, sterilitas erat probrum, censebaturque maledictio & infamia; fœcunditas verò æstimabatur benedictio & gloria; hinc multi, qui uxores habebant steriles, ut ex eis suscitare filios non possent, divertebant ad alias, etiam alienigenas & idololatras, ut ex iis proles procrearent. Horum insipientiam & perversitatem redarguit hic Sapiens, docetque longè præstantiorem esse castitatem quamlibet, etiam illiberem & orbam, quavis fœcunditate & prolibus, præsertim spuriis, adulterinis & improbis; eò quòd castitas sit virtus, illaque eximia, fœcunditas verò adulterina ingens sit vitium & scelus: unde pudicitiam puritatem Ægyptii hieroglyphicè denotabant per ignem & aquam, quod his elementis omnis lustratio fiat & expiatio, ait Horus Apollo lib. 2. Hierogl. cap. 41. Jam quantum castitas illustrat & quasi inargentat hominem, tantum libido conspurcat & deturpat, quàm enim gloriosa est puritas, tam probrosa est impuritas, quæ ex hominibus facit sues & porcos, uti docet S. Basil. in psal. 1. Sensus ergo est q. d. Filius vel filia est pulcher facie; at castus & virgo pulchrior est virtute: filia decora est uultu, at sæpe indecora & impudica mente, virgo verò & uultu speciosa est, & mentis virginitate longe speciosior. Pulcher pater pulchrum sibique similem sæpè generat filium, juxta illud Virgilii 6. Æneid.

Teucri pulcherrima proles.

Et libro 7.

Status Hercule pulchro.

Et lib. 4.

Quo pulchrior alter
Non fuit Æneadum.

At hanc pulchritudinem corporis sæpè deturpat deformitas libidinis: nam *lis est cum forma magna pudicitiæ*, uti deturpavit filias Augusti Imp. de quo Sveton. in ejus vita: *Cujus felicitatem*, inquit, *infelicem fecerunt filia, neptis & nepotes, adeò ut ipse ad eorum mentionem proclamare soleret, utile esse sine nuptiis manere, & absque liberis interire, appellare quoque illos vomicas & carcinomata sua*, qua ratione Euripides dixit, *ἄτεκνον*, id est *carentem liberis*, *infortunio esse felicem*. Ruben Genes. cap. 49. 3. dicitur *principium*, seu *præcipuum & caput*, *doloris patris*, quia paterni thori violator fuit.

Audi Tertull. lib. de Bono pudicitiæ c. 1. *Pudicitia*, ait, *flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis, quamquam rara, nec facilè perfecta, vixque perpetua, tamen aliquatenus in sæculo morabitur, si natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, si censura compresserit*. Tertull. ceu magistrum secutus more suo S. Cyprianus l. de Bono pudic. *Pudicitia*, ait, *est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput, &c. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo: hæc expugnat omnia de membris illicita desideriorum prælia, pacem nostris corporibus inducit: beata ipsa, & beatos efficiens.* Et paulò pòst impudicitiæ hæc dat epitheta: *Cupiditatum infesta rabies, incendium conscientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis, expugnans sanguinis & familiæ fidem, alienis affectibus suos inserens filios, in aliena testamenta sobolem ignoti & corrupti generis inducens.* S. Greg. Turon. lib. de Gloria Confess. c. 106. narrat se vocatum ad exequias S. Radegundis cum defunctæ, aitq, de ea; *Sancta facies Radegundis de feretro ita fulgebat, ut liliorum rosarumque speraeret pulchritudinem.* Et c. 51. narrat de S. Severo presbytero, lilium ab eo templo oblatum, cùm per totum annum jam esset aridum; tamen recurrente ejus transitus anniversaria die in vere, quotannis revirescere & reflorere solere.

Porrò cùm triplex sit castitas, scilicet conjugalis, vidualis, virginalis, qualibet præstat fœcunditate & filiis adulterinis ac infamibus. Castitas enim conjugalis pulchra est, vidualis pulchrior, virginalis pulcherrima. De conjugali hanc gnomen accipit Lyran. & Holcot, ceteri de virginali, ut S. Cyprianus (vel potiùs Origen. ut censet Pamel.) tract. de Singular. Cleric. S. Ambros. li. 1. de Virginit. S. Bernard. epist. 42. Petrus Blesensis, epist. 36. imò Ecclesia in Officio Ecclesiast. SS. Virginum. Sic & Cantacuzenus aliique interpretes hic.

Hinc S. Aldhelmus lib. 1. de Virginit. narrat angelum triplicem castitatem, scilicet virginalem, vidualem & con-

Elogia triplicis castitatis.

conjugalem, hisce gradibus discriminasse, *ut sit virginitas aurum, castitas argentum jugalitas* (conjugium) *æramentum. Ut sit virginitas divitiæ, castitas mediocritas, jugalitas paupertas. Ut sit virginitas pax, castitas redemptio, jugalitas captivitas. Ut sit virginitas sol, castitas lucerna, jugalitas tenebræ. Ut sit virginitas dies, castitas aurora, jugalitas nox. Ut sit virginitas regina, castitas domina, jugalitas ancilla. Ut sit virginitas patria, castitas portus, jugalitas pelagus. Ut sit virginitas homo, castitas semiviva, jugalitas corpus. Ut sit virginitas purpura, castitas rediviva, jugalitas lana.*

Apologus fructus & floris.

Hanc gnomen insigni rosæ, lilii & ficus apologo graphice repræsentat Cyrill. lib. 4. Apolog. moral. c. 8. *Rosa*, inquit, *& lilium juxta ficulneam sunt exertæ, quæ cùm expandissent floribunda folia, nitore splendentia, & eorum suavitatis manantia, aromaticique odoris fragrantiam effudissent, & illa floris luce orbata acerbum in fructum pariter pullulasset, invidentiæ lacta pruriens mox invectivam proposuit, dicens: Post tam amœnam rutilantiam floridam, ubi fructus vestri? Vanum quippe est florere sine fructu. Siquidem ligat natura saxa fructum in flore, & ob ipsum vernantem florem germinat. At illæ mox radicem eloquii subodorantes, pacifica ratione dixerunt: Benè scimus, quòd propter pruritum generationis perdidisti gloriam floris, & ideo conjam expoliata es foliis dum sic loqueris. Nempè fructum paris dulcissimum, sed tamen pateris in radice pruritum, quo florem amisisti. Nobis autem ex plena puritate & suavitate substantiæ, flos ipse fructus est. Unde in nobis flos & fructus minimè distinguuntur, quoniam redundante puritatis flore, & odoriferæ sublimitatis humore in nobis idipsum factum est flos & fructus. Nonne vapor terræ purissimus, ratus floridum in aurum concrescit, & ros dulcissimus cæli virginitate vernante in margaritam congemmascit? Igitur rosa, & lilium, & flores fructiferi, & fructus floridi sunt.* Deinde plura in laudem virginitatis subiiciens, eamdem comparat lilio, rosæ, magneti, sapphiro, smaragdo: *Fructus*, inquit, *est dulcissimus, decor præstantissimus, odor suavissimus, valor totus. Nimirum ipsa est naturæ ac virtutis clarissima gemma, summa temperantia, perfecta victoria, spiritus supra germen, gloria tota. Ut rosa igitur fragrans, & lilium rutilans est sancta virginitas, flos & fructus, ad cujus quidem fragrantiam unicornis attractus suaviter curris, cujus dulcedine ferocitas ejus mansuescit; cujus puritate validissima ejus potestas delectata, quasi victa in nitido gremio virginali reverentialiter prostrata recumbit. O virtus magnetica virginitatis, ad se trahens naturam! ô sapphirus mirabilis castitatis, omnem fugans & destruens famam venenosam! ô smaragdus rutilans perpetuæ viriditatis, puritas inviolatæ integritatis amatrix, fœtidam Veneris nullatenus patiens corruptelam! Ad hæc ficulnea stupefacta conticuit.*

Virginitas est flos & fructus.

Pulchræ virginitatis exempla.

Via pulchritudinis sanctæ virginitatis specimen & speculum? S. Pulcheria Augusta filia Arcadii Imp. virgo fuit perpetua & gloriosa, utpote quæ Theodosium Imp. fratrem suum juniorem, in pietate, omnique virtute ad regimen educavit, eoque mortuo ipsi succedens in imperium nupsit Marciano, eumque creavit Augustum, ut majori auctoritate regnum administraret; sed virginitatem, quam anteà Deo voverat, in matrimonio conservavit, ac totam se fidei tuendæ, & hæresi Eutychetis exstirpandæ impendit. Quapropter tota Synodus Chalcedonensis ei acclamavit: *Nova Helena, munimen Orthodoxorum, & gloria Ecclesiarum.* Denique quod in Imperatoribus rarum est, sua castitate, justitia & sanctitate meruit catalogo Sanctorum adscribi die 10. Septemb.

Talis quoque fuit S. Cunegundis, quæ castitatem pariter cum Henrico Imper. marito suo conservavit, atque in ejus testimonium nudis pedibus illæsa super candens ferrum ambulavit, ac mortuo marito monasterium à se fundatum ingressa, monachamque professa, quindecim annos mira humilitate, abstinentia & pœnitentia traduxit. Unde Sanctorum fastis adscripta legitur die 3. Martii. Nimirum in tanto Imperii fastigio castitas, quasi sol toti orbi clariùs effulget.

S. Elzearius Comes Arriani cum conjuge Delphina intactam servavit virginitatem. Quocirca D. Mablina nobilitate & pietate illustris, vidit in Spiritu sanctum juvenem splendidè indutum, per amplam planitiem manibus ferentem vexillum candidum & illustre, cujus elegantia & splendor totum aerem & planitiem illam illuminaret. Sequebatur autem eum innumera multitudo hominum cujusvis ætatis, sexus & ordinis. Cumque illa visionis explicationem à Deo posceret, audivit: *Hæc est virginitas & sanctitas Elzearii, quem totus orbis venerabitur, & multi eum sequentur.* Ita habet ejus Vita apud Surium c. 16. ad diem 27. Septembris.

Præclarè S. Ignatius epist. 13. ad Heronem: *Virgines*, ait, *serva, ut pretiosa Christi monilia.* Et S. Cyprianus lib. de Habitu virginum: *Flos*, inquit, *est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis & honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctitatem Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret, Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas, quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.* Sic Vestalium virginitas Romanis erat admirationi, cùm tamen illa esset emptitia, temporaria, ac fastu plena, ait S. Ambrosius in Symmachum. Nam ut ait Naumachius illustris Poeta, sed Gentilis:

Pulchrum est corpus castum habere, intactamque manere
Virginem, & puris semper cogitationibus delectari, &c.
Permanere quasi reginam imbecillium mulierum,
Oculum splendidum ad eam vitam erigendo,
In qua gloriosæ veræque sunt nuptiæ, ubi commixta
Divinis verbis, lumine plenas meditationes parit.

His virginitatis elogiis accensus S. Casimirus regis Poloniæ filius, eam ita adamavit, ut, etiamsi medici assererent eum morbo, quo laborabat, liberari non posse, nisi uxorem duceret, ad idque pater & regni proceres eum urgerent; ipse tamen constanter responderint: *Malo mori virgo, quàm vivere non virgo.* Dixit, & fecit, ideoque velut virginitatis hostia, in sanctorum virginum album ab Ecclesia inscriptus est die 4. Martii. Fuit ergo ipse velut armelinus, qui à venatoribus luteo aggere circumdatus, mavult capi, & mori, quàm egredi & fœdari. Unde cives ejus Lithuani hoc ei anagramma dederunt: *Casimirus, sum ac iris*, in quam scilicet irradians Sol justitiæ suum ei castitatis fulgorem afflavit. Et hoc epitaphium:

Sponte cadis, sed amore cadis, Casimire, pudoris.
Mirus, te Christo mirificante cadis.

Fuit è primis Societatis nostræ Patribus P. Jacobus Ledesma, insignis Theologus, ac religiosa morum sanctitate conspicuus. Huic sub initium vocationis de perpetua castitate formidanti, Brixiæ apparuit B. Virgo sole pulchrior, comitata S. Maria Magdalena, S. Catharina Alexandrina, & S. Catharina Senensi, eique donum castitatis per omnem vitam promisit: quæ dum in cælum rediret, tres ejus comites jam recensitæ hoc carmen suaviter modulabantur: *O quantum est donum castitatis, quod Deus confert pietatis.* Ita refert noster P. Franc. Sacchinus parte 2. Histor. Societatis Jesu, lib. 1. n. 65. Lege vitam S. Juliani & Basilissæ conjugum, sed virginum, ac mira hac de re invenies. Extat apud Surium die 9. Januarii.

Vide S. Athanas. Tertull. Cyprian. August. Basilium de laudibus virginitatis, ac Climacum gradu 15. & Cassianum collat. 12.

Audi unicum S. Athanas. hac exclamatione tract. de Virginit. concludentem: *Magna virtus continentia, magna gloria castitas, magna sunt virginitatis præconia. O virginitatis divitiæ incomprehensibiles. O virginitas corona immarcescibilis. O virginitas templum Dei, & sancti Spiritus domicilium. O virginitas margarita pretiosa apud multos latens, à paucis verò vix inventur. O continentia amica Dei, & apud Sanctos laudata. O continentia vulgò invisa sed iis, qui te digni sunt, nota. O continentia mortem & inferos effugiens; & immortalitati adhærens. O continentia gaudium Prophetarum, Apostolorum gloria. O continentia angelorum vita, & sanctorum hominum corona. Beatus qui te tenet, Beatus qui per patientiam tibi constanter adhæret; quoniam postquam paululum laboravit, multa recipiet munera in te. Beatus qui per totum hoc tempus jejunarit, quia in æterna Hierosolyma habitabit, cumque angelis choreas ducet, cumque sanctis Prophetis & Apostolis requiem habebit.*

Symbolicè, quàm pulchra est generatio Christi, tum æterna & divina, tum temporalis & humana! utraque enim est casta & virginea, quia æterna facta est sine matre, humana sine patre ex Spiritu sancto. Unde Christus in cælis est ἀμήτωρ, id est carens matre, in terris verò ἀπάτωρ, id est carens patre. Utraque pariter est clara, imò clarissima. Unde de priori dicitur psal. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* ita Angelus de Paz, Expos. in Symbol. capit. 14.

Cum

CUM CLARITATE) Græcè, *cum virtute*, inter quas quia eminet charitas, hinc S. Bernard. & Petrus Blesensis epist. 36. legunt, *cum charitate*. Audi S. Bernard. epist. 42. ad Henricum: *Castitas sine charitate lampas est sine oleo: subtrahe oleum, lampas non lucet, tolle charitatem, castitas non placet. Sed ô quàm pulchra est (ut Sapiens clamat) casta generatio cum charitate! Cum illa, inquam, charitate, quam describit Apostolus de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.*

Noster vertit, *cum claritate* quia Græcum ἀρετῇ, & Latinum *virtus*, sæpè significat vires, robur, excellentiam præstantiam, celebritatem, gloriam. Unde illud Virgilii:

Tunc pudor incendit vires, & conscia virtus.

Claritas pro virtute. Igitur τὸ *cum claritate* Primò, accipi potest, ut sit idem quod Græcum *cum virtute*: virtus enim sola parit laudem & claritatem: unde à Poetis, *virtus* sæpè vocatur laus, uti alibi ostendi. Secundò & genuinè, τὸ *cum claritate* idem est, quod *clara*, ac jungendum est cum τῷ *quàm pulchra*. q. d. O quàm pulchra & clara est casta generatio, sive natio! Castitas enim solet sibi sociare ceteras virtutes: habet ergo laudem, decorem, claritatem, & gloriam aliarum virtutum, eò quòd sit ἀρετὴ, id est robur & fortitudo Martia, quæ omnia superat, ac victrix de omnibus cupiditatibus triumphat, quæ sanè ingens est ejus claritas & gloria.

Mysticè, Lyran. accipit *claritatem* conscientiæ, quæ justis datur, præsertim castis: quocirca experientia constat castitatem esse matrem sapientiæ, facereque, ut conscientia æquè ac ingenium & mens mira claritate polleat & resplendeat.

Virtutis etymon. Porrò Græcum ἀρετὴ, id est virtus, indicat castitatem egere magna fortitudine & robore militari, & quasi Martio: Ἀρετὴ enim dicta est ab Ἄρης id est, Mars. Virgines ergo sunt quasi Martes, qui assiduè pro castitate duro ac difficile prælio confligunt. Sic & virtus dicta est à vi & à viro, quasi virilis: castitas enim facit viragines viriles, & quasi viros, ac virili vi: omnibus tentationibus mundi, carnis & dæmonis resistit. Sensus ergo est, q. d. Filii stipantes suos parentes, illis sunt pulchritudini & robori, indeque claritati & gloriæ: at major est castitatis & virginitatis pulchritudo, robur & claritas, quam ipsa castis communicat, ut ob hasce tres dotes celebris & gloriosa sit, castosque gloriosos faciat apud Deum, æquè ac apud angelos & homines universos.

Denique S. Cyprianus (sive Origenes, ut volunt nonnulli) tract. de Singular. Clericorum, paulò ante finem, totum hunc locum citat, & ex eo probat Clericos & castitatis studiosos non posse habitare cum feminis. Sic enim ait: *Melius est esse sine filiis cum claritate; non est sine filiis cum claritate, nisi singularitas sola, quam non solùm conscientia sua nullis sordibus maculat, sed etiam nullæ opiniones suspectæ parilitatis infamant. Nam si castitas, quod est difficile, masculum & feminam pariter in virginitatem conservet; non habet claritatem quia communitas ipsa non potest nisi quibusdam probositatum tenebris obscurare. Singularitas verò ita clara est omnibus & exerta, ut cunctis splendore sui candoris pura manifestetur & lucida.*

IMMORTALIS EST ENIM MEMORIA ILLIUS: QUONIAM ET APUD DEUM NOTA EST, ET APUD HOMINES) quam proinde nulla temporum, nulla vicissitudinum, nulla sæculorum debebit oblivio, sed ejus memoria & gloria perennis florebit tamdiu, quamdiu Dei & angelorum hominumque omnium durabit æternitas.

Probat castæ generationis, sive nationis & gentis, pulchritudinem & claritatem ex eo, quòd immortalis sit memoria, & æterna gloria illius apud Deum & homines: quam proinde opponit & anteponit fluxæ & caducæ filiorum propagationi, cujus memoria & fama ad modicum tempus durat, & cum filiis interit. Errant ergo, qui per filios quærunt immortalitatem, ac suum nomen & stirpem æternare satagunt, cùm vera immortalitas quærenda sit ex virtute & castitate: hæc enim apud Deum & homines æternam habet laudem & gloriam. Generatione perpetuatur corruptibilium species, cùm individua perpetuare nequeant, teste Arist. de Generat. at justi castique memoria, quin & anima, ejusque felicitas & gloria, perpetuatur in ipso ejus individuo.

Græca significantiùs habent, ἀθανασία γάρ ἐστιν ἐν μνήμῃ αὐτῆς, id est, *immortalitas enim est in memoria illius*, scilicet virtutis, quæ præcessit: virtutis inquam, qua quis sterilis esse mavult & illiberis, ex amore virginitatis vel casti-
A tatis conjugalis, quàm ex alienis vel alienigenis filios procreare.

Hoc est quod ait Ecclesiast. cap. 44. 14. *Nomen eorum* (justorum præsertim heroum, quales sunt virgines & Martyres) *vivit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia*, & cap. 49. *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii: in omni ore, quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini.* Ex Psaltes psal. 111. 7. *In memoria æterna erit justus.*

ET APUD HOMINES) tum probos castosque, tum improbos & incestos, qui virgines & castam vitam suspiciunt & admirantur, ut angelicam & divinam, quæ ipsorum omnisque naturæ vires superet & transcendat, ut docet Sanctus Ambrosius lib. 2. de Virginit. & S. Basil. de Virgin.

Symbolicè noster Alvarez de Paz lib. 4. de Dignitate perfect. part. 3. c. 37. totum hunc locum de justis & sanctis sic exponit: Casta generatio, inquit, non est alia, quàm multitudo justorum, quæ mente pulchra est, quia gratiæ deco-
B re nitet, & corpore casta, quia honestatis nitore emicat; & luce sapientiæ clara, quoniam rerum cælestium cognitione resplendet: cujus memoria, nec apud Deum, nec apud homines perit. Non apud Deum, quia Sanctos semper secum habet, & nunquam à proposito eos clarificandi discedit. Non apud homines, quia hi celebrem eorum memoriam non deserunt, quos sibi semper patronos apud Deum & mediatores agnoscunt. Adeò ut, quia non potest Ecclesia omnium Sanctorum festa sigillatim celebrare (sunt enim illi innumerabiles) neque potest omnes perfectos & justos ex nomine cognoscere, aut eorum specialem memoriam habere, dies festos celeberrimos quotannis instituerit, in quibus (jubente Deo) Sanctorum omnium choros honoraret, & eos ad memoriam fidelium adduceret. Omnes etiam illos frequenter invocat, dum in supplicationibus publicis canit: *Omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro nobis.*

CUM PRÆSENS EST, IMITANTUR ILLAM: ET DESIDERANT EAM, CUM SE EDUXERIT) *Vers. 2.* S. Cyprianus legit, *cum se abduxerit*, cùm scilicet per mar-
C tyrium aut mortem castorum vel virginum, castitas vel virginitas cum eis se in cælum subduxerit. Græcè est, *desiderant recedentem*, ideoque absentem Sensus est q. d. Castitas adeò speciosa est, ut, cùm se præsentem in castis exhibet, multos trahat ad sui amorem & imitationem; cùm verò absens est sui acuat desiderium: præsentia bona enim sæpè fastidimus, absentia desideramus & studiosè requirimus, juxta illud Horatii lib. 3. Carm. ode 24.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Et illud: *Minuit præsentia famam.* Verùm viris probis castitas, cùm adest, mirabilis & imitabilis est; cùm verò abest, desiderabilis. Exemplum est in S. August. qui concubinæ astrictus, ab ea se expedivit per exempla sanctarum virginum. Audi eum l. 8. Confess. 11. *Aperiebatur*, inquit, *ab ea parte, qua intenderam faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, ut venirem, neque dubitarem, & extendens, ad me suscipiendum & amplectendum, pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ,*
D *ibi juventus multa, & omnis ætas, & graves viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris, quod isti & istæ? an verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? Projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet ut cadas. Projice te, securus excipiet te, & salvabit te. Et erubescam nimis.* Quocirca S. Basil. hom. de S. Gordio Martyre ait: *Cùm in sanctis voluminibus Moysis vitam, morum lenitatem, nostræ ætatæ magnopere optatam audimus, statim æmulamur. Joseph dum audimus, aut legimus vitam illius, assequi castitatem magnoperè cupimus. Si verò Sampsonis narratur historia, ad illius imitandam fortitudinem accendimur.*

ET IN PERPETUUM CORONATA TRIUMPHAT, INCOINQUINATORUM CERTAMINUM PRÆMIUM VINCENS) Græcè est, ἀμιάντων ἄθλων ἀγῶνα νικήσασα id est, *immarcescibilium* vel *incorruptibilium certaminum*, vel *præmiorum* (ἆθλον enim, si ab ἆθλος masculino

no derives, idem est quod *certaminum*: sin à neutro ἄθλον, idem est quod præmiorum, quæ certamina merentur) *agonem vincens*. q. d. Castitas, ac præsertim virginitas, quia durum agonem certaminum & tentationum libidinis, quibus ingentia & immarcescibilia à Deo præmia proposita sunt, generosè vincit, hinc corona gloriæ, & laurea sive aureola virginitatis, coronata in cælis triumphat. Hinc S. Cyprianus legit, *incoinquinatorum certaminum prælium vincens*. Ubi Nota. *incoinquinata certamina* accipi possunt *impolluta*, quæ scilicet cum tentationibus libidinis, multorum corpora & mentes polluentibus, ita ut vix quis eas evadat illibatus & impollutus; à castis ita suscipiuntur & superantur, ut ipsi prorsus maneant ab iis intacti & incoinquinati. Sin vertas, *incoinquinatorum præmiorum*, per ea intellige *immarcescibilem gloriæ coronam* castis à Deo propositam, quæ numquam marcescit, nullo mærore, dolore aut timore inquinatur, polluitur vel maculatur. Addit Petrus Faber lib. 2. Agonist. c. 12. & lib. 3. c. 4. *incontaminatos* dici agones sanctarum virginum, qui Deo dicantur, ut distinguat eos à contaminatis agonibus, qui in honorem deorum, id est dæmonum, à Gentilibus celebran- B tur.

Noster pro ἀγῶνα, id est *prælium*, vertit, *præmium* metonymicè, quia in agone agonotheta vincenti certamen, sive prælium, bravii loco proponebat præmium. q. d. Castus & virgo in tam periculoso tentationum carnis agone prælium vincens, præmium reportat, scilicet coronam gloriæ, cum qua in æternum triumphat. Posset quoque per hypallagen sic exponi: *Incoinquinatorum certaminum vel præliorum præmium vincens*, id est incoinquinatorum præmiorum certamen vel prælium vincens. Sic psal. 18. 6. dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum*, pro *in tabernaculo suo posuit solem*. Et psal. 32. 7. *Ponens in thesauris abyssos*, pro *ponens in abyssis thesauros*. Sic alibi dicitur. *Misit civitatem in ignem*, pro *misit ignem in civitatem*. Et *calceamenta habebitis in pedibus*, pro *habebitis pedes in calceamentis*; sive *calceatos*. Exodi 12. Quomodocumque vertas & exponas, eodem semper redibit sensus. De corona sive aureola virginitatis vide D. Thomam, S. Bonavent. ceterosq; Scholast. in 4. dist. 33.

Audi virginum, ideoq; Martyrum, gloriosas coronas & C triumphos celebrantem S. Ambros. lib. 3. epist. 25. ad Eccles. Vercell. sub finem: *Apud nos*, inquit, *& puellæ de mortis appetentia sublimes, usque ad cælum erexere virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnen quid Pelagiam loquar, quæ tamquam nobilia vitulamina pullulantes, ad mortem, quasi ad immortalitatem festinaverunt? Inter leones virgo exultavit, & rudentes bestias expectavit intrepida. Et ut nostra cum Indorum gymnosophistis conferamus, quod ille verbis gloriatus est, sanctus Laurentius factis probavit, ut vivus exureretur, & flammis superstes diceret: Versa, manduca. Haud degener Abrahamidarum & Machabæorum concertatus puerorum, quorum alii super flammas canebant, alii cùm exurerentur non rogabant ut parceretur, sed invehebantur ut ampliùs persecutor inflammaretur. Liber igitur sapiens.* Subnicit deinde ratam S. Pelagiæ fortitudinem: *Quid autem sublimius sancta Pelagia? quæ vallata persecutoribus, priusquam tamen in eorum conspectum veniret, ajebat, Volens morior, nemo me continget manu, nemo oculo protervo violabit virgi-* D *nem. Mecum feram pudorem, mecum incolumem verecundiam, nullum prædones lucrum suæ capient insolentiæ: Pelagia Christum sequetur, libertatem nemo auferet, nemo captivam videbit liberam fidem, insignemq; pudicitiam & profapiam prudentiæ. Quod servum est, hic manebit, nullos in usus debitum.* Dixit & fecit: nam antequam à satellitibus comprehenderetur, ex alto se præcipitans, virgo & Martyr evolavit in cælum, uti refert idem S. Ambrosius lib. 3. de Virgin. S. Chrysostomus & alii.

Triumphi virginum.

S. Pelagia.

Audi & triumphos S. Victoriæ virginis & Martyris. Hanc enim hisce verbis ad virginitatem servandam impulit S. Anatolia: *O Victor a vince diabolum, & esto vera victoria. Ego die qua expliciui pretium ornamentorum meorum in pauperes Christi, vidi per visum juvenem auro diadematum splendidum, in vestibus purpureis atque gemmatis, qui grata facie & læto vultu me inspiciens ait: O virginitas, quæ morte non vinceris, quæ à morte perpetua liberas! O virginitas, quæ non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris! Virginitas purpura regalis est, quam qui induit; reliquis fit eminentior. Virginitas gemma est pretiosa. Virginitas thesaurus est regis immensus. Huic fures insidias tendunt, Hanc* Aru evigilans sollicitè custodi: quantumq; te plus habere cognoscis, instantiùs custodi ne perdas. His & similibus verbis & factis incitata Victoria, omne pretium ornamentorum suorum & ipsa distraxit pauperibus. Sicque factum est, ut, agentibus sponsis earum Aurelio & Eugenio, quia nubere illis virgines Christi noluerunt, à Decio Imp. urbe Roma pulsæ, ad prædia sponsorum ducerentur, ubi fame & inedia ita afflictæ sunt, ut vix ad vesperum modicus panis cibarius eis daretur: nulloque pacto efficere sponsi potuerunt, ut vel ad nubendum vel sacrificandum animi illarum inclinarentur. Beata igitur Victoria in virginitatis proposito invincibiliter persistens, post multa miracula facta, inter quæ plurimas virgines Domino aggregaverat, percussa est gladio in corde à carnifice Taliarcho. Qui leprosus factus, intra sex dies vermibus consumptus expiravit. Hæc omnia ad verbum habet Ado in Martyrolog. die 29. Decembris. Huc facit illud S. Hieron. in epitaph. Paulæ, de duabus coronis, martyrii, scilicet, & puritatis: *Illa*, inquit, *corona de rosis & violis plectitur, ista de liliis*. Et illud Prudentii Peri Stephanon hymno 14.

S. Victoria.

Gnoma.

Duplex corona est præstita Martyri,
Intactum ab omni crimine virgini,
Mortis deinde gloria liberæ.

Hinc & Gentiles in agone certaturi vino & venere abstinebant, ut fortiores evaderent, & victoriæ coronam reportarent: experientia enim constabat fortiores, si veneri vacarent, à debilioribus, si ea abstinerent, superari. Audi S. Paulinum epist. ad Severum. *Confirmemur*, inquit, *animam castitate, quam Apostolus docet, quam etiam carnales athletæ diligenter tuentur, quò nobis impensiore studio servanda est pro immarcescibili corona illa luctantibus, cùm etiam pro temporali & fragili corona decernentibus excolatur:* Et S. Ephrem de Virginit. *Fac sis continens animo, vigil spiritu, abstineas cibo, abstinens risu, cogitationum quoque continentiam servans, ut per omnia veluti perfectus athleta innotescas.* Et de luctamine spirituali; *Continentiam habeto*, inquit, *in habitu, continentiam habeto in cibo, continentiam habeto in lingua; abstinentiam in aspectu, in cogitatu, in risu, ut athleta pietatis perfectissimus in omnibus demonstreris.* Similia habet S. Basil. de Sacr. virginit. Porrò virgines à Gentilibus florea corona, vel ramis pini (pinus enim est symbolum virginitatis) coronari solitas docet Carolus Paschaius lib. 2. de Coronis c. 15. & lib. 6. c. 28.

Denique virginibus triplex debetur corona: prima, virginitatis; secunda, nuptialis, quia nubunt Deo: olim enim virgines, dum nubebant, coronabantur: tertia, athletica, quia instar athletarum difficilem & durum cum luxuria agonem subeunt & superant. Hinc omnes penè gentes virgines dum moriuntur, rosis & floribus coronant. Virgo enim est libidinis domitor, dæmonum profligator, passionum & sensuum victor. Cui per omnia quadrat illa Machabæi præclara laudatio: *Similis est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persecutus est iniquos, perscrutans eos; & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis: & repulsi sunt inimici ejus præ timore ejus, & omnes operarii iniquitatis conturbati sunt, & directa est salus in manu ejus*. 1. Machab. 3. 4.

Virginum triplex corona.

MULTIGENA (græcè, πολύγονον, id est multiplex, multiplicata, multa) AUTEM IMPIORUM MULTITUDO NON ERIT UTILIS) Est antithesis q. d. Pii & casti sua virtute & castitate pariunt sibi coronas, & triumphos æternos: at turba impiorum, esto plurima, inutilis est, imò sua impietate sibi & proximis noxia: sibi enim accersit ignes & tormenta gehennæ. VERS. 3.

Dices, Cur ergo Deus creat homines, quos scit fore impios, & cur eos tolerat? Respond. Primò, ut in eos ostendat suam justitiam vindicativam, sicut in piis suam ostendit misericordiam per gratiam & gloriam, quam eis elargitur, uti docet Apost. Rom. 9. utque per justitiam exercitam in impios, pii magis agnoscant misericordiam sibi præstitam, Deoque majores gratias agant.

Secundò, ut per impios exerceantur, purgentur & perficiantur pii. Sic Cain exercuit Abelem, Ismael Isaacum, Esau Jacobum, Pharao Moysen, Saul Davidem, Aman Mardochæum, &c. Audi S. August. serm. 52. in Euangel. S. Joannis: *Præclarè*, inquit, *videtis ergo quia & mali necessarii sunt bonis In fornace quodammodo aurificis sumus, hoc est in hoc mundo. Si aurum non es, simul ardes; si autem es*, *palea*,

palea tua est malus; si & tu palea es, simul eritis fumus. Et in illa verba psal. 51. *Sicut novacula acuta fecisti dolum: Ecce,* ait, *quid faciunt bonis mali, capillos radunt,* hoc est, ut mox explicat, *oblaturus est malus bona temporalia.*

Tertiò, impii piis multa exhibent ministeria circa artes mechanicas, mercimonia, aliasque res temporales, quibus excellunt, utpote toti intenti lucris, fabricis, politiæ, &c.

ET SPVRIA VITVLAMINA NON DABVNT RADICES ALTAS, NEC STABILE FIRMAMENTVM COLLOCABVNT] q. d. Sicut spuriæ plantæ non agunt altas radices, ideoque citò exarescunt & pereunt; sic adulterorum & impiorum adulterini & impii filii citò deficiunt, nec stirpem aut familiam propagant: spuriæ plantæ enim sunt filii nothi, & illegitimi. Unde Syrus vertit, *& qui sunt ex alieno semine, non dabunt radices in profunditate*; Arabicus, *non fundabunt radices altas germina eorum*, *Spuria vitulamina* ergo sunt *adulterinæ plantationes*, ut legunt hic S. Bonav. Lyran. Hugo, Holkot & Dionys. has enim significat Græcum *νόθα μοσχεύματα*, id est nothæ, vel spuriæ & adulterinæ plantæ. Nam vox *vitulamina* in nullis lexicis, vel auctoribus classicis modò reperitur. Unde S. August. libro 2. de Doctrina Christ. c. 12. *Quia*, inquit, *μόσχος græcè vitulus dicitur, μοσχεύματα quidam non intellexerunt, esse plantationes, & vitulamina interpretati sunt. Qui error tam multos codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter scriptum: & tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequentibus verbis. Namque adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, convenientiùs dicitur, quàm vitulamina, quæ pedibus per terram gradiuntur, & non hærent radicibus. Hanc translationem in eo loco etiam cetera contexta custodiunt.* S. Augustinum sequitur Jansen. qui lectionem Vulgatam, quæ habet *vitulamina*, velut vitiatam, aut minùs congruam reiicit, uti & S. Bonav. Hugo. Vatabl. Clarius & Polydorus Virgil. in Adagiis Sacris lib. 2. adagio 379.

Verùm *spuria vitulamina* legunt hic omnes codices Vulgatæ editionis, quam quia ut authenticam probavit Concil. Trident. sess. 4. nulli Catholico jam reiicere fas est. Sic quoque Optatus Milevitan. lib. 4. contra Parmen. legit, *Spuria vitulamina & filios adulterarum*, & explicat de hæreticis: *Apud quos*, inquit, *sunt Sacramentorum falsa connubia, & in quorum thoris iniquitas invenitur, ubi in exterminium fidei corrupta sunt semina.* Videtur ergo vox *vitulamina* illo ævo fuisse usu recepta.

Spurii etymon. Porrò *spurius* vocatur, qui ex matre nota, patre ignoto vel ignobili nascitur. Unde veteres denotabant spurium per S. P. quasi dicas *sine patre*. *Spurius* autem dicitur à *σπόρος*, id est semen, quod nil habeat à patre nisi semen: nec enim in patris familiam, statum & hereditatem succedit. Ita S. Isidor. lib. 9. Origin. c. 5. Plutarch. in Quæst. Sigonius de Nomin. Roman. & alii. Addit S. Isidor. *spurium* dici, quasi *extra puritatem*, id est immundum; alii *spurium* dici censent *spurcum*. Verùm prius etymon est germinum.

Vitulamen unde? Dico ergo aptè nostrum Interpretem vertisse *vitulamina*. Primò, quia græcizat, ac imitatur Græcum, qui à *μόσχος* vocat *μοσχεύματα*, id est à vitulo vitulamina, *μοσχεύματα*, id est *vitulamina*, Græcis sunt surculi, qui ex arbore dempti feruntur sive plantantur, ut in fruticem arboremve excrescant; item rami tenelli, qui ex arbore in humum deferuntur, ut talea sive clavola ex olea, malleolus ex vite: *μοσχεύω* enim idem est, quod surculis ex arbore demptis sero, ramos tenerrimos ex arbore avulsos planto, plantaria seu viviradices instituo. Sic S. Bonav. ait S. Ambros. in quadam epistola scripsisse: *Vos estis nobilia vitulamina*; dici autem à vite, quæ est generosa plantatio. Adde, radix arboris vocatur taurus, cur non & vitulus, vel vitulamen? Audi Quintilianum li. 8. c. 2. *Sicut in his, quæ homonyma dicuntur, ut taurus animalne sit, an mons an signum in cælo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum, non intelligitur.* Sic *μόσχος* græcè & vitulum, & pampinum, & viviradicem, id est plantam, quæ cum viva radice seritur, quasi vivam radicem habens, significat: unde *μόσχευμα* vocatur stolo, planta tenera, novellus ramus, malleolus vitium, viviradix.

Secundò, quia *vitulamen* est vox Latina, & appositè significat vagam, petulantem, & instar vituli vitulantem & lascivientem luxuriam spuriarum plantarum, æquè ac adulterorum. *Vitulari* enim Latinis idem est, quod lætari, exultare, lascivire instar vituli: unde vitulamen est ipsa lascivia. ita Festus, Nonius & alii. Iam sicut homines dicuntur lascivire & vitulari metaphoricè, sic & plantæ cùm ramis luxuriant. Est enim analogia & similitudo inter propagationem plantarum, bestiarum & hominum: unde sicut vitulari dicuntur homines, cùm more vitulorum saltant & lasciviunt, sic & plantæ. Quare appositè Interpres noster à stolida & petulca vituli vitulatione, stolidas & lascivè luxuriantes plantas, sive stolones, vocavit *vitulamina*.

Paulò aliter Cervantius: Vox *vitulamina*: inquit, significat degenerantes, infructuosas, stultas, luxuriantesque plantas, quæ ad truncum vitis, à qua nomen accipiunt, nasci solent, & vitibus officiunt, & in pabulum vitulorum a terra proferuntur, à vitulis seu bobus arata: sic impii ignobiles: degeneres, steriles, stulti & molles in adversis sunt, ut eis succumbant facilè: & Christo Domino, *viti veræ*, Joann. 15. *& palmitibus* ejus, sive Ecclesiæ, vineæ Deo jucundissimæ, speciosissimæ & pretiosissimæ, pro viribus detrimentum afferre amant & ardent; sed non diu vigebunt, non maturescent, ut ingenio respondeant, certa manent supplicia plantas istas, Isajæ 5. Jerem. 12. Ezech. 15.

Sic & alii *vitulamina* non à vitulo, sed à vite deducunt; sed sic potiùs dicenda essent *vitilamina*, sicut dicitur *vitiligo*, non *vituligo*, nisi dicas *Tò vitulamina* ad vitulum, æquè ac ad vitem alludere.

Sed cur *vitulamina*, id est plantæ, vel rami, vocantur *spurii*, qui altas radices non agant?

Spuriæ plantæ quæ? Respond. Primò. Respond. Primò. Spuriæ herbæ & plantæ sunt, quæ à genuinis degenerant, item falsæ, quæ genuinarum speciem habent, at non vim & indolem. Sic olea in terra sterili sylvescit, & degenerat in oleastrum: spurius ergo ramus oleastri si inseratur in oleam, vel non coalescit cum ea, nec crescit, vel certè indolem & bonitatem oleæ non capit, nec imbibit. Unde Theophrast. li. 1. de Causis plantarum c. 7. urbanas arbores ait inserendas esse per inoculationem sylvestribus, non verò sylvestres urbanis, putà oleam inserendam esse oleastro, non verò oleastrum oleæ: *Quamobrem*, inquit, *satis oleastris inserere post modum, vel inoculare præcipiunt: coeunt enim & apprehendunt validiùs, & radix plus attrahens nutrimenti, probè fructificare arborem facit. Nam si è contrario silvestre in urbano severis, tametsi differentia quædam erit, tamen bonæ frugis arbor nunquam profectò reddetur.*

Secundò. Secundò per *spuria vitulamina*, id est spurias plantas & surculos, accipi possunt rami multiplices & densi, quos arbor vel vitis humore luxurians ad radices suas progignit, sed deinde deficiente humore & succo alere nequit; unde eosdem sua umbra enecat. Audi Plinium lib. 17. c. 10. *Natura & plantaria demonstravit, multarum radicibus pullulante sobole densa, & pariente matre, quas enecet, eius quippe umbra turba indigestu premitur, ut in lauris, punicis, platanis, cerasis, prunis. Paucorum in hoc genere rami parcunt soboli. ut ulmorum palmarumq; Nullis verò tales pulli proveniunt, nisi quarum radices amore solis atque imbris, in summa tellure spatiantur. Omnia ea non statim moris est in sua locari, sed prius nutrici dari, atque in seminariis adolescere, iterumq; migrare. Qui transitus mirum in modum mitigat etiam silvestres: sive arborum quoque, ut hominum natura novitatis & peregrinationis avida est: sive discedentes virus relinquunt, mansuescuntq; tractatu (ceu feræ) dum radici avellitur planta.* *Pullos* Plinius vocat ramos teneros, qui molles sunt & delicati, instar pullorum & puellorum. Simili modo luxuriosi & adulteri magnam spuriorum sobolem progenerant, sed ob exhaustas libidine vires debilem & infirmam, quam deinde ægrè & neglectim alunt: unde omnis illa facilè deficit & emoritur, vixque sobolem longævam post se relinquit.

Tertiò. Tertiò, plantæ à nativa sua bonitate & indole degenerant, suntque spuriæ, si in alium locum priori dissimilem, vel minùs sibi commodum transferantur & transplantentur, tuncque facile exarescunt. Audi Columellam lib. 3. c. 5. *Depositæ stirpes valido solo quamvis celeriter comprehendant atque prosiliant, tamen cùm sint viviradices factæ antequam transferantur retorrescunt, nec adolescere queunt.* Ex clariùs cap. 9. *Tantum retulerit, ut in transferendis seminibus similem statum cæli lociq; & ipsius vitis habitum observemus; quoniam plerumq; degenerat surculus, si aut situs agri aut aeris qualitas repugnent, aut etiam si ex arbore in jugum defertur. Itaque de frigidis*

insti-

in frigida, de calidis in similia, de vineis in vineas transferemus.

Quartò. Quartò, spuriæ plantæ sunt, quę à vermibus erosę aut carie exesæ, aut ærugine alioque vitio percussę vigorem suum perdidere, ideoque marcescunt & tabescunt. Tales rami sunt stolidi stolones, qualis est tales sive clavola ex olea, malleolus è vite, qui proinde plantari nequit, ut radices agat & pullulet.

Quintò. Quintò & optimè, spuriæ plantæ & rami sunt, qui alterius speciei ramis semine injecto in nascuntur, qui quia in iis altas radices agere nequeunt, hinc crescere non possunt, sed citò exarescunt. Sic Theophrastus lib. de Causis plantarum c. 23. narrat visam esse terebinthum nasci in olea, & polypodium in arboribus, & laurum in platano & quercu, causamque subdit: *Cùm enim*, inquit, *in partem arboris putredine penè in terram conversam, semen deciderit, pullulat vivitq; alimentum capiens ex subjecta arbore*; sed quia id modicum est, hinc modicè pariter vivit, & crescit. Rursum sunt quædam plantæ, quæ natura sua non nisi ramis alienæ arboris innascuntur, quas si ab iis avellas & plantes, ut fiant viviradices, arescunt & moriuntur. Talis est viscus, qui est frutex, ex quo fit viscus, sive gluten. Hic enim frutex arborum nonnullarum ramis adhærens, per hiemem virens, baccas autumno ferens, quibus vescuntur turdi, merulæ, palumbes. Nascitur in quercu, pomis, piris, tiliis, betulis, salicibus, mespilis, cotoneis & aliis arboribus. Si in terra seratur, non prodit: solius arboris comes est, nec nascitur nisi semine per avis alicujus alvum reddito. Fertur, inquit Athenæus lib. 9. si avis visci semen comederit, super quacumque arbore ventrem exoneraverit, viscum nasci. Unde Virgil. 6. Æneid.

Quale solet silvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova (quod non sua seminat arbos)
Et croceo fœtu teretes circumdare ramos.

Idem docet Theophrastus lib. 2. de Causis plantarum c. 23. & 24. *Hyphear*, inquit, *& stelis in abiete pinoq; nascuntur viscum in quercu, terebintho*, &c. Et c.25. docet quasdam plantas indigere aliis, quibus incumbant, ac proinde iis adnasci, quales sunt smilax, serpillum, hedera, quæ proinde si separentur, per se consistere nequeunt, sed exarescunt. Et Plinius lib.16. c.44. *Quædam*, inquit, *in terra gigni non possunt, & in arboribus nascuntur. Namque cum suam sedem non habeant, in aliena vivunt sicut viscum.* Tales propriè sunt adulteri, qui ex aliena uxore adulterinos filios progignunt, quasi spuria vitulamina, quæ proinde in terra hac generationis & prosapiæ radices non agunt. Subdit Plinius: *Est & in Syria herba, quæ vocatur cadytas, non tantum arboribus, sed ipsis etiam spinis circumvoluens sese. Item circa Tempe Thessalica, quæ polypodion vocatur, & quæ dolichos ac serpillum. Oleastro quoque deputato* (amputato, resecto) *quod gignitur vocant phaunos: quod verò in spina fullonia, hypophæston, calyculis manibus, foliis parvis, radice alba, cujus succus ad detractiones in comitiali morbo utilissimus habetur. Visci tria genera. Namque in abiete, ac larice stelin dicit Eubœa nasci, hyphear Arcadia. Viscum autem in quercu, robore, ilice, pruno silvestri, terebintho, nec aliis arboribus adnasci, plerique. Copiosissimum in quercu, quod dryos hyphear vocant. In omni arbore, quercu & ilice excepta differentiam facit odor virusq; & folium non jucundi odoris in utroque, visco amarum & lentum.*

Atque hi sunt fructus amari, quos hic subdit Sapiens dicens: *Et fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum.* Concludit Plinius de visco: *Omnino autem satum nullo modo nascitur, nec nisi per alvum avium redditum, maximè palumbis & turdi. Hæc est natura, ut nisi maturatum in ventre avium non proveniat.* Sicut ergo fungi & viscus innascuntur alienæ arbori, nec ab ea se avelli sinunt; sed si eos avellas & plantes, radices non agunt, quinimò emoriuntur & exarescunt, fructus verò eorum sunt insipidi & amari: sic prorsus impiorum & adulterorum impia & adulterina proles non nisi in adulterio, quasi in alieno solo nascitur; hinc per se vitalis non est, nec per se consistere, aut stirpem propagare, & familiam propriam fundare prævalet, sed exarescit & deperit: fructus quoque eorum amarus & acerbus est, uti mox ostendam.

Exempla. Exemplo sit Augustus Cæsar, qui libidinibus & stupris vacans, proles non nisi similes sibi, nempè duas Julias, filiam scilicet, & ex ea neptem, utramque luxuriosam ad suum probrum reliquit, in eisque ejus soboles extincta est. Idem contigit Julio Cæsari, C. Caligulæ, Neroni, ceterisque Imper. adulteriis & luxuriæ deditis, qui nullam prolem tanti imperii heredem reliquerę. Lege Sueton. aliosque, qui vitas Cæsarum scripsere.

S. Augustinus unum ex concubina filium sustulit, nomine Adeodatum; sed & hunc puerum mors sustulit, ita providente Deo, ne tanto Ecclesiæ Doctori futuro infamiam, vel remoram aliquam crearet. de quo ipse ita scribit lib.9. Confess. c.6. *Munera tua tibi confiteor Domine Deus meus, creator omnium, & multum potens reformare nostra deformia: nam & ego in illo puero præter delictum nihil habebam*, &c. *citò de terra abstulisti vitam ejus, & securior eum recordor, non timens quidquam pueritiæ, nec adolescentiæ, nec omnino homini.* Sic Deus occidit parvulum natum Davidi ex adulterio cum Bethsabee Causam quærit Theodoret. in lib. 2. Regum quæst. 16. ac respondet: *Vivus erat futurus argumentum sceleris paterni: pii ergo regis, qui erat etiam Propheta, curam gerens Deus, non sinit eum vivere.*

Vers. 4. ET SI IN RAMIS IN TEMPORE (id est, ad tempus: græcè enim est, πρὸς καιρὸν) GERMINAVERINT, INFIRMITER POSITA (græcè βεβηκότα, id est ascendentia, succrescentia) A VENTO COMMOVEBUNTUR, ET A NIMIETATE VENTORUM ERADICABUNTUR) q. d. Esto spuriæ plantæ, id est spurii & adulterini filii, ad modicum tempus succrescant & prosperentur; tamen mox vento quopiam adversitatis concutientur & convellentur, eoque crescente eradicabuntur, præsertim dum vident cogitantque se ab infami parentum luxuria progenitos, ab iisdem negligi, & ab aliis contemni: quo fit, ut & ipsi vicissim parentes parvipendant, nec ab iis corrigi se sinant, sed liberè, æquè ac ipsi, suæ concupiscentiæ, & luxuriæ indulgeant itaque vitam sibi abbrevient; opesque, famam, vitam & animam perdant; idque justa Dei vindicta qui impios cum suo semine & propagine funditus extirpat, sæpè in hac vita, & semper in futura, juxta illud Isajæ c.64.6. *Cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.*

Sapientem de more secutus Siracides de adulterinis filiis, ita ex Deo ominatur: *Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum: derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur*, &c. Ecclesiast. 23. 35. Vide ibi dicta.

Vers. 5. CONFRINGENTUR ENIM RAMI INCONSUMMATI, ET FRUCTUS ILLORUM INUTILES, ET ACERBI (græcè, ἄωρος id est fructus intempestivus, immaturus, crudus, necdum calore solis percoctus, ideoque acerbus) AD MANDUCANDUM, ET AD NIHILUM APTI] Idem dicit, aliisque & aliis verbis exaggerat. A cap. enim præcedenti v.16. huc usque iterando urget & inculcat adulterinorum filiorum vilitatem, infamiam, sterilitatem & vitæ brevitatem: unde eos vocat ramos inconsummatos, id est qui non perveniunt ad perfectionem & consummationem; & fructus illorum acerbos, id est proles eorum pravas & malignas: imitantur enim suos parentes, quæ proinde ante maturitatem, quasi fructus crudi decerpuntur & avelluntur. Rursum fructus, id est opera, consilia & machinationes eorum aliis sunt acerba, id est noxia & exitialia. Tò *confringentur*, significat eos mori violenta morte, utpote immatura, & subinde per vim illata Huc facit illud Job.22.16. de impiis: *Qui sublati sunt ante tempus suum & fluvius subvertit fundamentum eorum.* Ad hanc Sapientis gnomen alludens S. Paulinus epi.35. ad Desiderium, ita piè precatur: *Deinde ego ad vigilantiam sollicitudinis excitatus: omni hora paratus assistam, & Domino absente sim trepidus, ut adveniente securus sim: omni tempore, omni die me fertilem sibi Christus inveniat, ut nunquam cuiquam operi voluntatis illius immaturus appaream: sed si fortè in tempore iracundiæ desideraverit à me pacem suam, non sit mens mea per iracundiæ acerbitatem cruda concordiæ, nec expediam, ut sol occidat super iram meam, ne occidat vita mea si antè clauserit vesper diem, quàm extinxerit pax furorem.* Causamque subdit: *Et hoc est, quod voluit intelligi per Euangelistam nobis indicando, non suo tempore fructum ab arbore se petisse, ut omni tempore homo se fructum Deo debere cognoscat quia bonus Dominus, qui hominem mortalem immortalitati præparat jam & in hoc sæculo vult eum speciem perpetuitatis induere, ut fructum non accipias de tempore, sed omni tempore sit maturus illi, cum quo vel in quo mansurus est sine tempore.*

Vers. 6. EX INIQUIS ENIM SOMNIS (perperam multi pro *somnis* legunt, *omnes*; græcè enim est, ὕπνοις, id est *somnis*)

A FILII QUI NASCUNTUR, TESTES SUNT NEQUITIÆ ADVERSUS PARENTES IN INTERROGATIONE SUA) q. d. Filii nati ex iniquo concubitu (qui fieri solet noctu, tempore somni. Sic cap. 7. 2. ait Auctor se conceptum *delectamento somni convenient*: ubi plura hac de re. Est honesta periphrasis rei turpis: per *somnum* enim rectè notat concubitum) *testes* & indices sunt *nequitiæ* putà luxuriæ & adulterii parentum, de iisque tacitè, sed reipsa illos accusant *in interrogatione sua*. id est in inquisitione seu examine. q. d. Si quis inquirat, examinet, aut interroget filios spurios; Quis tuus est pater, quæ mater? intelliget eos fuisse fornicarios, vel adulteros, ideoque sceleratos & infames. Filii ergo spurii *testes* sunt *nequitiæ*, id est luxuriæ & illiciti concubitus parentum: quare parentes, qui suæ famæ consultum volunt, filios spurios celant, & à se ablegant, ac secretò educari curant: qui enim in iis gloriantur, de sua turpitudine & infamia gloriantur. Rursum spurii sunt *testes nequitiæ* parentum, quia sæpè per semen vitiatum parentum luxuriam, levitatem, iracundiam, aliaque vitia contrahunt, eaque palam ostendunt. Fructus enim mali sunt indices arboris malæ. Hinc videmus non rarò spurios esse sagaces, versutos, fallaces & vitiosos; qua de causa, æquè ac ob infames natales, arcentur sacerdotio & sacris. Adulterina ergo proles est infausta, & laborat infamia, quæ numquam eluitur. Quare de adulterio rectè dixit Job c. 31. 12. *Ignis est usque ad perditionem devorans & omnia eradicans genimina*. Legitimi ergo filii probiores sunt spuriis, quia illi virtutem hi vitium parentum participant. Hanc causam dat Aristotel. 3. Polit. c. 6. Idem apud Stobæum serm. 88. *Causas, ait, jam diximus, quoniam videlicet nobilitas virtus est generis: virtus autem res laudabilis, studioq; digna est. Item genus, in quo multi studiosi boniq; fuerunt, laudem studiumq; meretur. Fit autem tale genus, cùm principium eius laudabile fuerit. Principium enim hanc facultatem habet, ut multa efficiat quale ipsum est. Hoc opus, hæc vis est principii, ut plurima sibi reddat similia. Cùm igitur unus talis in aliquo genere fuerit, adeoq; bonus, ut virtus ab ipso in multas ætates transfundatur, hoc certè genus omni laude studioq; dignissimum erit: sic enim permulti fient studiosi homines, si genus humanum sit: nam in equis etiam & canibus, alisq; animalibus eadem ratio est*. Plura hac de re dixi Proverb. 30. v. 16.

Spurii sagaces, cur.

VERS. 7. JUSTUS AUTEM SI MORTE PRÆOCCUPATUS FUERIT, IN REFRIGERIO ERIT) Occurrit tacitæ obiectioni. Dixit enim impios & adulteros, eorumque filios quasi acerbos fructus præmatura morte abripi: obiiciet quis, etiam justos, eorumque filios, subinde præmaturè mori. Occurrit, & respondet mortem eorum, licet respectu naturæ & ætatis præmatura videatur, ipsis tamen esse maturam, tum quia transfert eos ad quietem & gloriam æternam; tum quia ab ipsis prævisa est, imò expectata & optata; quare mors eos paratos invenit, & expectantes eam, quasi transitum ad meliorem vitam *In refrigerio*, græcè *in requie erit*. In Purgatorio enim etiam est requies, ait Dionys. propter certitudinem de salute, suffragia vivorum, & consolationem angelorum, Mors ergo justo est requies, somnus, cessatio à labore & dolore, recreatio; ideoque non immatura, sed ipsa maturitas. Unde ex Græco verti potest, *justus si præverterit* vel *præoccuparit finire*, scilicet vitam vitæque labores; vel *justus si assequatur quod contendit*, si voti compos fiat, si perveniat quo cupit, scilicet ut finiat vitæ labores, *in requie erit*.

Justus ergo hoc sensu non præoccupatur morte, quia ipse mente præconcipit, antevertit & præoccupat mortem. Dum enim manè surgit, præmeditatum habet illud S. Antonii: *Cogita hunc diem tibi fore ultimum*. Sic ergo age, sic vive, quasi opera & merita cum vita finiturus hodie. Et illud S. Hieron. *Sic vive, tamquam quotidie moriturus; sic stude, tamquam semper victurus*. Quare justus & sapiens bona, quæ destinat, non differt in crastinum, sed eodem die, si potest, exequitur: si non potest bonam voluntatem, & exequendi, cùm licebit, propositum Deo offert. Memor enim est illius dicti Eccles. c. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas*. Faciebat id noster P. Joannes Maldonatus, suo ævo Franciæ oraculum, qui quotidie quater faciebat examen mortis. Examinabat enim conscientiam, num quid in ea esset, quod illi angorem aut molestiam creare posset in hora mortis, & si quid tale inveniebat, illicò amovebat. Quare componebat se suasq; rationes quotidie, quasi eo die moriturus. Nam ut ait Climacus gradu 6. *Non est præsentem diem piè pertransire, nisi hunc esse ultimum totius viæ nostræ existimemus*.

Mors justo præmeditata.

Examen mortis.

Transit ab hypothesi ad thesin, à specie ad genus, putà à casto ad justum: qui enim castus est, facilè est & justus; qui verò incestus, injustus. Ratio est. Prima, quòd inter ceteras justitiæ Christianæ partes & virtutes castitas sit difficillima; unde ipsa ut se tueatur & conservet, ceterarum virtutum præsidio indiget. Quare qui eam habet, ceteras quoque habeat oportet; qui verò illas non habet, ac proinde injustus est, difficile, imò impossibile est ut diù castitatem conservet.

Castus est justus.

Primò.

Secunda, quia sapientiæ (de qua toto hoc libro agit Sapiens) hoc est prudentiæ & virtutis, individua comes est castitas, sicut insipientiæ comes est libido.

Secundò.

Tertia, quia omnis probus castus est, omnis improbus adulter coram Deo: violat enim, per inobedientiam & peccatum, fidem Deo in circumcisione vel baptismo datam, aut dari debitam, juxta illud: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. 2. Corinth. 11. Quocirca Salomon in Proverbiis, maximè c. 4. 5. 6. & 7. operosè B filium sive discipulum, quem ad sapientiam instruit, dehortatur à libidine, utpote summo sapientiæ impedimento.

Tertiò.

Audi nunc S. Bernard. epist. 105. ad Romanum: *Justus quippe mortem etsi non cavet, tamen non pavet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem & justus, sed securè; quippe cujus mors, ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors si peccato moriaris, ut justitiæ vivas. Hæc mors necesse est ut præcurrat, ut sequatur illa secura. In hac vita quamdiu durat, compara tibi illam, quæ semper durat. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias. Quid enim si conciderit saccum corporis tui, dum te subinde circumdet lætitia? O quàm beati mortui, qui in Domino moriuntur, audientes à Spiritu, ut requiescant jam à laboribus suis! Non solùm autem, sed & succedit jucunditas de novitate; ac de æternitate securitas. Bona proinde mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contrà mors peccatorum pessima. Et audi unde pessima. Mala siquidem est in mundi amissione, peior in carnis separatione, pessima in vermis ignisq; duplici contritione. Eia ergo* C *festina, exi, recede, moriatur anima tua morte justorum, quo fiant & novissima tua horum similia. O quàm pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus! Fuge, quæso, in via peccatorum ne steteris. Quomodo vivere potes, ubi mori non audes?*

Audi & S. August. (vel quisquis est auctor) lib. de Vita Christiana c. 5. tom. 9. *Sed dicet aliquis: Quid est, quòd videmus bonos etiam perire cum malis? Illi non pereunt, sed evadunt, quasi de malorum consortio & persecutionibus liberantur; & ad requiem transferuntur. Illi & planè moriuntur & pereunt, quos de hoc mundo recedentes, maioris adhuc judicii supplicium expectat & pœna. Vocantur enim ante tempus boni, ne diutiùs vexentur à noxiis: mali verò vel impii tolluntur ne bonos diutiùs persequantur. Justi de pressuris, tribulationibus & angustiis vocantur ad requiem: iniqui verò de luxuriis opibus & deliciis rapiuntur ad pœnam. Illi verò vadunt, ut judicent: isti, ut judicentur. Illi, ut vindicentur: isti, ut in eos vindicta celebretur, ut scriptum est: Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Et iterum:* D *Viveas inter peccatores translatus est. Et iterum Placita enim erat Deo anima eius, & ideo properavit de medio iniquitatis eripere eum. Et iterum: Cùm impii eunt ad mortem, illi autem sunt in pace.*

Vis exempla? accipe. Robertus Holcot hoc loco narrat, quemdam bene doctum probumque inter libros repertum esse mortuum, cumque adventantes hoc casu perculsum curiosiùs in eum intuerentur, viderunt ejus digitum intentum in hanc sententiam: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*. B. Jordanus, proximus à sancto Dominico Ordinis Prædicator. Generalis, cùm navigans Hierosolymam tempestate navi fracta, fluctibus haustus suffocatusque foret anno Domini 1236. multique mirarentur & dolerent tam subitum tristemque tanti viri casum, apparuit ipse magna luce æquè ac cruce insignitus, dixitque: *Exivi ex hoc sæculo ad gloriam Beatorum, & inter Apostolorum choros & Prophetarum evectus sum*. Et rursum: *Hoc firmiter teneas, nec dubites, quia salvus erit omnis, qui usque in finem Domino nostro Jesu Christo servierit*, qualicumque morte obierit. Ita habet Leander in ejus Vita, quæ extat apud

Exempla subita, sed sancta mortis.

apud Surium tomo 2. die 13. Februarii. Simeon Stylites non ille celebris de quo Theodoret, & alii, sed alius, de quo Joannes Moschus in Prato Spirit. c. 57.) fulgure percussus interiit, cujus animam Julianus Stylita vidit cum tripudio & exultatione ascendere in cælum. Sic S. Fulgent. epist. 2. c. 4. hac sententia, *Justus si morte*, &c. consolatur Gallam de morte mariti in ætate florenti, additque: *His nempè verbis S. Scriptura nos docet, in hoc sæculo Christianis fidelibus non vitam longam prodesse, sed bonam. Et ad cognoscendum quantum possibile est cujuslibet defuncti meritum, non quantum vixerit, sed qualiter quisque vixerit, intuendum. Sicut enim vita mala quanta magis fuerit temporaliter prolongata, tanta magis delinquentibus multiplicat pœnam: sic vita bona, quamvis hic brevi tempore terminata, magnam sempiternamque conquirit bene viventibus gloriam.*

Cita mors est Purgatorium. Adde, justos subinde cita & violenta morte abripi, ut per eam ceu Purgatorium, expientur nonnulla levia eorum delicta. Sic Nadab & Abiu repentino incendio deflagrarunt, ut eorum leviores defectus hoc igne consumerentur, Levit. 10. Idem de Anania & Sapphira à S. Petro subitanea morte percussis, Actor. 5. multi piè opinantur. *Exempla.* Exemplum memorabile est, quod narrat Anastasius Nicenus quæst. 17. in S. Scriptur. Contigit, inquit, ut Anachoretæ cujusdam discipulus ingrediens in urbem, videret principem ejus jam mortuum efferri ad sepulchrum cum magna pompa, unguentis & suffitibus. Cùm autem rediisset in desertum, invenit suum præceptorem ab hyæna devoratum. Cœpit itaque angi animo, & propemodum judicio cum Deo contendere & dicere: Ubi est, ò Domine, justum tuum judicium? Quomodo sceleratus iste princeps, qui te sæpè ad iram provocavit, mortuus est adeò gloriosè hic autem sanctus, qui tibi multum servit, à fera captus mortem obiit? Cùm his ergo & hujusmodi verbis ipse cum Deo disceptaret, adstitit ei angelus Domini, & dixit: *Ille princeps cùm esset omnino sceleratus, habuit unum opus bonum; & per honorem illum, quem assecutus est dum efferretur, accepit mercedem hujus unius boni; & illuc abiit absolutè ac perfectè condemnatus: tuus autem præceptor cum omnia fecisset, quæ Deo erant grata; habebat ipse quoque ut homo parvum aliquod delictum, & per hanc mortem hoc amisit, & abiit illuc plenè purgatus & expiatus.*

SENECTUS ENIM VENERABILIS (græcè τίμιον, C
Vers. 8. id est pretiosa, digna, honorata, reverenda, veneranda; S. Hieron. in c. 4. Zachar. vertit, *honorabilis*) EST NON DIUTURNA (græcè πολυχρόνιον, id est *longeva*; S. Hieron *multi temporis*) NEQUE ANNORUM NUMERO COMPUTATA: CANI AUTEM SUNT SENSUS HOMINIS, ET ÆTAS SENECTUTIS VITA IM-
Vers. 9. MACULATA) Vatabl. *neque enim honorifica senectus est ea, quæ longo tempore constat, aut quam annorum numero metiaris, sed canos hominibus sapientia conciliat, & ætus senectutis sine labe vita est*; Syrus, *canities & intelligentia hominis; status autem senectutis, habitaculum quietum*; Arabicus, *veneratio senectutis non est in multitudine annorum: quia canities sapientia hominis, & ætas senectutis femina in quo non est macula.*

Est hoc alterum discrimen justi ab impio, quòd justus, etiamsi in ætate juvenili morte præoccupetur, tamen jam prudentia & virtute sit senex; quia senectus non annis, sed virtutibus & meritis æstimatur: impius verò, D etiamsi sit ætate senex, tamen ob insipientiam & vitia puerilia verè sit puer, & inter pueros computandus, juxta illud Isaiæ 65. v. 20. *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.*

Ratio à priori est, quòd senectus venerabilis sit duas ob causas: prior est, ob multi temporis experientiam, indeque comparatam prudentiam: posterior, ob humorum indeque morum compositionem: in senibus enim fervor sanguinis & caloris deficit, ejusque loco succedit frigus, per quod restinguitur æstus libidinis, iræ, cætera rumque passionum. Quare si cui seni hæc duo desint, scilicet prudentia & mores compositi, hic nil habet è senio, quod pretio, æstimatione & veneratione sit dignum: si cui verò juveni hæc duo adsint, is habet omne id, quod in senio est pretiosum, æstimandum & honorandum. Unde sequitur: *Cani autem sunt sensus hominis*, q. d. Cani capilli putà canities hominis æstimatur & censetur esse non coma cana, sed ipse sensus & prudentia. Nam græcè est, πολιὰ δέ ἐστι φρόνησις ἀνθρώποις, id est, *canities autem est prudentia homini-*

bus. Et ita legit S. Epiphan. hæresi 67. S. Hieron. in c. 8. Zachar. vertit, *cani (capilli) autem sunt hominum prudentia*. Idem in c. 24. Isaiæ legit, *cani hominis, sapientia ejus*; alii *sensata mens hominibus est canities*, id est facit eos venerabiles, perinde ac si senes & cani essent. Hoc est, quod ait Salomon Proverb. 16. 31. *Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur*. Et Siracides Eccli. 25. 8. *Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei*. Vide utrobique dicta.

Porrò physicè aliquos pueros canescere, imò canos nasci, tradunt Historici. Unde Cassiod. Senecam putat dici à senis canis, quòd cui primùm cognomen hoc impositum fuit, canus sit natus: quod & de Numa Pompilio traditur. Tyrrhenum autem, à quo Tyrrhenia, ab ineunte pueritia incanuisse Strabo & alii fabulosum putant. Ego facilè crediderim esse verum; etenim patri meo unius noctis lucubratione, adolescenti adhuc idipsum contigisse scio, ait noster Delrio in Herculem Furentem Senecæ, sub initium actus primi. Idem disertè tradit S. Isidorus & Nonius Marcellus, ac Lipsius in Vita Senecæ cap. 1. qui omnes dicunt Senecam idem esse, quod senem vel senecio- *Canities est prudentia.*
B nem.

Hæc sententia est axioma, ab omnibus fidelibus æquè ac Ethnicis receptum & probatum. Audi fideles. S. Ambros. epist. 12. ad Valentin. Imper. *Erubescat*, ait, *senectus, quæ emendare se non potest: non annorum canities laudanda est, sed morum*. Idem lib. 1. Hexamer. c. 8. *Laudanda est senectus in bonis moribus dulcior, in consiliis utilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior*. Lib. 3. epist. 21. ad Anysium: *Verè*, ait, *senectus ista venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea enim est reverenda canities animæ, in canis cogitationibus & operationibus effulgens. Quæ est enim vera vita senectutis, nisi vita immaculata, quæ non diebus aut mensibus, sed sæculis propagatur, cujus sine fine est diuturnitas, sine debilitate longævitas? quo enim diuturnior, eo fortior: & quo diutiùs eam vitam vixerit, eo fortiùs in virum perfectum excrescit*. Idem serm. 55. in Domini Resurrect. *Ætates*, inquit, *quædam sunt meritorum. Nam & senectus morum invenitur in pueris, & innocentia infantium reperitur in senibus. Denique, quòd in junioribus senectus quædam sit honestatis, dicit Propheta: Senectus enim venerabilis, non diuturna, neque annorum numero computatur: canities enim est sapientia in hominibus*. Idem lib. 10. in c. 24. Lucæ sub finem: *Bona senectus*, inquit, *non vitæ longævitate imbecilla ad usum, sed maturitate virtutis ad martyrium præparata quæ lasciviam corporalium reprimat voluptatum, nec indulgeat cupiditatibus, dulcia quæque declinet, speciosa non appetat. Caro enim concupiscit adversum spiritum, & transversarios tramites gradiendi qua velit, diversarum sibi invenit voluptatum. Bona verò mentis senectus, quæ non id quod suave corpori, sed quod menti utile putat eligit, nec voluptuario corporis rapitur appetitu, sed repugnandi moderamine, quasi invita, revocatur*. Idem l. 1. de Cain & Abel. c. 3. Abel juniorem præferens Cain seniori: *junior antefertur: quia etsi tempore junior, virtute præstantior est. Innocentia enim tempore posterior est quàm malitia, & quadam suppar ætate, sed meritorum nobilitate antiquior: senectus enim venerabilis est, non annis cana sed moribus. Et ætas, inquit, senectutis vita immaculata. Ubi ergo generatio exprimitur, præveniat Cain: ubi disciplinarum sit prædicatio, præcurrat Abel.* *Gnome Patrum Latinorum.*

S. Anacletus, tertius à S. Petro Roman. Pontifex, ex hac gnome, æquè ac ex simili Proverb. 20. v. 29. ac ex facto Moysis Numer. 11. probat in presbyteros eligendos esse seniores, non tam ætate, quàm sapientia Sic enim ait distinct. 84. cap. finali: *Porrò Moysi præcipitur, ut eligat presbyteros, id est seniores. Unde & in Proverbiis dicitur: Gloria senum est canities. Hic verò canities sapientiam designat, de qua scriptum est: Canities hominum prudentia est. Cumque nongentis & ampliùs annis ab Adam usque ab Abraham vixisse homines legamus, nullus alius priùs appellatus est presbyter, id est senior, nisi Abraham, qui multò paucioribus vixisse annis convincitur. Non ergo propter decrepitam ætatem vel senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur.*

S. Gregor. lib. 2. Dialog. c. 1. laudans S. Benedictum: *Fuit*, inquit, *vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus & nomine ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile. Ætatem quippe moribus transiens, nulli voluptati animum dedit: sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter liberè uti potuisset, despexit jam quasi aridum mundum cum flore.*

S. Hieron. epist. 13. ad S. Paulinum postea Nolæ

Episcopum: *Noli*, inquit *frater charissime annorum nos existimare numero, nec sapientiam canos reputes, sed canos sapientiam, Salomone testante: Cani hominis prudentia ejus. Nam & Moyses septuaginta presbyteros jubetur eligere, quos ipse sciret esse presbyteros, utique non ævo, sed prudentia judicando. Et Daniel adhuc puer longævos judicat atque impudicos senes ætas lasciva condemnat. Noli inquam fidem pensare temporibus: ne me idcirco meliorem putes quòd prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus & vas electionis de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est: quia extremus licet, plus omnibus laboravit. Judas, qui quondam audierat: Tu autem homo, qui simul mecum dulces capiebas cibos, dux meus & notus meus, in domo Dei ambulavimus cum consensu; proditor amici & magistri, Salvatoris arguitur voce, & nodum informis leti trabe nectit ab alta. E contrario latro crucem mutat paradiso & facit homicidii pœnam martyrium. Quanti hodie diu vivendo portant funera sua, & quasi sepulchra dealbata plena sunt ossibus mortuorum! Tu audita sententia Salvatoris: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, verba vertis in opera, & nudam crucem nudus sequens, expeditior & levior scandis scalam Jacob.*

Cassianus collat. 2. c. 13. *Divitiæ senum*, inquit, *non sunt canitiæ capitis sed industria juventutis, ac præteritorum laborum stipendia metiendæ. Quæ enim non congregasti*, inquit, *in juventute, quomodo invenies in senectute tua? Senectus enim honorabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Unde post pauca subiicit: *Sunt enim nonnulli, quorum etiam, quod est lugubrius, major est multitudo, qui in tempore suo, quem ab adolescentia conceperunt, atque ignavia senescentes, auctoritatem sibi, non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt: de quibus exprobratio illa Domini propriè satis dicitur per Prophetam. Et comederunt alieni robur ejus, & ipse nescivit; sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignoravit. Hos, inquam, in exemplum junioribus non vitæ probitas, nec ulla propositi hujus laudabilis atque imitanda districtio, sed annositas sola provexit. Quorum canitiem callidissimus inimicus ad deceptionem juniorum in præjudicata auctoritate proponens, etiam illos, qui ad viam perfectionis vel suis vel aliorum potuerunt monitis incitari, subvertere, ac decipere exemplis eorum fraudulenta subtilitate festinat, vel in temporem eos noxium, vel in letalem desperationem doctrinis eorum institutisque perducens.*

Cassiodorus in psal. 24. & lib. 9. variar. epist. *Quidam senes*, ait, *morum levitate maculantur, cùm vice versa multi juvenes morum gravitate maturi, eadem decorentur.*

S. Bernard. epist. 42. ad Henricum Senonens. *Multos juniorum*, inquit, *videmus super senes intelligere, & moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, & quod ætati deest compensare virtutibus.*

Audisti gnomas Patrum Latinorum, accipe nunc eis antistrophas Græcorum, quas citat Antonius in Melissa p. 2. cap. 18.

S. Basilius: *Nihil interest inter ætatem puerilem & mentem pueros imitantem. Novi quosdam, qui cùm in juventute in carnis vitia prolapsi essent, in eis propter consuetudinem ad canos usque perseverarunt.*

S. Gregor. Nazianz. *Turpe est ætatis vigorem deferbuisse, libidinem autem non deferbuisse. Discit aliquid etiam canities, nec cujusvis senectus prudentiæ satis nacta esse videri debet.*

S. Chrysostomus: *Ergo cùm senex iisdem, quibus juventus, morbis laborat, maximum vitium est, ac ne de juventute quidem excusationem habet, neque enim illa potest dicere: Peccata juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Vide igitur, ne propter senilia facta juvenilium peccatorum venia te prives.*

Philo: *Qui multum ævi in vita corporis contriverint sine ulla virtute & probitate, eos longi temporis pueros appellare licet, ut qui nullis disciplinis eruditi sint senectute digni. Quousque tandem nos senes adhuc pueri erimus? corporibus quidem propter temporis longinquitatem veteres; animis autem propter ignorationem & hebetudinem adhuc pueri.*

Gnomæ philosophorum. Salomonem secuti sunt non tantùm Patres, sed & philosophi. Plato in Timæo Græcos vocat pueros ob ignorantiam antiquitatis, juxta illud: *Bis pueri senes.* Zeno turpe esse ajebat seni ex commentario sapere, uti refert Seneca epist. 33.

Cicero lib. de Senectute: *Non cani*, ait, *non rugæ repentè auctoritatem afferre possunt, sed honestè acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos.* Alexander Magnus apud Curtium lib. 9. *Ego*, inquit, *me metior non ætatis spatio, sed gloria*, quia ætatis arctæ spatium extendit gloria. Cœpit enim ipse regnare anno ætatis XX. ac anno XXXII. totum penè orbem subjugavit.

Seneca lib. de Brevit. vitæ c. 8. *Non est*, inquit, *quòd quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse. Non ille diu vixit, sed diu fuit. Quid enim illum multum putas navigasse, quem sæva tempestas à porta exceptum huc & illuc tulit, ac viribus ventorum ex diverso furentium per eadem vestigia in orbem egit? Non ille multùm navigavit, sed multum jactatus est.* Idem epist. 36. *Turpis*, ait, *& ridicula res est elementarius senex: juveni parandum, seni utendum est*, juxta illud: *Juvenis congrega, senex eroga.*

Vis exempla? Accipe è veteri testamento Salomonem, *Exempla.* qui duodennis, ut vult S. Ignatius; vel vicennis, putà cùm esset circiter viginti annorum, uti veriùs censent Pineda, Salvianus & alii, judicium meretricum stupenda, & plusquam senili maturitate ac sagacitate peregit. 3. Regum 3. 16.

Accipe & Samuelem, Jeremiam & Danielem, qui pueri prophetarunt, & senes iniquos condemnarunt, de quibus audi S. Bernard. epist. 42. *Meliores bonæ indolis adolescentes inveteratis dierum malorum. Puer centum annorum maledictus est, & est è regione senectus venerabilis, non diuturna, neque numero annorum computanda. Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus aderat auditor, dicens: Loquere Domine, quia audit servus tuus. Ac si diceret: Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Bonus et Jeremias, qui antè sanctificatus, quàm natus, cum se excusaret de pueritia, nihilominus constitutus est super gentes & regna. Bonus quoque Daniel, cujus spiritum suscitavit Deus, ut convinceret iniqua judicia, & sanguinem innoxium liberaret. Denique cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.*

Tobias albescebat, non canis, sed meritis, ait sanctus Ambrosius lib. 3. epist. 21.

S. Agnes anno ætatis 13. agonem martyrii obiit incredibili sapientia, æquè ac fortitudine, de qua proinde ex S. Ambrosio, canit Ecclesia in ejus Officio Ecclesiast. *Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa.* In ea ergo erat canities, id est candities, non annorum, sed morum. *Canities enim*, inquit S. Isidor. lib. 11. Origin. c. 2. *vocata est à candore, quasi candities, unde illud: Florida juventus, lactea (id est candida) canities.*

S. Alexander puer & Martyr, sextus S. Felicitatis filius, judici obiicienti teneram ætatem, respondit sibi canam esse mentem, uti habet martyrium S. Felicitatis & septem filiorum ejus.

Macarius Alexandrinus vocatus est παιδαριογέρων, id est puer senex (putà Seneca, sive senex canus,) quòd in puerili ætate senex videretur, ac supra ætatem sapientia & virtutibus præstaret, teste Palladio in Lausiaca cap. 17.

S. Dorotheus narrat, Dositheum discipulum suum, pauco tempore æquasse sanctitatem Seniorum, idque se ex Dei revelatione accepisse.

S. Bernardinus Senensis puer ita erat moribus gravis & compositus, ut senex videretur; adeò ut eo viso, condiscipuli ejus omnes ad modestiam & gravitatem se componerent, dicente: *Tacete, Bernardinus adest*, uti habet ejus Vita.

Ex Ethnicis. *Demophilus*, ait Pindarus ode 4. Pyth. *inter pueros erat juvenis, in consilus verò senex, consecutus centenale ævum.*

PLACENS DEO FACTUS EST DILECTUS, ET VIVENS INTER PECCATORES TRANSLATUS EST) Clarior erit sensus si eum Vaticanis ponas comma *Vers. 10.* post *dilectus* & post *peccatores*. Unde Vatabl. vertit. *quia Deo placuit ille, charus est habitus, cùm inter peccatores viveret, de medio sublatus.*

Sensus est q. d. Justus cùm placeret Deo, vel quia per justitiam placuit Deo, hinc ab eo dilectus est, ideoque dum viveret inter peccatores, ab iis translatus est ad cœtum Patriarcharum in limbo, & post Christum ad cœtum Sanctorum in cælo, ne, si diutiùs inter peccatores degeret, praxis eorum verbis & exemplis, velut contagio afflaretur, corrumperetur, macularetur, & in eorum sortem transiret. Hunc esse sensum liquet ex Græco. Ita quoque se explicat Sapiens, dum subdit: *Raptus est ne malitia*

(pecca-

(peccatorum, inter quos vivit) *mutaret intellectum* A *ejus*. Alludit ad Henoch, qui, ut ait Moyses Genes. 5. 21. *cum trecentis sexaginta quinque annis vixisset, ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Quæ verba Septuag. sic transtulerunt: *Et placuit Henoch Deo, & non inveniebatur, quia transtulit eum Deus.* Quam lectionem secutus Ecclesiasticus, dicit cap. 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.* Et Paulus ad Hebræos 11. 5. *Henoch translatus est ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.* Tert. lib. 3. carm. contra Marcionem c. 2. scribit Henoch zelo Dei accensum, scelestissimæ illo ævo gentis, ac præsertim gigantum, facinora lugentem, eosque à sceleribus revocare conantem, cùm se frustra laborare videret, à Deo tandem cum gemitu & lacrymis petiisse & impetrasse, ut à consortio pessimorum hominum abriperetur in paradisum. Ad Henoch alludi censet S. Ambrosius orat. de obitu fratris Satyri, & scribens in psal. 40. & 45. ac eum secutus Jansen. Dixi *alludit*. nam ex præcedent. & sequent. liquet propriè & rigidè agi hic non de Henoch vivente, sed de B justo per mortem abrepto. Sensus ergo est q. d. Sicut Henoch inter peccatores vivens, ne eorum contagio pollueretur, prӕmaturè, si vitam ceterorum illius ævi hominum spectes, à Deo raptus & translatus est in paradisum: sic quilibet justus & electus, ne sociorum vitiis & colluvie maculetur, à Deo citò abripitur, & in limbum ante Christum, post Christum verò in cælum transfertur.

Est tertium discrimen inter citam mortem justi & impii, quòd justus rapiatur è colluvie impiorum ad cœtum Sanctorum; impius verò ex colluvie peccatorum rapiatur ad tartara damnatorum.

Vers. 11. RAPTUS EST NE MALITIA MUTARET INTELLECTUM EJUS (græcè σύνεσιν, id est mentem, intelligentiam, prudentiam ejus; S. Ambrosius legit, *cor ejus*) AUT NE FICTIO (græcè δόλος, id est dolus) DECIPERET ANIMAM ILLIUS) Syrus, *raptus est ne transmutaret malitia conceptum ejus*; Arabicus, *translatus & raptus est antequam mutaret contemptio intelligentiam ejus, aut operiret fraus animam ejus*; Vatabl. *abreptus est ne malitia immu*- C *taretur sensus ejus, neve anima ejus fraude circumveniretur*, q. d. Justus à Deo dilectus, raptus est, ne hominum sui ævi pravitas pravis opinionibus mentem ejus imbueret & depravaret, aut ne illa pravis pravæ generationis consiliis consentiret, aut ne ullius dolo deciperetur, sed ut in sua justitia & gratia Dei persistens usque ad finem vitæ, moreretur & salvaretur. Sic ergo justus citò raptus antequam mutaretur, est prædestinatus, ait S. August. de Corrept. & gratia c. 8. & sequent.

Nota *τὶ fictio*, vel, ut græcè est, *dolus*. Solent enim impii, ut pium pervertant, dolos & fraudes illi nectere, subornando viros in speciem probos; item mulieres, quæ eum in sui amorem & peccatum illiciant. *Porrò simulata æquitas duplex est iniquitas*, ait S. Augustinus in psal. 63. est enim iniquitas, est & simulatio. Hac simulatione & fictione plenus est mundus, pravæ opiniones mundi sunt, ambiendos esse honores, voluptati indulgendum, si quis te læserit esse vindicandum, &c.

Audi S. Cyprianum de Moralit. *Sed & Spiritus sanctus*, ait, *per Salomonem docet, eos, qui Deo placeant, maturius* D *istinc eximi, & citius liberari, ne, dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. Raptus est*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum illius: placita enim erat Deo anima illius.*

Per *malitiam*, propriè dictam, putà nequitiam, accipe cum S. Ambrosio in psal. 45. juxta illud Isajæ 57. 1. *A facie malitiæ collectus est justus*. Nonnulli tamen per *malitiam* accipiunt afflictionem, laborem, molestias hujus vitæ, quæ sæpè ad peccatum incitant. Sic Judas Machabæus exhortans suos ad pugnam ait: *Melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ.* Sic Possidius ereptum tradit S. Augustinum ex hac vita, tædio malorum patriæ suæ, præsertim Hipponensis civitatis, cùm dimissionem de hoc sæculo popościsset à Deo. Anastasium Papam scribit S. Hieronymus epist. 16. idcirco raptum atque translatum esse, ne orbis caput (Roma) sub tali Episcopo truncaretur, & ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.

Hac gnome S. Hieron. consolatur S. Paulam, mœrentem de obitu Blæsillæ filiæ epist. 25. *Abraham*, inquit, *Moyses, Isajas, Petrus, Jacobus, Joannes, Paulus electionis vas, & super omnia Filius Dei moritur, & nos indignamur aliquem exire de corpore: qui ad hoc forsan raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus: placita enim erat Deo anima ejus: propter hoc properavit eam educere de media iniquitate, ne longo vitæ itinere deviis aberraret anfractibus. Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscepit, quem tartarus devorat, in cujus pœnam æternus ignis æstuat. Nos, quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur magis, si in tabernaculo isto mortis diutiùs habitemus. Quia quamdiu hic moramur, peregrinamur à Domino. Illa, illa nos cupido teneat: Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est à me, habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea. Si Cedar tenebræ sunt, & mundus iste sunt tenebræ; quia lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Deinde hæc accommodans Blæsillæ, ista subiicit: *Faveamus Blæsillæ nostræ, quæ de tenebris migravit ad lucem, & inter fidei incipientis ardorem consummati operis percepit coronam. Revera si sæculare desiderium, & quod Deus avertat, delicias vitæ hujus cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat, & omni lacrymarum fonte ploranda. Nunc verò cum propitio Christo ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo propositi se baptismo laverit, & ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper monasterium cogitarit; non vereris ne tibi Salvator dicat: Irasceris Paula, quia tua filia facta est mea filia? indignaris de judicio meo, & rebellibus lacrymis facis injuriam possidenti? Scis enim quid de te, quid de ceteris tuis cogitem.*

Expos. Curiel de futuris contingentib.

Porrò Commentatores acutiores, inter quos est Alfonsus Curiel, scribens in hunc Sapientiæ locum, eum sic interpretantur, ut dicant Deum cognoscere futura non tantùm absolutè, sed etiam sub conditione, v. g. quid facturus esset Petrus, si tali loco & tempore tanta carnis tentatione pulsaretur, illine consentiret an non? Scit enim, ajunt, quid in te futurum esset, si conditio tentationis poneretur, etiamsi ipsa numquam reipsa ponatur. Ideo enim justum sibi dilectum & electum è vita rapit, ne, si vivat, tentatione captus cadat & pereat. Si dicas, Rapit eum ob periculum casus, ut illo eum eximat: Respondent, id verum esse, at non sufficere: non enim dicitur hic quòd rapiat Deus justum, ut eum periculo lapsus subducat, sed ut lapsui revera futuro eum subtrahat: ait enim: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Sciebat ergo certò Deus, quòd justus hic nisi raperetur, malitia de facto mutaret intellectum illius, & fictio deciperet animam illius, etiamsi communia & ordinaria gratiæ auxilia, quæ ceteri habent, ipsi non deessent. Alioqui enim si non fuisset mutandus, nec decipiendus, Deus hic contrarium judicans & dicens, in hoc suo judicio falsus fuisset & errasset, quod absit: Dei enim cognitio est scientifica, ideoque certa & infallibilis, cùm hominum sæpè sit conjecturabilis, probabilis & incerta, ideoque fallibilis & erronea. Rursum certa Dei circa justos æquè ac improbos providentia, inquiunt, quàm hic Sapiens describit, exigit certam futurorum, etiam sub conditione duntaxat, præscientiam: illi enim velut fundamento incumbit & innititur. v. g. decernit Deus rapere justum è tentatione, aut tantam gratiam illi dare, quâ scit fore, ut de facto tentationi resultet, eamque vincat: priùs ergo hanc conditionatam sciat oportet; Si Petro taliter tentato tantam dedero gratiam, fiet omnino ut resultat; dabo ergo illi tantam: alioqui enim aliam majorem illi dare decrevisset. Volebat Deus ostendere suam potentiam & vires in Pharaonem & Ægyptios, cogendo eum ut dimitteret Hebreos, ideoque volebat multiplicare in eos sua prodigia, ac plagis minoribus majores addere usque ad decem. Sciebat ergo antequam decerneret immittere primas plagas ranarum, sciniphum, muscarum, locustarum, quod, si eas immitteret, Pharao eis non flecteretur ad dimittendum Hebræos, itaque ipse occasionem haberet majores plagas grandinum, pestis fulminum, & necis primogenitorum in eum immittendi, ac potentiam suam toti mundo ostendendi. Si enim Pharao primis plagis cessisset, & dimisisset Hebræos, Deus justè non potuisset in eum posteriores & majores immittere, quod tamen facere destinarat, ut sui terrorem mortalibus incuteret. Præsciebat ergo, antequam primas plagas immitteret, Pharaonis cor iis non flectendum, itaque sibi copiam fore ceteras infligendi. Hoc est quod

Moysi

Moysi prædixit Deus ante omnes plagas: *Ego indurabo*, id est indurari permittam, *cor ejus* [Pharaonis] *& multiplicabo signa & ostenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos*, &c. Et c. 9. 16. ait Deus ad ipsum Pharaonem: *Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Et c. 10. v. 1. ait ad Moysen: *Ingredere ad Pharaonem; ego enim induravi cor ejus, & servorum illius, ut faciam signa mea hæc in eo, & narres in auribus filii tui, & nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios*, &c. *& sciatis quia ego Dominus.* Deus enim scit omne verum: è contradictoriis autem propositionibus de futuro, sive eæ absolutæ sint, sive conditionatæ, necessariò alterutra est vera. Scit ergo determinatè Deus utra pars erit vera, quia scit omne verum. Sicut ergo in absolutè futuris scit id, quod absolutè futurum erit, ut quòd Antichristus peccabit, etiamsi nullum hujus rei vestigium extet, nec extabit nisi post multa sæcula: ita pariter scit id, quod conditionatè futurum erit, ut, si Antichristo talis vel talis tentatio obiiciatur, scit quòd illi succumbet, vel non succumbet prout verum erit: par enim & similis utrorumque videtur ratio. In futuris enim sive absolutè, sive conditionatè necessario altera pars contradictionis est vera. v. g. Si ponatur talis tentatio, erit in Petro consensus, vel non erit: alterutrum enim necessariò accidat oportet, ut sit, vel non sit: nullum enim inter hæc duo contradictoria datur medium. Deus ergo, qui scit omne verum, scit determinatè quod erit, vel non erit. Ratio à priori est, inquiunt, immensitas mentis & aciei divinæ. Ipsius enim vis penetrandi, cernendi, cognoscendi quaquaversum est infinita, quare plenè usque ad fundum penetrat, perspicit & comprehendit omnes res & causas, etiam contingentes & liberas. Scit ergo quid liberum arbitrium cujusque hominis vel angeli sit facturum, si hæc illave tentatio aut conditio ponatur; quia propensiones, nutus, actus, etiam abditos, latentes & occultissimos, planè & plenè pervidet, & comprehendit; perinde ut homo acutissimi visus perspicit omnia, quæ in vitrea pyxide conclusa sunt. Hinc Davide interrogante: *Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum, in manus Saul? dixit Dominus: Tradent.* 1. Reg. 23. 12. & tamen de facto non tradiderunt, quia David id à Deo audiens profugit ex Ceila, uti ibidem subditur. Sic Christus ait: *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*, Matth. 11. 21. *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi*, Matth. 24. 22. Hæc Alfonsus Curiel & commentatores jam citati. Verùm quæstionis jam dictæ pertractatio propriè pertinet ad Scholasticos. Vide Suarez, Vasquez, Molinam, Gregorium de Valentia, &c. 1. part. quæst. 14. artic. 13. & Curiel hîc. Mihi enim magnum mare restat arandum, ideoque ad ulteriora pergendum.

S. August. hoc loco confutat Semipelagianos.

Denique S. August. lib. de Prædest. Sanctorum cap. 14. rectè valideque ex hoc loco confutat Semipelagianos, docentes quemque à Deo prædestinari & gratia donari, vel reprobari & gratia privari ex cujusque merito vel demerito, non absolutè, sed conditionatè prævisu, v. g. Deum hunc parvulum in infantia moriturum prædestinasse, quia præsciebat eum bene operaturum, recteque sua gratia usurum, si supervixisset; illum verò reprobasse, quia præsciebat eum malè operaturum, maleque sua gratia usurum, si ei vita superstes fuisset. Directè enim contrarium docet hic Sapiens, scilicet ideo rapi è vita justum à Deo, ne malitia eum mutet: mutandum ergo prævidebat, Deus, ni priùs eum raperet. Rapuit ergo ne mutaretur, sed perstaret in justitia, itaque eligeretur ad gloriam, & salvaretur; alioqui sic raptus reprobandus erat & damnandus, non prædestinandus & eligendus, juxta sententiam Semipelagianorum. Audi S. Augustinum: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus. Dictum est enim secundùm pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus ne tentationum traheretur incerto, non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Job: Numquid non tentatio est vita humana super terram? sed quare aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis, dum justi sunt, auferantur; alii verò justi, donec à justitia cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur, quis cognovit sensum Domini? Et tamen hinc intelligi datur, etiam illis justis, qui bonos* A *piosque mores usque ad senectutis maturitatem, & diem vitæ hujus ultimum servant, non in suis meritis, sed in Domino esse gloriandum: quoniam qui vitæ brevitate rapuit justum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipse in quantacumque vitæ longitudine custodit justum, ne malitia mutet intellectum ejus. Cur autem hîc tenuerit casurum justum, quem priusquam caderet hinc posset auferre, justissima omnino, sed inscrutabilia sunt judicia ejus.* Et inferiùs id probat exemplo parvulorum, *quorum cùm alii baptizati, alii non baptizati vitæ hujus terminum sumunt, satis indicant misericordiam & judicium: misericordiam quidem gratuitam, judicium debitum. Si enim judicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non haberent, morte præveniente, sed habituri essent si viverent; nihil prodesset ei qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus; nihil prodesset eis qui lapsi moriuntur, si antè morerentur, quod nullus dicere Christianus audebit.* Per præscientiam initio nominatam S. August. accipit absolutam, ut patet ex ratione quam subjungit, non conditionatam; hanc enim eum agnovisse liquet lib. de Bono persever. cap. 3. & Enchir. c. 95. & de Corrept. & gratia c. 8. & seq. Tantùm B ergo vult dicere S. Augustin. merita sub conditione futura, non esse verè merita, ac proinde non esse absolutè à Deo prævisa, ut propter ea præmium pœnamve decernat.

Tropol. mors justo appetenda.

Tropol. ex hoc loco S. Cyprianus lib. de Mortalitate, quem citat S. August. de Prædest. Sanctor. c. 14. docet mortem justis esse utilem & appetendam, quia eos eximit periculis & tentationibus hujus vitæ, facitque securos & impeccabiles. *Cur non*, inquit ex S. Cypriano S. August. *cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, qui ad Christum vocaris, amplecteris, & quòd diabolo careas gratularis?* Et alio loco: *Pueri*, inquit, *periculum lubricæ ætatis evadunt.* Itemque alio loco: *Quid non*, inquit, *properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita.*

Propriè verò hac gnome docemur petere à Deo, ut nos rapiat è vita cùm sumus in justitia, id est in statu gratiæ, C atque ingruunt tentationes, quæ nobis periculum peccandi & à gratia excidendi creant. In hoc enim raptu opportuno consistit nostra prædestinatio, electio & salus æterna, uti docet S. August. de Corrept. & gratia cap. 8. Quem enim Deus ita rapit, is habet magnum illud perseverantiæ donum, cum eoque moritur & salvatur, quod proinde sub meritum non cadit, sed humili prece assiduè à Deo flagitandum est, uti ex S. August. docet Conc. Trid. sess. 6. Quot sunt in cælo, qui nisi citò è vita & tentatione rapti fuissent, nunc essent in inferno? & quot sunt in inferno, qui si citò rapti fuissent, modò essent in cælo? Mors ergo tempestiva & congrua non odii, sed summi amoris, imò prædestinationis & electionis divinæ certum est signum, imò proprius effectus.

Vidit id ipsum per umbram Seneca, qui in Consolat. ad Martiam c. 24. *Facilius*, inquit, *ad superos iter est, animis citò ab humana conversatione dimissis: minus enim fæcis ponderisque traxerunt: antequam obducerentur, & altiùs terrena conciperent, liberati, leviores ad originem suam revolant, & faciliùs quidquid est illud absoluti transfluunt. Nec un-* D *quam magnis ingeniis chara in corpore mora est. Exire atque erumpere gestiunt, ægrè has angustias ferunt, vagi per omne sublime, & ex alto assueti humana despicere. Inde est, quòd Plato clamat, sapientis animum totum in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in exteriora tendentem.*

Porrò S. Gregor. Nyssen. tract. de Infantibus qui præmaturè abripiuntur, pulchram dat similitudinem. Sicut, inquit, pædagogus sapiens puerum citò abducit è convivio longiore, in quo multæ sunt epulæ & vina delicata, quæ gulam insidiosè ad excessum sollicitant, indeque vomitum & crapulam creant: sic Deus infantes ex hoc vitæ convivio citò abducit, ne ejus voluptatibus inebrientur & dementetur.

Aliud simile ignis affert Plutarch. Consol. ad uxorem, *Nam sicut ignis, ait, si eum extinxeris, mox accendat, excitator, & concipit flammam ocyùs: ita animus, si quàm citissimè hinc avolet,*

pervolat extemplò fera limina Ditis,

prius quàm ingenti rerum humanarum amore sit imbutus & de-

& delinitus, atque quasi ex veneno contabescat.

Vers. 12. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia) Græcè ἄκακον, id est malitiæ expertem, insontem, innocentem, Vatabl. *fascinum enim vanitatis, quæ honesta sunt obscurat; & concupiscentia vaga sinceram mentem pervertit.* Pro *nugacitatis* græcè est, φαυλότητος, id est malitiæ, improbitatis, nequitiæ, vel vilitatis, vanitatis, levitatis, ineptiæ: nugacitas ergo est malitia nugax, hoc est, nugis suis illiciens, fascinans, & in perniciem deducens hominem. Unde Syrus vertit, *zelotypia mali corrumpit bona*; Arabicus, *quoniam corpus malitia obnigrat bona*.

Fascinum quid? Fascinum est genus incantationis, quo homines ita ligantur, ut liberi non sint, nec mentis compotes, sæpè ad extremam maciem deveniant, item quo magi perstringunt oculos & sensus, ut videantur sibi videre, audire, sapere res pulcherrimas, quas revera non vident, nec audiunt, nec sapiunt. Unde Græcum βασκαίνω, id est fascino, dicitur, quasi φαεσκαίνω, id est φάεσι καίνω, hoc est oculis (aspectu) occido, juxta illud Virgilii ecloga 3.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Hinc contra fascinum à Gentilibus colebatur & invocabatur deus Fascinus, de quo Plinius lib. 28. c. 4. *Religione*, ait, *mutatur & Fascinus, Imperatorum quoque non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana à Vestalibus colitur, & currus triumphantium sub his pendens defendit medicus invidiæ, jubetque eosdem recipere.* Jam

Resp. Primò. Primò, Franc. Valesius Sanct. Philosaph. c. 68. censet fascinum nihil esse, nisi falsam vulgi existimationem & superstitiosum timorem, quo ex recepta apud rudes falsa opinione, multi timent infici ab oculis vetularum, vel lipporum, vel invidorum, cùm à parte rei oculi hi intuentem lædere nequeant. Sapientem igitur hic à vulgi credulitate, licèt falsa, mutuare phrasin & metaphoram. *Fascinatio* igitur *nugacitatis*, inquit, vocatur concupiscentia oculorum, hoc est avaritia & cupiditas rerum alienarum: quia enim is morbus concipitur oculis, vocatur per allegoriam *fascinatio*: dicitur verò *nugacitatis*, quia bonorum fallacium, juxta illud psalmi 4. *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* hoc est, vana & mendacia bona. Itaque concupiscentia oculorum est fascinatio nugacitatis. Hæc obscurat bona, quia, ut dicitur 1. ad Timotheum 6. cupiditas radix est omnium malorum, &, ut ibidem Sapient. dicitur, Instantia cupiditatis transvertit sensum sine malitia. Itaque locutio illa Sapientiæ de fascinatione, allegorica est: allegoria verò accipitur à vulgari opinione. Hucusque Vallesius.

Idem docet S. Hieron. in c. 3. ad Galat. v. 1. ac S. Chrysost. ibidem, & S. Basil. hom. 11. de invidia, & noster Delrio in Magicis lib. 1. c. 3. quæst. 4. & seq. Hinc aliqui fascinum derivant à φαεσκαίνω, id est *invideo*; hoc autem idem est, quod *nimium video*. qui enim invidet, à videndo & invidendo nequit oculos avertere.

Verum hæc vera sunt, si naturam spectes: nullum enim est naturæ fascinum; non autem si magiam: per eam enim dæmon præstringit & fascinat oculos, aures, omnesque sensus & membra, eosque inficit, morboque & morte non rarò afficit, ut patet quotidiana sagarum experientia. Vide Delrio in Magicis lib. 3. parte 1. quæst. 3. sect. 1. ubi fusè ostendit fascinum non fieri per naturam, sed per magiam & dæmonem, ejusque esse præstigias. Hinc

Secundò. Secundò, aptiùs noster à Castro *fascinationem* hanc tribuit suasioni & consilio impiorum sociorum, vel doctorum, vel consiliariorum. qui mala velut bona suadent & consulunt. q. d. Malitiæ, seu improbitatis fascinum obscurat bona, hoc est, lædit & corrumpit, quemadmodum fascinator oculis aspectuque faciem infantis, quem aspicit, ita inficit, ut quandoque enecet: sic pravitas, vel potiùs improbus homo, lædit ac corrumpit pravis suis opinionibus, quæ bona sunt, ut simplex vir mala putet; & contrà bona putet, quæ verè mala sunt.

Huc accedit noster Delrio loco jam citato: *Fascinum nugacitatis*, inquit, est fascinum vile, nugax & nihili, phrasi Hebræa. Sic enim significat à vilissimis & à minimi pretii quisquiliis terrenis, maximè à nugatoria & adulatoria laudatione, ita nos præstringi & ludificari, ut ad vera bona prorsus cæcutiamus; ut bona pro malis, mala pro bonis habeamus; terrena cælestibus, sempiternis interitura præferamus, fascinationis verò nomen usurpat, quia vulgus Judæorum falsam illam fascinationem credebat contingere, adeò ut hujusmodi fascinatorem oculum Saræ impii recutiti tribuere non vereantur, quos Abulens. in 21. cap. Genes. refellit. D. Bonav. Comment. in vers. illum 12. vidit alludi ad fascinationem, & ideo dicit, Secundùm quod homines maligni dicuntur laudando pueros fascinare, satis indicans quanti illa faceret. Hæc Delrio

Huc facit illud Festi Pompeii: *Fascinum & fas à fando nominantur*, quia fascinum fiebat per verba loquendo, ac præsertim laudando. Credebant enim Ethnici laudatione fieri fascinum puerorum, vel formosorum. Sic pariter laus fasciant & dementat multos, ut plus se esse æstiment, quàm sint, planeque alios & eximios præ ceteris sese autument, quæ magna est nugacitas, cum laudantis, & lepore jocisque suis adulatoriis audientem dementantis; tum ejus, qui laudibus suis pascitur, & ultrò dementari se sinit: Hi ergo laudatores sunt nugivendi, quia nugosas suas laudes vendunt. Sic olim *nugivendus* dicebatur, qui aliquid mulieribus venderet, ait Nonius. Nam omnia quibus mulieres utuntur, pro rebus vanis & inanibus habentur.

Rursum ex adverso βασκανία, id est fascinatio, significat invidentiam, criminationem & obtrectationem, hæc enim sæpè fascinat, tam invidum, quàm eum cui invidet, dum ejus obscurat & evertit bona opera; dum enim ea criminantur impii, ab iis sæpè cessant pii ex metu humano, ne impiorum maledicentiam in se provocent. *Tertiò.*

Posset Tertio, quælibet concupiscentia & illecebra peccati vocari *fascinatio nugacitatis*; quia ipsa rationem, virtutem, honestatem obvelat, tegit & obscurat sua nugaci illecebrosaque pulchritudinis & vanitatis specie ac fuco: Species enim voluptatis, qua se obtegit malitia & vanitas peccati, ita fascinat rapitque mentem, ut peccati turpitudinem sub ea latentem non videat, non consideret, multò minùs virtutis decorem & honestatem. Voluptates ergo sunt quasi Sirenes, quæ hominem illecebrosa sua specie & cantu fascinant, ligant, & necant.

Rursum *fascinatio nugacitatis* sunt phantasmata innumera & vivacia, quæ menti suggerit ira, libido, invidia, superbia, ceteræque passiones: hæ enim interiùs in capite tanta vi, turba & tumultu perstrepunt, ut animam obnubilent, fascinent, & sæpè à vero rectoque abducant. *Quartò.*

Quod ergo dicit Paulus Galatis c. 3. 1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?* q. d. Quid vos incantavit, & oculis aspectu maleficis veluti præstigio imposuit, ut quod coram cernitis non videatis, & quod non est id vos cernere putetis? Idem dicas guloso, luxurioso, acedo, iracundo, superbo, avaro, Quis te fascinavit stolide, ut ob fictam & fallacem speciem voluptatis, gulæ, luxuriæ, acediæ, iræ, superbię, avaritiæ relinquas & contemnas rationem, virtutem, legem, cælum ipsumque Deum? quis te suis præstigiis ita dementavit, ut per modicum mellis æternum fel tibi coemas? ut per guttam dulcedinis, mare amaritudinis & dolorum tibi accersas? ut ob gustus tactusque exilem titillationem, velis ardere jugiter in æternis gehennæ incendiis? ò stupor, ò fascinum, ò amentia, ò vesania? Quis error, quod fascinum, quis furor te cogit nugas pueriles, viles, exiles rebus veracibus, solidis, pretiosis; terrena cælestibus, momentum æternitati; gehennam paradiso, creaturam creatori anteferre? Vide quæ de nugis & nugacitate dixi Sophoniæ 3. vers. 18.

Et inconstantia (S. Fulgent. ep. 2. c. 4. legit, *instantia*, concupiscentia enim instat, sollicitat urgetque hominem, ut rem concupitam prosequatur) concupiscentia transvertit sensum sine malitia) Pro *inconstantia* græcè est, ῥεμβασμὸς, id est evagatio, error (unde Gallicum *resver* & *resverie*) agitatio, turbo, vertigo, circuitio, gyratio, circumrotatio: hinc ῥέμβω est funda, quæ lapidem rotando jacit. Huic voci pariter affinis est ῥόμβος, id est turbo, rhombus, quod est instrumentum, cui feminæ fila, quæ neverunt, circumvolvunt: quo pariter pharmaceutriæ, sive veneficæ, utebantur ad fascinum, purà ad lunam tortis filis deducendam. Unde illud Martialis lib. 9.

Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombo.

Et illud Propertii lib. 2. eleg. 21.

Defi-

Deficiunt magico torti sub carmine rhombi.
Hinc Cervantius vertit, *& rhombus* (circumrotatus) *cupiditatis mentem simplicem labefactat*. Hæc igitur vagatio & rotatio concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia, græcè *ἄκακον*, id est innocentem, sinceram, simplicem, puram. *Concupiscentia est turbo.* Concupiscentia ergo est turbo, & instar turbinis hominem in orbem gyrat & rotat, ut nunc ad hoc, nunc ad illud, nunc ad aliud concupiscendum, instar turbinis voluatur & rotetur.

Primò. Causa est Primò, quòd concupiscentia sit pruriens & petulans: unde petulanter ab una voluptate ad aliam transcurrit & transilit, ut curiosè exploret ubinam sit voluptas major.

Secundò. Secundò, quòd animum eadem non satiet, utpote vilis & exilis, ideòque illico sui fastidium in eo creet: quare animus, ut se hac satie & tædio levet, aliud & aliud voluptatis obiectum quærit dicens: *Affer, affer*, Proverb. 30. 15.

Tertiò. Tertiò, quòd voluptates æquè ac vitia inter se connexa sint. Acedia enim trahit & incitat ad gulam, gula ad luxuriam, luxuria ad iram, ira ad superbiam. vide dicta Thren. B 1. 8. Audi Cassiodor. tract. de Amicitia: *Dum post rei desideratæ obtentum majori se sentit indigentia laborare, præoptata incipit fastidire, & denuo in alterius rei saccenditur appetitus; non tamen satiandi, sed alterius falsæ felicitatis imaginatione fallenda. Hic est circuitus impiorum. Hæc est vituperatio multorum commorantium in circuita. Hæc est mola Samsonis, quam decisis virtutum crinibus, & effossis prudentiæ oculis circumvoluit, sequens cupiditatum circuitum etiam relicto compendio charitatis. Caput, inquit, circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.* Hoc est quod ait Psaltes psal. 82. 14. *Deus meus pone illos ut rotam.* q. d. ait Origen. *Sic illos versa & circumvolue, ut nulla sit quies, sicut rotæ hæc est natura, versari & circumvolui.* Et Euthym. *Fac*, inquit, *eos continuè instabiles, & crebris mutationibus circumactos. Sic enim rotæ poterunt comparari.* Addit S. Aug. *Pone illos ut rotam, quòd rota ex his, quæ retro sunt extollitur, ex his quæ antè sunt deiicitur; sic sunt omnes inimici populi Dei.* Et S. Gregor. 16. Moral. 25. *Ut rota ponuntur iniqui, quia in circuita laboris missi, dum ea quæ antè sunt negligunt, & ea quæ deserenda sunt sequuntur, & posterioribus elevantur, & in anterioribus cadunt.* Et Procopius in Isaiæ 53. *Est*, inquit, *errantium cor instabile, ebriorumque more cupiditatibus agitatur & vacillat: quolibet enim spiritu circumagitur, & quod est in proverbio, rapiuntur cupiditatum ῥεμβασμῷ, id est turbine.* Vide dicta Isaiæ 57. 20.

Psal. 10. 7. Quocirca S. Chrysost. hom. 7. in Acta: *πονηρὸς* inquit, *id est malus, dicitur παρὰ τὸ πονεῖν, id est à laborando: sic videlicet Scriptura malitiam semper vocat laborem, ut quando dicit: Sub lingua eorum fatigatio & dolor.* Quin & Seneca de Vita beata c. 28. *Nonne*, ait, *nunc quoque, etiamsi parum sentitis, turbo quidam animos vestros rotat & involuit, fugientes petentesque eadem; & nunc in sublime alligatos, nunc in infima allisos rapit?* Deluduntur ergo ab insido mundo, & à fallaci dæmone, sicut parasiti ab Heliogabalo Imper. De quo ita scribit Lamprid. in ejus vita: *Parasitos ad rotam aquarum ligabat, & cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum revoluebat, eosque Ixionios amicos vocavit.* Adulatio ergo, æquè ac cupidi- D tas, est Ixionis rota.

Duas ergo mali & peccati radices hic notat Sapiens, scilicet pravitatem opinionum & consiliorum in intellectu, quæ est fascinatio nugacitatis; & vagam cupiditatum intemperantiam in appetitu & voluntate, quæ est inconstantia concupiscentiæ. Utraque plenus est hic mundus: quare Deus provida sua benignitate justum ex eo citò per mortem educit, ne in hosce ejus laqueos incidat, capiatur & pereat.

TRANSVERTIT) Id est invertit, pervertit, ut vertit Vatabl. transmutat ex bono in malum, itaque in aliam (hoc enim est, *ἄλλο*) speciem transformat & transfigurat, ut vertit Noster c. 16. 25. Græcè *μεταλλεύει*, id est quasi metalla effodit, cavat & eruit, ut Noster vertit. Deuter. 8. 9. q. d. Sicut fossores fodiendo è terræ visceribus eruunt aurum, argentum cæteraque metalla: sic concupiscentia è visceribus mentis effodit, eruit & exhaurit omnem sensum, omnem prudentiam, omnem sinceritatem, omnem innocentiam & virtutem, eamque per vitium invertit & pervertit: hæc enim est pretiosa ut aurum, imò auro & argento pretiosior: quæ proinde si cum cupiditate & vitio A commutetur, planè depravatur, vitiatur & pervertitur; perinde ac si aurum in æs, argentum in plumbum verteretur & perverteretur, juxta illud Jerem. 6. 30. *Argentum reprobum vocate eos.* Vide ibi dicta.

CONSUMMATUS IN BREVI EXPLEVIT (S. Fulgent. legit, *replevit*) TEMPORA MULTA) Græcè *μακρὸς*, id est *longa*. q. d. Justus, qui brevi tempore per gratiam Dei, suamque cum illa studiosam cooperationem, evasit in prudentia & virtute perfectus, hic censendus est diu & per multa tempora vixisse. Græcè est *τελειωθεὶς*, id est, quia ad complementum & consummationem pervenit, virtutis scilicet, & vitæ justæ: In hunc enim ceu unicum finem à Deo vitæ spatium mortalibus datum, & dimensum est: consummatus ergo in virtute, censetur ad suam mensuram perfectæ ætatis (putà virtutis) pervenisse, licèt ætate & annis sit juvenis. Nam quæ alii per multos annos egissent, hic paucis absolvit, eamque sanctitatem brevi adeptus est, quàm alius longo tempore sibi non comparasset, ait Clarius. Unde S. Bonav. explicat. q. d. *Perfectus in gratia modico tempore explevit meritum, quod alii acquirunt per* B *multa tempora.* Pertinet enim hæc gnome ad illam vers. 8. *Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Eò enim redit. Ex adverso de impio dicitur: *Puer centum annorum morietur*, Isaiæ 65. 20. VERS. 13.

Consummatus, quis? *Consummatus* ergo non est idem, quod consumptus, mortuus, defunctus, ut vertit Vatabl. & Guarinus: *Exiguo, inquit, vitæ spatio perfunctus vel defunctus, paucis longe tempora explevit*: sed perfectus in virtute, qui scilicet per crebros intensos & heroicos virtutum actus, parvo tempore ad culmen sanctitatis evasit. Unde S. Ambrosius in funere Theodosii Imper. *Perfecta*, ait, *est ætas, ubi perfecta est virtus.* Tempora ergo multa vocantur, quæ plena sunt bonis operibus; pauca verò aliorum, quæ iis sunt vacua, juxta illud Job 7. 3. *Sic & ego habui menses vacuos.* Ubi S. Greg. l. 8. Mor. c. 5. *In hac vita*, inquit, *quædam laboriosa sunt, quædam vacua, quædam verò vacua simul & laboriosa. Amore quippe conditoris præsentis vitæ tribulationibus exerceri, laboriosum quidem est, sed vacuum non est. Amore autem sæculi voluptatibus solvi, vacuum quidem est, sed non laboriosum. Amore verò ejusdem sæculi adversa aliqua perpeti, &* C *vacuum est & laboriosum: quia & ex adversitate mens afficitur, & remunerationis præmio non repletur. In his itaque sancta Ecclesia, qui in ea jam positi adhuc voluptatibus desiunt & proinde fructa boni operis non ditantur, menses vacuos ducit, quia vitæ tempora sine retributionis munere expendit.* Qui ergo sapis, annos vacuos virtutibus imple.

Exempla. Sic Christus Dominus vixit tantùm 33. annis, totidem ferè S. Joannes Baptista, isque paucis ad quantum meritorum cumulum pervenit? Sanctus Antonius de Padua, ardens & Apostolicus prædicator, vixit annis dumtaxat 36. S. Casimirus 25. Tres fuere filiæ S. Sophiæ, omnes gloriosæ virgines & Martyres, scilicet, S. Fides duodennis, S. Spes decennis, S. Charitas novennis martyrium fortiter obiit: Ecclesia earum triumphum celebrat die 1. Augusti. Sic P. Gaspar Barzeus Zelandus, S. Francisci Xaverii socius, imò vicarius, vir Apostolicus, septem annis quibus in Soc. Jesu vixit, è quibus quinque exegit in Indis, putà Goæ & Armuziæ, tanta vel multitudine quasi D infinita, vel rei magnitudine admiranda perpetravit, verè ut dixerit quidam de eo ex India scribens, quòd in brevi consummatus expleverit tempora multa, ait noster Trigaultius in ejus Vita cap. 14. Lege Vitam ejusdem, & obstupesces. Is autem quem citat, fuit P. Antonius Quadrius Indiæ Præpositus Provincialis Societatis Jesu, ut patet ex fine Vitæ.

Atque ut alios taceam, B. Aloisius Gonzaga, Societatis nostræ Religiosus, consummatus est anno ætatis 24. Quocirca ipse ad raptum hunc & transitum ab hac vita ad cælestem assiduè suspirabat. Cùm enim Cardinalis Bellarminus, ejus tum confessarius, eum hortaretur, ut à Deo vitam longiorem postularet, quo ejus exemplo ceteri instruerentur venia petita, negavit id exequi se posse: *Quia non potest*, inquit, *à Deo major homini conferri gratia, quam ad se illum evocare, dum in gratia reperitur*, in cujus gratia se tunc esse sperabat. Idem in quadam epist. quam recitat P. Virgilius Ceparius in ejus Vita lib. 2. cap. 8. In fine: *Dies*, inquit, *lætos transigo, sperans intra paucos dies futurum, ut evocer à Deo è terra morientium ad patriam viventium; ab hominum consortio, ad angelorum Sanctorumque societatem.* Fuit enim ipse puritate & sanctitate angelus. Unde

de meritò Auditores Rotæ, Romæ examinato canonizationis ejus processu, eidem titulum *Angelici* dedere. Septennis enim cœpit Deo servire, totumque ei se addicere: novennis virginitatem Deo & B. Virgini dicavit & vovit. Numquam per omnem vitam peccavit lethaliter, numquam stimulos carnis expertus est, numquam distractionem in oratione sensit, uti iidem ex testimonio confessariorum ejus, ac nominatim Cardinalis Bellarmini, aliorumque virorum gravium affirmant.

Vidit idipsum per umbram Seneca epist. 69. *Portus petendus*, inquit, *numquam recusandus: in quem si quis intra primos annos delatus est, non magis queri debet, quàm qui citò navigavit.*

Sic Homerus Diomedem inter Græcos nuncupat ætate minimum, prudentia maximum. Demophilum vocat Pindarus annis juvenem, consiliis senem. Appium Claudium natu minimum, senatoribus natu maximis Livius anteponit. Puer Ascanius à Marone commendatur 9. Æneid.

Ante annos animumque gerens, curamque virilem.

Audi S. Ambros. in psal. 118. serm. 18. *Liquet igitur*, inquit, *quòd non senectutis longævitas eligatur, sed custodia verborum Dei. Denique ipse Moyses Jesum Nave & Caleb, juvenes præ ceteris approbabat, quorum consilium in terræ electione magis quàm multorum seniorum & ipse secutus est, & Deus prætulit.*

Posset rursum τελειωθεὶς verti; Primò, *immolatus*; Secundò, *consecratus*; Tertiò, *gloria & honore coronatus*. q. d. Justus omnes suas actiones & passiones offerens, immolans & consecrans Deo, per eas, licèt modicas & breves, æterna gloria coronatur instar Christi, de quo ait Paulus: *Decebat enim eum, propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare*, Heb. 2. 10. Vide ibi dicta.

Alius sensus. Aliter hanc sententiam explicat S. Bernard. serm. 253. ad Gusrinum; nimirùm q. d. Justus licet parvo tempore vivat, tamen consummat & implet tempora multa, quia animo amplectitur totam æternitatem, ita ut, si in æternum viveret, vellet semper Deo servire, & ire de virtute in virtutem. Audi S. Bernard. *Quomodo enim non explevit omnia tempora, qui transivit ad æternitatem? Quanta sanè tempora, non longævitate, sed longanimitate, hoc est, non annorum serie, vel dierum numero, sed devotione & inextinguibili semper proficiendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meritis non immeritò vindicavit. Retinet quippe virtute, quod amisit in tempore. Porrò vera virtus finem nescit, tempore non clauditur.* Et paucis interjectis: *Justus numquam dicit. Satis est; sed semper esurit sititque justitiam, ita ut, si semper viveret, semper quantum in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatui.* Unde concludit: *Sempiterna itaque justi esuries sempiternam meretur refectionem, & licet in brevi consummetur pro tempore, judicatur tamen explesse tempora multa pro virtutis perpetuitate.*

Vers. 14. Placita enim erat Deo anima illius, per justitiam inhærentem, & gratiam illi infusam à Deo ob merita Christi: propter hoc properavit (Dominus, qui præcessit) educere illum de medio iniquitatum) S. Fulg. *de media iniquitate*. Græca habent dumtaxat, *Propter hoc festinavit de medio iniquitatum*, scilicet egredi justus, uti Abraham ex Ur Chaldæorum, Lot è Sodomis, Moyses & Hebræi ex Ægypto. Verùm meliùs Noster τὸ *properavit* refert ad Deum, ideoque subaudit τὸ *educere illum*, Deus enim rapuit justum, ut dixit v. 11. Non ergo justus eripuit seipsum; Deus enim omnis gratiæ, liberationis, perseverantiæ, bonæ mortis & salutis nobis est origo, fons & causa prima & præcipua.

Populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia) subaudi, mirati sunt & murmurarunt, vel contra justum, quasi ipse suis sceleribus meritus sit citam mortem; vel contra Deum, quod justum innocentem subita morte mulctarit. Simpliciùs & germaniùs per hebraismum exponas, q. d. Populi infideles, vel imperiti & rudes *videntes*, id est viderunt, citam justi mortem, & causas jam dictas *non intelligentes*, id est, non intellexerunt, nec eas cordi habuerunt. Hebræi enim sæpè usurpant *benoni*, id est participium, præsertim præteritum (nam in Græco hic sunt aoristi ἰδόντες & νοήσαντες, qui habent significationem præteriti, q. d. Cùm vidissent non intellexerunt] pro ipso præterito. Similis enallage est Roman. 12. 11. *Spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes*, &c. hoc est, spiritu fervete, Domino servite, spe gaudete, in tribulatione patientes estote, orationi instate. Et 2. Corinth. 10. 12. *Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes* (id est metimur & comparamus] *nosmetipsos nobis*, &c. Hunc esse sensum liquet, quia ita Sapiens seamox explicat v. 17. dicens: *Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Deus*, &c.

Nec ponentes in præcordiis (græcè, ἐν διανοίᾳ, id est in mente, intellectu, cogitatione, q. d. Non cogitant) talia, græcè, *sale*, nimirum id quod sequitur: Quoniam gratia Dei, et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius] q. d. Populi infideles, vel rudes non intelligunt, nec cogitant, quòd cita mors Sanctorum est insignis Dei gratia & misericordia, qua Sanctos hujus mundi periculis eripit, ac respicit visitatque electos suos, transferendo eos à laboribus vitæ præsentis ad præmia æterna, quæ sua continentia, mortificatione & virtute commeruerunt. Vers. 15. Unde Vatablus totum hunc versum connectens clarè vertit, *vulgus autem videns hoc non intelligit, nec animadvertit hoc ipsum* (quòd citò è vita rapiantur justi) *beneficium ac misericordiam in sanctos ejus esse, electorumque ipsius habitam rationem.* Putat enim vulgus mortem præmaturam juveni pulchro, diviti & nobili summum esse malum & maleficium: quia ignorat vitam futuram & gloriosam, in quam transcribitur. Sic hodie mundani, qui vident adolescentes nobiles citò in Religione, quàm amplexi sunt, mori, æstimant eos infelices & miseros; quia nesciunt, nec cogitant hac morte assecurari eis Dei gratiam & gloriam æternam. Unde Cervantes sic per amplificationem exponit. *Hoc illos latuit, nempe quòd gratia, beneficium & favor, ac misericordia, seu affectus tenerrimus atque suavissimus, gratia misericordiosissima, & misericordia gratiosissima Dei sit erga Sanctos suos, & erga electos suos providentia singularis, inspectio, observatio & visitatio, & illorum ratio maxima habeatur ab eo.*

Minùs rectè Hugo & alii per *gratiam* accipiunt gratiam justificantem, per *misericordiam* gratiam comitantem, vel subsequentem.

Et respectus (græcè, ἐπισκοπή, id est inspectio, observatio, respectus, ratio, cura, visitatio ad præmiandum justi labores & dolores pro Deo & pietate susceptos, uti dixi cap 3. 6.) in electos illius] quos sibi Deus ab æterno ante omnem provisionem operum per gratiam prædestinationis elegit, ut per eam toto vitæ tempore perseverantes in justitia, ab eodem eligerentur & destinarentur ad gloriam æternam. q. d. Deus peculiarem electorum suorum habet respectum, id est rationem, curam & providentiam, ideoque eos rapit antequam in tentationes incidant & peccent, ut eorum juventem in pietate exactam præmiet gloria cælesti.

Condemnat autem justus mortuus (græcè, θανών, pro quo Vatican. legit καμών, id est *laborans*) vivos impios, et juventus celerius consummata longam vitam (Lucifer pro S. Athanasio legit, *longævitatem*, græcè est, πολυετὲς γῆρας, id est *multorum annorum senectutem*; Vatic. *longævam senectutem*) injusti) Est hæc condemnatio non verbalis, sed realis per vitæ comparationem & exemplum. *Justi enim vita redarguit peccatorum, quem tacitè auctoritate majore condemnat, quàm si voce loqueretur*, ait S. Ambrosius in psal. 36 q. d. Justus mortuus non verbis, sed factis condemnat vivos impios, quia maluit ipse piè mori, quàm impie vivere, quod faciunt impii. Pia ergo eorum mors in juventute obita, reipsa condemnat impiam vitam senis injusti, qui senium vitiis & sceleribus deturpat & commaculat: quo enim quis diutiùs & peiùs vivit, eo magis est vituperandus & damnandus. Loquitur in genere de quolibet justo, licet Glossa arctet ad Martyrem, Cantacuzenus verò ad Christum à Judæis occisum: quia juvenis Christus quamvis interfectus, vitalis tamen mors ejus, inquit, in ipsum credentes ab interitu vindicabit, ac immortalitate donabit: illos verò qui non crediderunt, & præsertim qui desævire in ipsum sunt ausi, apertè redarguet atque damnabit: redemptionis quoque mysterium, quod ipse florenti absolvit ætate, peccati legem, quæ consenuerat, de medio

dio tollet. Hæc ipse verè, sed astè. Loquitur enim Sapiens A de quolibet justo, sed maximè de Christo, qui justorum est princeps, & Sanctus Sanctorum. Hinc Barlaam septuagenarius rogatus à Josaphat, quot esset annorum?, respondit, Quadraginta quinque. *Quia tot*, inquit, *dumtaxat servivi Deo, reliquos verò quibus servivi mundo, annos non vitæ, sed mortis computo*, juxta illud: *Vixit, dum vivit bene*. Ita Damasc. in ejus Vita.

Rursus *condemnat*, id est in die judicii condemnabit mortuus iniquos senes, qui diu vixerunt, dum approbabit sententiam Christi eos ob vitia, in quibus consenuerunt, gehenna dignos judicantis.

Vers. 17. VIDEBUNT ENIM FINEM SAPIENTIS, ET NON INTELLIGENT QUID COGITAVERIT DE ILLO DEUS, ET QUARE MUNIERIT ILLUM DOMINUS) Hæc gnome pertinet non ad id quod immediatè præcessit, *Condemnat autem justus mortuus vivos impios*; sed more Hebræo paulò remotiùs ad τὸ vers. 14. *Populi autem videntes & non intelligentes*: hæc enim verba illis ex æquo respondent, explicantque quid videbunt & non intelligent, scilicet quòd populi videbunt finem, id est exitum B & mortem prælnaturam sapientis, hoc est justi, & non intelligent ejus causam; quare scilicet illum tam citò è medio vitæ cursu & flore rapuerit Deus, quidque de eo facere cogitarit; quia præsentis vitæ amore ebrii, futuræ vitæ gloriam non capiunt: unde mortem citam reputant summam esse infelicitatem.

ET QUARE MUNIERIT ILLUM DOMINUS) Triplex est hic lectio. Prima Complut. & Regia: *Quare minuerit illum* (vitæ illius annos & dies, ait Rabanus, & ex eo Holcot) *Dominus*. Verum Græca & Latina cetera constanter legunt *munierit*, non *minuerit*. Secunda est Græcorum jam codicum: *Et quare munierit* ἑαυτὸν, id est, *seipsum Dominus*. q. d. Quare suum decretum de justo cita morte rapiendo, tutum firmumque fecerit Dominus. Tertia, & genuina est Vulgatæ & aliorum, qui pro ἑαυτὸν, legentes, αὐτὸν, vertunt, *& quare munierit illum Dominus*, id est, quare Deus justum citò rapiens, eum à peccato, lapsu & damnatione tutum rectumque conservarit; cur ejus saluti caverit, omneque ab ea periculum propulsarit. Hoc enim significat Græcum ἠσφαλίσατο, id est securita- C te donarit, caverit, tutatus sit. Hinc Vatabl. vertit, *& quo sum eum Dominus tutò conservarit*; Clemens Alex. libr. 6. Strom. *Videbunt*, inquit, *mortem sapientis, & non intelligent quid de eo decreverit, & ad quid eum stabilierit Dominus*. Justus enim, Deo dante, ut palma omnibus renitentibus obluctatur, & quo magis cæditur, eo altiùs se erigit, magisque efflorescit, juxta illud psal. 131. *Inimicos ejus induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*. Ubi Arnobius: *Christus*, inquit, *comparatur ipsi palmæ semper florenti, qui ad dexteram Dei sedens, victoribus suos ramos porrigit, de floribus suis coronam tribuens, & de fructibus perpetua refectione saginam impertiens*.

Vers. 18. VIDEBUNT (inquam finem, id est citam mortem justi ET CONTEMNENT) græcè, ἐξουθενήσουσιν, id est *nihili facient*) EUM: ILLOS AUTEM DOMINUS IRRIDEBIT) Qui enim justum contemnit, tacitè Deum contemnit. Sicut qui servum vel legatum contemnit, ejus herum vel dominum contemnit. Deus autem sicut se sosq; honorantes honorat; ita vicissim se spernentes spernit, juxta illud Dei ad Heli: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo* D *eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, 1. Reg. 2. 30. & illud Isajæ 33. 1. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Alludit ad illud Davidis psal. 2. 4. *Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos*. Et psal. 36. 13. *Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quòd veniet dies ejus*.

ET ERUNT POST HÆC DECIDENTES SINE HO-

Vers. 19. NORE) Vatabl. *turpiter corruent*; græcè, ἔσονται εἰς πτῶμα. quod Primo, cum Nostro vertas, *erunt in ruinam vel casum*, vel *lapsum inhonorum*, id est honoris expertem, turpem & ignominiosum q. d. Impii esto ad tempus hic opibus & honoribus exaltentur: tamen tandem ex apice hoc mundanæ felicitatis & gloriæ decident, ruentque in inopiam, miseriam, vilitatem & infamiam, velut in abyssum, præsertim in morte, & post mortem in gehenna.

Secundò, vertas, *erunt in vile cadaver*. Mors enim ex vivis, lautis & splendidis faciet turpia & fœda cadavera: quo enim delicatiùs nutrita sunt corpora in vita, eo magis A putrescunt & fœtent post mortem, Græcum enim πτῶμα derivatur à πίπτω, sicut cadaver à cado. ita Jansen.

Tertiò vertas, *erunt sicut oleæ deciduæ*, vel sicut poma ab arbore excussa, & in terram cadentia, vel sicut arbor evulsis radicibus in humum projecta, abiecta & in gloria. Sic superiùs v. 3. & 4. comparavit impios arboribus vento agitatis & evulsis. Hæc omnia enim significat Græcum πτῶμα. ita Petrus Nannius hic.

Nonnulli hæc omnia, ut superiùs dixi, accipiunt de tyrannis occidentibus Martyres: Cantacuzenus verò accipit de Judæis Christum crucifigentibus: hi enim ob infame hoc Christicidium à Tito excisi, venditi, ad bestias damnati, exules, & vagi, toti orbi ludibrium facti sunt. Verùm plenè & adæquatè hæc accipias de impiis quemlibet justum persequentibus.

ET IN CONTUMELIA INTER MORTUOS IN PERPETUUM) Lucifer Calarit. Apolog. pro S. Athanasio legit, *erunt in contumelia mortis in perpetuo*; Vatabl. *& ignominia inter mortuos perpetua laborabunt*, tum apud ho- B mines, tum apud superos, tum apud inferos: ibunt enim in gehennam, ubi erunt ludibrium dæmonum, juxta illud: *Evigilabunt alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper*, Daniel. 12. 3. Et; *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt usque ad satietatem visionis omni carni*, Isajæ 66. v. ult. τὸ *inter mortuos* idem est, quod inter damnatos: cadavera enim impiorum putrescent in sepulchro; animæ verò cruciabuntur perpetim in gehenna cum damnatis, juxta illud psal. 48. *Sicut oves in inferno positi sunt* (Theodoret. *constituerunt seipsos*, unde extricari non valeant) *mors depascet eos*; S. Hieron. *mors pastor erit eorum*; & subdit: *Meritò pascuntur à morte, qui Christum noluerunt habere pastorem bonum*. Joan. 10. Et illud S. Gregor. libr. 15. Moral. c. 12. ubi expendit illud Job 10. 18. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.* *Mors viva*
Non morte consumitur, inquit, *quia si consumeretur vita* *in gehenna.*
morientis, etiam pœna finiretur; sed ut sine fine crucietur, vivere in pœna compellitur, ut cujus vita mortua hic fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna.

QUONIAM DISRUMPET ILLOS INFLATOS C SINE VOCE) q. d. Sicut uter inflatus & vento turgidus, magno fragore diffringitur & rumpitur: sic Deus impios fastu tumidos, in morte magno fragore & dolore disrumpet, facietq; ἀφώνους, id est sine voce (aliqui legunt ἀφρόνας, vel potiùs ἄφρονας, id est amentes, ut scilicet mente, id est consilio & judicio, carere, & omni ratione destituti videantur.) Porrò *sine voce*, id est elingues & mutos, instar piscium, ut nec loqui possint, nec, si possent, mutire vel hiscere audeant, præ confusione & conscientia scelerum. Hinc ille non habens vestem nuptialem in nuptiis cælestibus Agni, obmutuit: unde ligatis manibus & pedibus projectus est in tenebras exteriores, Matth. 22. 12.

Porro Græca, verba transponunt: sic enim habent: *Quoniam rumpet illos sine voce inflatos*, vel, ut nonnulli legunt, *inflammatos*. Unde Cervantes τὸ *sine voce* refert ad *inflammatos*, sicque explicat: *Sine voce*, hoc est, quasi flamma, blando pariter & acri silentio absumente ac deglutiente impios, emissa cælitus, & absque ulla resilentia, sine hujus vel illius rami sese frangentis, ac veluti conque- D rentis fragore, integros illos penitus perdet, profligabit, dimovebit, & igne iræ divinæ sic devorabit, ut transferat quoque de loco suo in infernum.

Interpres noster pro πρηνεῖς, videtur legisse πρησθεὶς, à πρήθω, id est *inflo*. vel *inflammo* unde vertit, *inflatos*, idque aptè cohæret cum verbo *disrumpet*. Alii vertunt, *inflammatos*, imò nonnulli pro *inflatos* censent legendum, *inflammatos*: unde πρηστὴρ est prester, hoc est igneus turbo. Vatabl. verò & alii legentes πρηνεῖς, à πρηνίζω, id est præcipito, aut in caput propendeo, vertunt, *pronos*, demissos, vel præcipites. Unde Vatabl. vertit, *quoniam conquassabit illos interclusa voce præcipitatos*. Præcipitabit enim *Disrumpit*
eos in tartara. Porrò disrumpet Deus impios, Primò, in *Deus im-*
morte, cùm animam avellet & abrumpet à corpore: quæ *pios multi-*
avulsio ob summam animæ cum corpore unionem, est ama- *pliciter.*
rissima. Secundò, in judicio abrumpet, dividet & separabit eos à societate angelorum & Beatorum. Tertiò, in gehenna disrumpet eos tormentis, verberibus, plagis & doloribus acerrimis, ut membratim dilaniari & disrumpi videantur. Alludit ad tormentum rotarum, in quibus latronibus brachia & mem-

& membra confringuntur; & ad rotas, quibus Martyres circomacti, per suppositos cultros & gladios laniabantur & rumpebantur. Similes enim rotas, sed longè atrociores in gehenna viderunt Sancti, qui eò in spiritu à Deo rapti fuere, quibus damnatorum corpora distorquebantur & discerpebantur, sed ita, ut semper rediviva ad nova tormenta persisterent. Vide Auctores, qui de tormentis inferni scripsere, ac præsertim Dionys. Carthus. de pœnis inferni art. 47. & seq. & de judicio animæ cap. 21. & seq. Quartò & genuinè, Græcum ῥήγνυμι significat cum vehementia & fragore elidere, & supernè decidere, uti procellosa pluvia & grando solet. Item divelli & abripi, uti terræ hiatu absorbentur arbores, domus magnæque moles. Simili enim modo corpora damnatorum inflata, crassa & ponderosa instar plumbi, ex valle Josaphat, ubi à Christo judicabuntur & damnabuntur, dehiscente terra magno impetu & fragore elidentur, divellentur, abripientur & corruent in imum tartari. quæ omnia Noster innuit voce *disrumpet*, id est abrumpet.

Et commoverit illos a fundamentis] Id est, ut Vatabl. *funditus eos commovebit*, sicut commoventur & conquassantur arbores, domus, vel ostia, cùm à fundamentis & cardinibus evelluntur. Alludit ad illud Job 22. 16. *Fluvius subvertit fundamentum eorum, qui dicebant Deo: Recede à nobis*. Hebr. est, *fluvius effusus* (Septuag. *fluens*) *fundamentum eorum*. Alludit ad aquas diluvii. Fluvius hic significat impetum iræ Dei in improbos, & citam eorum consumptionem, ac inundantium in eos calamitatum immensam vim & molem.

Et usque ad supremum desolabuntur] Id est, *extremè desolabuntur*, ait Vatabl. ut nihil eorum salvum remaneat: par enim est, ut impii, qui in hac vita summas habuere delicias, consolationes & gaudia, in futura pariter summas habeant mœstitias, desolationes & tormenta.

Et erunt gementes] Græcè, *& erant in dolore multiplici & maximo*, qualis est parturientium: hunc enim significat ὠδίν. Cruciabuntur enim igne & tormentis gehennæ.

Et memoria illorum periit] Eo sensu, quem superiùs dedi.

Vers. 20. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi] Græcè, *venient ἐν συλλογισμῷ*, id est in syllogismo, puta in ratiocinatione, supputatione, collectione. q. d. Impii in mente & memoria sua, dictante conscientia, in unum quasi cumulum colA ligent omnia sua scelera vitæ anteactæ, quo fiet ut summo timore percellantur, & extremo pudore consternentur. Hinc Vatablus vertit, *prodibunt pavidi peccatorum suorum reputatione*, prodibunt scilicet, ut rationem singulorum factorum, dictorum & cogitatorum Christo iudici exactam reddant. Unde pavidi secum reputabunt quid Christo sint responsuri, & nihil appositum invenient.

Et traducent (græcè, ἐλέγξει, id est palam coarguent & convincent, omnibusque ut reos convictos spectandos proponent) illos ex adverso iniquitates ipsorum] ut eas negare, palliare, vel excusare nequeant: conscientia, quæ est mille testes, in die judicii ostendet, non solùm ipsismet impiis, sed omnibus hominibus & angelis omnia eorum crimina, juxta illud:

Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Hinc Vatabl. vertit, *suisque sceleribus coram convincentur*. Sic cap. 2. 14. *Factus est nobis*, inquit, *in traductionem*, id est in publicam reprehensionem.

Minùs rectè Cantacuzenus: Traducent, inquit, hoc est, seorsum ducent, & abducent impios à societate Sanctorum: Græcum enim ἐλέγξει, idem est quod redarguent. B Hoc est, quod impio improperat Jerem. cap. 2. 19. *Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te*. q. d. Non opus erit accusatore vel teste, quia ipsa conscientia tua scelera toti orbi pandet, accusabit & testabitur. Et Job cap. 15. 24. *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium*.

Expende singula Sapientis verba à vers. 18. huc usque, & totidem impiorum ac damnatorum in gehenna pœnas reperies: singula enim novum intentant supplicium. Porrò Holcot singulas pœnas culpis congruè sibi respondentibus, ita appositè adaptat & adæquat. Decidentium impiorum, præsertim tyrannorum, dejectio, inquit, sumet pœnam de ambitiosa eorum superbia: contumelia respondebit contumeliæ, qua Sanctos affecerunt, irrisio pariter irrisioni, perpetuitas irrogabitur obstinationi, qua vitam in peccatis perpetuarunt usque ad mortem. Disrumpentur, sicut pios disruperunt: erunt sine voce & muti, quia Sanctos inauditos condemnarunt; nec eis spatium se defendendi, aut facultatem loquendi dederunt: commovebuntur à fondamentis, quia funditus pios extirpare conati sunt: desolatio succedit consolationi carnali, gemitus risui, voluptatibus & deliciis: memoria eorum peribit, quia ipsi obliti sunt Dei, legis, virtutis & salutis suæ.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Graphicè describit impiorum in inferno veram, sed seram pœnitentiam & complorationem, quòd scilicet videntes piorum, quos persecuti sunt, gloriam, & sua supplicia; præterita hujus vitæ gaudia vanitatis & fugacitatis accusabunt. Ex adverso v. 16. describit justorum gloriam & regnum æternum, quodque Deus in die judicii pro iis contra impios depugnabit, in eosque omnia iræ suæ tela & fulmina ejaculabitur.

1. Tunc stabunt justi in magna constantia, adversus eos qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. 2. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, 3. dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. 4. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: 5. ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est, 6. Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. 7. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. 8. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? 9. Transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuntius percurrens, 10. & tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cujus, cùm præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: 11. aut tamquam avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantùm sonitus alarum verberans levem ventum, & scindens per vim itineris aerem: commotis alis transvolavit, & post hoc nullum signum invenietur itineris illius: 12. aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuò in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius: 13. sic & nos nati continuò desivimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus. 14. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt: 15. quo-

niam ſpes impii tamquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur: & tamquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tamquam fumus, qui à vento diffuſus eſt: & tamquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis. 16. Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum. 17. Ideò accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini: quoniam dextera ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos. 18. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. 19. Induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum, 20. ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem: 21. acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cùm illo orbis terrarum contra inſenſatos. 22. Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tamquam à benè curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum inſilient. 23. Et à petroſa ira plenæ mittentur grandines, excandeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. 24. Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tamquam turbo venti dividet illos: & ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas evertet ſedes potentium.

VERS. 1. TUNC STABUNT JUSTI IN MAGNA CONSTANTIA, ADVERSUS EOS QUI SE ANGUSTIAVERUNT] *Tunc*, ſcilicet in die judicii, cùm deſolabuntur & damnabuntur impii, uti dixit in fine cap. præcedentis.

STABUNT JUSTI IN MAGNA CONSTANTIA] hoc eſt, *cum immobili ſecuritate et inſuperabili fortitudine*, ait Dionyſ. Græca habent in ſingulari, *Tunc ſtabit juſtus* (ſcilicet quilibet, hoc eſt omnes juſti. Eſt ſynecdoche) *in multa παῤῥησίᾳ, id eſt loquendi libertate, confidentia, audacia, contra faciem eorum qui afflixerunt eum*, putà contra faciem impiorum, qui tunc erunt timidi & pavidi, uti dixit cap. præced. verſu ult. ideoque non ſtabunt recti, ſed tremuli & curvi, hoc eſt, non levabunt caput, nec cervices erigent, ſed veluti pondere ſcelerum oppreſſi procumbent, juxta illud pſal. 1. *Non reſurgent impii in judicio.* Unde S. Auguſt. lib. 2. contra Gaudent. cap. 27. Donatiſtis, qui ſe jactabant juſtos, hoc loco abutentibus reſpondet: *Abſit, abſit*, inquit, *ut ſtent cum magna conſtantia, cum ſtabunt cum tam mala conſcientia.* Hinc Syrus vertit, *ſtabunt juſti cum magna fiducia ante eos qui anguſtiaverunt eũ*, ſcilicet Deum, de quo ſermo præceſſit; Arabicus, *tunc ſtabit juſtus cum magna fiducia adverſus faciem eorum, qui* B *eum contriſtaverunt.*

ET QUI ABSTULERUNT LABORES EORUM] Id eſt, bona labore eorum parta, vel labori eorum debita fraudarunt, vel expilarunt. Ita S. Bonav. Lyran. Dionyſ. & S. Auguſt. epiſt. 50 ad Bonifacium.

Minùs aptè Hugo exponit, q. d. Qui exemerunt illos vita laborioſa, inferendo eis mortem.

Pro *abſtulerunt* græcè eſt ἀθετούντων, quod Secundò, verti poteſt, *qui reprobarunt, vel vituperarunt*; Tertiò, *qui irritarunt*, id eſt caſſos & irritos fecerunt labores eorum, ut ſuo carerent fructu, de quo mox plura. Porrò Arabicus vertit, *qui negaverunt laborem* (mercedem laboris) *ejus*.

Porrò confidentiam & conſtantiam hanc, ait S. Bonav. juſtis afferet juſtitia cauſæ, parata probatio; advocatus Chriſtus, Spiritus ſanctus, Beata Virgo; adverſariorum impotentia; amicitia affinitatque cum judice, benevolentia aſſeſſorum Apoſtolorum, familiaritas cum angelis judicis officialibus.

Sancti in cælo ſtant quaſi victores. Nota Primo, τὸ *ſtabunt juſti*, ſcilicet tamquam milites victores & triumphatores impiorum. Eſto enim in judicio primarii juſti, uti Apoſtoli & Religioſi, virique Apoſtolici, cum Chriſto ſedebunt judicantes duodecim tribus C Iſrael, id eſt omnes gentes, Matth. 19. tamen ceteri communes juſti aſtabunt Chriſto judici, tum quia ab eo erunt judicandi, & adjudicandi cælo; tum quia vincentium eſt ſtare, victorum jacere. *Imperatorem ſtantem mori decet*, ajebat Veſpaſianus Imper. teſte Svetonio multò magis milites Chriſti, putà juſtos & beatos, ſtare decet. Sic S. Stephanus vidit Chriſtum ſtantem à dextris virtutis Dei, Actor. 7. Beati enim in cælo ſtant tamquam glorioſi triumphatores, uti ibidem dixi. Lazarus inter cetera jacebat ad menſam divitis, cupiens ſatiari de ejus micis, velut canis, Lucæ 16. at in cælo ſtabit, & dives jacebit.

Nota Secundò. τὸ *adverſus eos*, vel, ut græcè eſt, *contra faciem eorum*, Primò, idem eſt, quod *coram eis*. Juſti ſuam gloriam ſpectandam objicient impiis, qui eos afflixerunt & occiderunt, ut videant quàm diſpar ſit vitæ ipſorum ac ſuæ exitus & terminus, nec ipſos interiiſſe, ſed vitam miſeram commutaſſe in beatam & glorioſam. quod valdè impios cruciabit, ſicut divitem Epulonem cruciabat gloria Lazari, ad quam ex inferno non poterat emergere, Lucæ 16. Secundò, propriè, τὸ *contra faciem eorum* ſignificat, quòd in die judicii Sancti, præſertim Martyres, inſurgent contra tyrannos, qui ſe cruciarunt & necarunt, eoſque coram Chriſto accuſabunt, & cum eo condemnabũt. Unde S. Bonavent. & Gloſſa: *Accuſabunt*, inquiunt, *juſti perſecutores ſuos, & ſancti Martyres tyrannos, qui eos adduxerunt in anguſtias.* S. Petrus & Paulus ergo in die judicii impietatis arguent & condemnabunt Neronem, S. Sebaſtianus Diocletianum, S. Laurentius Valerianum, S. Cæcilia Almachium (unde S. Valerianus S. Cæciliæ ſponſus, Almachio totum hunc Sapientis locum recitavit, & minando objecit) S. Vincentius Dacianum, &c. Unde noſter Edmundus Campianus, verè Campianus, hoc eſt athleta Chriſti, cùm in Anglia hæreticorum Miniſtros ad diſputationem provocaret, invictis decem rationibus armatus, illas ita concludit. Reginam enim modeſtè ſed liberè alloquens, *Veniet*, inquit, *Eliſabetha dies ille, qui tibi liquidò demonſtrabit, utri te dilexerint, Societas Jeſu, an Lutheri progenies.* Acerbiis ſeptem Machabæi fratres excruciati ab Antiocho tyranno, eidem Dei judicium & tormenta gehennæ comminati ſunt, 2. Machab. 7.

Nota Tertio. Pro *& qui abſtulerunt labores eorum*, græcè eſt, *qui ſpreverunt; vituperarunt, irritarunt labores eorum*: quod non tantùm de bonis & opibus, ſed & de laboribus propriè accipias. q. d. Juſti in judicio redarguent impios, quod labores ſuos ſalutares, quibus ipſos aliosque ad Dei cultum & ſalutem æternam provehere ſatagebãt, ſpreverint, obſcurarint, impedierint, caſſos & irritos fecerint, itaque Deo honorem, aliis exemplum, ſibi ſalutem inviderint & eripuerint, dum pia juſtorum monita æquè ac mores deriſerunt & exploſerunt. Quæ omnia tunc magna libertate & fortitudine, juſti exprobrabunt impiis in os & faciem, dicentque: Meminiſti, ò Nero, ò Deci, ò Diocletiane, cum coram tuo tribunali vinctus adſtarem, me hæc tibi prædixiſſe: at non credidiſti mihi, nunc ergo invitus crede & experire, tum noſtram felicitatem & gloriam, tum tuam infelicitatem & gehennam. Hæc eſt illa *Martyrum exprobratio in tyrannos.* dies, quam expectavimus, tibique intentavimus fore, ut paſſioni & martyrio noſtro merces perpetua, tuæ verò tyrannidi incendia ſempiterna decernerentur. Nonne veri Prophetæ fuimus? cerne & crede, at ſerò, ad tuam majorem confuſionem & condemnationem. Recordaris nos ad hunc diem provocaſſe, nos ad hoc tribunal appellaſſe: appellationem noſtram audire noluiſti, ſed irriſiſti. Audivit & exaudivit eam Chriſtus: tunc nos rei fuimus, tu judex: nunc vice verſa tu reus es, nos judices. Audi ergo noſtram, imò Chriſti de te ſententiam, eamque irrevocabilem, ſed juſtiſſimam, ideoque ex zelo juſtitiæ, non vindictæ, in te dictatam: Quia Chriſti hoſtis fuiſti, Sanctos ejus occidiſti, Eccleſiam oppugnaſti, fidem evertiſti, ito impie, ito ſceleſte, ito maledicte in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.

VIDENTES (Cantacuz. addit *eum*, ſcilicet juſtum) TURBABUNTUR TIMORE HORRIBILI] *Videntes*, ſcilicet non juſti, ſed impii, qui juſtos afflixerunt. A juſtis enim tranſit ad impios. Græcè eſt aoriſtus, ἰδόντες, q. d. Cùm viderint, vel poſtquam viderint impii tantam juſtorum gloriam & conſtantiam, percellentur extremo pavore & angore: videbunt enim jam de ſe ſuaque ſalute eſſe conclamatum & deſperatum: videbunt ſuos eſſe judices, qui olim ipſorum fuere rei, damnati ab ipſis ad mortem atrocem: quare jam ſimile, imò atrocius judicium & damnationem ab eis expectantes, pavebunt extremè. *Spectabitur illic tortor à Martyribus ſemper, qui Martyres in ſuppliciis ſpectavit ad tempus*, ait S. Cyprian. ad Demetr. VERS. 2.

Adde, videbunt majeſtatem iramque judicis, deformi-

taiem

tatem corporum suorum, & horridas spectrorum formas à dæmonibus assumptas: unde consternati dicent *montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni*, Apocal 6.16.

Et mirabuntur in subitatione (id est in subita adeptione, ait S. Bonavent. Hugo, Dionys. & Glossa) in speratæ salutis] Græcè, ἐκστήσονται ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας, id est stupebunt, & quasi extra se in ecstasim rapientur in paradoxo, id est in inopinatione, salutis, id est, propter admirabilem & inopinatam salutem gloriamque justorum, quos ipsi perditos, & in morte planè quoad animam & corpus interiisse existimabant. παράδοξον enim est quid novum, admirabile, inexpectatum, insolens, præter opinionem hominum, incredibile, qualia sunt paradoxa Ciceronis & Philosophorum. Sic gloria justorum impiis inexpectata accidet, videbiturque esse aliquod paradoxum, & quasi miraculum; quare eis admirationem, stuporem, pavorem, & quasi ecstasin injiciet. Sic fratres Joseph, eum à se venditum reputantes mortuum, cùm jam vivum & principem Ægypti viderent, *non poterant respondere nimio timore perterriti*, Genes. 45.3. Nihil enim ita affligit, quàm subita commutatio e summa felicitate & gloria in summam infelicitatem & utilitatem. Rursum, nihil ita pungit oculos inimici, quam si ex alto in imum se cadere, inimicum verò ex imo in altum erigi suspiciat, uti contigit Mardochæo cum Aman. Unde S. Bonav. Hugo & Dionys. hanc *subitationem* salutis interpretatur, quod subitò, ex improviso & repentè justi assequantur tantam salutem & gloriam.

Vers. 3. Dicentes intra se] S. Cyprianus & Lucifer pro S. Athanasio legunt, *inter se*. Utrumque significat Græcum ἐν ἑαυτοῖς, & utrumque erit verum. Primò enim *dicent*, id est cogitabunt intra se, deinde ex vehementia doloris in vocem & complorationem erumpent, dicentq; imò clamabunt inter se, ita ut justi eminus positi facilè audire queant. Unde codex Vaticanus legit, *dicent sibi invicem pœnitentes, & propter angorem spiritus gementes*; Lucifer, *dicent inter se pœnitentiam habentes*; Vatabl. *pœnitentia tacti*, sed serò; Antonius in Melissa p.2.c.74. legit, *tunc dicent in sesipsos*, id est contra semetipsos invehentes, & debacchantes acri & vehementi increpatione & objurgatione.

Pœnitentiam agentes] Talis fuit Antiochi pœnitentia 2. Machab. 9.12. & Esau Hebr. 12.17 & Judæ proditoris Matth. 27. 3. Horum enim pœnitentia ex odio & timore non culpæ, sed pœnæ manavit.

Et præ angustia spiritus gementes] Quia, ut ait Cantacuz. gemitus & suspirii causa est spiritus angustia, & respirandi difficultas: cùm enim præcordia dolore comprimuntur, indeque major spiritus, sive anhêlitus vis intercipitur, qui deinde simul totus erumpere satagit, in gemitum & suspirium erumpit. Huc facit illud Isaiæ 65. 14. *Vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.*

Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum] S. Cyprian. & Lucifer, *in risu*. Græca, S. Cyprianus, Lucifer & alii hæc omnia pervulsiiis legunt in singulari de quolibet justo. Hoc modo, *Hic erat, quem habuimus aliquando in derisum, & in parabolam improperii*, id est in parabolam probrosam, in fabulam ignominiosã, in proverbium contumeliosum, quo utuntur homines, cùm volunt cuipiam improperare, vel conviciari. Dicent enim, Fias infamis, deridearis, sisque fabula, ludibrium & probrum hominum, sicut factus est talis, qui simulabat se justum. Sic psalm. 43. 16 dicitur, *Posuisti nos in similitudinem* (græcè, *in parabolam*) *in Gentibus, commotionem capitis in populis*. Et paulò antè: *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro*. Sic Job queritur c. 17. 6. *Posuit me*, inquit, *quasi in proverbium vulgi, & exemplum sum coram eis*. Et c. 30. 9. *Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in proverbium*, in fabulam. Similia sunt Jerem. 48. 39. Deuter. 28. 37. Ezech. 16. 44. & alibi. Cantacuzenus hæc omnia refert ad Christum, de quo scriptum est Apoc. 1. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: & plangent se super eum omnes tribus terræ*. Verum de quolibet justo loquitur Sapiens, ut dixi, sed maximè de Christo, qui est justus antonomasticè, utpote Sanctus Sanctorum.

Vers. 4. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore] Ita principes Iehu regis, de Propheta ad eum misso ab Eliseo, ajunt: *Quid venit insanus iste ad te?* 4. Reg. 9. 11. Et Festus ad Paulum: *Insanis Paule: multæ te litteræ ad insaniam convertunt*, Actor. 26. 24. Et ipse Paulus: *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc*. Et: *Nos stulti propter Christum*. 1. Corinth. 4. v. 10. & 13. Quin & Christus ipse ob crucem suam Gentibus fuit stultitia, Judæis verò scandalũ, ut idem ait 1. Corinth. 1. 23. Adeoque cognati Christi ipsum æstimantes furiosum, ligare voluerunt, Marc. 3. 21. Denique Sancti nonnulli humilitatis & mortificationis studio stultos se simularunt, uti fecit Simon cognomento Salus, id est stultus.

Mundani ergo vitam Sanctorum æstimant insaniam: quia mundanis insanum videtur carnem domare jejuniis, ciliciis, disciplinis affligere, mortificare sensus, appetitus coercere. Audi S. Gregor. Nazianz. in laudem S. Gorgoniæ: *O animam corpus propemodum etiam sine cibo, velut expers materiæ, retinentem! Vel, ut rectius loquar, ô corpus sibi ipsi moriendi necessitatem etiam ante mortem imponens, ut libertatem consequeretur anima, nec à sensibus impedimenti quidquam acciperet!* Et post pauca: *O tenera membra in terram provoluta, seque asperè præter naturam exercentia! O lacrymarum fontes præ tribulatione profusarum, ut in exultatione messem faciant! O nocturnum clamorem nubes penetrantem, atque ad Deum pervadentem.* Et S. Paulinum epist. 10. ad Severum de Melania: *Cui refectio in jejunio, requies in oratione, & panis in verbo, habitus in panno, lectus in sagulo & centone durus in terra*, &c. *& sanctæ animæ in Domino vigilare, requiescere est*. Et S. Hieron. epist. 1. ad Heliodorum: *Super nudam metuis humum exesa jejunio membra collidere? Sed Dominus tecum jacet. Squallidi capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas te terret? sed tu paradisum mente deambula*. Huc etiam facit quod de B. Epiphanio Ticinensi Episcopo scribit Ennodius in ejus Vita: *Talem bellatrix dextera animæ sua certaminibus reddebat carnem, ut illi opus esset postea pro necessitate succurri*. B. Petrus Damiani serm. 39. de SS. Donat. & Hilar. Mart. *Mollioris vitæ latitudinem sprevit* (B. Donatus) *abstinentia rigore illecebrosa carnis incentiva calcavit: & antequam per dignitatem sacerdotalis officii ejus prædicaret lingua, prædicabat jam efficaciter sub honestis & disciplinatis moribus vita*. Et paulò pòst: *Sulcabat terram suam vomere disciplinæ, ut uber segetũ proventus erumperet, & virescente cælestis gratiæ radio fertilius germinaret*, &c.

Mundo vita Sanctorum est insania; cur?

Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est] Græca non habent τὸ *ecce*, & cetera habẽt in singulari, hoc modo. *Quomodo computatus* vel *annumeratus est* (justus) *in filiis Dei, & in sanctis sors illius est? Filios Dei* vocant, non per gratiam solùm, sed per gloriam, qui scilicet velut heredes Christi hereditatem felicitatis æternæ possident: hæc enim est sors hæreditaria, æquè ac beata & felix Sanctorum & Beatorum. Quanta dignitas sit esse filium Dei, multis ostendi Oseé 1. v. 10. in fine. Verè *nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum*, psal. 138. 17. Vers. 5.

Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiæ (ita Roman. sed Regii habent, *sol justitiæ*, alii, *sol* dumtaxat) non est ortus nobis] Verè S. Hieron. ad Lætam: *Venena*, inquit, *non dantur, nisi melle circumlita, & vitia non decipiunt, nisi sub specie umbraque virtutum*. Impii ergo hic damnant seipsos erroris & stultitiæ triplicis. Primò, quòd erraverunt à via veritatis, id est veræ virtutis, vel etiã veræ fidei, uti à fide aberrant heretici, Ethnici & athei. Secundò, quòd justitię lumen, putà lumen rationis & prudentiæ iis non luxerit, eò quòd illud spreverint, volentes degere in tenebris voluptatis & concupiscentiæ. Tertiò, quòd Sol intelligentię, id est Deus & Christus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ, iis non sit ortus, eò quòd ipsi fenestras cordis clauserint, itaq; ejus radios ad intelligendum ea quæ sunt Dei & salutis, excluserint. De hoc sole ait Malach. c. 4. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus*. Ubi plura hac de re dixi. Audi S. Ambrosium in psal. 21. *Solem hic justitiæ arbitror designari, hoc est Christum Dominum, qui nobis igno-* Vers. 6.

rantia tenebris & peccatorum cæcitate submersis, cælestis doctrina sua lumen infudit; & quos non habebamus oculos cordis inseruit; & velut radios quosdam Apostolos suos misit, qui nos de nocte teterrima delinquentiæ liberarent, & paulatim resolutis in nobis tenebris peccatorum matutina susceptione consuescerent, ut perfecti facilius possemus tolerare solis ardorem, hoc est, primùm nos præceptis simplicioribus erudirent, quo capaciores efficerent cælestium secretorũ. Idem serm. 10. de Nativitate Christi: *Hic*, inquit, *est sol novus, qui claustra penetrat, inferna reserat, corda rimatur. Hic novus est sol, qui spiritu suo vivificat mortua, corrupta reparat, suscitat jam defuncta; vel qui calore suo purgat sordida, exurit fluida, decoquit vitiosa. Ipse, inquam, est, qui in cunctis actibus nostris respicit omnia opera nostra, & non tam condemnat crimina, quàm emendat. Hic planè est sol justus & sapiens, qui non sine discretione, sicut iste sol mundi, bonis ac malis similiter circumfertur, sed quodam judicio veritatis sanctis lucet, occidit peccatori.* Audi & S. Gregor. lib. 34. Moral. c. 12. *Omnes impii in extremi die judicii, cognita sua damnatione dicturi sunt: Erravimus à via veritatis, & lumen justitiæ non luxit nobis, & sol non est ortus nobis; ac si apertè dicant: Interni nobis luminis radius non refulsit. Unde & Joannes ait: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus. In sole enim illustratio veritatis, in luna autem, quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Ecclesia, quia superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur: quia verò cuncta temporalia despicit: lunam sub pedibus premit.* Hoc
Apoc. 12. est, quod ait Isaias cap. 6. 9. & ex eo Paulus Roman. 11. 8. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis; oculos, ut non videant; & aures, ut non audiant.* Vide ibi dicta.

Hunc damnatorum serum & inconsolabilem gemitum graphicè exprimit S. Cyrill. orat. de exitu animi, & secundo adventu: *Non posset*, inquit, *ullum hominis os metum illum terroremque declarare. nulla hominis labia satis magnam vim habent, ad dicendum illorum fletum atque ploratum. Gemunt continenter & sine intermissione, sed nullus est qui misereatur: vociferantur ex profundo, sed nullus est qui exaudiat; lamentantur, sed nullus est qui liberet: exclamant & plangunt, sed nullus est qui commoveatur. Tunc ubi hujus mundi jactantia? ubi inanis gloria? ubi deliciæ? ubi voluptas? ubi petulantia? ubi apparatus? ubi requies? ubi ornatus? ubi pecunia? ubi nobilitas? ubi tunc delectatio? ubi corporis virilitas? ubi falsa illa & inutilis mulierum pulchritudo? ubi tunc impudens & effrænata audacia? ubi tunc vestimentorum comptus? ubi peccandi impura & frivola delectatio?* Vide totam ejus orationem.

Similia habet S. Ephrem, qui plenus spiritu compunctionis instar turturis ubique gemit. Audi eum tract. de Variis tormentis inferni: *Tunc amarissime illacrymantes ejulantesque dicent: O quo pacto in negligentia atque torpore tempus nostrum transegimus? O quomodo illusi sumus? O quomodo divinam Scripturam audientes irridentesque nos ipsos decepimus? Ibi Deus loquebatur nobis per Scripturas, & non attendebamus; hic jam clamamus, & ipse suam à nobis faciem avertit. Quid nobis proderunt fines mundi? Ubinam qui nos genuit pater, ubi quæ nos peperit mater? ubi filii? ubi amici? ubi divitiæ? ubi substantia atque possessiones? ubi turba? ubi convivia? ubi varii & intempestivi cursus? ubi reges atque potentes? Quomodo à nullo eorum salvari modò possumus, neque verò nobis ipsis opem ferre? At penitus derelicti sumus: & à Deo & à Sanctis ejus.* Prosequitur deinde ulteriora eorum lamenta: *Quid faciemus? non est amplius pœnitentiæ locus, non valet amplius deprecatio atque intercessio. Nulla amplius lacrymarum utilitas. Non amplius, qui oleum nobis vendant, apparent pauperes atque mendici: soluta est enim omnis celebritas. Dum nobis erat tempus, suppeterentque facultates, ipsique venditores olei clamitarent, Emite, obturatis nostris auribus, nec audire nec emere oleum voluimus: modò autem quærimus, & non invenimus. Nulla amplius nobis miserabilibus reliqua est redemptio, nulla amplius misericordia: neque enim sumus digni. Justum est Dei judicium. Non jam amplius Sanctorum adspiciemus ordines. Non amplius lucem illam veram contuebimur: orbati sequestratique sumus ab omnibus.* Denique ultimum eorum vale ita patheticè describit: *Dicendũ quid restabit? Valete justi universi. Valete Apostoli, Prophetæ, Martyres. Vale cœtus Patriarcharum. Vale Monachorum agmen. Vale crux pretiosa atque vivifica. Vale cælorum regnum omni fine carens. Vale superna Jerusalem primitivo-*
A *rum mater. Vale paradise voluptatis. Vale etiam tu domina Dei genitrix, mater amatoris hominum Dei. Valete patres ac matres, filii atque filiæ; nullum siquidem vestrum visuri sumus ultra. Postea verò abiturus est unusquisque in præparatum sibi ob prava sua opera tormentorum locum, ubi vermis eorum non moritur, neque ignis extinguitur.*

LASSATI SUMUS IN VIA INIQUITATIS ET Vers. 7.
PERDITIONIS] Græcè, *repleti* vel *satiati sumus viis iniquitatis*, id est ambulavimus per vias iniquas usque ad satiem, putà ad lassitudinem. Saties enim in ambulando est corporis lassitudo, sicut saties in comedendo est ventris plenitudo. Unde Noster solerter vertit, *lassati sumus*. Hinc Græci πονηρίαν, id est malitiam & iniquitatem, derivant à πόνος, id est labor, & à πονεῖν, id est laborare, eò quòd omnis iniquitas plena sit laboris & molestiæ. Unde & in Script. ipsa vocatur *labor & dolor*, uti docet S. Chrysost. in psalm. 130. & hom. 7. in Acta. Hinc & amor ipse vocatur labor & dolor, quia ejum parit. Nam sine dolore non vivitur in amore, præsertim mundano & carnali. Unde illud de senibus Susannæ castitati insidiantibus Daniel.
B 14. 10. *Erant ergo ambo vulnerati amore ejus, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum: erubescebant enim indicare sibi concupiscentiam suam.* Amor ergo est dolor. Huc facit illud Virgil. de Didone, amore Æneæ saucia:

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

Idem locum habet in amore casto & sancto. Unde Cant. 5. ait sponsa, *Quià amore langueo*; Symmach. *quia vulnerata amore ego sum.*

ET AMBULAVIMUS VIAS DIFFICILES] Græcè, διωδεύσαμεν ἐρήμους ἀβάτους, id est *pervasimus eremos* (Lucifer pro S. Athanas. legit, *eremias in vias*;) putà solitudines inaccessas, & deserta impermeabilia, nimirum mille periculis, mille molestiis obsita. Syrus, *ambulavimus in deserto sine duce*; Arabicus, *ambulavimus vias inambulabiles*, vel *in desertis inextricabilibus*. Ita vocant viam iniquitatis, voluptatis & concupiscentiæ, tum quia mentu est difficillima; tum quia deserta à Deo omnique bono; tum quia per eam via nulla est ad felicitatem; tum quia ducit ad desolationem æternam. Vide S. Greg. Nazian. tract. de Vitæ itineribus. Considera an non avaro sit dif- Via concupiscentiæ spinosa.
C ficile maria & terras obire, ut opes congreget? guloso ventrem infarcire, ut capite doleat, stomacho nauseet, membris torpeat, febribus æstuet, crapula milleque morbis crucietur? luxurioso venerei vacare, ut luem veneream, sordes, vomicas & carcinomata patiatur? superbo, irato, invido, ut mille animi æstibus, timoribus & doloribus agitetur, dum se despici, æmulum suspici sibique anteferri videt? Hic verum est illud psal. 13. 3. *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Nam, ut rectè ait noster Lorinus, aut fœdentur luto intemperantes, aut lapidibus læduntur avari, aut arduo lassantur ascensu ambitiosi, aut spinis cruentantur iracundi, aut tenebris invidi cæcantur, aut turba adulatores comprimuntur, malisve exemplis; aut inæqualitate & confragositate acediosi retardantur. Ex adverso de via justorum dicitur Proverb. 4. 18. *Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit usque ad perfectam diem.* Et Proverb. 15. 19. *Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via justorum absque offendiculo.* Porrò impii difficultatem hanc, quasi amore ebrii & stupidi, sæpè non sentiunt, aut non
D advertunt. Causam dat Auctor imperfecti apud S. Chrysost. hom. 28. in Matth. citato enim hoc Sapientiæ loco, subdit: *Ergo laborant multum, & conteruntur in sæculo, sed laborem non sentiunt; spiritus enim, qui seducit eos, ipsos delectat in malo. Sicut enim qui suscipiunt jugum Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus: sic & qui jugum suscipiunt diaboli, diabolus eos delectat & decipit, ne discedant à malo impii usque ad mortem suam. Ideo dicit Christus: Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Nam etsi corpore non gravantur peccatores, nec laborant, anima tamen eorum gravatæ sunt & laborant, dicente Propheta de onere peccatorum: Quoniam iniquitates meæ superposuerũt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me. Et iterum Zacharias iniquitatem super talentum plumbi sedere conscribit*, cap. 5. 8.

VIAM AUTEM DOMINI IGNORAVIMUS] Hæc est via regia virtutis, amanti plana & facilis, quæ rectà ducit ad felicitatem & cælum.

QUID NOBIS PROFUIT (imò verò quantum obfuit) SUPERBIA; AUT DIVITIARUM JACTANTIA

Vers. 8. TIA QUID CONTULIT NOBIS?] nil nisi mille cu- A
ras, animi ægritudines, scelera, mordacia conscientiæ tormina, ac corporis mentisque supplicia præsentia & æterna. S. Cyprianus & Augustinus legunt, *divitiarum jactatio*, Lucifer, *divitiæ cum exultatione*; Græca, *divitiæ cum jactantia quid contulerunt?* Nam divitiæ sine jactantia multum conferunt ad virtutem, putà ad eleemosynam, per quam divites sibi emunt cælum: verum jactatio vel jactantia opum non prodest, sed obest, quia excitat superbiam, iram, invidiam, &c. quæ recta ducunt ad tartara. Pro *jactantia* græcè est, ἀλαζονεία, id est superbia, fastus, insolentia, ostentatio, arrogantia: hæc omnia pariunt divitiæ, ni virtute regantur: unde multos tales videmus divites. Syrus, *quam utilitatem attulit elatio, aut quam utilitatem attulit nobis habitatio superbia nostra?* Arabicus, *& quid attulerunt nobis divitiæ cum magnificentia?*

TRANSIERUNT OMNIA ILLA TAMQUAM UMBRA (cujus cum vita analogias recensui Eccles. c. 7. 1.
Vers. 9. & cap. 8. 13.) ET TAMQUAM NUNCIUS PERCURRENS] Ita Rom. & hoc significat Græcum, παρατρέχουσα. Quare minùs rectè alii legunt, *præcurrens nuncius*. Hic B non intelligitur masculinè, ut sit idem, quod vir nuncians, sive cursor, sed neutrè, ut sit idem quod *nuncium*: græcè enim est ἀγγελία, id est annunciatio, nuncium, rumor, fama: nuncium enim cùm affertur, tamdiu dumtaxat consistit, quamdium ab ore dicentis ad aures audientis perfertur. Rumores sæpè falsi sunt, & sive veri, sive falsi sint, citò pertranseunt & evanescunt instar somnii. Cùm essem Lovanii, quotidie per urbem rumores miri, sed ficti spargebantur, multosque commovebant, sed illicò evanescebant. Inquisitum est in auctores, & deprehensi sunt duo, qui quod noctu somniarant, manè in vulgus spargebant. Tales sunt opes & voluptates omnes hujus vitæ. Id clarè vident singuli in morte. Unde nuper Philippus III. pius Hispaniarum Rex moriturus ajebat: *Nihil prodest regem esse, nisi ut in morte cruciet fuisse.*

Nota. Primò. Impii hic rerum evidentia suaque jactura & damno convicti seriò, sed serò, agnoscunt vanitatem suarum opum, honorum & voluptatum, quod scilicet citò abeant & evanescant, nullo relicto sui vestigio. Unde eas comparant rebus summè fugacibus, scilicet Pri- C mò umbræ, Secundò rumori, Tertiò navi aquam sulcanti, Quartò ait per aerem transvolanti, Quintò sagittæ emissæ. Quid umbra inanius? quid rumore vanius? quid navi fugacius? quid ave volante velocius? quid sagittæ jactu ocyus & pernicius?

Nota Secundò, hic esse mimesin, sive imitationem, non tam verborum, quàm sensus impiorum. Imitatur enim Sapiens refertque non tam dicta vel dicenda, quàm ipsa sensa eorum; nil enim cogit nos dicere, quòd impii in die judicii complorantes, iisdem hisce similitudinibus omnibus sint usuri: sufficit, quòd hisce vel similibus utantur, perinde ac facit S. Gregor. Nazian. orat. 10. *Ejusmodi*, ait, *vita nostra est fratres, qui fluxam vitam ducimus: ejusmodi in terra ludus, ut cùm non simus, nascamur, cùm nati simus, rursus dissolvamur. Insomnium sumus minimè consistens, spectrum quoddam quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, navis in mari vestigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos suo tempore nascens, et suo tempore marcescens. Homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit. Pulchrè S. David his verbis de nostra imbecillitate philosophatus est, quemadmodum & in illis: Paucitatem die-* D *rum meorum nuncia mihi. Quin etiam dies humanos palmi mensuram esse definit. Nam quid de Jeremia quispiam dixerit? qui cap. 20. etiam matri succenset se in lucem editum dolens, idque propter aliena peccata.*

ET TAMQUAM NAVIS, QUÆ PERTRANSIT FLUCTUANTEM AQUAM: CUJUS, CUM PRÆTE-
Vers. 10. RIERIT, NON EST VESTIGIUM INVENIRE, NEQUE SEMITAM CARINÆ ILLIUS IN FLUCTIBUS] Pro *carina* græcè est, ἀτραπὸς, id est *itineris* (aliqui perperam legunt τρίβων, id est semitarum) vel ingressus, aut meatus ejus inter fluctus: hunc enim illicò ubi navis pertransiit, fluctus obruunt. Verùm exemplaria correcta pro ἀτραπὸς habent τρόπιος, id est carinæ, uti vertit Noster. *Carina* propriè est ima pars navis, ejusque fundus & quasi venter, qui aquam subintrat & sulcat, non relicta semita, sive non terendo viam.

Vox *fluctuantem* & *fluctus* notant pericula navis & navigantium, ut nunc fluctibus in cælum attolli, nunc in abyssum deprimi videantur, juxta illud psal. 106. 26. *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.* Et illud Ovidii:

Tollimur in cælum, nunc imas cadimus undas.

longè majora sunt pericula hujus vitæ, præsertim voluptuariæ impiorum.

Appositè voluptas & vita comparatur navi & navigationi ob æquam utriusque brevitatem, fugacitatem, pericula & naufragia. Navis enim est currus marinus, quo multi merguntur. Nota est historia Jonæ natantis & navigantis in ventre ceti, & ad Deum suspirantis cap. 2. 6. *Circum dederunt me aquæ*, inquit, *usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum.* Hinc Sodalis apud Stobæum serm. 121. *Mors*, inquit, *omnium mortalium portus est.* Hinc & priscorum sepulchra erant ad mare & portus, unde ibidem sepulti sunt Aiax & Cato, teste Plutarch. in eorum Vita, ac Mathathias cum filiis Machabæis, ut patet 1. Machab. 13. 29. Hinc illud Propertii lib. 3. eleg. 5. *Sepulchra ad mare.*

B *Ite rates curvæ, & leti contexite causas:*
Terra parum fuerat, fatis adjecimus undas.

Et illud Alexidis apud Stobæum serm. 59. *Quisquis*, ait, *mare navigat, is aut insanit, aut mendicus est, aut mori cupit: ex his tribus non fieri potest, quin unum saltem verum sit.* Quibus congruit Plinius lib. 2. cap. 47. dicens: *Nec tamen sævitia tempestatum concludit mare: piratæ primùm coegerunt mortis periculo in mortem ruere, &c. nunc idem hoc avaritia cogit.* Addit Stobæus ex Sophocle:

Mare navigantes planè sunt homines miseri.
Quibus neque dæmon, neque deorum aliquis umquam
Divitiarum dignam tribuerit gratiam;
Similes autem urinantibus mergis.
Sæpenumero de navibus mare circumspectantes
Sedemus ad littora conversi, illa verò adhuc emissis
Alluuntur, modicum autem lignum mortem prohibet.

Addit Plin. in Procem. lib. 19. *Quot velis navigatur, tot modis provocari mortem.*

Porrò rectè per hanc vitam navigandi methodum docet S. Gregor. Nazianz. orat. 3. de pace: *Ne æmulemini*, in- C quit, *mercatores, qui partim nimiis mercibus onerata navi ventrem potius disruperint, navimque aquis demerserint, quam ut ex inexplebili aviditate fructum capiant; & dum pauca lucra captant, gravissimis damnis afficiuntur. cavendum ergo ne graventur corda*, &c. ut Luc. 21. 34 cavetur. Et S. Chrysogonus martyr scribens S. Anastasiæ, Christi gratia in vincula conjectæ sic ait: *Idem omnes mare navigamus, & corpora nostra ejus fluctus sulcant, veluti navigia, quæ animæ perinde ac naucleri gubernant: ex his autem navigiis aliqua tam fortia, tam benè compacta sunt, ut perfacilè scindant impetu maris undas, & per medios fluctus absq; detrimento pertranseant ad portum exoptatum: tam alia fragilia, ut passim de salute periclitentur. gaude ergo Anastasia: etsi enim tua ista navigatio non sine maximis tempestatibus & periculis agitur, brevi atque feliciter cursus navigationis tuæ finietur, atque in portum exoptatum, Christo fruitura cum martyrii palma pervenies.*

Vide B. Petrum Chrysol. serm. 8. de Jejunio, & S. Chrysost. orat. de S. Philogonio, & S. Maximum hom. 2 de S. Eusebio. Porrò Plinius lib. 30. cap. 4. ait, *Licet incredibile dictu, aliqui tradunt tardius ire navigia testudinis dextrum pe-* D *dem vehentia.* sed hoc fabulosum & superstitiosum videtur, si litteram spectes: verum tamen est, si tropologicè intelligas: pes enim testudinis est affectus acedi, tardi & pigri, qui navim & navigationem suam in portum felicitatis sua inertia multum remoratur & retardat. Ergo vitam humanam navigationi esse persimilem liquet, & ex humani corporis fabrica universim ac sigillatim per partes inspecta, & Primò, ex loco, ubi ea ædificata est à Deo: pœnè enim ad hujus normam generationes ceteræ. Secundò, varietate rerum, quibus constat. Tertiò, ventorum flabris, quibus movetur. Quartò, ex spina, capite, lingua, umbilico, & id genus aliis, quæ singularem cum carina, puppi, clavo & anchora habent analogiam. Solet navis construi atque compingi ad sinus & ripas aquarum, in quas proximas facilè jam perfecta conjici possit: sed ita ut machinis opus sit, ut de navibus propter intermissam navigationem in littus subductis, & transacta hieme in mare deducendis, à parte totum nominans, canit Lyricus lib. 1. ode 4. *Analogia hominis & navis.*

Solvitur acris hiems grata vice veris & Favoni,
Trahuntque siccas machinæ carinas.

Sic & corpus Adæ propter, sive juxta, aquas Genes.2.7. *formavit Dominus Deus.* Audi S.Gregor. lib. 6. epist. 26. *Vita nostra naviganti similis est: is qui navigat stat, sedet, jacet, vadit, quia impulsu navis ducitur: ita & nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus.*

Vers.11. AUT TAMQUAM AVIS, QUÆ TRANSVOLAT IN AERE, CUJUS NULLUM INVENITUR ARGUMENTUM ITINERIS, SED TANTUM SONITUS ALARUM VERBERANS LEVEM VENTUM, ET SCINDENS PER VIM ITINERIS AEREM: COMMOTIS ALIS TRANSVOLAVIT, ET POST HOC NULLUM SIGNUM INVENITUR ITINERIS ILLIUS] Græca pro *sed tantum sonitus*, clariùs habent, *percussio vero*, seu *ictus turbans verberatum aerem levem, & scissum vi stridoris motis alis pertransit, & post hoc non est signum inventum meatus in eo.* πληγῇ in dandi casu habent multi codices cum Vaticano, quod vertitur, B *ictu* aut *percussione*, ut *avis* sit suppositum verbi *pertransiit:* at in Complutensi & Regio legitur in recto πληγὴ, *ictus* vel *percussio*. Vulgatus sanium rectè explicuit. Idem pro πληγὴ, id est percussu, vertit *sonitum*, quia avis percutiens alis aerem, volando excitat sonitum. Est metonymia. *Scindens per vim itineris aerem*, id est scindens per vim, sive violentiam aerem, quem secat iter faciendo; sive scindens aerem per vim, quam facit itinerando, putà volando. Perinde igitur omnia hujus mundi gaudia illico transeunt, imò transvolant, instar avis per aerem transvolantis.

Vers.12. AUT TAMQUAM SAGITTA EMISSA IN LOCUM DESTINATUM)græcè *in scopum*, qui sagittariis tangendus præfigitur) DIVISUS AER CONTINUÒ IN SE RECLUSUS EST, UT IGNORETUR TRANSITUS ILLIUS] τὸ *sagitta emissa* non est nominativi, sed ablativi casus, ut patet ex Græco. Noster videtur legisse ἀνεκλείσθη, id est *reclusus est:* aer enim dum in se redit, in se quasi clauditur, unitur, & coit, jam legunt ἀνελύθη, id est *resolutus est:* aer enim sagitta divisus stringitur & C condensatur; at post eam solvitur, laxatur, & in se quasi solutus redit. Sensus est q.d. Sicut postquam sagitta in scopum destinatum emissa est, illicò aer per eam divisus in seipsum revolvitur ac redit, ita ut ignoretur ejus trajectus vel transitus: sic prorsus vita nostra, ubi ad mortis metam devenit, nullum sui relinquit vestigium; sed res omnes in sese redeunt, ac opes ad heredes transeunt, domus ab aliis habitantur, agri & vineæ ab aliis coluntur, perinde ac si herus eorum jam defunctus numquam eas possedisset, sed tantùm eas instar sagittæ celerrimè pertransisset, vel potiùs pervolasset. Rursum sicut aer sagitta divisus, post eam illico coit in sese: sic sublato factioso qui remp. in schismata dividit & secat, illicò illa coit in se-se, reconciliatur & tranquillatur. S. Gregorius libro 16. Moral. c.5. iisdem ferè similitudinibus inanitatem rerum temporalium repræsentat: *Carnalis gloria*, inquit, *dum nitet, cadit: dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum stipula rapitur, sed casu concita ad ima revocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, sed repentè in nihilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula densescendo se erigit, sed exortus hanc solis radius ac si non fuerit abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur. Sic spumosa aquarum bulla inchoantibus pluviis excitata ab intimis certatim prodeunt, sed eo celeriùs dirupta depereunt, quo inflata citiùs extenduntur. Cumque excrescunt ut appareant, excrescendo peragunt ne subsistant.*

Nota hic gradationem. Primò enim comparant impii fugacitatem suarum voluptatum umbræ, quæ fugit, sed pedetentim & lentè; sequitur enim pari passu suum corpus. Secundò, nuncio, quod velocius est umbra: nuncium enim perferunt cursores. Unde nuncium sive famam ita pingit Virgil.4. Æneid.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo:
Parva metu primò, mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira irritata deorum,
Progenuit pedibus celerem & pernicibus alis.

A Tertiò, comparant eam navi, quæ ventis acta velocior est cursore & nuncio. Navis enim est quasi currus marinus ventis alatus & impulsus, juxta illud Tibulli:

Ipsa levi fecit volitantem flumine currum.

Quartò, avi, quæ volatu suo superat cursum, tam navis, quàm cursoris: Quintò, sagittæ, quæ omnium est velocissima; maximo enim fertur impetu. Simili gradatione utitur Job c.9.v.25. & 26. *Dies mei*, inquit, *velociores fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum: pertransierunt quasi naves poma portantes* (quæ celeriùs ceteris navigant, ne poma marcescant) *sicut aquila volans ad escam.*

Ergo re profundiùs perpensa non est sagitta, quæ tam citò ex arcu in scopum insiliat: non est avis, quæ ocyùs transvolet: non est navis, quæ Aquilone impulsa ita raptim per mare decurrat: non est umbra, tam subitò apparens & disparens: non est ventus, tam rapidè per terram fluitans: non est fulmen ita velociter è cælis in terras delapsum, quàm velociter ab ortu rapimur ad occasum, à vita ad mortem, à cunis ad tumulum: nec priùs ad vivendum, quàm ad moriendum in orbem ingredimur: par est B progressus vitæ & mortis: nascendo morimur: pulvis sumus, & in pulverem statim reversuri. Quicumque ergo mortalis es, & morte damnatus, assiduè de morte cogita, & ad mortem te compara.

Tempus itaque velocibus omnibus velocius est, quo decurrit vita nostra, omnisque ejus voluptas. Tum quia tempus est mensura motus primi mobilis, qui est velocissimus: quævis enim stella octavi cæli, sive firmamenti in æquinoctiali posita, singulis horis conficit 42. milliones milliarium; longè plus spatii conficit novum cælum, ac magis decimum, multoque magis undecimum, si quod sit: nam nonnulli Mathematici neoterici plures quàm decem cælos se invenisse asserunt. Cogita ergo quàm velox sit tempus. Vide dicta Genes.1.v.14. Tum quia ex tempore nihil est præsens, nisi nunc, id est instans vel momentum temporis, tempus enim præteritum non est, sed fuit: futurum non est, sed erit: nunc autem per instans unicum dumtaxat durat: quare in instanti est, & in instanti esse desinit: in instanti ergo, id est celerrimè, transit & avolat. Unde sequitur.

Tempus velocissimum.
Ratio à priori.

SIC ET NOS NATI CONTINUÒ DESIVIMUS ESSE (Vatabl. *defecimus:*) ET VIRTUTIS QUIDEM NULLUM SIGNUM VALUIMUS OSTENDERE: IN MALIGNITATE AUTEM NOSTRA CONSUMPTI SUMUS] τὸ *continuò* non est in Græco, sed subintelligitur, uti patet ex jam dictis, & ex similitudinibus allatis: nam motus umbræ, nuncii, navis, avis & sagittæ continuò transeunt & desinunt: ergo & vita nostra, quæ illis simillima est, continuò transit & desinit. *Quotidie morimur*, ait Seneca epist.24. *quotidie enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cùm crescimus, vita decrescit, infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: usque ad hesternam quidquid transiit temporis periit: hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid antè defluxit: sic ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus: Mors non una venit, sed quæ rapit ultima, mors est.* Hinc S. Augustinus lib.13. de Civit. c.10. & 11. docet vitam nostram non esse aliud quàm con- D tinuum cursum ad mortem. Vers.13.

ET VIRTUTIS QUIDEM NULLUM SIGNUM VALUIMUS OSTENDERE. Non *valuimus*, quia non voluimus: voluntatem enim nostram ita occupavimus voluptatibus, ut virtuti vacare non vellet, nec valeret: vires enim ejus omnes exhausimus in gustu sensuque voluptatum: quare plenæ & perfectæ virtutis, præsertim eminentis & heroicæ, ac in primis gratiæ & charitatis divinæ, nullum actum edere potuimus; etsi virtutis humanæ, ut eleemosynæ, aliquos actus ediderimus: sed IN MALIGNITATE (græcè, ἐν κακίᾳ, id est in malitia) NOSTRA, hoc est Primò, propter malignitatem nostram; Secundò, nostromet vitio in interitum corruimus. Tertiò, cum omni astutia & prudentia nostra nescivimus consulere nobilmetipsis; sed CONSUMPTI SUMUS] græcè κατεδαπανήθημεν, id est sumptu & impensa exhausti sumus. q.d. Omnem sumptum, omnem expensam, omne pretium, omne impendium, tum temporis, tum opum, tum sanitatis, tum virium sive corporis, sive animæ, impendimus & expendimus in nostras malas & pravas volupta-

luptates: quare in iis quoad omnia exhausti & consumpti A sumus: ò nos dementes! Si enim hæc in Dei obsequium uti debebamus impendissemus, non fuissemus consumpti, sed in vita, gratia & gloria consummati. Iam autem opes, famam, corpus, animam, omniaque nostra impendimus, fecimusque pretia nostri exitii: iis enim quasi pretio carissimo emimus & comparavimus nobis tormenta gehennæ. ò stoliditatem, ò vesaniam nostram, æternis ardentibusque lacrymis deplorandam?

VERS. 14. TALIA DIXERUNT IN INFERNO HI, QUI PECCAVERUNT] Hæc verba non extant in Græco, sed subintelliguntur. Ex dictis enim liquet huc usque locutos esse impios. Per *infernum* accipe, non gehennam, sed locum inferiorem in valle Josaphat, in quem coniiciendi sunt impii velut rei in die judicii, ut excipiant sententiam damnationis à Christo, indeque deturbentur in infernum gehennæ. Hæc enim impiorum cum piis disceptatio instituenda est in die judicii, non in gehenna, ut patet ex dictis; licèt eorum comploratio duratura sit in gehenna per omnem æternitatem. Ita Dionys. & noster à Castro. Unde Secundò, infernus hìc accipi potest B pro gehenna, ut impii in die judicii damnandi, dicantur esse in inferno, quia adiudicati inferno mox in infernum ibunt, ut jam alterum pedem habere videantur in inferno, etsi reipsa in eo necdum sint, nec ejus tormenta sentiant, unde nec eorum meminerint: sed ubi in eo illa senserint, continuabunt, & mille ejulatibus augebunt sua hæc lamenta. Sicut ergo reus ob scelera suspendendus concionatur è patibulo, ut suo exemplo ceteros à furtis & sceleribus absterreat: sic hic concionantur impii ex inferno, ac sua comploratione omnibus inclamant illud Virgil. 6. Æneid.

Discite justitiam moniti, & non temnere divos.

VERS. 15. QUONIAM SPES IMPII TAMQUAM LANUGO EST, QUÆ A VENTO TOLLITUR; ET TAMQUAM SPUMA GRACILIS, QUÆ A PROCELLA DISPERGITUR: ET TAMQUAM FUMUS, QUI A VENTO DIFFUSUS EST: ET TAMQUAM MEMORIA HOSPITIS UNIUS DIEI PRÆTEREUNTIS] Confirmat Sapiens dicta impiorum, quòd scilicet voluptates transeant illico instar umbræ, nuncii, navis, avis & C sagittæ, aliis quatuor similitudinibus, scilicet lanuginis, spumæ, fumi & hospitis. Legit Noster χνοῦς, id est lanugo, jam legunt χοῦς, id est pulvis. Lanugo est mollis lana; item primi genarum barbæque pili; item plumæ, pappi, villi, qui lanæ habent similitudinem. Unde Plinius lib. 25. c. 13. Senecio herba dicitur, quasi senis lanugine, inquit, & canis pilis vestita, eò quòd in pappos abeat, & lanuginem cardnorum floribus similem habeat: sic villi & flocci arborum, herbarum & plantarum vocantur earum lanugo, quæ per aerem volitat, & vento levissimo impellitur, præsertim in autumno, cùm à tenui aura difflatur. Spuma fit ex fluctibus maris vel fluminis inter se collisis, cui simile est illud, *homo bulla*: unde notat hominem opibus, viribus, scientia, honore inflatum & turgidum, cujus inflatio & fastus instar spumæ levi adversitatis procella dissipatur. Fumus ex igne assurgit, notatque ambitionem vel iræ impetum, qui instar fumi quo altiùs attollitur, eo citiùs evanescit, juxta illud: *Dejecisti eos dum allevarentur*, psal. 72. 18 Et: *Deficientes quemadmodum fumus deficient*, psal. 36. 20. *Memoria hospitis diei unius prætereuntis* cum ipsa die desi- D nit: sic & vita nostra cum ipsis ejus diebus, adeoque ultimo ejus die desinit. Hospites ergo hic sumus, peregrini & advenæ unius diei, sicut & omnes patres nostri.

Novem emblemata brevitatis vitæ.

Simili modo & schemate Patres voluptates vitæ hujus comparant ventis, mari, procellis, somniis ob similem inconstantiam & fugacitatem. Audi Gregorium Nazianz. orat. de Pauperibus amandis: *Nihil est in rebus humanis natura stabile, nihil æquabile, nihil sufficiens, nihil in eodem statu permanens: sed omnia quadam veluti rota circumvolvuntur, diversas sæpè diebus singulis, etiam horis, vicissitudines afferentes: ut instabilibus ventis, & navigii mare secantis vestigiis, & fallacibus noctis insomniis, quorum brevis est gratia, & his quæ per ludum in arena fingunt pueri, magis fidendum sit, quàm præsenti hominum prosperitati. Quare prudenter faciunt, qui propterea quòd non fidunt rebus præsentibus, rationibus suis consulunt in futurum: & propter instabilem humanæ felicitatis conditionem, benignitatem & misericordiam, quæ nunquam deficit, complectuntur.*

Audi Nazianzeno per familiarem S. Basilium in princ. A Proverb. *Sicut mare in eodem statu consistere non diu potest; sed quod vides tranquillum paulò pòst ventorum impetu turbatum aspicies; quodque horridum & undis fervens ac tumidum, mox multa quiete consistere videbis: sic humanæ res facile utrimque convertuntur.*

Audi & Origen. hom. 5. in psal. 36. *Si naviges, in navi positus vides terras, ac promontoria, ac montes transeuntia: non quòd illa continuo moveantur, sed quia tu vento prosperè flante transis, illa se subducere videntur ac ferri: ita & in hoc sæculo, si sancto Spiritu mentem tuam perflante & spirante, secundo ac prospero naviges cursu, pertransibis sensu tuo omnia hæc quæ videntur, quia temporalia sunt, & intueris illa quæ æterna sunt, sine dubio dices: Quia hæc omnia, quæ videntur, jam non sunt, quia nec futura sunt.*

JUSTI AUTEM IN PERPETUUM VIVENT, ET APUD DOMINUM (græcè, *in Domino*, id est apud Dominum, vel propriè q. d. In Domini Dei visione & possessione, sita est beatitudo justorum) EST MERCES EORUM, ET COGITATIO ILLORUM APUD ALTISSIMUM] Redit ad antithesin, docetque quàm justorum B sors felix antecellat sorti infelici impiorum. Justi ergo in perpetuum vivent vitam felicem & beatam: impii verò esto victuri sint in gehenna, tamen quia vivent in perpetuis cruciatibus, hinc vita eorum potiùs mors dicenda est, quàm vita. *Apud Dominum est merces eorum*, scilicet eorum labori & patientiæ decreta & reposita, ut illam eis post mortem tribuat. Rursum *apud Dominum*, q. d. Non homo, sed Deus hanc mercedem tribuet, qui cùm sit liberalissimus & magnificentissimus, dignam se mercedem justis largietur, putà divinam, cælestem, immensam, perpetuam, imò seipsum, juxta illud Dei ad Abraham: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*, Genes. 15. 1. VERS. 16.

Vox *merces* arguit justos bonis operibus mereri gloriã æternam. Merces enim correlativa est meriti. Merces enim meriti est merces, & vicissim meritum mercedis est meritum. Huc facit illud Christi Apocalyp. 22. 12. *Merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.*

ET COGITATIO ILLORUM APUD ALTISSIMUM] Græcè, φροντὶς, id est cogitatio, cura, tam activè, quàm passivè accipi potest. Activè, q. d. Deus est mer- C ces justorum, quia ipsi omnes suas cogitationes & curas dirigunt ad Deum: non enim aliud cogitant, quàm qua ratione ei magis placere queant, eumque magis ament & colant. Rursum justi non cogitant, nec curant, aut sunt solliciti de seipsis, sed omnem suam sollicitudinem proiiciunt in Deum, ut ait S. Petrus; Sciunt enim se Deo esse curæ, dicuntque cum Psalte: *Dominus regit me* (Hebr. *Dominus pastor meus*, qui me quasi ovem suam pascit & regit) & (idcirco) *nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit*, psal. 22. 1. Ita S. Bonav. Hugo, Dionys. & Holcot.

Passivè, q. d. *Cogitatio illorum*, scilicet justorum, id est sollicitudo & cura de justis, est apud Altissimũ, non enim rex, non Pontifex, sed ipse Deus curat res justorum, cogitatque quomodo eos gratia & gloria exornet, ac contra omnes hostes omniaque mala tueatur & protegat, atque mercedẽ laboribus & afflictionibus eorum tribuat condignam, imò supereminentem. Ita Cantacuzen. Osorius, Lyranus & alii. Hic sensus magis respondet ei quod præcessit: *Et apud Dominum est merces eorum*. Uterque tamen connexus est; ideo enim Deus cogitat de justis, eosque cu- D rat, quia justi omnes suas cogitationes, spes & curas à se abdicarunt, easque coniecerunt in Deum, juxta illud Christi ad S. Catharinam Senensem. *Filia assiduè cogita de me, & ego cogitabo de te.* Notat securitatem, & perpetuitatem mercedis justorum, quòd Deus ejus in se cogitationem & curam susceperit, juxta illud Christi: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*, Ioan. 10. 27. Mercedem hanc explicat dum subdit: *Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini:* Cogitationem verò sive curam Altissimi de eis explicat, dum addit: *Quoniam dextera sua teget eos.*

Tropol. noster Alvarez de Paz tract. de natura contempl. lib. 5. p. 2. c. 3. hæc adaptat viris perfectis & contemplativis. Alii enim imperfecti, cùm operibus interdum infructuosis intendant, partim moraliter moriuntur, & partim vivunt. His autem, qui vitam perfectam & in Deo suspensam habent, & omnia quæ agunt ad illum dirigunt, bene dicitur, quòd semper vivunt. *Apud Dominum est*

merces

merces eorum: quia pro suis laboribus nihil ex mundo A quærunt. *Et cogitatio illorum apud Altissimum:* quoniam ex illa simplicissima & purissima inspectione Dei, ita divinis merguntur, ut diebus & noctibus aliud, quam Deum cogitare non libeat.

Vers.17. IDEO ACCIPIENT REGNUM DECORIS (Vatabl. *regnum præclarum*) ET DIADEMA SPECIEI (græcè, κάλλους, id est *pulchritudinis:* quare perperam aliqui legunt *spei* pro *speciei*) DE MANU DOMINI QUONIAM DEXTERA SUA TEGET EOS, ET BRACHIO SANCTO SUO DEFENDET ILLOS] Syrus, *propterea recipient regnum gloriosum, & coronam pulchritudinum de manu Domini;* Arabicus, *propterea accingentur regno decoris de manu Dei, & corona pulchritudinis gloriæ.* q. d. Quia merces justorum est apud Dominum; hinc ab eo accipient *regnum*, non tale quale, sed *decoris*, id est decentissimum, opulentissimum & ornatissimum; *& diadema speciei*, id est speciosissimum, pulcherrimum, elegantissimum. *Diadema* est redimiculum regium & regum insigne, putà fascia candida, qua reges caput circumligabant, cui Romani addebant lauream. id est coronam con- B textam ex foliis lauri: utriusque loco posteà labente Imperio Romano, & Constantinopolitano florente, successit corona textilis ex auro & gemmis, qua reges & Imperatores caput redimire solebant, teste Curopalata lib. de Officialibus. *Diadema* est Græca vox, dicta à διαδέω, id est circumligo, cingo, corono. Hæc fascia, laurea & corona aurea non erit Beatis in cælo, sed aliud eis dabitur regni insigne longè nobilius. Igitur *diadema* notat, justos fore reges in cælis; quia scilicet regnum Christi cæleste, omnemque ejus gloriam obtinebunt velut victores mundi, carnis & diaboli. Diadema enim insigne est, tum regis, tum victoris. Beati autem & victores & reges sunt gloriosissimi dominantur enim toti cælo, totique terræ. *Diadema* ergo hic gloriam regalem capitis, totiusque corporis & animæ Sanctorum significat. Alludit ad Isaiæ 62. 3. *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei.* Vide ibi dicta, & Apocal. 2. v. 10. & c. 4. v. 10. & cap. 5. v. 10.

Regnum cæli felicissimum. Porrò regnum hoc & gloriam Beatorum graphice describit S. August. serm. 1. de Verbis Apostoli: *Qualis*, inquit, *sit gloria futura, & quibus divitiis floreat, laudare possumus, explicare non possumus, quia legimus: Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Dominus diligentibus se. Quis est igitur ipse Deus, qui talia & tanta præparavit? quid nisi inæstimabilis, ineffabilis, incomprehensibilis ultra omnia, extra omnia, præter omnia. Si quæras magnitudinem, major est; si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem, dulcior; si splendorem, fulgidior, si justitiam, justior; si fortitudinem, fortior; si pietatem clementior:* In cælo ergo, ut ait Isaias c. 60. 19. *erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Et ut ait Psaltes psal. 144. 11. *Gloriam regni tui dicent*, &c. *& gloriam magnificentiæ regni tui.* Et psal. 20. 4. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Huc facit illud Cant. c. 3. 11. *In diademate, quo coronavit eum mater sua.* Et Cant. 4. 8. *Veni, coronaberis.* Beati ergo possident regnum decoris & specie, hoc est pulcherrimum, opulentissimum, splendidissimum, quietissimum, felicissimum; cùm reges in

Terra miserrimum. terra regnum possideant molestissimum, miserrimum, infelicissimum, in quo continuis curis, molestiis, periculis torquentur & æstuant. Unde Antigonus rex cernens filium ob regnum insolentẽ, *An non*, inquit, *novisti fili, nostrum regnum esse nobilem servitutem?*

Exẽpla. Testis est Ælianus lib. 2. Variar. histor. Simile fuit dictum Cardinalis Bellarmini: *Nescitis*, inquit, *quanta sub hac purpura lateant spinæ.* Quocirca Antiochus magnus cùm à L. Scipione ultra Taurum montem submotis imperii finibus, Asiam vicinasque ei gentes amisisset, *gratias egit populo Romano, quod magna parte curarum per eos liberatus esset.* Quàm ergo desipiunt, qui regnandi jus semper extendere satagunt; quid enim aliud, nisi curas intolerabiles menti, & pericula immensa conscientiæ accersunt? nec enim unius hominis animus, esto vigilantissimus, tot negotiis par esse potest. Adrianus ajebat, *miseram esse Imperatorum conditionem, quibus de affectu tyrannidis, nisi occisis, non credatur.* Ita Volcatius in Avidio. Otho Imp. dicere solebat ad suos: *Nescitis amici, quid sit Romanorum gubernare imperium, mihi credite jam experto qui jam mori malo quàm imperare.* Saturninus hortantibus militibus, ut imperium susciperet, ait: *Nescitis ò milites, quantum mali sit imperare: gladii appendentes cervicibus immineant, hastæ undique, spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur, non cibus pro voluntate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio.* Ita Annal. Imper. Denique diuturniora videmus parva imperia & regna, quam magna: hæc enim mole sua ruunt, seque obruunt. Unde Paulus Paruta in Discurs. Politicis causam cur respubl. Veneta tamdiu steterit, assignat, quòd ditioni suæ conservandæ magis studuerit, quàm ampliandæ.

QUONIAM DEXTERA SUA TEGET EOS, ET BRACHIO SANCTO SUO DEFENDET ILLOS] *Τὸ sancto suo* jam non est in Græco. Vox *quoniam* est causalis: dat enim causam. Primò, cur regnum justis dandum à Deo sit decorum & speciosum, quia scilicet Deus eos ad dexteram suam in die judicii collocans, eos teget, ne quis hostis, vel quod malum eis ingruere queat: imò Deus hostes eorum, putà impios, oppugnabit, omnibusque iræ suæ telis appetet & prosternet, ut sequitur, quo fiet, ut justi suo gloriæ regno sine ullo hostium vel malorum metu pacificè & jucundè perfruantur in æternum, imò de justa hostium vindicta gaudeant & exultent, juxta illud: *Lætabitur justus cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*, psal. 57. 11.

Secundo, τὸ *quoniam* pertinet ad τὸ *& cogitatio illorum apud Altissimum*, ac per effectum explicat causam. q. d. Justi omnes suas cogitationes defixerunt in Deo; hinc Deus vicissim eos in suam providentiæ cogitationem & curam recipit. Quocirca, ut curam hanc ostendat, dextera sua teget eos contra omnes hostium & adversitatum incursus, perinde ut gallina vel aquila alis suis tegit pullos, juxta illud Deuter. 32. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos* (ubi Septuag. habent idem verbum, quod hic est, scilicet σκεπάσει: *Sicut aquila*, inquiunt, *tegit nidum suum, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Et sicut columna nubis obumbrans castra Hebræorum in deserto, eos ab æstu solis omnique aeris injuria protegebat, Exodi 13. & Numer. 9.

Pro *defendet* græcè est, ὑπερασπιεῖ, id est validè, objecto C quasi clypeo defendet, proteget, propugnabit: unde subdit: *Accipiet armaturam zelus illius*, &c. *Sumet scutum inexpugnabile æquitatem:* ἀσπὶς enim est parma, scutum, clypeus. ἀσπιστὴς est bellator, scutatus: ὑπερασπιστής, qui scuto suo alium tegit & defendit, velut satelles, stipator, latero, propugnator. Sic Deus ait Abrahæ Genes. 15. 1. *Ego protector tuus sum;* græcè ἐγὼ ὑπερασπίζω σου. Et David ait Deo psal. 30. 5. *Quoniam tu es protector* græcè, ὑπερασπιστής) *meus.* & psal. 83. 10. *Protector* (græcè, ὑπερασπιστὰ) *noster aspice Deus.* Et psal. 17. 3. *Protector* (hebr. מגן *magen*, id est scutum; Sept. ὑπερασπιστής) *meus, & cornu salutis mea.* Sic passim in psalmis David Deum vocat & invocat, quasi suum *magen*, id est clypeum & scutum, ubi Septuag. semper vertunt, ὑπερασπιστής, Noster verò vertit, *Protector*, ut psal. 27. 9. & 32. 20. & 58. 12. & 113. v. 17. 18. 19. & 143. v. 2. vel juxta alios, 3. Vox ergo *defendet* bellum Dei in impios non tantum defensivum, sed & offensivum significat, ut patet ex sequent. *Defendet* ergo, id est vindicabit, sternet, acriterque puniet. Sic Nabuchodonosor *juravit quod defenderet*, id est vindicaret, *se de omnibus regionibus his*, Judith 1. 12. Sic Apo- D stolus ait: *Non nosmetipsos defendentes*, id est vindicantes, Rom. 12. 19. Vide ibi dicta.

ACCIPIET ARMATURAM ZELUS ILLIUS, ET ARMABIT CREATURAM AD ULTIONEM INIMICORUM] Declarat quomodo Deus egregiè armatus, in die judicii futurus sit justorum defensor & hyperaspistes: acri enim impiorum offensione, & justis illata ab illis injuria irritatus, ultionis armabitur zelo, omneque genus armorum induet, imo omnem creaturam ad vindictam de impiis sumendam incitabit & exstimulabit. Vers.18. Græcè est, λήψεται πανοπλίαν τὸν ζῆλον αὐτοῦ, id est, *accipiet armaturam omnem zelum suum;* Vatabl. *pro omni armatura proferet indignationem suam:* hæc enim erit illi pro omni armorum genere, eademque armabit omnes creaturas. Juxta hanc lectionem panoplia, sive omnis armatura, Dei est ipse ejus zelus, id est indignatio & cupido justè de eis vindictæ, hæc enim eadem est cum justitia, judicio certo & æquitate, in quibus omnis Dei panoplia consistit, uti sequitur: atque hæc ipsa Dei mentem & potentiam exstimulat, ut omnia tormentorum genera excogitet, easque

in im-

in impios potenter effundat, juxta illud: *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*. Proverb. 6. 34. Et: *Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi. Effunde frameam*, &c. psalm. 34. v. 2. Et, *Gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, & paravit illum*, psal. 7. 13.

Verum meliùs Noster pro ζῆλον in accusativo legit ζῆλος, id est zelus in nominativo. Nam zelus justitiæ justæque vindictæ pro piis de impiis sumendæ, non est panoplia Dei, sed Deum excitat ut panopliam induat, eaque se armet ad sumendam de impiis vindictam. Panoplia Dei enim in sequenti enarratur, cùm ait: *Induet pro thorace justitiam*, &c. q. d. Deus pro thorace ferreo, sive lorica induet justitiam, pro galea judicium certum, pro scuto æquitatem, pro lancea iram, pro arcu emissiones fulgurū, pro catapulta vibrationem grandinum. Porrò *zelus* notat summam Dei indignationem. Tres enim sunt gradus iræ, scilicet ira, furor & zelus, uti ostendi Proverb. 27. v. 4.

Panoplia Dei.

Describit hic Deum anthropopathōs, id est humano more, velut regem potentissimum omni armorum genere instructum, qui cum exercitu pergit ad ulciscendum se de hostibus, à quibus magna est affectus iniuria.

ARMABIT CREATURAM] Non ipse Deus armatus ad prælium prodibit, ait Cantacuz. id enim Deo foret indignum, si armis ad hostes profligandos indigeret: pro armis ergo utetur creaturis. Interiùs igitur, putà in mente sua, Deus induet panopliam virtutum ad vindictam extimulantium, quales sunt justitia, æquitas, judicium certum, &c. exteriùs verò omni genere creaturæ utetur, ad vindictam hanc opere exercendam.

Ratio est, quam dat S. Hieron. in c. 8. S. Matthæi: *Quod omnes creatura*, inquit, *sentiant creatorem non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed majestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illis sensibilia sunt*.

Omnis ergo res creata naturali sensu sentit suum creatorem; quare eodem ejus iniuriam vindicare exoptat, idem factura appetitu rationali, si eum haberet. Unde ad id faciendum omnes suas vires Deo permittente, imò inoperante & incitāte, in die judicii in impios expromet.

Similem panopliam Deo dat Isaias cap. 59. 17. *Indutus est*, inquit, *justitia ut lorica, & galea salutis in capite ejus: indutus est vestimentis ultionis, & opertus est quasi pallio zeli*. Pleniorem panopliam militi Christiano dat S. Paulus Ephes. 6. v. 14. & seqq. ut ea à capite ad talos obarmatus omnibus dæmonum phalangibus resistat: nimirum in capite pro galea dat ei spem; in pectore pro thorace, vel lorica, dat ei justitiam; in lumbis pro baltheo, sive cingulo dat veritatem, id est integritatem; in pedibus pro ocreis dat alacritatem ad viam Evangelii ineundam & propagandam; in dextra pro gladio dat ei verbum Dei; in sinistra pro scuto fidem assignat. Vide ibi dicta.

Tropol. sapienter S. Bernardus serm. 1. in festo omnium Sanctorum: *Anima*, inquit, *si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa superiori suo subiecta, quoniam talem inveniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui iniuriam creatoris. Et ideo noverit anima, quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minus quam oporteat superioribus potestatibus esse subiectam*.

VERS. 19. INDUET PRO THORACE JUSTITIAM, ET ACCIPIET PRO GALEA JUDICIUM CERTUM] Pro *certum* perperam aliqui legunt, *rectum*; græcè enim est ἀνυπόκριτον, id est sincerum, non fucatum, non hypocriticum, carens omni simulatione & dissimulatione, æquè ac personarum acceptione, ut nullius prece vel pretio se corrumpi sinat, nullius etiam favore, metu vel respectu à justo judicio declinet. Græca ergo habent, *induet thoracem justitiam; & circumponet galeam, judicium sincerum*. S. Chrysost. in psal. 44. legit, *induet thoracem justitiæ*; additque. *Non aliunde operationem suscipit* (Deus) *sed ipse sibi sufficit*.

Thorax Dei justitia: cur?

Thorax, sive lorica, Dei rectè ponitur *justitia*, qua Deus iniurias justis ab impiis illatas justè vindicabit, eorumque scelera pro meritis castigabit & puniet, ut sic justitiæ suus decor reddatur, Deique justitia, justaque vindicta toto orbe ab omnibus angelis & hominibus timeatur, colatur & adoretur. Ratio est, quòd lorica tegat pectus & ventrem; ibi autem est cor & viscera, in quibus est sedes compassionis & misericordiæ. Ergo ne Deus aliqua flectatur compassione, videns tam horrenda impiis supplicia irrogari, pectus, cor & viscera obarmat lorica justi-A tiæ, quæ nullum misericordiæ seorsum admittat, & nil nisi justum decerni fierique sinat. In hac vita Deus justitiam misericordia temperat; unde de eo dicitur: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis*, Habacuc 3. 2. & psal. 76. 10. *Numquid obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* In futura verò arguet impios in furore & judicio, psal. 6. 2. ibi enim erit judicium sine misericordia, Jacob. 2. v. 13.

Capiti verò congruè pro galea datur *judicium certum*, id est simplex, sincerum, integrum: quia enim facilè judicium capitis corrumpitur per munera, per favores, per amicitias, per metus, per respectus humanos; hinc ut illos excludat, obarmatur sinceritate, integritate, incorruptione, ut inferenda contra impios supplicii sententia nil respiciat, nisi demeritorum quantitatem, illique justè supplicium adæquet. *Certum* enim, teste Sipontino, dicitur à cerno, id est video, idemque est quod clarum & indubitatum, ita ut ipsa rei veritas sit manifesta, oculisque quasi cerni videatur sine ullo fuco, velo aut tegmine: quia ea, quæ cernimus, clara & indubitata sunt, nihilque habent B fictionis aut fuci. Hinc *certum* opponitur simulationi & hypocrisi, ut certus amor vocatur non simulatus; certa fides ea, quæ non est ficta; certus amicus is, qui non simulat, sed verè amicum se præstat.

Galea est judicium certum.

SUMET SCUTUM INEXPUGNABILE ÆQUITATEM] Græcè, ὁσιότητα, id est Primo, sanctitatem; Secundò, æquitatem, ius, fas; Tertiò, religionem & numinis observationem cultumque; Quartò, expiationem: Deus enim in die iudicii expiabit terram & mundum, ideoque impios, qui eam suis sceleribus contaminarunt, quasi sordes ex ea everret, eosque quasi catharmata & piacula, terra hiante absorbebit & retrudet in tartara, quasi in imam fœdamque cloacam. VERS. 20.

Sanctitas ergo, id est plena innocentia & puritas, armat hìc sinistram Dei, quasi scutum inexpugnabile, ut ea indutus à nullo possit sævitiæ vel crudelitatis in impios accusari: impii enim & damnati iaculabuntur ex desperatione & furore, quasi rabidi canes maledicta in Deum, eumq; vocabunt, crudelem, tortorem & tyrannum, quòd ipsos tam dirè excruciet: at Deus omnes has criminatio-C nes & maledicta, scuto sanctitatis excipiet & repellet: ostendet enim se non passione, sed sanctitate moveri ad hanc tam atrocem in impios vindictam; seque sanctè, æquè & religiosè agere causam singulorum: adeò ut qui recto rationis oculo vindictam hanc Dei intuentur, clarè videant illam sanctam esse, & à sanctitate sanctoque Deo proficisci. Sic Christi sanctitas in corripiendis & castigandis peccatoribus, præsertim Scribis & Pharisæis, tanta erat, ut ipse se suaque facta hostibus iudicanda offerret: *Quis*, inquit, *ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8. 46. Magnum sanè & impenetrabile est scutum, quod petitur ab innocentia & vitæ sanctitate. Minùs rectè Dionys. Carthus. per *æquitatem* accipit ἐπιείκειαν, sive moderationem, qua Deus moderatur supplicia, & citra condignum reprobos puniet: omnia enim hic spirant severitatem, iram & vindictam acrem Dei in impios.

ACUET AUTEM DURAM IRAM IN LANCEAM] Græcè, *in rhomphæam*, id est in gladium, vel in lanceam acutè ferientem, & vehementer vulnerantem. Ita ergo erit Deo loco lanceæ & gladii, qua feriat, lædat, pungat D & penetret impios usque ad ossa. *Dura ira* est dura vindicta, dura pœna à Deo immissa. In Deum enim non cadit ipsa passio iræ, sed eius effectus; scilicet vindicta. Dicitur ergo irasci Deus, cùm vindicat & punit, ait S. Augustin. idque facit ex tranquillissimo amore iustitiæ, non ex perturbatione iracundiæ. Huc usque assignavit arma defensiva Dei, scilicet loricam, galeam & scutum; iam offensiva depromit, scilicet lanceam, arcum, catapultam, &c. Pro *durant*, uti legunt Rom. alii legunt, *diram*. Utrumque significat Græcum ἀπότομον. *Dirus* dicitur, quasi *Dei ira natus*, ait Festus. Et Sipontinus: *Sunt*, inquit, *qui a Deo dirum ledu lum existiment*, hoc est crudele, infestū, & quasi deorum ira im missum. Hinc illud Livii lib. 10 *Diris tuneribus iras deorum contraxit*. Hinc & dira lues, dirus mœror, dirus furor, dira pugna. Diræ quoq, vocantur furiæ. Dira ergo Dei ira exagitabit impios, ut diris devoti, ac dirarum omnium, hoc est dæmonum, crudelibus agitationibus & execrationibus traditi esse videantur. VERS. 21.

Tropol. hæc omnia facile est adaptare iustis, generosè certantibus contra vitia amentia & iolentata, pro quibus

Deus

Deus omni armorum genere depugnat, ut eis victoriam & triumphum conciliet.

ET PUGNABIT CUM ILLO ORBIS TERRARUM CONTRA INSENSATOS] Quando *in pœnam delinquentium & elementorum adversitas militabit*, ait S. Gregor. lib. 6. Moralium c. 6. Syrus, *faciet* (Deus) *cum ipso mundo bellum cum contemptoribus*; Arabicus, *& mundus pugnabit cum illo, & lampades fulgurum ostendet adversus insensatos*. Pertinent hæc ad illud v. 18. *Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum*. Illud enim hic explicat, ostenditque omnia & singula elementa in impios insurrectura, & contra eos pugnatura; eò quòd omnibus & singulis impii sint abusi in creatoris offensam & iniuriam, ideoq; tunc pro eo militabit omnis creatura. Hanc rationē dat S. Gregor. hom. 35. in Evang *Quia ergo*, inquit, *omnia consummanda sunt, ante consummationem omnia perturbantur: & quia in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, ut impleatur quod dicitur: Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Omnia namq; quę ad usum vitę accepimus, ad usum convertimus culpę: sed cuncta, quę ad usum pravitatis infleximus, ad usum nobis vertuntur ultionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis ad usum vertimus humanæ securitatis: peregrinationem terræ pro habitatione dileximus patrię: salutem corporum redegimus in usum vitiorum: ubertatis abundantiam, non ad necessitatem carnis, sed ad perversitatem intorsimus voluptatis: ipsa serena blandimenta aeris, ad amorem nobis servire coegimus terrenæ delectationis. Iure ergo restat, ut simul nos omnia feriant, quæ simul omnia vitiis nostris male subacta serviebant, ut quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta*. Annon ergo impii fuere amentes & insensati, qui ob modicam voluptatem, pecuniam, honorem, iram vindictamque tantam Dei & creaturarum omnium sibi accersierunt? qui momentum æternitati, gehennam cœlo, dæmonem Deo prætulerunt?

Producit igitur hic Sapiens exercitum instructum multiplici acie creaturarum omnium, quem Deus in impios immittet sub diem judicii, idque partim paulò ante judicium, partim in ipso judicio, vel paulò post judicium. Ante judicium enim omnes creaturæ affligent impios Antichristi asseclas & præcursores, ut patet Apocal. toto c. 8. & c. 16. & c. 9. v. 4. ubi describuntur plagæ mundi novissimæ, eæque gravissimæ, & ex omnibus elementis manantes.

In judicio verò, scilicet mox ubi illud peractum fuerit (de hoc enim tempore hic agi patet ex v. 1. & ex proximè præced. v. 16. & 17. Non enim impii visuri sunt gloriam justorum, illisque eam invisuri, nisi in die judicii) Deus in impios per omnes creaturas horrendè detonabit. Data ergo à Christo damnationis sententia in reprobos, illico, ut ex hoc loco colligitur, omnia elementa & cæli in eorum vindictam assurgent, quasi lictores & administri Christi Domini & creatoris sui, nimirum cæli, ignis & aer, vibrando in eos ignem, fulgura, ventos & grandines: mare, effervescendo & exundando, ut eos cum terra obruat: terra, sub pedibus eorum se aperiendo, & hiando in infernum. Porrò exercitum hunc creaturarum depugnantium contra impios, Sapiens dividit in quatuor turmas, sive acies. Prima est cælorum & angelorum, qui fulmina torquebunt in reprobos. Secunda est aeris, qui grandines instar lapidum vibrabit in impios. Tertia maris & fluminum, quę aquarum diluvio mergent obruentque sceleratos. Quarta terræ, quæ ventos, turbines & procellas in eosdem immittet.

Quatuor acies Dei.

Rationem à priori dat S. Anselm. l. de Similit. c. 101. *Etenim si servus*, inquit, *alicujus à domino suo recederet, & inimico domini sui adhæreret, non solum ipsum dominum exacerbaret, sed & totam ejus familiam justissimè irritaret. Cùm igitur Dominum creatorem cunctorum offenderimus, adversum nos omnem creaturam, quantum spectat ad meritum nostrum, in iram commovimus. Potest ergo justa consideratione nobis terra dicere: Non debeo vos sustinere, sed potiùs absorbere; quoniam à creatore meo non timuistis peccando recedere, & inimico ejus diabolo servire & adhærere. Potest etiam cibus dicere & potus: Non meruistis, ut vos pascere debeamus, imò potius, ut confusionem & necem vobis præparemus: ab illo enim peccando recessistis, per quem nec alec esuriit. Sol quoque: Vobis ad salutem non debeo lucere, sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis, & fons luminis, penitus coercere. Sic & singula quoque creatura contra nos possunt surgere irrefragabili ratione*. Aliam dat S. Cyrill. l. 2. in Isaiam cap. 13. *Semper, ait, irato Deo, simul etiam ad iram excitatur serva creatura, perpetuò eam huc excitante eo qui omnibus imperat. Succensuit enim ille Ægyptiis: creatura autem nihil agere non potuit. Transiit quippe in sanguinē aqua, scaturivit terra ranas, cælum demisit grandinem, profundæ tenebræ trium dierum spatio per totam eorum regionē dissipatæ sunt, sicut scriptum est. Itaque inquit: Irascetur etiam ipsum cælum, & velut à fundamentis terra concutietur propter furorem iræ Domini. Pugnabit etiam una adversus stultos ipsa creatura, & commoto Domino, etiam ipsa ad hoc propemodum instructa est. Omnia siquidem cum suprema voluntate conspirant atque concurrunt, & nihil est in rerum natura, quod non divino nutu & consilio cedat.*

Creatura exprobrant impiis sua scelera.

Sic in passione Christi cęli & elementa, quasi indignantia creatorem suum occidi, commota & concussa sunt; ac, nisi Deus illa continuisset, suis telis & fulminibus afflassent deicidas Judæos. Unde S. Dionys. uti ipse refert epist. ad Demophil. visa miraculosa solis eclipsi, exclamavit: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur.*

Sic rursum Deus per Mosen decem plagas Pharaoni & Ægypto immittendo, in eis omnem creaturam contra Ægyptios armavit. Unde S. August. (vel quisquis est auctor. multa enim arguunt non esse sancti Augustini) lib. 1. de Mirab. Script. c. 9. *Istarum*, ait, *plagarum modus ex terra, aquis, animantibus, aere, igne, nubibus, cælo, angelis convenerat, ut ostenderetur, quod contra Deo rebelles & contumaces sese pariter universus orbis armabat.*

IBUNT DIRECTE EMISSIONES FULGURUM, ET TAMQUAM A BENE (perperam Hugo legit, *habena*, explicatque. q. d. Tamquam si habenis regerentur) CURVATO ARCU NUBIUM EXTERMINABUNTUR, ET AD CERTUM LOCUM INSILIENT] Græcè *ferentur directa*. Vatabl. *probè collimata*) *jacula fulminum, & tamquam ab intensissimo arcu nubium ad scopū desilient. Directa*, inquit à Castro, vocat directè contorta & collimata: quæ non aberrent. *Jacula*, βολίδες, hastæ sunt missiles, vel jacula missilia, quæ quòd emittantur à Deo, Vulgatus vocavit *emissiones*. Intensissimum arcum, vocat adductum & vehementer inflexum, ut remissus postea majore torqueat & feriat vi. Hujusmodi ergo jacula desilient in insensatos, ut perdant eos, tamquam in scopum, nec aberrabunt. Addidit Vulgatus, *exterminabuntur*, nempe jacula, cùm verbum illud non legatur in Græco, ad vim significandam jaculorum, quæ extra nubium terminos eiicientur ex arcu nubium contra impios. VERS. 22.

BENE CURVATO ARCU] q. d. Sicut dum sagittarius arcum profundè incurvat, ut magno impetu ad suū statum rediens, magna vi jaciat sagittam, fortiusque scopum configat: sic Deus arcum iræ & vindictæ suæ vehementer curvabit & intendet, ut vehementes fulgurum sagittas in impios ejaculetur. Alludit ad arcum cælestem, sive iridem: hæc enim pluviarum, & comitanter tonitruorum fulminumque, est mater & causa, Unde Seneca lib. 1. Natur. quæst. cap. 6. *Arcus*, inquit, *a meridie ortus, magnam vim aquarum vehit; si circa occasum refulsit, rorabit*. Plinius lib. 18. cap. 35. *Arcus, ait, cùm sunt duplices, pluvias annuciāt*. Virg. 1. Georg. *Aut bibit ingens arcus*. Ovid. 1. Met.

Nuncia Junonis varios induta colores,
Concipit iris aquas, alimentaque nubibus affert.

Porrò Plinius lib. 2. c. 50. & 55. ait quædam esse bruta fulmina & vana quæque nulla veniant ratione naturæ, iis percuti montes, iis maria, omnesque irritos jactus. Alia esse fatidica, ex alto statisque de causis, & ex suis venire sideribus. Hæc tamen partitio superstitionem magis, quam philosophiam olet. Omnia enim fulmina causam habent physicam, & tam ea quæ montes, quàm quę cetera loca homines ve percutiunt, ad influxum siderum exhalationes evocantium, ut ad causam referri debent: ac nullum ex iis fatidicum est, si fatum sumatur prout significat contextum & seriem rerum humanarum, indeflexa & inevitabili necessitate succedentium, velut Stoici putabant: alioqui certum est fulmina prodire ex certa & directa, ut hic ait Sapiens, providentia Dei, vide nostros Conimbric. in Meteora tract. 2. cap. 5. & 6.

Hæc est prima acies & phalanx exercitus Dei, conflati ex omnibus creaturis. Acies, inquam, cælorum & angelorum, qui ex alto tonitrua & fulmina, quasi bombardas horrisonas & igneas explodent & jaculabuntur in impios & reprobos ante diem, & in ipso die judicii, quibus eos à

Chri-

Christo damnatos adigent in tartara, perinde ac iisdem A fulminarunt Sodomitas, Genes. 19. Hæc ergo erit legio fulminatrix, similis illi Christianorum, quæ sub M. Antonino Imperat. suis precibus exercitui siti afflicto pluviam, ac simul saxa & fulmina vibrata in hostes à Deo impetravit, teste Eusebio lib. 5. Histor. cap. 5. & Tertull. Apolog. cap. 5.

Hanc Dei aciem graphicè depingit Psaltes psalm. 17. 9. *Ascēdit*, inquit, *fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* Et v. 14. *Et intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grando, & carbones ignis: & misit sagittas suas, & dissipavit eos: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* Et Job cap. 37. 5. *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia.* Noster Lorinus probabiliter censet hisce fulminibus excitandum ignem conflagrationis, quo deflagrabit totus mundus, qui reprobos tum viventes magno cruciatu & dolore comburet, occidetque, ac mox resuscitatos ac judicatos, damnatosque à Christo convolvet in tartara. Porrò mira & inscrutabilis est fulminum velocitas, impetus, efficacia, adeò ut Gentiles censuerint Deum iratum to-B nare ac fulminare, ut impios, præsertim perjuros vel sacrilegos, ulciscatur, ac proinde, quæ fulmine tangerentur, esse nefasta ac mali ominis, teste Plinio lib. 14. c. 19. Livio l. 2. decade 3. Julio Obsequente lib. de prodigiis c. 71. 83. 87. Sic Anastasius Imper. hæreticus fulmine ictus interiit. Hinc fulgura vocantur *sagittæ* Dei, psalm. 7. 14. & 17. 15. & 119. 4. ac fulgurans hasta Dei, Habacuc 3. 11. Huc facit illud in epinicio Deboræ ob victoriam de Sisara: *De cælo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt*, Judic. 5. 20.

ET AD CERTUM LOCUM INSILIENT] quem scilicet Deus ictui sui fulminis destinarit. Hinc fulmen, quasi animatum foret, & unum ab alio discerneret, hunc tangit, non illum, licèt vicinum; ensem afflat illæsa vagina; æs liquat intacta crumena; embryonem necat salva matre; vinum absumit dolio integro; ovum sorbet intacto cortice. Sic fulmina & plagæ immissæ à Mose tangebant Pharaonem & Ægyptios, illæsis Hebræis, Exodi 9. 26. Sic in die judicii fulmina Dei insilient in reprobos, non in electos, licèt eis vicinos. Hanc plagam sub finem mundi C fore docet S. Joannes Apocal. 16. 17. *Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, & exivit vox magna de templo à throno, dicens: Factum est. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus factus est magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram: talis terræ motus, sic magnus. Et facta est civitas magna in tres partes: & civitates Gentium ceciderunt. & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi.*

VERS. 23. ET A PETROSA IRA PLENÆ MITTENTUR GRANDINES] Græcè, ἐκ πετροβόλου θυμοῦ πλήρεις ῥιφήσονται χάλαζαι, id est, ab ira petrarum, sive saxorum, jaculatrice, putà ab ira Dei petras jaciente, plenæ grandines vibrabuntur, id est densæ, confertæ, graves, ponderosæ, non cavæ, vacuæ & leves, ut fit cùm in grandinatione depluunt saxa. Unde Vatabl. vertit, *grandinesque confertim & furore lapidante vibrabuntur.* Alludit ad balistas & catapultas, quibus olim saxa in mœnia urbis vel in hostes vibrabant, de quibus vide Vegetium, Valtrinum & Lipsium in D Polioreeticis.

Secunda est hæc Dei acies aerea, quæ grandines numerosas & ingentes, velut petras & saxa, torquebit in reprobos, sicut easdem contorsit in Ægyptios, Exodi 9. v. 18. & seqq. & in Chananæos sub Josue c. 10. 11. & Eccli. 46. 6. Unde S. Joannes Apoc. 16. 21. hanc grandinem sub finem mundi à Deo jaculandam in impios, ita describit: *Et grando magna sicut talentum* (talentaeis) *descendit de cælo in homines: & blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer.* Vide ibi dicta. Hoc est, quod ait Job c. 38. 22. *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti; quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?*

EXCANDESCET IN ILLOS AQUA MARIS, ET FLUMINA CONCURRENT DURITER] Perperam aliqui legunt *candescet*, expliacantque. q.d. Candidam spumam ejiciet, vel stridebit instar candentis ferri. Τὸ *excandescet* significat, quòd magno æstu, impetu & furore mare in impios æstuabit, perstrepet & exundabit.

Tertia est hæc Dei acies marina, quę horrendas in mari & fluminibus tempestates, fluctuum collisiones, fragores aquarum, elationes, procellas, fremitus & inundationes excitabit, tum ut impios percellat, tum ut eos mergat & sorbeat, de quibus Christus ait Lucæ 21. 25. quòd erit *in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ supervenient universo orbi.* Et S. Joannes in Apocal. c. 8. 8. *Et secundus angelus*, inquit, *tuba cecinit: et tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis, & mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars navium interiit. Et tertius angelus tuba cecinit: et cecidit de cælo stella magna, ardens tamquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum: & nomen stellæ dicitur Absinthium, & facta est tertia pars aquarum in absinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.* Et cap. 16. v. 3. *Et secundus angelus effudit phialā suam in mare; & factus est sanguis, tamquam mortui, & omnis anima vivens mortua est in mari.* Et v. 12. *Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem: & siccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu solis.* Inter quindecim signa prævia judicio, quæ ex S. Hieron. (sed in eo id non reperitur) recitant S. Bonav. Holcot & alii, primū est, quòd mare quindecim cubitis supra omnes montes se attollet. Idem ex Judæorū traditione (penes quos sit fides) confirmat Euseb. Emissenus (vel potiùs S. Eucherius, ut vult Baronius, aut Faustus Regiensis, ut vult Bellarm. aut, ut censent alii, S. Maximus, vel Cæsarius: constat enim ex ipsis homiliis auctorem earum non fuisse Græcū, vel Syrum, qualis fuit Eusebius Emiss. seu Latinum, imò Gallum è monasterio Lirinensi promotum ad Episcopatum) hom. 2. de Adventu: *His autem*, inquit, *convenire videntur quædam, quæ in Annalibus Judæorum scripta referuntur; in quibus mare super omnes montes quindecim cubitis altiùs exaltari narratur, stantibus aquis, et in nullam partem fluentibus. Et deinde tantum in abyssum demergetur, ut vix ab inspicientibus videri valeat. Postmodum verò revertetur in locum suum, & tunc fortasse illa confusio sonitus maris & fluctuum fiet, de qua hic modo loquitur. Neque enim tanta maris fluctuumque commotio, sine magna confusione & sonitu fieri poterit.*

Congruè fervor hic furorque maris puniet fervorem & furorem impiorum, quo ipsi æstuarunt ad explendas suas concupiscentias & libidines, juxta illud Isaiæ 57. 20. *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.*

FLUMINA CONCURRENT (græcè, συγκλύσουσιν, id est inundabunt, mergent, obruent: unde κατακλυσις & κατακλυσμὸς, est inundatio & diluvium, uti fuit cataclysmus universalis tempore Noe) DURITER] Græcè, ἀποτόμως, id est rigidè, sævè, præfractè, præcipitanter. Unde Vatabl. vertit, *& flumina prærupta concurrent*, scilicet sordes terræ, putà impios, qui terram suis sceleribus macularunt, everrent & abradent ab ea.

CONTRA ILLOS STABIT SPIRITUS VIRTUTIS, ET TAMQUAM TURBO VENTI DIVIDET ILLOS: ET AD EREMUM PERDUCET OMNEM TERRAM INIQUITAS (ita Rom. & Græca: perperam ergo aliqui legunt, *iniquitatis*) ILLORUM, ET MALIGNITAS EVERTET SEDES POTENTIUM] VERS. 24.
Spiritus virtutis est ventus potentiæ, hoc est, potens, validus & vehemens, qualis est turbo, qui omnia in orbem agit & rotat, procella, typho & prester: qui adeò validi sunt, ut naves, domos & montes evellant, & in alium locum transferant. Pro *dividet* græcè est, ἐκλικμήσει, id est eventilabit, jactabit. Sicut enim vanno eventilantur paleæ, ut sola maneant tritici grana: sic Deus vento hoc eventilabit reprobos, ut soli remaneant justi.

Pro *ad eremum deducet*, græcè est, ἐρημώσει, id est desolabit, desertam & desolatam faciet terram. De his ventis ait Eccles. c. 39. 33. *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua.*

Est hæc quarta acies Dei, ventorum & procellarum, tum super terram, tum sub terra grassantium: super terram enim sternent homines, segetes, arbores, domos, &c. sub terra excitabunt terræ motus, adeoque, ut nonnulli censent, totam terram in die judicii è suo centro convellent, ut impios percellant & obruant. Notum est ex historiis, quantas strages terræ motus ediderint Constantinopoli,

poli, in Asia, Bithynia, ceterisque provinciis: at iidem A longè majores edent sub diem judicii, adeò ut omnes domos, arces, mœnia, urbes, &c. concutiant, deiiciant & sternant, ut totam terram videantur desolare, & in eremum sive solitudinem redigere, juxta illud Nahum 13. *Dominus in tempestate & turbine via ejus.* Et Jerem. 23. 18. *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet.* Omnes hosce turbines & procellas procurabunt angeli: hi enim sunt administri divinæ providentiæ & vindictæ.

Ad eremum, id est ad extremam solitudinem & desolationem, PERDUCET OMNEM TERRAM] Hoc enim est ἐρημώσει, juxta illud Isaiæ 13. 9. *Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea.* Quare impertinens est multorum expositio, qui per *eremum* intelligunt infernum. q. d. Iniquitas terram, id est incolas terræ, perducet ad infernum, ubi summa erit desolatio.

Et malignitas, id est peccatum, non tantùm factum ex malitia, ut vult Holcot, sed quodlibet: græcè enim est κακοπραγία, id est mala operatio, peccatum, scelus, malitia, ut vertit Vatabl. præsertim fraus & dolus EVERTET SEDES POTENTIUM] putà palatia, arces, regias, urbes splendidas & magnificas regum & principum. Est epiphonema. q. d. Peccatum est noxa & pernicies hominum, totiusque orbis: ipsum enim evertet in die judicii omnes terræ arces & urbes, quia propter peccatum omnia hæc diruent angeli.

Portò urbis cujusque & regni, æquè ac orbis, ruina & excidium, à Deo fieri solet ob duo maximè peccata, scilicet injustitiæ, & religionis violatæ, præsertim per dolum & hypocrisin. Ob utrumque mundus periit diluvio tempore Noe, ac peribit igne sub diem judicii.

Huc facit, quod scribit Eusebius Emissen. hom. 2. de Adventu: *Terra quoque sua signa dabit, quia terra motus tam magni fient, ut pene omnia manufacta ruant, omnesque lapides etiam parvi conscindantur. Et feræ de montibus descendentes inter homines manebunt, nullique nocebunt. Ipsi quoque homines, quasi amentes, & præ timore arescentes, huc illuc discurrentes tabescent: & his quidem Evangelii verba convenire videntur, quibus Dominus ait: Arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ supervenient universo orbi.*

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Reges & principes sui officii seriò admonet quòd, si malè illud obeant, à Deo judicandi & graviter plectendi sint: potentes enim potenter tormenta patientur. Unde v. 10. adhortatur eos ad studium sapientiæ legisque Dei, cujus proinde v. 19. elogia, dotes, effectus (ac præsertim pulchritudinem & comitatem, qua omnes sui cupidos præoccupat, sesèque prior iis offert) recenset, quòd scilicet præstet incorruptionem, proximum Deo efficiat, & deducat ad regnum perpetuum.

1. Melior est sapientia quàm vires: & vir prudens quàm fortis. 2. Audite ergo reges, & intelligite, di-
scite judices finium terræ. 3. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in
turbis nationum; 4. quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit ope-
ra vestra, & cogitationes scrutabitur: 5. quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis,
nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. 6. Horrendè & citò apparebit
vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. 7. Exiguo enim conceditur misericordia:
potentes autem potenter tormenta patientur. 8. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec ve-
rebitur magnitudinem cujusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de om-
nibus. 9. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. 10. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, ut disca-
tis sapientiam, & non excidatis. 11. Qui enim custodierint justa, justè justificabuntur: & qui didicerint
ista, invenient quid respondeant. 12. Concupiscite ergo sermones meos: diligite illos, & habebitis disci-
plinam. 13. Clara est, & quæ numquam marcescit sapientia, & facilè videtur ab his qui diligunt eam, &
invenitur ab his qui quærunt illam. 14. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. 15. Qui
de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet. 16. Cogitare ergo
de illa, sensus est consummatus: & qui vigilaverit propter illam, citò securus erit. 17. Quoniam dignos se
ipsa circuit quærens, & in viis ostendit se illis hilariter, & in omni providentia occurrit illis. 18. Initium
enim illius, verissima est disciplinæ concupiscentia. 19. Cura ergo disciplinæ, dilectio est: & dilectio,
custodia legum illius est: custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est: 20. incorruptio au-
tem facit esse proximum Deo. 21. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. 22. Si
ergo delectamini sedibus & sceptris, ò reges populi, diligite sapientiam ut in perpetuum regnetis. 23. dili-
gite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis. 24. quid est autem sapientia, & quemadmodum facta sit
referam: & non abscondam à vobis sacramenta Dei, sed ab initio nativitatis investigabo, & ponam in lucem
scientiam illius, & non præteribo veritatem: 25. neque cum invidia tabescente iter habebo: quoniam ta-
lis homo non erit particeps sapientiæ. 26. Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum: & rex
sapiens stabilimentum populi est. 27. Ergo accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis.

Vers. 1. MELIOR EST SAPIENTIA, QUAM VIRES: ET VIR PRUDENS, QUAM FORTIS] Hæc gnome jam deest in Græco. Ipsa autem initio capitis ponitur quasi thema & argumentum, quod toto capite pertractatur: quia enim reges suum robur & splendorem collocant in viribus & fortitudine suorum militum, urbium & opum, uti fecit primus orbis rex & tyrannus Nemrod, sed imprudenter & frustra: hinc illud elidit, docetque regni firmamentum magis esse sapientiam, quàm vires; ac proinde eos ad studium sapientiæ incitat. Huic gnomæ similis est illa Proverb. 16. 32. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Et illa Eccles. 9. 16. *Et dicebam ego meliorem* B *esse sapientiam fortitudine.* Unde putant nonnulli hanc gnomen ex illis esse desumptam. Vide ibi dicta.

Est ergo hic conclusio, educta ex principiis assignatis cap. præced. Ibi enim descripsit impiorum in die judicii gemitus, quòd in vita studuerint vanitati opum, deliciarum & honorum, neglecta veritate sapientiæ; qua re sibi iram & vindictam Dei, omniumque creaturarum accersiverunt. Ex quibus hic concludit: Ergo, ò reges & principes, si sapitis, si acrem Dei vindictam vitare cupitis, studete veritati, non vanitati; vacate sapientiæ, non cupiditati. Hic enim est scopus totius libri. Unde subdit,

AUDITE ERGO REGES, ET INTELLIGITE, Vers. 2.

DISCI-

DISCITE JUDICES FINIUM TERRÆ] *Audite* meam adhortationem ad ftudium fapientiæ. Alludit ad illud pſal.2. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram*. Reges enim & principes, qui rempubl. regunt, tutius populi funt ductores & doctores. Docent enim eum civiliter, id eft juftè, probè & concorditer, vivere: unde rex Hebr. & magis Chald. vocatur מלך *melech*, id eft regnare, fignificat regnum confilio, prudentia, legibus adminiftrare, ac legitimè gubernare: hinc chaldaicè מלכי *milki* eft confilium meum. Vide dicta Daniel.4. v.24. Latinè quoque *Magiſtratus* dicitur, quaſi magifter populi, ait Varro l.4. de Lingua Latina. Sicut enim magifter docet regitque pueros, fic princeps populum. Rurfum ficut anima eft auriga corporis, fic princeps populi: ipfe enim in eo eft id, quod mens, fenfus, ratio eft in corpore, ac quod fol eft in urbe: Inftar folis enim fubditos omnes luftrat & illuftrat, celerique motu & influxu in fingulos diffufus cunctis fuam lucem, id eft fapientiam, providentiam, vigilantiam & beneficentiam impertit: quare magna fapientia polleat oportet. *Diſcite* ergo eam, ò *judices*, id eft principes, *finium terræ*. Olim enim præcipuum munus regum & principum erat judicare, & lites populi decidere: inde hæc vox per amplicationem ad quodvis regis officium extenditur, ut judicare fit idem, quod juftè regere & gubernare, uti dixi cap. 1.1. puta præcipere, prohibere, permittere, punire & præmiare; hi enim funt quinque dominii & jurifdictionis actus five officia. Porrò, quia nemo nafcitur fapiens, hinc fapientia magno ftudio etiam à regibus difcenda eft, nemo enim rectè docet, nifi qui priùs rectè didicit. Rurfum quia fapientia eft vafta & quafi immenfa, hinc femper difcenda eft, etiam à fenibus, uti Cato ajebat fe difcere quotidie, etiam in fenio, ufque ad mortem, ac fenefcendo difcere, & difcendo fenefcere. To ergo *diſcite* fignificat reges debere effe dociles, ut libenter doctiorum rerumque peritos audiant, ab iifque ea quæ ignorant difcant. Multi enim dignitate, quam habent, inflati nolunt a quoquam doceri, fed volunt omnes docere, etiam illa quæ nefciunt quæ magna eft fuperbia æquè ac imprudentia. Quocirca Salomon poftulans fapientiam à Deo, pofcit pariter *cor docile*; Hebr. *cor audiens*; Septuag. *cor ſapiens* (Nam ut ait Plato, *ſapiens eſt docilis*) 3.Reg.3.9. Et S. Paulus 2. Timoth.2.24. vult fervum Dei effe docibilem, ut fana prudentum confilia audiat, iifque obediat. Multi enim non audent principes monere & docere, quia experiuntur illos monita ægrè accipere, & bene monentes averfari. Quocirca Demetrius Phalereus fuadebat Ptolemæo regi, legere libros ethicos & politicos; illos enim ideo fcribi, quòd nemo principibus veritatem dicere audeat. ita Plutarch. in Apophtheg. Alii fuafere regibus, ut fecretos fidofque habeant fyndicos, qui quæ de ipfis ipforumque regimine à populo dici audiunt, iifdem referant. Hæc enim eft miferia principum, ut fæpè ea, æquè ac publicas populi neceffitates ac calamitates ignorent, eò quòd aulici, ut principi adulentur, ea celent vel extenuent. Hac de caufa Franc. Valefius Franciæ rex, mutato habitu folebat vefpere obire hofpitia, ac audire quid de fe ibidem diceretur: qua in re magnam fe colligere regendi induftriam afferebat.

Rex idē quod conſultor.

Judices, eſt principes: cur?

VERS.3. PRÆBETE AURES VOS, QUI CONTINETIS MULTITUDINES] *Continetis*. fcilicet veftro imperio & gubernatione, ceu fræno. Græcè enim eft, κρατοῦντες πλήθους, id eft, qui imparatis & dominamini multitudini, eamque manu quafi injecta apprehenditis, tenetis; occupatis, vincitis, domatis, ac veftris legibus, edictis, imperiis, quafi vinculis, colligatis, veftroque juffu & nutu quafi pugno conftringitis, ut eam verfetis in omnem partem, ac de ea faciatis quidquid vobis lubet, & libet, idq; non raro imperiosè & tyrannicè, quibus S. Petrus intonat: *Non dominantes in cleris*, epift.1.c.5.2. Unde fequitur.

ET PLACETIS VOBIS (græcè, γεγαυρωμένοι, id eft fuperbientes, infolefcentes, gloriantes, exultantes, inftar equi fuperbè fubfultantis, aut leonis ferocientis) IN TURBIS NATIONUM] quòd fcilicet multis imperetis, idq; fepè pro libito & ex faftu. Quos proinde fapienter monet Ecclefiaft. c. 32. 1. *Rectorem* inquit, *te poſuerunt? noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis*. Ubi fusè hac, de re egi.

Præclarè S. Bernard. loquens in perfona Dei: *O homo*, ait, *ſi te videres, tibi diſpliceres, & mihi placeres, ſed quia*
A *te non vides, tibi places, & mihi diſplices*, Unde fubjicit pœnam condignam: *Veniet tempus, cùm nec mihi, nec tibi placebis: mihi, quia peccaſti; tibi, quia in æternum ardebis*.

Egregiè hoc argumentum tractat S. Gregor. parte 2. Paftor. c.6. ubi inter multa hæc de illo dat documenta vel axiomata: *Apoſtatæ angelo ſimilis efficitur, dum homo hominibus ſimilis eſſe dedignatur. Plerumq; ergo, dum ex ſubditorum affluentia animus inflatur, in luxum ſuperbiæ, ipſo potentiæ faſtigio lenocinante corrumpitur, &c. Quam tamen poteſtatem ille rectè diſpenſat, qui ſollicitè noverit & ſumere ex illa quod adjuvat, & expugnare quod tentat, et æqualem ſe cum illa ceteris cernere, & tamen ſe peccantibus zelo ultionis anteferre*. Et poft nonnulla: *Cùm delinquentes ſubditos præpoſiti corrigunt, reſtat neceſſe eſt ut ſollicitè attendant, quatenus per diſciplinæ debitum culpas quidem jure poteſtatis feriant, ſed per humilitatis cuſtodiam æquales ſe ipſis fratribus qui corriguntur agnoſcant, quamvis plerumque etiam dignum eſt, ut eoſdem quos corrigimus tacita nobis cogitatione præferamus*.

Huc facit verum emblema. Lacedæmon, enim pin-
B gebant Appollinem fapientiæ præfidem præditum quatuor auribus & totidem manibus, quæ fignificabant fapientiam multarum rerum aufcultatione, ac multarum virtutum operatione comparari. Nam, ut ait Horatius:

Res gerere, & captos oſtendere civibus hoſtes,
Attingit ſolium Jovi.

Ita Pierius Hierogl. 33. c. 25.

QUONIAM DATA EST A DOMINO POTESTAS (judicandi, præcipiendi, regendi, imperandi) VOBIS, ET VIRTUS (græcè, δυναστεία, id eft principatus, dominatus, dynaftia: virtus ergo non moralis, quæ opponitur vitio, fed politica, puta poteftas regendi, hic intelligitur) AB ALTISSIMO, QUI INTERROGABIT (ἐξετάσει, id eft examinabit, fcrutabitur, inquiret; item ventilabit, difcutiet, judicabit, puniet, cruciabit & tormenta infliget, uti vertit Nofter verf. 7. & 9. OPERA VESTRA, ET COGITATIONES) græcè, βουλάς, id eft confilia, cogitata, volita) SCRUTABITUR] Nam, ut ait Apoft. Rom. 13. 1. *non eſt poteſtas niſi a Deo*. In Deo enim eft eminentiffimum & fummum in res omnes, tam rationales, quàm VERS.4.
C irrationales, utpote creaturas fuas (quæ ab eo omne fuū effe per creationem acceperunt, idemque fingulis momentis per influxum confervationis accipiunt) jus & dominium, ut omnibus & fingulis poffit præcipere quidquid ei libuerit, de eifque difponere pro fuo arbitrio. Ipfe ergo fummus eft legiflator, à quo omnis lex jufta defcendit; ipfe potentiffimus omnium angelorum & hominum judex & vindex; ipfe fupremus omnium dominus, à quo omne dominium, omnis poteftas, omnis jurifdictio in angelos & homines, etiam reges & Pontifices derivatur. Ipfe enim eft *Rex regum, & dominus dominantium*, 1. Timoth. 6. Unde Efther c. 13. v. 9. orat, & profitetur: *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſrael. Tu feciſti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Dominus omnium es*.

QUONIAM CUM ESSETIS MINISTRI REGNI ILLIUS, NON RECTE JUDICASTIS, NEC CUSTODISTIS LEGEM JUSTITIÆ; NEQUE SECUNDUM VOLUNTATEM DEI AMBULASTIS (*To juſtitiæ* non eft in Græco, fed intelligitur. Senfus eft q. d. Putaftis, ò reges fuperbi, vos fummos & abfolutos effe VERS.5.
D principes, nec cuipiam effe fubiectos, cùm tamen Dei, qui eft Rex regum, effetis vicarii & miniftri, imò inftrumenta dumtaxat; hinc *non rectè judicaſtis*, id eft iniquas fententias in judicando, & iniquas leges in imperando tuliftis, *neque cuſtodiſtis legem juſtitiæ*, fed ex avaritia & cupiditate juftitiam perverüftis, ac iniqua tributa & onera fubditis impofuiftis: *neque ſecundum voluntatem Dei*, fecundum veftram ambitionem, *ambulaſtis*, immemores illius moniti Jofaphat regis: *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini; & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum*, 2. Paral.19. 6. Hæc cogitent Judices & principes. Hic enim acer eis eft ftimulus ad omnem juftitiam & modeftiam, quòd fcilicet Chrifti tribunali velut rei aftabunt ut ipfi rationem judicii vel regiminis fui repofcenti exactam reddant.

Igitur tribus hisce sententiæ partibus tria videntur notari vitia judicū & principū, scilicet corruptū judiciū iniquum regimen, & neglectus religionis sive cultus Dei: si quis tamen omnia ad unum & idem, scilicet ad corruptum judicium, spectare contendat, contentiosum cum eo funem non traham. Unde S. Bonavent. ex tribus hisce sententiis, *Non rectè judicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis*; primam esse ait, cùm non subest causa justa; secundam, cùm non servatur ordo; tertiam, cùm prava intentione quod à judice fit. Cantacuzenus verò: Prima, ait, significatur ex corruptela munerum acceptorum devians à regula & præscripto rationis lata sententia; secunda, personarum acceptio, dum non æquè omnes judicis negligentia aut indulgentia, sive spe, sive timore, observant legem: tertia, cùm offenditur religio & cultus Dei. Quæ sententia valdè apposita & genuina videtur. Minùs aptè Cervantes primam refert ad officium debitum proximis, secundam ad debitum sibiipsi, tertiam ad debitum Deo.

Porrò tales avaros & injustos principes, necesse est esse hominibus æquè ac Deo exosos, ideoque miserrimos. Audi Platonem lib. 9. de Republ. *Animum*, inquit, *tyrannicum mendicum semper atque inexplebilem esse necesse est*. Et mox: *Longè cunctorum dico hunc esse miserrimum*. Et nonnullis interiectis: *Est autem reipsa, quamvis alicui non videatur, verè tyrannus, verè servus extremæ servituti adstrictus, qui appetitus suos explet numquam, sed plurimis indiget semper, atque inops revera esse apparet, si quis penetralia animi ejus inspexerit*. Quocirca Basil. Imperat. exhort. ad Leonem filium c. 27. inculcat ei pecuniæ contemptum, & justam vectigalium moderationem. *Rempublicā*, inquit, *optimè administrabis, si pecuniæ publicæ curam habebis, eisque justis rationibus colligendæ studebis, non ex oppressione, vel lacrymis subditorum corradenda: pecunia enim si justè colligitur, possidenti multum affert emolumenti, & nervos imperio addit: quæ vero ex lacrymis subditorum, atque ex iniquitate corrasa fuerit, etiam justè collectam dissipabit. Attrahet enim Deum, qui justitiæ leges condidit, ad vindicandam injuriam, ignisque non ita celeriter paleam consumit, ut malè & injustè congesta opes, etiam jure partas in perniciem secum abducunt.*

VERS. 6. HORRENDE ET CITÒ APPARERIT VOBIS] Græcè, ἐπιστήσεται, id est, instabit, ingruet, imminebit super vos, scilicet summus judex Deus, sicut judex instat reo, exactor tributario, creditor debitori, rigidum contra vos instituens examen, rigidius judicium, & rigidissimum supplicium. Unde explicans subdit:

QUONIAM JUDICIUM DURISSIMUM HIS, QUI PRÆSUNT, FIET] Vatabl. *quoniam judicium rigidissimum in proceres exercebitur*. Pro *durissimum* græcè est, ἀπότομον, id est *duram*, sed antonomasticè & per excellentiam, hoc est *durissimum*. Ratio est, quòd graviora sint peccata judicum & principum, quàm sint subditorum & privatorum.

Graviora peccata principū quam privatorum, ob tres causas.

Primò, quia sunt personarum sublimium, quarum status & eminentia majorem virtutem & perfectionem exigit. Unde psal. 81. 1. dicitur, *Deus stetit in synagoga deorum* (id est judicum) *in medio autem deos dijudicat*. Secundò, quia toti populo dant scandalum, suntque peccati illecebra. Nam *regis ad exemplum totus componitur orbis*. Tertiò, quia eorum injusta judicia æquè ac leges & edicta gravia damna, tum facultatibus tum corpori, tum animæ inferunt, non uni subdito, sed plurimis, imò toti reipublicæ. Quocirca Deus jussit Mosi, ut principes tribuum Israel fornicantes cum filiabus Moab, & earum idola colentes, suspenderet contra solem in patibulis, Num. 25. 4. Addit Origen. ibidem homil. 20. eos suspensos fuisse, eò quòd populum non docuissent, nō monuissent, non sollicitè arguissent. Unde concludit. *Hæc si cogitarent homines, principatus non ambirent*. Hinc iniqui reges & tyranni horrendè metuunt omnia, pleni sunt pavore, ac omnia tuta timent. Graphicè hunc eorum horrorem & pavorem depingit Xenophon in Hierone:

Metus principū.

Jam verò, inquit, *metuere turbam, metuere solitudinem, metuere satellitis absentiam, metuere ipsos etiam custodes, ac nec inermes illos velle habere apud se, nec armatos videre libenter; an non res est misera? Postremo huc compelli, ut pro liberis habere cupias servos, & ex servis cogaris facere liberos? an non hæc tibi videntur argumenta animi terroribus attoniti, perculsique? Porrò non solùm ipse metus, tunc cùm insidet animo, molestia res est, sed dum nusquam non adest ac circumfertur, fit omnium rerum jucundarum corruptela*: Exempla sunt in Pharaone, Exodi 1. & seqq. in Athalia, 4. Reg. 11. in Herode infanticida, Matth. 2.

Fugerunt primipatum. Exempla

Hisce de causis viri sancti fugerunt regimen, tum Ecclesiasticum, tum civile. Sic Episcopatus fugere S. Clemens, S. Gregorius Thaumaturgus, S. Athanasius, S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Nazianzenus, S. Gregorius Magnus, S. Ephrem, S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Fulgentius, & plurimi alii: qui tamen Episcopatu fuere dignissimi, eumque præclarissimè gesserunt. Unde Leo Imp. anno Domini 469. l. 35. C. de Episc. & Cler. *Profectò*, ait, *non est dignus sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus*: invitienim apprehendunt Episcopalis oneris magis quàm honoris periculum, ideoque in ejus officio sunt solliciti & strenui.

Invitti ordinandi cur?

Certè Canonicus ille S. Victoris, quem memorat Thomas Cantipr. l. 1. exempl. c. 20. post mortem apparuit amico, eique dixit: *Si de numero Episcoporum fuissem, in damnationis periculum incidissem, & de numero electorum non essem*. Similia dixere plures alii.

S. Thomas Aquinas tria in votis habebat. Primò, cognoscere quid animæ fratris sui Landulfi in bello occisi contigisset, an salus, an pœna. Secundò, puritatem mentis primævam. Tertiò, ad nullos honores, vel prælaturas promoveri. Unde Archiepiscopatum Neapolit. sibi à Clemente IV. oblatum recusavit, atque in morte sibi gratulatus est, Deoque gratias egit, quòd trium votorum horum se compotem fecisset.

Denique audi S. Gregor. epist. 6. lib. 6. & lib. 7. epist. 110. *Sicut*, inquit, *is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo descendat?*

Exempla eorū qui regnum cum monasterio commutarunt.

Regnum verò & principatum civilem abdicarunt, ac vitæ quietæ, sanctæ & religiosæ se dederunt S. Josaphat rex conversus à S. Barlaam, teste S. Damasceno in Histor. S. Carlomannus Caroli Magni patruus, Pipinus Caroli Magni filius primogenitus, Lotharius Imper. Caroli Magni ex Ludovico patre nepos, à quo Lotharingia nomen accepit, cùm priùs Austrasia diceretur: Rachisius Italiæ rex anno Domini 741. Bamba rex Hispaniæ anno Domini 674. Veremundus rex Castellæ anno Domini 786. Ramirus rex Aragoniæ anno Domini 1150. Sigebertus rex Northumbriæ in Anglia anno Domini 640. Ethelredus ibidem rex Merciorum anno Domini 704. ejusque frater & in regno successor Coenredus, Offa item rex Orientalium Saxonum, æquè ac Inus anno 740. Trebellius rex Bulgarorum anno 862. Joannes Brenna Imper. Constant. Henricus rex Cypri, Joannes rex Armeniæ, S. Ludovicus Caroli II. Siciliæ regis filius anno Domini 1297. ac hoc nostro sæculo Carolus V. Imper. Plures recenset noster Hier. Platus lib. 2. de Bono status relig. c. 26. & seqq. Nimirum *vita privata, vita beata*. Quàm ergo desipiunt, qui principatus & Prælaturas ambiunt: cùm enim vix animæ suæ rationem Deo reddere queant, onerant insuper eam obligatione tot animarum salvandarum, quot curam suscipiunt. quæ sanè stupenda est insania, uti fusè ostendit S. Bernardus epist. 42. ad Henricum Senonens. Archiepiscopum.

VERS. 7. EXIGUO ENIM CONCEDITUR MISERICORDIA: POTENTES AUTEM POTENTER TORMENTA PATIENTUR] Syrus, *potentes potenter interrogabuntur*; Arabicus, *de potentibus autem investigabitur scrutatione potenti*; græcè, *minimus enim* συγγνωστός, id est *ignoscibilis* vel *veniabilis*, id est *dignus est venia* & misericordia; validi *autem validè examinabuntur*; item *judicabuntur & punientur*. Græcè enim est ἐτασθήσονται, quod est futurum primum ab ἐτάζω, cujus verbi significata recensui v. 4. *Exiguo*, id est pauperi, plebejo, privato; hunc enim sæpè necessitas adigit ad peccatum, vel certè hic peccato suo minùs alios lædit, ideoque venia dignus videtur. Unde *exiguo* opponit *potentes*, id est reges & principes, qui sua potentia ad fastum abutuntur, ut alios opprimant. Hinc Vatablus vertit, *nam plebejus homo venia dignus sit, in potentes autem inquiretur acriter*, id est severa & rigida ab eis reposcetur ratio, quomodo potestate sibi commissa usi vel abusi sint. nam *cui plus datum est, plus requiretur ab eo*. Causas recensui v. præced. Ita sanctus Cyprianus lib. 3. Testimoniorum ad Quirinum num. 112. *Gravius*, inquit, *judicari de his, qui in sæculo plus habuerunt potestatis, apud*

Salo-

Salomonem docetur: *Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Et in psal. 2. Et nunc reges intelligite, emendamini* (sic enim ipse legit, pro quo nos legimus, *erudimini) qui judicatis terram*. Theodor. quæst. 43. in Deuteron. in exemplum statuit Mosen. Quærit enim, cur Moses ob leve dubitationis delictum à Deo exclusus sit terra sancta; populus verò gravius peccans in eam sit inductus? ac respondet: *Per hæc docet nos Dominus, se summam virtutem à perfectis exigere, &, cum erga alios homines graviter peccantes sit longanimis; sanctis tamen hanc veniam non concedere: quod quidem sapiens dixit aliquis: Tenuissimus venia & misericordia dignus; potentes autem potenter torquebuntur. Et Dominus in Evang. Cui modicum datum fuerit, modicum exigetur ab eo.* Eadem ad verbum habet, & ex Theodor. transcripsit Anastasius Nicen. q. 35. in Script. Horribilius est exemplum in Pharaone, quem sibi reluctantem nolentemque Hebræos dimittere ex Ægypto, Deus decem atrocibus plagis afflixit, ac tandem cum omnibus copiis mersit in mari rubro, Exodi 7. & seqq. Et in Nabuchodonosor, quem ob fastum Deus transformavit in bestiam, Daniel. 4. & in Antiocho, quem vermibus & diris cruciatibus consumpsit, 2. Machab. 9.

Recentius exemplum præbet Mauricius Imper. de quo ita ex Cedreno scribit Baronius tom. 8. anno Christi 602. pag. 158. in fine. Planè accidit secundùm illud Sapientiæ: *Audite reges & intelligite. Horrendè & citò apparebit vobis; quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Ita quidem patefactum est horrendum Dei judicium adversus Mauricium Imperatorem, dum de facinore haud pridem perpetrato persolvit pœnam (ut licuit) talionis: dum enim passus esset tot millia innocentium Christianorum à diro barbaro immanissimè cædi, quos minimo potuisset redimere pretio, reus factus innoxii effusi sanguinis, ipse à tyranno unà cum insontibus filiis crudelissimè necatus est, nullo adjuvante, eripiente nemine. Sentiens verò ipse manum esse hanc Domini porrectam ad ulciscendum, specimen edidit probatissimi Christiani, conficiens sibi ex calice iræ Dei poculum medicinæ, quod prodesset ad peccatorum suorum purgationem, & perfectam salutem animæ consequendam. Sed age jam cuncta eodem, quo se habuerunt, ordine recenseamus. Hæc Baron. qui pergit enarrare quomodo Mauricius a Phoca invasore Imperii, filiis, regno & vita privatus sit, dicens: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.*

Appositè hanc gnomen sacerdotibus applicat S. Isidorus lib. 2. Offic. c. 5. *Quapropter*, inquit, *quia lex peccatores à servitio removet, consideret se unusquisque: sciens quia potentes potenter patientur tormenta: retrahat se ab hoc non tam honore, quàm onere, & aliorum locum, qui digni sunt, non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutum populis præerit, necesse est ut in omnibus sanctus sit; & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cùm illi statim possit correptus ingerere. Ante doce te quæ recta sunt? quapropter qui negligit recta facere, negligat recta docere.* Et S. Hieron. in cap. 1. epist. ad Titum, cujus verba citantur 8. q. 1. can. 19. *Illud inferendum est*, inquit, *adversus eos, qui de Episcopatu intumescunt, & putant se non dispensationem Christi, sed imperium consecutos, quia non statim omnibus his meliores sunt, quicumque Episcopi non fuerint ordinati; & ex eo quòd Episcopi electi sunt, ipsi se magis existiment comprobatos: sed intelligant propterea quosdam à sacerdotio remotos, quia eos vitia liberorum impedierint. Si autem peccata filiorum justum ab Episcopatu prohibent; quanto magis se unusquisque considerans, & sciens quia potentes potenter tormenta patientur, retrahit se ab hoc, non tam honore, quàm onere, & aliorum locum, qui magis digni sunt, non ambit occupare?*

Denique Glossa in illud Malach. 1. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino*; Aliquando, inquit, homo bene creatus à Deo habet ingenium aptum sacris disciplinis, sed tradit luxuriæ & inertiæ: habens masculum offert debile, id est orationem aliqua animi perturbatione corruptam: hic sentiet in se esse completum, quod scriptum est: *Potentes potenter tormenta patientur.*

NON ENIM SUBTRAHET PERSONAM CUJUSQUAM DEUS, QUI EST OMNIUM DOMINATOR, NEC VEREBITUR MAGNITUDINEM CUJUSQUAM: QUONIAM PUSILLUM ET MAGNUM IPSE FECIT, ET ÆQUALITER CURA EST ILLI DE OMNIBUS] Ita habent Græca & multi codices Latini. Sed τὸ *qui est omnium dominator*, delent Romani, ac S. August. in Speculo, & Lucifer pro S. Athanasio.

NON ENIM SUBTRAHET] scilicet judicio suo & vindictæ. Ex Græco nonnulli vertunt cum Jansenio, *non formidabit vultum alicujus, non se motu illius demittet*, vel *contrahet*, ut illi cedat, vel illum liberè judicare & damnare non audeat. Hoc enim est ὑποστέλλεσθαι. Hinc Romani in Addit. ad edit. Septuag. vertunt, *non subtrahet vultum* (quasi ex pudore vel timore potentis) *omnium Dominus*. q. d. Deus non ducitur gratia vel metu; non enim formidabit, reverebitur, aut dissimulabit peccatum alicujus, eò quòd vultum habet augustum, magnificum, regium: ipse enim est omnium Dominus. quare nullam vultus vel personæ rationem habebit, ut quem rigido suo judicio eximat; sed æquè justè & rigidè de rege, ac de plebeio judicabit, quia *æqualiter est illi cura de omnibus*. Sic Plato dixit Deum in judicio, nec Achillis, nec Thersitis habiturum rationem, nec summi, nec infimi. Ubi Nota. τὸ *cujusquam* non est in Græco, sed tantùm *non subtrahet personam* vel *vultum*, sive alienum, uti intellexit noster Interpres, sive etiam suum, ut scilicet Deum ipse ex metu vel pudore cum potentibus personam mutet, & vultum contrahat demittatque (uti nautæ contrahunt vela ingruente tempestate) sicut faciunt timidi judices, qui cum pauperibus personam leonum induunt, cum divitibus & potentibus personam muris, ut hiscere non audeant: hoc enim est propriè ὑποστέλλεσθαι. Deus ergo eadem persona & eodem vultu justo & constanti judicabit potentes, quo plebeios.

ÆQUALITER CURA EST ILLI DE OMNIBUS] Græcè, ὁμοίως, id est *similiter, pariter*, προνοεῖ, id est *providet, curam gerit, de omnibus*; S. Augustin. in Speculo legit, *pro omnibus*. Sensus est. q. d. Deus æqualiter curam habet omnium, scilicet tam vulgarium, quàm potentum: non enim ita curat potentes & principes, ut pauperes & plebeios negligat; sed tam horum, quàm istorum, adeoque rerum omnium, communem & æqualem habet providentiam, ita tamen, ut cuique provideat pro cujusque statu, conditione & exigentia. Unde non ait, *æqualis*, sed *æqualiter est illi cura de omnibus*. Sic rex æqualiter curat totum regnum unam regni urbem, sed inæquali & dispari cura: mavult enim perdere unam urbem, quàm totum regnum. Hinc Arabicus omittit τὸ *æqualiter*, sicque vertit, *propterea providet omnibus, & gubernat omnia*. Sic & Syrus.

Errat ergo Primo, Averroes in 12. Metaph. comm. 51. & 52. docens Deum tantùm curare res incorruptibiles, quæ sunt supra lunam; non corruptibiles, quæ sunt sub luna. Idem sensisse Aristotelem censet S. Ambrosius 1. Offic. cap. 13. Nazianz. orat. 1. de Theolog. Clemens Alexand. 5. Strom. Euseb. Epiphan. Theodor. & ex iis noster Gab. Vasquez 1. par. q. 22. disp. 87. c. 1. sed alii, ut Suarez in Metaph. disp. 30. sect. 15. ab hoc errore liberant Aristotelem. Certè multorum olim fuit hic error, ut indicat Job cap. 22. 14. dicens ex eorum sensu: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.* *Error Averrois circa Dei providentiam.*

Errat Secundò. Cicero lib. 2. de Divin. docens Deum non cognoscere futura contingentia, v. g. actiones liberas, quas facturi sumus; alioqui, inquit, illæ jam determinatæ forent & necessariæ, non contingentes & liberæ. Nam ut ait S. Dionys. de Divin. nomin. cap. 7. si in rebus est aliquid non cognitum à Deo, oportet ut illud divina providentia vacet. Unde S. August. lib. 5. de Civit. c. 9. Cicero, inquit, *dum homines vult facere liberos, facit sacrilegos*, imò atheos: qui enim negat in Deo numen, sive providentiam futurorum, negat deitatem & Deum: hæc enim duo ita connexa sunt, ut qui astruit vel negat unum, astruere vel negare cogatur & alterum. Neque enim præscientia Dei inducit rebus futuris necessitatem, quia præsupponit res ipsas liberè futuras; hæ enim sunt ejus objectum. Ideo enim præscit Deus liberè futuras, quia liberè ab homine futuræ sunt; non verò ideo futuræ sunt, quia Deus eas prævidet futuras. *Error Ciceronis.*

Errat Tertiò, R. Moses lib. 3. Doctoris dubiorum c. 18. censens Deum tantùm habere curam hominum singulorum, ceterorum verò habere curam quoad speciem, *Error R. Mosis.*

non quoad individua singula, non curare ergo singulos A culices, muscas, pulices, &c. Idem videtur dicere S. Hieron. in c. 1. Habacuc, sed ibidem ipsum ab hoc errore purgavi. Sapienter S. Ambrosius l. 1. Offic. cap. 13. *Quis operator*, inquit, *negligat operis sui curam? quis deserat & destituat, quod ipse condendum putavit? Si iniuria est regere, nonne est major iniuria fecisse? cum aliquid non fecisse, nulla iniustitia sit; non curare quod feceris, summa inclementia.*

Error Cassiani.

Errant Quartò, Pelagiani & Semipelagiani, ut Cassianus & Faustus Rhegiensis Episcopus, qui ex hac gnome colligunt, æquè in omnium hominum arbitrio esse habere gratiam Dei, ut quilibet sit sanctus, qui voluerit esse sanctus: quia Deus, inquiunt, æqualiter se habet ad omnes, omnibusque suam gratiam offert, si per liberum arbitrium eam velint petere & excipere. Verùm hos refellit. S. August. epist. 106. & 107. & alibi sæpè, ac Hilarius & Prosper epist. ad S. August. Sensus ergo genuinus hujus sententiæ, *Æqualiter cura est illi de omnibus*, q. d. Deus non magis amat, nec magis curat magnum, quàm parvum, divitem, quàm pauperem; nobilem quàm ignobilem, uti homines faciunt; sed æqualem (proportionaliter tamen, B secundùm cujusque gradum, officium & meritum. Unde græcè est ὁμοίως, id est *similiter*: æqualitas ergo hæc sita est in similitudine) tam horum, quàm istorum providentiam habet, ut omnibus per omnia de necessariis provideat: nihil enim subtrahitur à providentia Dei, quia illa res omnes nulla excepta; quantumvis infima & vili, gubernat. Unde aliqui τὸ *æqualiter* exponunt *communiter*. Hinc & Antonius in Melissa par. 2. cap. 2. legit, *æqualiter omnium commodis prospicit & consulit*: Clemens Alex. 6. Strom. *similiter omnibus providet, & omnium curam gerit*, uti sol similiter quantum est ex se, omnia illuminat. Maximè verò Sapiens loquitur de æquali providentia in judicio, & justa retributione pœnarum & præmiorum, ut patet ex præced. ubi opponit hanc Dei curam acceptioni personarum, quæ tantùm locum habet, cùm aliqua qualitas impertinens spectatur, ac propter eam alter alteri præfertur in officio, beneficio, præmio, judicio: non autem opponit eam liberali Dei prædestinationi, ac liberæ dilectioni & electioni ad bona, tum naturalia, tum supernaturalia. Nam secundùm hanc Deus alios aliis magis C amat & curat, ut justos quàm iniustos, electos quàm reprobos, B. Virginem quàm communem Sanctum, ut patet Roman. 9. & seqq. Deuter. 4. 8. Sapient. 4. 11. Matth. 13. 55. Actor. 14. 15. Ita S. August. toto lib. de Prædestin. Sanctor. & totum Consil. Arausicanum: Sapiens ergo non loquitur de beneficio gratiæ, sed de retributione beneficiorum atque pœnarum. Præcedit enim illud: *Horrende & cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Itaque sententia hujus loci est, in extremo judicio Deum non accepturum personas regum & principum, sed ex æqualitate justitiæ sententiam esse laturum*, ait Bellarm. l. 2. de gratia & liber. arbr. c. 3.

Porrò S. Cyprianus l. 3. epist. 8. ad Fidum, docet Deum æqualiter curam habere infantum, ac adultorum: quare infantes statim esse admittendos ad gratiam baptismi, nec expectandum octavum diem, uti expectabant Judæi, ut eos circumciderent eò quòd *Spiritus sanctus*, inquit, *non de mensura* (ætatis & staturæ,) *sed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur. Nam Deus ut personam non accipit, sic nec ætatem, cum se omnibus ad* D *cælestis gratiæ consecutionem æqualitate librata præbeat patrem: librata*, id est expensa, considerata, & admensa pro cujusque statu, exigentia & conditione.

Denique S. Thom. 1. p. q. 20. art. 3. docet Deum æqualiter diligere omnia, quia omnia amat uno & simplici actu voluntatis, & semper eodem modo se habente; licèt ex parte obiecti voliti magis bonum velit uni, quàm alteri; sive quia ex æquali sapientia & bonitate omnia administrat, licèt æquali hac cura sua, inæqualia variis bona dispenset. Nam uno actu simplici his majora, illis minora distribuit. Idem docet 1. 2. q. 112. art. 4. ad 1. & S. Augustinus tract. 110. in Joann. *Omnia*, inquit, *diligit Deus quæ fecit, & inter ea magis diligit creaturas rationales: & illis eas amplius, quæ sunt membra unigeniti sui, & multò magis ipsum unigenitum suum.*

Moraliter, disce hìc à Sapientia divina minimos & minima non spernere, sed illa æquè ac magna & magnos curare: Deus enim creans omnia non dixit, Omittamus culicem, quia vilis & parvus est, sed eum æquè ut elephantem creavit, & creatum gubernat. Similiter fac & tu.

Vers. 9. FORTIORIBUS AUTEM FORTIOR INSTAT CRUCIATIO] Græcè, *fortibus*, vel potentibus) *verò valida incumbit scrutatio*, vel *perquisitio*, vel *examinatio*; Vatabl. *potentes autem vehemens manet inquisitio*. Noster vertit *cruciatio*, tum quia judicialis reorum inquisitio fit per cruciatus & tormenta, quæ proinde Quæstiones vocantur; tum quia ejus finis est cruciatus, qui reis pro pœna à judice decernitur & infligitur. Est metonymia & metalepsis: ponitur enim causa pro effectu, & antecedens pro consequentibus: ex examine enim judiciali sequitur confessio reorum, ex confessione cognitio scelerum, ex cognitione fertur sententia, ex sententia infligitur supplicium & cruciatus.

Noster vertit *fortioribus* & *fortior*, pro *fortibus* & *fortis*, quia sub positivo intelligitur comparativus & superlativus; si enim forti fortis instat cruciatio, ergo ex justa proportione, fortiori instat fortior, & fortissimo fortissima. Idem dicit aliis verbis per exaggerationem, cum eo quod paulò antè dixit: *Potentes potenter tormenta patientur*. q. d. Reges & principes, qui alios sua potentia oppresserunt, potenter pariter à Deo opprimentur & cruciabuntur.

Vers. 10. AD VOS ERGO REGES SUNT HI SERMONES MEI, UT DISCATIS SAPIENTIAM, ET NON EXCIDATIS] id est, ne cadatis in peccatum, indeque in iram & vindictam Dei, ne delinquatis, ne offendatis, ne excidatis statu justitiæ, indeque regno & vita: hoc enim est Græcum, μὴ παραπέσητε, unde παράπτωμα est delictum, offensa, peccatum.

Rursum reges compellat, ut eos acriùs exstimulet, ad monita hæc sapientiæ de modestia & justitia capessenda. Raros enim hac de re habent monitores, ac ob potentiam magnas habent ad fastum & iniuriam illecebras & impulsus. Unde pro *reges* græcè est, τύραννοι, id est tyranni; Lucifer pro S. Athanasio legit, *ò mali tyranni*; S. Augustinus in Speculo, *mali reges*. Tyrannus enim olim vocabatur rex, princeps, dominus, omnem habens in subditos potestatem. Unde illud:

Ad generum Cereris (ad Plutonem) *sine cæde & sanguine pauci.*
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

Multi enim reges fuere occisi. Sic Aristoph. Jovem vocat Deorum tyrannum, id est regem; ille enim est latè tyrannus, id est latè regnans & dominans. Reges ergo vocabantur tyranni ob fortitudinem. *Fortes enim reges tyranni vocabantur: nam tiro fortis*, ait Isidor. lib. 9. Etym. c. 9. Hinc Athen lib. 13. *O amor*, inquit, *tyranne* (id est rex & imperator) *deorum & hominum*: nihil enim fortius est amore. Stephanus verò lib. de Urbibus in voce Τυῤῥηνία, tyrannum dictum putat à Tyrrhenia, quæ olim fuit urbs & provincia iuxta Hadriam, cuius cives vocabantur Tyrrheni: unde tyranni. Porrò Tyrrhenia nunc vocatur Hetruria, & Tyrrheni sunt Hetrusci sive Tusci, quorum caput est Florentia, uti fusè demonstrat Philip. Cluverius in descript. Italiæ lib. 2. cap. 1. Hetruscorum enim colonia fuit Hadria urbs, iuxta Venetias, à qua vicinum mare dictum est Hadriaticum. Olim enim Tusci fuere potentes, & ditionis suæ fines extenderunt à mari Infero sive Hetrusco, usque ad mare Superum sive Hadriaticum teste Livio lib. 5. Verisimiliùs alii censent vocem *tyrannus* derivari ab Hebræis & Palæstinis: Hebræi enim vocant principes שרים *sarim*, Philisthini סרנים *seranim*. Unde quinque satrapæ Philistiim, putà satrapè Gazæ, Azoti, Ascalonis, Geth & Accaron, passim in Hebræo vocantur *seranim*. *Seranim* ergo est vox Phœnicia, vel potiùs Philisthæa: pro qua Chaldæi, qui de more *samech* Hebr. & Syrorum mutant in *tet* vel *tau*, dicunt טורנים *turanim*, ut patet Josue 13. 3. unde *tyranni*. Rursum *seranim* hebr. & syriacè significat axes in rotis, quibus rotæ fulciuntur & volvuntur, ut patet 3. Reg. 7. v. 30. hinc principes vocantur *seranim*, quòd sint velut axes in rota, id est fulcra populi, & cardines rerum agendarum, sicut græcè βασιλεὺς dicitur quasi βάσις λαοῦ, id est basis populi; & hebr. אדון *adon*, id est dominus, quasi אדן *eden*, id est fulcrum, sustentaculum, eò quòd dominus sit columen & sustentator familiæ vel reipubl. cui præest. Verùm crescente fastu cùm superbi reges sua potestate abuti cœperunt, tyranni nomen ad illos solùm restrictum est, qui per insolen-

Tyranni etymon.

A Palæstinis.

lentiam imperii viribos abutebantur, ac posthabita ratione & æquitatis moderatione, vi & quadam animi libidine dominabantur; libido ergo & crudelitas fecit, ut nomen tyranni malè andierit. Quocirca reges hic seriò monet Sapiens, ne in tyrannos degenerent; sed sapienter, id est modestè & justè, subditos regant, & rempubl. administrent; sic enim latissimè, quietissimè & diutissimè regnaturos, uti fecere Romani, de qnibus Poeta cecinit: *Romanæ spatium est urbis & orbis, idem.*

Mysticè reges sunt, qui suis affectibus imperant, & mundi vanitates calcant, quales sunt Religiosi. Hi ergo ex institutn & prnfessione sua toti vacent sapientiæ, id est contemplatinni, virtuti & perfectioni: cetera enim sunt nugæ & vanitas vanitatum.

UT DISCATIS SAPIENTIAM] *Sapientia* hic prudentiam & virtotem omnem ethicam, ac politicam præsertim, scilicet scientiam rectè regendi, complectitur: hæc enim regi & principi est propria & summè necessaria. Idem suasit Mæcenas Augusto Cæsari, cujus sapientem orationem recitat Dio.lib.52.ubi inter alia ait: *Vives velut in quodam orbis terrarum theatro, nec fieri poterit, ut vel minimum peccatum tuum lateat: nihil enim sine arbitris, sed semper in magna hominum multitudine ages: & perscrutari acta principum omnes homines lubentissimè solent. Qui si semel compererint te alia aliis præcipere, alia ipsum agere; non jam minas tuas metuent, sed facta imitabuntur.* Unde pluribus interiectis infert: *Ideò splendorem tu tibi præclaris facinoribus para: statuas tibi, neque aureas, neque argenteas fieri unquam sine: nam non modò magnis sumptibus ea constant, sed insidiis etiam opportuna, ac parũ diuturna sunt; benefaciendo autem alias tibi statuas in ipsis hominum animis, nulli interitui obnoxias effice. Templum quoque nullum tibi patere ædificari, quippe in hujusmodi res incassum multa pecunia insumuntur, quas necessariis rebus impendere præstat. Etenim divitiæ magnæ, non tam multa accipiendo, quàm non multos sumptus faciendo colliguntur; & id genus res nullam gloriam adferunt.* Causam & rationem à priori subiicit: *Virtus enim multos quidẽ diis æquat, sed nemo tamẽ unquam mortalium suffragiis Deus effectus est. Itaque tibi si bonus sis ac rectè imperes, universa terra templum erit, pro delubris omnes urbes, omnes homines pro statuis, quorũ in animis semper cum gloria insidebis. qui verò imperium summum male gerunt, eos ista ornamenta, quamquam in omnibus urbibus posita, tantum abest ut decorent, ut etiam reprehensionibus hominum exponãt, quum sint trophæa quædam malitiæ eorum, ac injustitiæ monumenta: quæ quo diutius perduraverint, eo longius quoque infamia istorũ permanet. Itaque si revera immortalis fieri cupis, ita ut dixi agendum tibi est.* Denique summatim omnia unico sapientiæ monitn concludens: *Unum, inquit, dicam quod caput est & summa omnium eorum, quæ vel dicta sunt, vel dicenda restant. Si hæc tua sponte omnia egeris, quæ velles alium in te imperium habentem agere; nulla in re peccabis, omnia prosperè conficies, vitamque exinde & suavissimam, & tutissimam duces. Qui etiam non patris ac servatoris loco te omnes & suscipiant & diligant, quum viderint te modestum, vita integra, bello ac pace præstantem?*

Mæcenatis regẽdi præcepta.

Huc facit disceptatio septem Græciæ sapientum de gloria principis, quæ in re illa consistat: plerique enim eorum asseruere illam consistere in humilitate & modestia. Audi Plutarch. eorum sententias recitantem in Convivio septem sapientum: *Ceterùm Solon paululum moratus: Mihi, ait, videtur hac ratione maximè gloriam consecutus, sive rex sive tyrannus, si unius imperiũ in popularem reipub. statum civibus convertat. Subiecit Bias: Si primus pareat legibus patriæ. Post hos Thales pronunciavit, eum sibi principem videri beatum, qui naturæ ordine senex moriatur. Quartus Anacharsis: si solus sit prudens. Quintus Cleobulus: si familiarium nemini fidat. Sextus Pittacus: si subditos princeps ita condocefaciat, ut non ipsum, sed ipsius causa metuant. Ultimus Chilo principem nihil meditari debere mortale, sed omnia immortalia.*

Gnome septẽ sapientum de optimo regimine.

QUI ENIM CUSTODIERINT JUSTA (S.Augustinus in Specul.legit, *justitiam*) JUSTE, JUSTIFICABUNTUR (ita Rom.& Græca: malè ergo quidam legunt *judicabuntur*) ET QUI DIDICERINT ISTA (ita Rom.& Græca: malè ergo nonnulli pro *ista* legunt, *justa*; licèt idem sit sensus) INVENIENT QUID RESPONDERANT] q.d. Vos ò reges & principes audite hæc mea, de sapientia, id est de justitia, putà de virtute & sanctitate, monita: quia qui ea custodierit justè & sanctè, hic in tribunali Christi, ubi, ut præcessit, durissimum judicium his qui præsunt fiet, & fortioribus fortior rigidiorque instabit examinatio & cruciatio, justificabitur, id est justus & sanctus à Christo pronunciabitur, ac gloria æterna præmiabitur: *& qui didicerint ista*, jam dicta, *invenient quid* judici, ipsos de vita & regimine reipubl. examinaoti, *respondeant*, græcè, *invenient apologiam*, qua se contra omoes obiectiones, ac hominum dæmonumque criminationes tueaotur & defendant: *invenire* enim est consilii, *reperire* fortunæ, ait Valla: Unde græcè est: *οἱ γὰρ φυλάξαντες ὁσίως τὰ ὅσια ὁσιωθήσονται*, id est, *qui custodiunt sanctè sancta, sanctificabuntur*, id est per exercitium operum sanctorum fient sancti, & sanctiores, ac in die judicii sancti à Christo coram toto mundo declarabuntur, laudabuntur & coronabuntur. Unde Vatabl. vertit. *qui sanctitates sanctè coluerint, ii sancti censebuntur.*

Nota, non sufficere ad sanctitatem, ut quis faciat opus justum & sanctum, sed requiri insuper, ut id justè & sanctè fiat. v.g. non sufficit dare eleemosynam, sed oportet ut illa fiat ex proprio, non ex rapto, vel alieno: item ut fiat recta intentione, non prava, qualis est, cùm illam das ut pauperem pertrahas ad hæresim vel luxuriam: sic enim eleemosyna contaminatur fitque actus imperatus ab hæresi, vel luxuria. Nam ut ait S. Dionys. Bonum constat ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus. Unde si operi bono aliqua desit conditio requisita, jam non bonum est, sed mancum & defectuosum, uti docet S. Thomas & Scholast. imò Arist. in Ethicis: *Justum*, inquit, *justè fieri debet.* S. Cyprian. (vel quisquis est auctor, certè priscus est gravis) de Singular. Cleric. *Sanctum*, ait, *non est, quod geritur sanctum, nisi sanctè peragatur, sicut Salomon asserit dicens: Qui enim custodierint justè justa, justificabuntur. Sinceriter ergo sinceritas ipsa servanda est; et omne quod voti est, etiam in actu signandum est, ne aliud vota commendent, et aliud actus insinuent.* Probat ex illo Pauli 2. Timoth. 2.5. *Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certaverit.* Idem significatur Cantic. 5.14. *Manus ejus* (sponsi, putà Christi) *tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* In quæ verba commentans Guilielmus cognomento Parvus, sed sensu & sapientia magnus, qui floruit anno Domini 1200. *Manus, inquit, sponsi sunt, qui piis actionibus insistunt. In manibus autem sponsi tria notantur, tornatiles, id est rectè & probè concinnatæ sine tortuositate, asperitate aut angulis, id est non tantum piè, sed justè ac purè agentes. Ita enim circa indigentium necessitates relevãdas desudant, ne, dum illis prospiciunt, per vim aut dolum aliis noceant: si aliis defraudãt, ut aliis consulatur; si fænerantur vel furantur, quod in usum pauperum expendant, tortæ & angulosæ manus sunt: propterea debent esse aureæ*, hoc est, *apud Dominum in cunctis actionibus auro charitatis præfulgidæ.* Tertiò, *debent esse plenæ hyacinthis, hoc est decenti, & quasi gemmea quadã actionis specie, etiam foris coloratæ. Duo enim sunt, quæ maximè actionem commendant, animus agentis, & exterior species actionis. Bona intentio commendat opus apud Deum, honesta operis superficies commendat illud apud homines: quando nihil à pietate charitatis alienum in radice intentionis, & nihil indecens superficie actionis, tunc manus est, non tantum aurea, sed plena hyacinthis*, &c.

Sanctum opus sanctè fieri debetur?

INVENIENT QUID RESPONDEANT] *Contemplabor*, ait Habacuc c.2.1. *ut videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.* Qui ergo sapit, sic opera singula faciat, tam sanctè & perfectè, ut possit eorum rationem reddere Christo in die judicii, nec ipse quid in iis carpere possit, *Quia, quod dici sine gemitu non potest, in illa districtione ultimæ increpationis omne argumentũ cessat excusationis; quippe quia ille foris increpat, qui testis consciẽtiæ intus animum accusat*, ait S. Gregor. hom. 38 in Evang. Unde tunc impii obmutescentes non habebunt excusationem, qoa se defendant, & sua scelera extenuent.

CONCUPISCITE ERGO SERMONES MEOS, DILIGITE (græcè, *ποθήσατε*, id est optate & desiderate) ILLOS, ET HABEBITIS DISCIPLINAM] Græcè, *παιδευθήσεσθε*, id est *erudiemini*, fietis eruditi, acquiretis *παιδείαν*, id est disciplinam, hoc est motum castigatinnem & compositionem; sicut pueri per increpatinnes, verbera & flagella discunt mores suos ad honestatem, tum internam, tum externam, componere. Caro enim & concupiscentia nostra est cæca & cupida, instar pueri; unde flagellis castiganda & ad virtutem conformanda est. Vers. 12.

Hinc flagellum & flagellatio vocatur disciplina, de qua prudenter dixit Petrus Blesensis (qui coævus S. Bernardi floruit anno Domini 1160. teste Trithemio) serm. 6. *Duo sunt, quæ hominem mirabiliter à peccato præservant, frequens confessio, & frequentior disciplina*, idemque crebrò alibi inculcat, ut epist. 26. 27. 46. 57. &c. Sicut enim caro sine sale putrescit, sic corpus sine mortificatione corrumpitur, & ad vitia diffluit, uti alibi pluribus ostendi. Sapienter S. Chrysost. hom. 34. ad Popul. *Pœnitentia pharmacum*, inquit *maximum est nostrorum vulnerum remedium, sic animarum ulcera curans & abolens, ut neque cicatrix, neque verruca apparitura sit, quod in corporis vulneribus non est possibile.*

Memor. de mortificatione.

Porrò disciplina, tam exteriùs corpori, quàm interiùs menti ad castigãdos ejus inordinatos affectus, assiduè adhibenda est. Unde Richard. de S. Vict. in cap. 2. Cant. c. 2. *Ille*, ait, *perfectæ virtutis est, qui virtute spiritus, & voluntates carnis, & voluntatem cordis potenter comprimit.* Nam ut idem ait lib. de Præpar. ad contemp. cap. 32. *Disciplina corporis absque disciplina cordis inutilis est.* Vide Cassian. lib. 5. de Instit. renunc. c. 21. & 22. Sicut ergo studium est via & methodus ad scientiam: sic disciplina & morum affectuumque juxta legem Dei castigatio & reformatio est via & methodus ad sapientiam divinam. Causam dat S. Bernard. serm. 58. in Cant. *Quis enim ita ad unguem*, inquit, *omnia à se superflua resecavit, ut nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitãtur. Parum est ergo semel putasse. Sæpè putandum est, imò, si fieri possit, semper; quia semper, quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis. Quãtumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, & non magis suppressa. Velis nolis, intra tuos fines habitat Jebusæus subjugari potest, sed non exterminari.* Et infrà: *Scrutemur*, inquit, *juxta Prophetam vias nostras, studia nostra, & in eo judicet se quisque profecisse, non cùm non invenerit quod reprehendat, sed cùm quod invenerit reprehendet. Tunc te non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio advertisti.*

Hinc S. Cyprianus serm. de jejunio: *Quotquot*, inquit, *vires virtutum vidimus, sine jejunio non legimus ascendisse; nec aliquid magnum molitisunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties aliquid à Deo obtinere conati sunt, jejuniis incubuere & lacrymis, & pernoctantes in orationibus, cilicio carni hærentibus, supplices beneficia postularunt.* Pinufius Abbas apud Cassian. lib. 4. de Instit. renunc. c. 34. & 35. hanc perfectam Christiani, imò Religiosi, ideam proponit:

Idea perfecti.

Mortificatas & crucifixas cum Christo habere concupiscentias, & affectus carnales universos. Sicut ergo crucifixus quis, jam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi habet potestatem: ita & nos voluntates nostras ac desideria non secundum id, quod nobis suave est ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus.

Mortificatione magis indigent, qui in assiduis deliciis, libertate, dominio versantur, quales sunt reges, principes, Prælati, divites & opulenti. Theodoretus in Philotheo cap. 28. narrat Thalilæum per decem annos rotæ se inclusisse, ut se erigere non posset, sed semper sederet incurvatus faciem habens genibus affixam. Cumque ab eo percunctaretur Theodoretus, cur se adeò affligeret? respondit: *Mortificatio carnis, est fuga pœnæ infernalis.* Crebra ergo cogitatio instantis mortis metusque gehennæ, docent veram mortificationem & disciplinam. quæ fuit communis vox SS. Anachoretarum.

VERS. 13. CLARA (Vatabl. *præclara*) EST, ET QUÆ NUMQUAM MARCESCIT SAPIENTIA, ET FACILE VIDETUR AB HIS QUI DILIGUNT EAM, ET INVENITUR AB HIS QUI QUÆRUNT ILLAM] Græcè, λαμπρὰ καὶ ἀμάραντός ἐστιν ἡ σοφία, id est, *splendida & immarcescibilis est sapientia*, putà ipsa prudentia, virtus & sanctitas; tum quia ipsa in se est qualitas nobilissima, & instar amaranti incorruptibilis & æterna; tum quia sui studiosos nobilitat, claros facit & æternos. Comparat sapientiam amaranto flori vel spicæ: de quo ita scribit Plinius lib. 21. cap. 8. *Amaranto non dubiè vincimur. Est autem spica purpurea verius, quam flos aliquis, & ipse sine odore, mirumque in eo, gaudere decerpi, & lætius renasci. Provenit Augusto mense: durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus asservatur. Mirumque postquam defecere cunctis flores, madefactus aqua reviviscit, & hibernas coronas facit. Summa ejus natura in nomine est appellato, quoniam non marcescat.*

Talis prorsus est sapientia, quæ numquam marcescit, sed semper reviviscit, estque purpurea, id est ignea: purpura enim & colore & nomine est πῦρ πυρὸς, id est *ignis ignis*. *Sapientia est amarantus.* Huic affine est illud psalm. 11. 7. *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatũ septuplum.* Sapientia enim est ipsa lex, sive eloquia & dicta Dei, quæ excipit, amat & opere exequitur ipsa virtus. Et psal. 18. 8. *Lex Domini immaculata convertens animas: testimonium* (id est ipsa lex, quæ testatur, quid Deus à nobis fieri velit) *Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.* Hinc sapientia *facilè videtur ab his qui diligunt eam.* Ipsa enim velut fax in Pharo, omnes in hoc sæculo navigantes illuminat, iisque viam ad portum salutis prælucet: qui ergo eam diligit, luci illius aperiat oculos, & eam conspiciat. Nam ut ait S. August. lib. de Moribus Ecclesiæ c. 1. *Scientiam veritatis neque omnes à quibus quæritur, docere possunt, neque omnes, qui quærunt, discere digni sunt. Et diligentia igitur & pietas adhibenda est; altero fit, ut scientes inveniamus; altero, ut scire mereamur.* Philosophia ergo est via ad sophiam, hoc est, amor sapientiæ est via ad sapientiam. Amor enim vires mentis exacuit, & omnes difficultates superat.

Commendat sapientiam à tribus. Primò, à necessitate; Secundò, à pulchritudine, splendore & excellentia, æque at à facilitate & comitate; Tertiò, ab utilitate. A necessitate commendavit illam ab initio capitis huc usque, quòd sine sapientia reges subituri sint terribile Dei judicium & tormenta. A pulchritudine hic eam commendat, æquè ac à facilitate eam assequendi: ab utilitate eam commendabit v. 19. & seq. Hic ergo eam laudat à specie & benignitate singulari, qua prior sese offert sui cupidis, eosq; ad se suiq; studium allicit & invitat: cujus contrarium faciunt speciosæ feminæ, quæ sua formà superbiunt & quæri volunt, non quærere, juxta illud:

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam. Sic & scientia sæcularis inflat.

VERS. 14. PRÆOCCUPAT QUI SE CONCUPISCUNT, UT ILLIS SE PRIOR OSTENDAT] Vatabl. *ultrò se cupidis offert cognoscendam*, Pagnin. *præoccupat cupientes, ut prænoscatur*, Clemens Alex. 9. Strom. *prævenit eos, qui cupiunt, ut prænoscant.* Sic de sapientia ait Eccles. c. 15. v. 1. & seqq. quod quærentibus justitiam *obviabit quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum.* Vide ibi dicta. Dupliciter hæc gnome accipi potest. Primò, ut τὸ *ut* referatur ad *præoccupat*, & τὸ *qui concupiscunt*, accipiatur materialiter. q. d. Sapientia, putà Deus Deique gratia, prævenit eos qui se concupiscũt, ita ut illis se prior ostendat, in eisq; sui concupiscentiam & desiderium excitet. In hoc enim consistit præventio gratiæ, & præoccupatio Dei, quòd ipse omne nostrum desiderium præveniat, imo illud suscitet, uti docet Concil. Trident. sess. 6. item Arausican. & Milevitan. & S. Augustin. passim contra Pelag. Pelagianorum enim error erat, initium virtutis & salutis non esse à Deo, sed ex nobis. Hominem enim per liberum arbitrium se disponere ad gratiam, eamque à Deo poscere, itaque impetrare: quod planè falsum & erroneũ est. Deus enim & Christus est quasi sol, qui sua luce & gratia omnes prævenit, nec ab ullo præveniri potest.

Secundò, ut τὸ *qui concupiscunt* accipiatur in sensu formali, ac τὸ *ut* referatur ad *qui se concupiscunt*. q. d. Sapientia præoccupat eos qui eam concupiscunt, & petunt ut illa se præoccupet, & prior se illis ostendat. Præoccupet, inquam, ad ipsam sapientiam confusè jam cognitam, particulatim & distinctè cognoscendam: ignoti enim nulla cupido: quare prius est hominem in confuso cognoscere & concupiscere sapientiam, quàm ab illa particulatim præoccupari & edoceri: sed illud ipsum confusè cognoscere & concupiscere sapientiam, manat ab alia priore præoccupatione sapientiæ, scilicet prima & generali. Primò enim Deus in anima excitat generalem & confusam cognitionem, & concupiscentiam sapientiæ, virtutis & salutis, ut anima illam postulet à Deo. Cùm ergo anima illam postulat, Deus illam ei particulatim, sed sensim & per gradus infundit. Primò enim per fidem illam illuminat; Secundò, spem salutis ingerit; Tertiò, dolorem peccatorum immittit; Quartò, actum amoris & contritionis excitat:

quæ

quæ est ultima & proxima dispositio ad gratiam & justitiam, uti docet Trident. sess. 6. Sic Ecclesia, & fidelis quisque ac justus, assiduè orat, ut nova Dei gratia præveniatur, ad nova & heroica sapientiæ, id est virtutum, opera edenda. Sed hæc ejus oratio manat ab alia priore gratia præveniente, quæ eum ad orandum excitavit. Hæc enim est oratio Ecclesiæ in Dominica XVI. post Pentecosten: *Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper & præveniat & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos.* Uterque sensus verus est, uterque congruus, uterque demonstrat insignem humanitatem, benevolentiam, liberalitatem, sollicitudinem & philanthropiam Dei nostri, qua ipse suo amore, vocatione & gratia nos indignos, imò peccatores & hostes suos prævenit, ut suos amicos, imò filios & heredes efficiat. Utrobique ergo Deus nos præoccupat; utrobique sapientia, id est Dei illuminatio & gratia, nos prævenit; utrobique primas in studio sapientiæ occupat & anticipat: nam & primitus animæ sese confusè cognoscendam offert, suique generalem cupidinem excitat: deinde ab ea confusè cognita & concupita, in ea specialem, eamque ardentiorem sui concupiscentiam suscitat, idque in dies magis & magis, ut ejus munere gliscat animo exorta cupido, donec illa sui fiat cupidissima, totaque ejus amore inflammetur. Hinc Christus Joan. 4. 14. sic de sapientia loquitur Samaritanæ sub aquæ nomine. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitã æternam.* Et Joan. 7. 38. clamans in templo: *Si quis sitit,* ait, *veniat ad me: & qui biberit de aqua, quam ego dedero ei, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Et Apocal. 3. 20. *Ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Et S. Aug. 15. Confess. 2. *Per Christum,* ait, *quæsisti nos non quærentes te: quæsisti autem, ut quæremus te.*

Mysticè, Beata Virgo velut æternæ Sapientiæ mater, præoccupare dicitur eos, qui se desiderant, & obviare illis qui se inquirunt. Quia nemo tanta celeritate ad implorandam Virginem currit; quin ipsa Virgo ad imploratorem suum audiendum velocior præcurrat. Unde Cant. 4. 5 hinnulis comparatur; quia, ut hi, interprete Richardo Victorino, veloces sunt ad currendum; ita Beata Virgo ad succurrendum. Immò & à D. Epiphanio serm. de ejus laudibus, currus Cherubicus appellatur, quia ut hic decem millibus multiplex citatissimus volat, ita & illa innumeris misericordiæ alis elata festinat, ut patrocinetur. Nec mirum, cùm matris, non judicis, munere fungatur. Quo nomine velocior aliquando ad auxilium ferendum Virgo mater, quàm ejus filius Christus Dominus videtur, ut D. Anselmus lib. de Excellentia Virginis c. 6 asserit: *Velocior,* inquit, *est nonnumquam salus memorato nomine ejus* (id est Mariæ) *quam invocato nomine Domini Jesu.* Et rationem reddit *quia ad Christum, tamquam ad judicem pertinet etiam punire: ad Virginem, tamquam ad patronam, non nisi misereri.*

Moraliter disce hic Christiane, imitari æternam Sapientiam, putà Christum ejusque matrem, ut tam inimicos, quàm amicos amore & honore prævenias, juxta illud Apost. Rom. 12 *Honore invicem prævenientes.* Hoc enim exigit perfecta charitas & beneficentia. Si ergo vis amari, ama: magnes enim amoris est amor. Hinc Christus priùs homines prævenit, factus homo, ut eos ad se redamandum cogeret. Huc facit illud Luciani:

Gratia quæ tarda est, ingrata est gratia: namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Audi Senecam lib. 2. de Benefic. cap. 1. *Gratissima sunt beneficia parata, facilè occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Optimum est antecedere desideriũ, cujusque proximum sequi, illud melius, occupare antequam rogemur: quia cùm homini probo ad rogandum os concurreat,* (alii aptiùs, legunt *corruat*) *& suffundatur rubore; qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui cùm rogasset accepit. Quandoquidẽ ut majoribus nostris gravissimis visum est: Nulla res carius constat, quam quæ precibus empta est.* Et inferiùs: *Ideo divinanda cujusque voluntas, & cum intellecta est, necessitate gravissima liberanda est. Illud beneficium jucundum victurumque in animo scias, quod obviam venit. Si non contingit prævenire, plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur; sed certiores facti statim promittamus, facturosque nos etiam antequam interpellaremur, ipsa festinatione approbemus.*

Vers. 15. QUI DE LUCE VIGILAVERIT AD ILLAM NON LABORABIT: ASSIDENTEM ENIM ILLAM FORIBUS SUIS INVENIET] q.d. Qui manicaverit, qui manè primo diluculo illam quæsierit orando, invocando, meditando, studendo, non laborabit, ut eam inveniat, quia ipsa manè ad se vigilanti assistit & assidet. Notat matutinum tempus, velut primum & aptissimum, dandum esse sapientiæ, id est orationi, studio & rebus divinis, juxta illud psalm. 62. 2. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Et Proverb. 8. 34. *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei.* Vide ibi dicta. Sed vigilantissimos quosque superat & prævertit vigilantia sapientiæ. Sic S. Magdalena ante auroram ivit ad sepulchrum Christi, ut eum quæreret, ideoque prima & ante Apostolos eum resurgentem videre meruit.

Pro *assidentem* græcè est, πάρεδρον, quo nomine Philosophi vocabant suos deos & genios familiares. Sicut Socrates genium habuit paredrum, id est assessorem. Sic hæresiarchæ habuerunt dæmones paredros. Tales quoque habent magi in annulis. At justorum paredrus est Deus, Deique sapientia & gratia. qua de re rursum dicetur c. 9. 4.

Narrat Svetonius in Galba c. 4. & 18. illi hoc omen, tam adepti, quàm adempti imperii fuisse datum: *Somniavit,* inquit, *fortunam dicentem stare se ante fores defessam, & nisi ociùs reciperetur, cuicumque obvio prædã futuram. Evigilans aperto atrio simulacrum æneum deæ, cubitali majus, juxta limen invenit, & in larario collocatum coluit. Longe post monile pretiosissimum fortunæ destinatum, Veneri Capitolinæ imposuit. Proxima nocte somniavit speciem fortunæ querentis fraudatam se dono destinato, minantisque erepturam & ipsam, quæ dedisset.* ac paulò pòst imperio & vita privatus est. Vera sapientia, & fortuna fortunans est Deus, à quo omnis nostra salus & beatitudo proficiscitur: illum ergo se nobis offerentem cupidè excipiamus, exceptum constanter teneamus & colamus, ut ille sua bona & dona in nobis coservet, adaugeat & perpetuet in æternũ.

Vers. 16. COGITARE ERGO DE ILLA, SENSUS EST CONSUMMATUS: ET QUI VIGILAVERIT PROPTER ILLAM, CITÒ SECURUS ERIT] Pro *cogitare* græcè est, ἐνθυμηθῆναι in aoristo, id est cogitasse, in animo versasse & volutasse, intellexisse & menti impressisse, ut scilicet illa menti jugiter obversetur, ac de ea assiduè cogites. Unde Noster aptè vertit, *cogitare* in præsenti. Adde, sæpè præteritum sumi pro præsenti, præsertim apud Hebræos, qui carent præsenti. Pro *sensus consummatus*, græcè est, φρονήσεως τελειότης, id est *sapientia perfectio est*; vel *prudentia & intelligentia consummatio est*, vel *prudentia perfecta est*: quare perperam Holcot per *sensus*, corporis sensus hic accipit. q. d. Sapientia corrigit & perficit vitia & defectus sensuum corporeorum, putà visus, auditus, gustus, &c.

Sensus ergo Primò, esse potest. q. d Qui assiduè sensum, id est sapientiam & prudentiam, ejusque dogmata & dictamina mente versat, ut ea semper ob oculos habeat, & juxta ea actiones suas instituat & dirigat, hic perfectè sapiens & prudens est. *Et qui vigilaverit propter illam,* ut sapientiam ejusque præcepta cognoscat mentique imprimat, hic *citò securus erit*, græcè, ἀμέριμνος ἔσται, id est sine cura (*securus* enim idem est, quod *semotus à cura*) sine sollicitudine erit, putà quietus & tranquillus erit, indeque hilaris & lætus: nam *secura mens quasi juge convivium*: quia talis sapienter, juxta dictamen sapientiæ vitam instituet: unde securus erit, tum à peccato & lapsu, tum à periculis, quæ actiones difficiles comitari & subsequi solent: hæc enim sapientia prævidet & providet: unde ea vel fugit, vel abigit & propulsat, vel tolerat & fortiter superat. Securitatem ergo & tranquillitatem animo præstat sapientia, cùm insipientia & imprudentia mille ei curas, angores, pericula, infelices actionum successus & damna afferat, ait Cantacuzenus. *Sapiens est securus: cur?*

Posset Secundò, planiùs sic exponi, q. d. Perfectè prudens est, qui non de rebus mundi vanis, caducis, curiosis & futilibus, sed de vera sapientia, quæ eum ad virtutem & felicitatem perducat, cogitat, & sollicitus est, quomodo scilicet illam adipisci queat. Porrò securus erit quòd eam adipiscetur, qui ad eam manè *vigilaverit*, id est, qui eam studiosè quæsierit & vestigarit: inveniet enim eam sibi ultrò occurrentem & assistentem, imò præoccupantem, uti paulò antè dixit. ita à Castro. Unde Vatabl. vertit, *nempe de illa cogitare ad sapientiæ perfectionem pertinet, & qui vigilaverit propter eam, citò securus fuerit.* Hinc Cicero teste

ro teste S. Augustino lib. 1. contra Academ. cap. 3. beatum A asserit eum, qui studet veritati indagandæ, etiamsi eam non assequatur. Multò magis beatus in spe dicendus est, qui in hac vita incipit studere sapientiæ & veritati, quæ Deus est, cognoscendæ, ut in cælo eum perfectè videre mereatur, fiatque beatus in re.

Tertiò, Cantacuzenus sic exponit, q. d. Perfecta prudentia & intelligentia est, cogitare de vera sapientia discenda & comparanda. Sicut enim finis domus est tectum, hoc est, ea tegi contra cæli hominumque injurias; urbis finis, est civium salus; medicinæ finis, est sanitas: sic omnis scientiæ & intelligentiæ finis, est vera sapientia, quæ hominem rectè vivere docet, & ad beatitudinem recta ducit.

Quartò, noster Lorinus: Post acquirendæ facilitatem sapientiæ, inquit, felicitatem persequitur in ejus acquisitione. Hæc autem est duplex, perfectio intellectus, & mentis securitas; sive tum erroris, tum mali exclusio; ita ut falsas evellat opiniones inflammando mentes veritatis cognitione, ac demat sollicitudines, & curas inanes expellat.

Ex hisce quatuor sensibus secundus planior & accommodatior videtur, eumque exigit vox illativa *ergo* (licet in Græco sit γὰρ, id est *enim*, sed γὰρ subinde significat *ergo*, *utique*, *nimirum*, *igitur*) quæ hanc gnomen cum præcedenti colligat, ex eaque educit & colligit. q. d. Sapientia adeò prompta & prona est ad se communicandum, ut præoccupet sui cupidos, seseque prior illis ostendat. Ergo cogitare de illa est sensus consummatus, id est perfecta prudentia & sapientia: nam sapientia ex sua promptitudine ultrò & illico de se cogitanti occurret, eumque plenam & perfectam sapientiam edocebit: quare qui vigilaverit ad eam, citò securus de sapientia adipiscenda, deque omni alia cura & re feliciter conficienda evadet. Hunc esse sensum liquet ex causa, quam Sapiens subdit: *Quoniam dignos se ipsa circuit quærens*, &c. *& omni providentia occurrit illis.* Est metonymia: cogitatio enim & studium sapientiæ vocatur sapientiæ perfectio, non consummatè sed inchoativè, quia ad eam est via, ad eamque sensim studiosum perducit. Verba enim & nomina Hebræorum sæpè actum non perfectum, sed inchoatum signifi C cant, uti jam sæpiùs monui. Porrò cogitatio sapientiæ inducit sapientiam, quia qui sæpè de aliqua re cogitat, illam deamat; sapientia autem amata ultrò occurrit amanti, seseque illi communicat.

Mysticè, consummatio sapientiæ & securitas mentis est, res divinas diligenter cogitare, meditari, concupiscere, amare. Hanc autem sapientiam à Spiritu sancto progenitam, hanc securitatem à bona conscientia manantem nemo habet, nisi qui charitate erga Deum & proximum pollet.

Vers. 17. QUONIAM DIGNOS SE IPSA CIRCUIT QUÆRENS, ET IN VIIS OSTENDIT SE ILLIS HILARITER, ET IN OMNI PROVIDENTIA OCCURRIT ILLIS] Dat causam, cur cogitare de sapientia sit sensus consummatus, & cur vigilans ad illam securus sit futurus, quia scilicet illa dignos se id est de se cogitantes, seque studiosè vestigantes, circuit & quærit, ut ultrò *in viis*, id est in omnibus vitæ actionibus, institutis, officiis, tum privatis, tum publicis, ac præsertim in gubernanda republica, hilariter se suaque omnia iis ostendat & D communicet, imò illis occurrit *in omni providentia*; græcè, ἐπινοίᾳ, id est consilio, ingenio, solertia, consideratione, excogitatione, inventione, prudentia: quasi dicat, Sapientia mille modos & rationes solerter excogitat & adinvenit, quibus sui cupidis summa cura & providentia occurrat & succurrat. Deus (qui est ipsa sapientia inquit Nazianz. amat amari, quærit quæri, sitit sitiri; hinc mille modos adinvenit, quibus animas ad se trahat & convertat. Unde Vatabl. vertit, *summo studio occurrit illis*; Noster vertit, *providentia*, quia sapientiæ & prudentiæ potior pars est prospicere futura, eaque si bona sint, accersere; si mala, avertere. Simili modo, sed contrario fine meretrix luxuriæ & voluptatis occurrit juveni incauto, illumque suis deliciis inescat, dementat, perdit & necat, uti describitur Proverb. 7. 14. & seqq.

Posset Secundò, ἐπινοίᾳ referri non ad sapientiam, sed ad studiosum sapientiæ: huic enim in omni ἐπινοίᾳ, id est cogitatione & deliberatione, occurrit, seseque sistit sapientia. q. d. Quandocumque animus prudens aliquid prudenter & providè cogitat & meditatur, ibi statim occurrit sapientia, ipseque Deus: quare saluberrimum est de sapientia, deque Deo & rebus divinis cogitare & loqui: ibi enim illico inserit se Deus, sicut Christus inseruit se discipulis euntibus in Emaus, cùm de se loquerentur. Ita Cantacuzenus & Jansen.

Hic sensus appositus quoque videtur, satisque respondet Græco: *& enim in omni providentia*, vel, ut nonnulli legunt, *prudentia, occurrit*: respondet τῷ *in viis ostendit*: prudentiæ enim & providentiæ humanæ munus est, ut homini prudenter vias, id est actiones suas naturales, instituere volenti, seseque consulenti, suggerat in omnibus rationes & media opportuna, quibus idipsum efficiat. Prudentia verò & sapientia divina, multò magis id præstat in actionibus supernaturalibus & divinis. Omnes hæ metaphoræ significant Deum suam sapientiam (putà sua præcepta & consilia, sua divina lumina) libentissimè communicare his qui eam cupiunt, imò ad hoc gestire, ut ultronea voluntate, & benignissima liberalitate beneficia sua in cupidos profundat: quare par est ut homines simili B voto respondeant & occurrant Deo, ut eam ab illo ardenter postulent & exquirant, uti sponsa quæsivit sponsum, dicens: *Surgam & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*, Cant. 3. 2. Ita Christum quæsivit S. Magdalena, ideoque invenit magno suo bono & felicitate.

Uterque sensus jam datus, congruus est & connexus. Eadem enim est prudentia & providentia, quæ ab homine quæritur consuliturque, & quæ homini quærenti consulentique occurrit, rationesque prudenter operandi in omnibus rebus, præsertim gravioribus & magis arduis, suggerit. Sapientiam matrem suam imitentur viri sapientes, ut zelum ejus induentes circumeant quærentes dignos & dispositos, quibus sapientiam suam communicent, illisque eam ostendant, non tardè, tetricè, morosè, sed celeriter, hilariter, jucundè (*hilarem enim datorem diligit Deus*, 2. Cor. 9.) atque in omni providentia illis occurrant & succurrunt, uti fecit Christus Dominus, S. Petrus, S. Paulus, ceterique Apostoli & viri Apostolici ac Religiosi, qui animas ad Dei cognitionem & amorem traducere satagunt.

Symbolicè, S. Gregor. 26. Moral. cap. 8. per *vias*, accipit creaturas, quibus ascendimus ad creatorem. *In viis*, inquit, *ostendit se illis hilariter, & omni providentia occurrit illis. Viæ quippe ad creatorem sunt opera considerata creatoris. Quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. In istis viis à sapientia omni nobis providentia occurritur: quia factoris nobis virtus inquirenda proponitur in omne, quod mirabiliter factum videtur; & quocunque se verterit anima, si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Deum invenit, per quæ reliquit, ejusque potentiam ex eorum rursus consideratione cognoscit, quorum amore deseruit: & per quæ perversa cecidit, per hæc conversa revocatur.*

Huic expositioni favet Græcum φαντάζεται, quod Noster vertit, *ostendit*, scilicet quasi per visum & phantasma: per phantasmata enim rerum creatarum mens assurgit ad purè contemplandum earum creatorem, ibique quietem, hilaritatem & omne bonum invenit, ut dicat cum S. Francisco: *Deus meus & omnia.* Nam ut sapienter ait S. August. lib. 4. Confess. 10. *Quaquaversum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi præterquam in te.*

INITIUM ENIM ILLIUS VERISSIMA EST DISCIPLINÆ CONCUPISCENTIA] Græcè, ἀρχὴ γὰρ αὐτῆς ἡ ἀληθεστάτη παιδείας ἐπιθυμία. ubi τὸ ἀληθεστάτη, tam referri potest ad ἀρχὴ, id est *initium*, huc que inclinat articulus ἡ quàm ad ἐπιθυμία, id est *concupiscentia*. Ad ἀρχὴ refert Cantacuzenus, Jansenius & Osorius; unde vertunt, *initium enim illius verissimum est, disciplinæ concupiscentia.* q. d. Varia assignari solent initia sapientiæ, sed verissimum ejus initium est concupiscentia disciplinæ, sive, ut ait Osorius, verissimum sapientiæ fundamentum, illius cupiditate & inflammato desiderio continetur. Vers. 18.

Noster verò, Vatabl. & alii τὸ ἀληθεστάτη, referunt ad ἐπιθυμία: unde vertunt, *initium enim illius, verissima est disciplinæ concupiscentia.* Probat enim id quod dixit sapientiam occurrere, imò præoccupare eos qui se concupiscunt, ex eo, quòd concupiscentia disciplinæ sit initium sapientiæ: disciplina enim est comes & soror sapientiæ. Sensus ergo est. q. d. Dixi sapientiam occurrere non omnibus, sed sui cupidis; quia concupiscentia, sive desiderium disci-

disciplinæ (quæ parit sapientiam) non quale quale, sed verissimum, id est purissimum, ac planè remotum ab omni simulatione, fuco & cupiditate; item verissimum, id est integrum, quod totum sapientiæ incumbat, nec ad alia desideranda se distrahat (postulat enim totum hominem) est verum & proprium sapientiæ practicæ, salutiferæ & divinæ initium. Multi enim concupiscunt disciplinam, ut per eam ad honores, opes & status promoveantur; hi non habent concupiscentiam ejus veram & sinceram, ideoque non habent initium sapientiæ. Porrò disciplina, ut dixi v. 12. est castigatio pravarum affectionum & cupiditatum: per hanc enim datur initium sapientiæ & virtutis, si nimirum disciplina concupiscatur verissimè, id est non ambitiosè, non curiosè, non torpidè, non quæstuosè, non partitè, sed humiliter, candidè, ferventer, piè & purè, totaliter & integrè. Sicut enim desiderium sanitatis, scientiæ, artis, est initium sanitatis, scientiæ & artis: sic philosophia est initium sophiæ, id est sic amor & desiderium sapientiæ, sive virtutis, magnum est sapientiæ & virtutis principium, juxta illud:

Dimidium facti, qui bene cœpit habet.

tum quia, qui vehementer aliquid desiderat, totus in illud incumbit, omnes vires explicat, omnes difficultates subit & superat: tum quia virtus consistit in voluntate, cujus actus est desiderium. Quid enim est humilitas, nisi amor & desiderium se demittendi? Quid est patientia, nisi amor patiendi? Quid charitas, nisi desiderium amandi? Quare quantum, quamque ardens & efficax est in voluntate desiderium virtutis, tanta implicitè in ea, tamque ardens & efficax est ipsa virtus. Qui ergo in virtute quapiam crescere satagit, ejus desideria in se ardentia & efficacia crebrò excitet; sic mirificè in ea proficiet. Tantus igitur in virtute es, quantus in ea efficaciter esse vis. Hoc desiderium sapientiæ habebat S. Augustin. lib. 11. Confess. cap. 2. *Sicut*, inquit, *castæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam in eis.* Hinc & justificationis initium, & ad illam dispositio est, ut peccator gratia Dei præventus justitiam concupiscat, illamque à Deo postulet, utque Christum velut justitiæ fontem diligere incipiat, ait Concil. Trident. sess. 6.

Obiicies: *Initium sapientiæ* est *timor Domini*, psal. 110. 10. quomodo ergo hic dicitur, quòd initium sapientiæ sit disciplinæ concupiscentia? Respondetur: Timor Domini est disciplinæ concupiscentia, quia timor hic est amor Dei, qui secum affert concupiscentiam & amorem disciplinæ. Vide dicta Eccli. 1. 16.

Initium virtutis est ejus desiderium. Moraliter, hic disce initium & viam ad sapientiam, id est virtutem & perfectionem, esse ingens ejus desiderium. Audi nostrum Alvarez de Paz de Perfect. in proœm. Sicut summa humani cordis perversitas à desiderio mali sumit exordium, quo desiderio animus excitatus & victus malum semel patrat, & ex uno peccato in aliud ruit, quousque ad consuetudinem veniat, & ex consuetudine in cordis duritiem, ac in extremam miseriam cadat: ita ejusdem cordis summa perfectio à desiderio boni incipiat necesse est, quod desiderium vires accumulans, & mentem hominis sæpè sollicitans in opus prodeat, & ex bonorum operum iteratione virtutis consuetudinem pariat, & ex bona consuetudine in amorem boni propter seipsum, atque adeò in ipsam perfectionem ascendat. Hoc desiderium est janua, per quam humana mens in sanctuarium, sive in ipsam sanctitatem, ingreditur. Est ventus, quo navigium cordis impulsum, à seipso, & à rebus terrenis discedit, & felici cursu in puritatem enavigat. Est primus gradus, quo quis à malo desciscit, & sensim paulatimque progrediens, tandem in perfectæ virtutis possessione collocatur.

VERS. 19. CURA ERGO DISCIPLINÆ, DILECTIO EST: ET DILECTIO, CUSTODIA LEGUM ILLIUS EST: CUSTODITIO AUTEM LEGUM, CONSUMMATIO INCORRUPTIONIS EST] Ex eo quòd dixit sapientiam occurrere iis qui se cupiunt, commendat cupiditatem sapientiæ, & in ejus laudes excurrit, atque per gradationem & soritem, id est acervalem syllogismum, ejus dotes & fructus eximios enumerat. Pro *ergo* græcè est δὲ, id est *autem*, *vero*, ut gradatio incipiat v. præced. q. d. Initium sapientiæ est disciplinæ concupiscentia: concupiscentia autem disciplinæ, ejusdem parit curam & sollicitudinem: cura parit dilectionem, dilectio custodiam legum, hæc incorruptionem, quæ facit proximum esse

A

Deo per regnum æternum, quod disciplinæ, sive sapientiæ, cupido affert. Aut ut noster à Castro, q. d. Verissimum initium sapientiæ est ejus cupiditas: cupiditas curam auget, cura amorem, amor ad observantiam legis animum accendit: porrò observantia divinæ legis certum reddit hominem de futura incorruptione: incorruptio verò ad Deo fruendum perducit: cupiditas ergo sapientiæ deducit ad Dei regnum.

Verùm, quia non dicit Sapiens: *Concupiscentia disciplinæ est cura disciplinæ*, sicut dicit: *Cura disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum illius est*, &c. hinc Noster aptiùs censuit hic inchoandam esse gradationem, atque concupiscentiam disciplinæ esse eamdem cum cura disciplinæ: qui enim aliquid concupiscit, curat & sollicitus est, ut idipsum assequatur. Unde pro δὲ, id est, *verò*; vertit, *ergo*, quæ sæpè est particula non illativa, sed sermonis inchoativa, idemque valet, quod *itaque*. Idem valet subinde Græcum δὲ, & Latinum *verò*, ut scilicet sit particula non adversativa, sed expletiva vel ornativa. Unde Terent. in Eunucho:

B

Id verò, inquit, quod ego puta mihi palmarium
Me reperisse.

Ubi Donatus: Nisi, inquit, ornativum esset *verò*, nihil significaret. Sensus ergo est, q. d. *Initium sapientiæ*, & consequenter felicitatis omnisque boni, est concupiscentia sive cura disciplinæ. Ostendit deinde idipsum per partes gradatim scandendo usque ad regnum æternum, aitque: *Cura ergo disciplinæ*, &c. q. d. Itaque concupiscentia sive cura disciplinæ est dilectio, id est conciliat dilectionem, sive charitatem: quantum enim per disciplinam & castigationem reprimitur & decrescit cupiditas, tantum dilatatur & accrescit charitas, adeoque plena charitas est nulla cupiditas, ait S. August. *Dilectio verò custodia legum illius est*, id est, charitas impellit, suadet & efficit custodiam legum: qui enim Deum amat, utique eius mandata custodit: sicut qui amat regem, eius iussa exsequitur; & qui diligit amicum, eius voluntatem explet.

CUSTODITIO (græcè, προσοχὴ, id est attentio, diligens auditio, & accurata diligentia ad leges Dei, quas audivimus & cognovimus, custodiendas & observandas)

C

AUTEM LEGUM, CONSUMMATIO (græcè, βεβαίωσις, id est confirmatio) INCORRUPTIONIS EST] S. Athanas. de Incarnat. Verbi, *attentio & observatio legum, constabilitio est immortalitatis*; Vatabl. *observatio legum, integritatis, vel immortalitatis, constitutio est*, id est statumen, basis & firmamentum est. Incorruptio hæc vel integritas, tum generatim pro virtute & puritate accipi potest. q. d. Custodia legum facit, ut homo sit integer & perfectus secundum omnes virtutes, omniumque virtutum leges & præscripta. Ita Hugo. tum propriè pro castitate. q. d. Custodia legum affert castitatem (hæc enim una est ex legibus à Deo sancitis, & ceterarum legum decus & complementum) quæ facit, ut homo sit integer & incorruptus, tam mente, quàm corpore. Unde Climacus gradu 15. & S. Basil. lib. de Virginit. docent, castitatem esse virtutem, quæ homines faciat angelos, illamque esse, tum semen, tum typum futuræ incorruptionis in gloria cœlesti, imò illam homini indere similitudinem Dei integri & incorruptibilis, quantum fas est mortali, mente æquè ac corpore Deo assimilari. Unde sequitur: *Incorruptio autem facit esse proximum Deo.*

D

Hinc & multorum multarumque virginum corpora post mortem incorrupta manserunt, & etiamnum manent. Hinc rursum ex Græco vertas, *custodia legum est firmamentum immortalitatis*: quia sicut violatio legis de non comedendo pomo vetito facta ab Adamo, fuit causa corruptionis & mortis, tam eius, quàm posterorum omnium: sic custodia legum est causa incorruptionis & immortalitatis, quia illam meretur consequi in futura resurrectione. Ita Lyranus & Dionysius.

Nota. Omnes hæ gradationes & gnomæ in sensu, non formali, sed causali explicandæ sunt. Non enim custodia legum est consummatio incorruptionis & immortalitatis formaliter, ut patet; sed causaliter, quia scilicet eam causabit, ac plenam & consummatam immortalitatem Beatis afferet in cœlo. Hinc Clemens Alex. lib. 6. Strom. paraphrasticè sic vertit, vel potius explicat: *Ergo dilectio cognitionis facit alienum ab interitu, & eum qui est regalis prope Deum extollit.* Pro quo Noster vertit.

INCORRUPTIO AUTEM FACIT ESSE PROXIMUM VERS. 20.

XIMUM DEO] Græcè, *incorruptio autem facit esse prope Deum*, id est proximè Deo. Sæpe enim positiva pro superlativis usurpantur. Syrus, *veritas, qua non corrumpitur, & opus quod est sine corruptione, approximant ad Deum*; Arabicus, *et privatio tentationis ponit hominem proximum Deo*. Arabes tentationem vocant omne malum, omnem corruptionem. Pergit in gradatione, q. d. Integritas mentis, quam affert custodia legum, facit ut homo sit similis Deo per gratiam & sanctitatem, eademque faciet ut homo sit Deo similis in cælo per immortalitatem & gloriam, juxta illud: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, 1. Joan. 3. 2. Visio enim Dei nos beabit, facietque ei similes. Unde S. Irenæus l. 4. contra hæres. c. 75. *Visio Dei*, inquit, *efficax est incorruptela; incorruptela verò proximum facit esse Deo*. qui & paulò antè: *Subjectio Dei*, inquit, *incorruptela perseverantia est, incorruptela autem gloria infecti*, q. d. Incorruptio est dos & gloria propria Deo, qui non est factus, sed per se semper extitit; à quo eamdem participant justi & beati, illi planè subjecti & uniti. Esto enim damnati sint futuri quoque immortales; tamen erunt in perpetuis tormentis; unde erunt corruptibiliter incorruptibiles, & mortaliter immortales. S. Bonavent. per *incorruptionem* accipit virginitatem. hæc enim facit integros mente & corpore, ac proximos Deo; imò castas animas facit sponsas Dei. Unde virgines proximè sequuntur Agnum quocumq; ierit, Apoc. 14. 4. Verùm hæc partialis est incorruptio: totalis verò est custodia legum, quę competit omnibus justis. Huc facit illud Plinii in Panegir. Traiani. Nil præstabilius aut pulchrius deorũ, quã castus & sanctus, & diis simillimus princeps. Et illud, quod scribit Plutarch. lib. Quòd cum principe philosophandum sit, Minoem esse Jovis discipulum: *Non enim*, inquit, *privatos homines, vel otiosos deorum voluerunt esse discipulos, sed reges, qui sapientiam & virtutes animi consecuti, ea essent ad utilitatem omnium conversuri*.

Huc quoque facit illud Arist. 10. Ethic. c. 8. *Qui mente operatur, & eam colit, disponitur optimè, is & amicissimus diis immortalibus esse videtur. Nam si dii curam humanarum rerum, ut existimatur, aliquam habẽt rationi sanè consentaneum fuerit, ipsos congaudere quod est optimum maximeque sibi cognatum: hoc autem fuerit ipsa mens; & in eos, qui maximè hoc amant atque honorant, beneficia vicissim conferre, tamquam curam habentes eorum quæ sibi sunt chara, ac diligentiam adhibentes, & rectè beneque agentes. At constat hæc omnia maximè sapienti inesse: amicissimus igitur sapiens ipse diis immortalibus est; eumdem autem convenies est & felicissimum esse: quare sapiens hoc quoque modo maximè fuerit felix*.

VERS. 21. CONCUPISCENTIA ITAQUE SAPIENTIÆ DEDUCIT AD REGNUM PERPETUUM] Hæc est clausula & culmen gradationis atque soritis. q. d. Concupiscentia disciplinæ, & illi connexæ sapientiæ, facit incorruptos & proximos, imò similes Deo per gratiam & gloriam, itaque tribuit eis regnum Dei perpetuum, eosque facit reges cælestes & æternos: hoc enim regnum debetur, ac paratum & promissum est sapientibus, id est justis, qui custodiunt legem, ac per integritatem vitæ proximi sunt Deo: hoc enim ut notum Sapiens hic subaudiendum relinquit. Quis ergo non concupiscat, quis non ambiat sapientiam, id est virtutem & sanctitatem, quæ sui studiosos adeò beat, exaltat, glorificat? Noster à Castro censet hic agi de regno terreno, non cælesti, idque probat ex v. sequenti. Verùm est superficie tenus hæc gnome accipi possit de regno terreno, quod longævum & per multa sæcula propagatum præstat sapientia, uti præstitit Davidi; tamen plenè & perfectè accipienda est de regno cælesti: hoc enim solum est perpetuum, facitque Beatos incorruptos, immortales & proximos Deo: licèt enim τὸ *perpetuum* non sit in Græco; tamen satis ex sequenti versu intelligitur. Unde illud legit S. August. in Speculo, Cantacuzenus & alii. Nam regnum, non tantum terrenum, ut vult à Castro, sed etiam cæleste promitti Judæis in veteri testamento liquet ex c. 5. 17. *Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini*. Et clarius Daniel. 7. 27. *Regnum autem & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi, cujus regnum, regnum sempiternum*, &c.

Similem gradationem & soritem per similes gnomarum & præmiorum, velut annulos connexum & concatenatum videre est in Codice legum Visigothorum lib. 1. titul.

A 2. cap. 6. qui annexus est Cassiodoro: *Sicut modestia principum*, inquit, *temperatio est legum; ita concordia civium, victoria est hostium. Ex mansuetudine etenim principum, oboritur dispositio legum; ex dispositione legum, institutio morum; ex institutione morum, concordia civium; ex concordia civiũ triumphus hostium: sicque bonus princeps interna regens, & externa conquirens, dum suam pacem possidet, & alienam litem abrumpit, celebratur & in civibus rector, & in hostibus victor. habiturus post labentia tempora regnum sempiternũ: post luteum aurum, cæleste regnum: post diadema & purpuram, gloriæ coronam. Quin potius nec deficiet esse rex: quoniam dum regnum terrenum relinquit, & cæleste conquirit, non erit amisisse regni gloriam, sed auxisse*.

Hoc enim omnibus votis optandum & orandum est regibus, ut eum S. Ludovico de regno isto terreno & caduco ad cæleste & æternum transferantur. Omnis enim gloria regni terreni instar umbræ pertransit, & instar fumi statim evanescit.

SI ERGO DELECTAMINI SEDIBUS (thronis regalibus) ET SCEPTRIS, O REGES (græcè, ὦ τύραννοι) POPULI, DILIGITE SAPIENTIAM, UT IN PERPETUUM REGNETIS] Pro *diligite* græcè est τιμήσατε, id est honorate, in pretio habete, raram & charam ducite. Pro *sceptris* S. Aug. in Speculo legit, *stemmatibus*; S. Bnav. *schematibus*, sed perperam. Sensus est. q. d. O reges, si regnum & regnare vos delectat, diligite sapientiam, ut sapienter, id est æquè, justè & probè regnum administretis: sic enim regnabitis in sæculum, ut habent Græca, id est, longævum & diuturnum vobis durabit regnum in terris, atque ex eo ad regnum in cælis ęternum transferemini. Quid enim vobis proderit, ait Cantacuzenus, si à solio non ad cęlum, sed ad cœnum gehennæ, si à purpura ad ignem, à sceptro ad vincula, à corona ad ergastula inferorum traducamini? Quid profuit Salomoni tanta regni opulentia, majestas & gloria? imò quid non obfuit, cùm ei sapientiam excusserit, eumque feminarum & idolorum mancipium fecerit, ut jure de ejus salute dubitetur? Audiant ergo omnes S. Gregor. hom. 15. in Evang. *Si ergo fratres carissimi verè esse divites cupitis, veras divitias amate: si culmen veri honoris quæritis, ad cæleste regnum tendite: si* [illegible] *dignitatum diligitis, in illa superna angelorum* [illegible] *festinate*.

VERS. 22.

Iterum compellat & adhortatur reges & principes ad studium sapientię, id est prudentię & virtutũ, ex eo quòd sapientia regnum stabiliat & perpetuet. Hinc liquet librum hunc maximè ad principes spectare, eisque scriptũ & dicatum esse. Assignat ergo hic veram rationem & modum regni acquirendi, administrandi, conservãdi & propagandi, nimirum sapientiam, id est justitiam & probitatem, cujus reges admonet solium judiciarium & sceptrũ, quod justitiæ est typus & symbolum. Sceptrum enim primitus erat baculus, vel virga recta. Unde hebr. vocatur שבט, id est virga, baculus, vel pedum pastorum, ut significetur regem esse pastorem populorum, ut ait Homerus, ac proinde eadem æquitate, benignitate, cura & vigilantia debere regere populum, qua pastor regit oves. Porrò baculus hic olim ære, deinde auro ornabatur, non ad severitatem, sed ad firmitatem & durationem, uti ostendit noster Martinus de Roa lib. 2. Singul. c. 5. Idem significat pedum pastorale, quo utuntur omnes Episcopi, excepto D Pontifice, qui universalis est omnium pastor. Pedum, inquit Paulus Jurisconf. est pastoralis baculus incurvus, ita dictus, quia illo oves pedibus comprehenduntur. Baculũ habet Episcopus, ait Beda in Collect. ut subditos regat, infirmos sustineat. Consecrans Episcopum tradit ei pedum, dicitque ut habet Ordo Romanus: *Accipe baculum pastoralis officii, potestatem ligandi atque solvendi, & sis in corrigendis vitiis perseverans, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcẽs, in tranquillitate severitatis censuram non deserens*. Vel, ut in eodem libro: *Accipe baculum sacri regiminis signum, ut imbecilles consolides, titubãtes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam salutis æternæ, habeasq; potestatẽ erigendi dignos, & corrigendi indignos cooperante Domino nostro*. Hinc carmen de pedo, ejus tres partes, triaque officia significans:

Curva trahit, quos recta regit, pars ultima pungit.

Vide Joannem Stephanum Durantum libr. 2. de Ritibus Ecclesiæ c. 9. n. 38. & seqq. & Josephum Stephanum lib. de Potest. Pontif. c. 8. n. 5.

Huc facit sapientiæ emblema. Sapientia enim pingitur ut he-

est dos regendi. ut heroina dextra librum tenens, sinistra sceptrum: liber notat studium, quo acquiritur sapientia: sceptrum notat honores & imperium, quos ipsa confert. Unde Cicero l. 1. de Orat. & in Tuscul. exclamat: *O vitæ philosophia dux, ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti.* *Exempla.* Aristot. lib. 1. Rhetor. *Sapere*, inquit, *est quiddam aptum ad imperandum.* Vespasiani Imp. teste Philostr. l. 5. c. 10. & 11. hoc erat votum: *O Iupiter da, ut sapientibus imperem, & mihi sapientes. Quocirca sapientibus viris fores patere volo.* Seneca epist. 108. scribit de Attalo præceptore suo: *Ipse se regem esse dicebat; sed plusquam regnare mihi videbatur, cui liceret censuram agere regnantiũ.* Plutarch. lib. de Iside tradit, Ægyptios solere regem eligere ex sacerdotibus ob sapientiam, vel militibus ob fortitudinem; sed hos sacerdotibus operam navasse, ut discerent sapientiã. Platonis nota vox est: *Florerent & felices forent civitates, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur*, uti fecit Antoninus Imp. idcirco cognominatus Philosophus, cujus etiamnum scripta philosophica extant. Theodosius Imp. Arcadium & Honorium filios suos in disciplinam dedit Arsenio, sapientia & sanctitate celebri: quin & Philippus rex Alexandrum Magnum filium suum erudiẽdum tradidit Aristoteli. Denique ipsa sapientia palàm proclamat Prov. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Philosophia*, inquit Cicero, *omnia quæ cadere in hominem possunt, subter se habet, eaq; casus contemnit humanos.* Unde Diogenes rogatus, *quid ei philosophia boni contulisset?* respondit: *Hoc, ut comparatus sim ad omnem fortunam.* Et Dionysius tyrannus regno Siciliæ pulsus rogatus, *quid boni è Platone ejusque philosophia hausisset? Ut æquo animo*, inquit, *hanc fortunæ commutationem feram: ipsa enim docet animo & passionibus imperare & dominari.* Quocirca Zeno dicebat sapientes philosophos, non tantùm esse liberos, sed & reges. Cùm Cyrus filium Cambysen designaret imperii successorem: *Te, mi Cambyses*, dixit, *scire volo, non aureum hoc sceptrum esse, quod regnum tibi conservet; sed amici fideles regibus & verissimum & tutissimum sceptrum sunt, id negari non potest: ac multò melius ab ipsa sapientia præsidium est, per quam reges regnant.* Ita Xenophon lib. 8. Cyri pædiæ.

Mira posterorum Caroli Magni sanctitas & gloria. Porrò quantum sapientia, id est probitas, pietas, piaque parentum educatio, regales familias prolesque illustret, ac honoribus, opibusque & regnis æquè ac sanctitate & meritis adaugeat, in iisque stabiliat & confirmet; liquet ex familia Caroli Magni, quæ continuos per multa sæcula duces regesque protulit, rerum gestarum gloria in cælo æquè ac in terra conspicuos, idque ea pia institutione S. Modoaldi Archiepiscopi Trevirensis, & S. Arnulphi Episcopi Metensis, à quibus prognata descendit. Nam Ita S. Modoaldi soror, pietate præstans nupsit B. Pipino primo Brabantiæ Duci, qui Dagobertum regem Francorum, cujus domui præerat, in luxuriam effusum, reprehendit, refrænavit, ac ad vitam castam probamque reduxit. Unde hæc Pipino dantur elogia in Vita S. Modoaldi: *Pipinus probatissimæ vitæ fuit, ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controversiarum finis, munimentum patriæ, decus curiæ, via ducum, & disciplina regum.* Eo vita functo uxor ejus B. Itta, à S. Amando sacrum velum, sanctæque religionis habitum suscepit, in eoque sanctè vitam finivit. Horum proles fuere duæ filiæ, S. Gertrudis monasticen æquè ac mater professa Nivellis in Brabantia, ubi etiamnum religiosè colitur, ac B. Begga; quæ nupta Ansigiso, S. Arnulphi Metensis Episcopi filio, ex eo genuit Pipinum secundum, qui Theodoricum regem Francorum prælio superavit. B. Begga mortuo marito monasterium Andanæ construxit, in eoque monasticen professa, meruit in catalogum Sanctorum referri: unde dies ejus natalis in Martyrologio recolitur die 17. Decembris. Pipini secundi filius fuit Carolus cognomento Martellus, eò quòd Saracenos instar mallei contuderit: unde ejus elogium celebratur, *Nolo regnare, sed volo regibus imperare.* Martelli filii fuere B. Carlomannus, qui relicto Ducatu monasticam vitam amplexus in Monte Cassino, humilitatis Religiosæ exemplo præfulsit: & Pipinus tertius cognomento Brevis, qui merito prudentiæ suæ & virtutis, acclamantibus ducibus & populis, à Stephano Papa creatus & coronatus est Francorum rex anno Domini 753. Pipinus hic Romam & Italiam ab Aistulphi regis incursibus liberavit. Pipini hujus filius fuit Carolus rerum gestarum gloria Magnus, cui proinde Leo III. Pontifex Imperii coronam imposuit. Carolo successit filius Ludovicus, cognomento Pius. Ludovico successit filius Lotharius (à quo Lotharingia, illi subjecta nomen accepit) qui Augustus Imperator, ac paternæ religionis heres, post plurima tam sapienter quàm fortiter gesta, regnum filiis suis divisit, relictoque sæculo, ac sanctæ conversationis habitu in monasterio Prumiensi suscepto, in eodem cursum vitæ feliciter consummavit. Hæc omnia habent Francorum Annales, ac Vita S. Modoaldi, à Stephano Abbate Leodiensi viro gravi graviter conscripta, quæ extat apud Surium die 12. Maii. Hosce velut avos & atavos imitentur Galliæ reges & principes, ceterique omnes, si regnum perpetuare, ac justitia & probitate rempubl. efflorere peroptant: erudiantur horum exemplo potentes, qui judicant terram. Fusiùs hæc narravi, quia, ut ait S. Hieron. *vita Sanctorum est interpretatio Scripturarum.*

DILIGITE LUMEN SAPIENTIÆ OMNES QUI PRÆESTIS POPULIS] Hæc gnome non est in Græcis codicibus, sed Latinis omnibus. Hinc veteres clypeum rotundum dicabant Palladi, quo significabant orbem totum regi à sapientia: sapientiæ enim præses erat Pallas. Unde Martianus Capella de Pallade canit: VERS. 23.

Hinc tibi dat clypeum sapientia, quod regat orbem.

Ita Pierius Hierogl. 42. cap. 42. Dictum est vetus: *Romanorum clypeus fuit Fabius Max. gladius verò Marcellus.* Porrò principes sunt doctores & ductores populi: quanta ergo eos luce sapientiæ pollere oportet, ut omnes sua doctrina, sanctaque vita illuminent. Unde ab Isaia c. 29. 10. vocantur oculi: *Miscuit*, inquit, *vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas et principes vestros.* Quocirca principes orationi se addicant, ac eum Salomone à Deo sapientiam postulent, ac in dubiis ad Deum recurrant. In oratione enim Moses luce Dei afflatus cornua, id est radios lucis faciei affixos, accepit, Exodi 34. 30. Quin & Augustus Cæsar, inquit Svetonius cap. 79. vitæ ejus, *oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris: gaudebatque si quis sibi acriùs contuenti, quasi ad fulgorem solis vultum submitteret.* Tiberius quoque Augusti successor, ut ait Sveton. cap. 68. vitæ ejus, *prægrandibus fuit oculis, & qui (quod mirum esset) noctu etiam & in tenebris viderent, & cum primum à somno patuissent.* Hæc est claritas oculorum corporis, sed illi præstat fulgor oculorum mentis.

Rex similis angelo primo. Sapienter S. Thomas lib. 3. de Regimine principum c. 3. regem comparans angelo primo, qui proximè à Deo illuminatur, & ceteros illuminat: *Irradiationis jam dictæ*, inquit, *ad bonum regimen necessariæ & in principe & in subditis, motum circularem cognoscimus, rectum & obliquum. Motus rectus ideo dicitur, quia fit per divinam illuminationem super principe ad bene regendum, & à principe in populum meritis principis. Sed obliquus est, quando per divinam illuminationem sic subditos regit, quod virtuosè ipsi vivunt, & insurgit in eis divina laus & gratiarum actio, ut sit quasi quadam arcualis figura ex chorda recta & arcu obliquo. Sed circularis motus divinorũ radiorũ dicitur, quãdo divina illuminatio irradiat principem, & à principe: subditum ex qua quidẽ elevatur ad Deum contẽplandum & diligẽdũ: qui ideo circularis motus vocatur, quia est ab eodem in idem. Nam à Deo in principem, ab hoc in subditos, ab his ad Deum redit.*

Denique, quàm sapientia necessaria sit principi, præclarè docet Plato lib. 5. de Republica, Stobæus serm. 46. qui est de regno, Lipsius 1. Polit. c. 10. Tiraquell. lib. de Nobilit. c. 5. & noster Pineda lib. 7. de Rebus Salomon. c. 9.

QUID EST AUTEM SAPIENTIA, ET QUEMADMODUM FACTA SIT REFERAM. ET NON ABSCONDAM A VOBIS SACRAMENTA DEI, SED AB INITIO NATIVITATIS INVESTIGABO, ET PONAM IN LUCEM SCIENTIAM ILLIUS, ET NON PRÆTERIBO VERITATEM] Huc usque fuit parænesis sive adhortatio ad sapientiam, nunc ejus originem, naturam & dignitatem, modumque eam assequendi describit. q. d. Hactenus omnes adhortatus sum ad sapientiam; nunc ut efficacior sit mea exhortatio, explicabo ejus naturam, originem & definitionem; quidnam scilicet sit sapientia, quomodo facta, græcè ἐγένετο, id est orta sit, tum in se ex Deo, idq; præcipuè; tum in me, id est, VERS. 24.

quo-

quomodo ego eam adeptus sim per orationem. Loquitur auctor in persona Salomonis, ut patet c. seq. v. 5.

ET NON ABSCONDAM A VOBIS SACRAMENTA DEI] Græcè *mysteria*; & τὸ *Dei* non est in Græco, sed intelligitur. Mysteria enim propria sunt Dei, præsertim origo sapientiæ: hæc enim ab æterno in Deo abscondita, ab eo in tempore hominibus revelata fuit, juxta illud Job 28. 20. *Unde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viventium*, &c. *Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius*. Idem videre Philosophi. Nam Plutarch. lib. de Iside narrat templo Minervæ, quæ dea credebatur sapientiæ (in cujus capite & galea sphinx videbatur, teste Pausan. in Attic. sphinx autem implicatarum & abstrusarum rerum erat symbolum) hoc emblema fuisse inscriptum: *Ego sum omne quod existit, est, & erit, meumque velum nemo adhuc mortalium revelavit*. Additque Deum ab Ægyptiis nuncupatum Amum, vel Amonem, idest occultum, eoque nomine ab eis invocatum, ut se revelare dignaretur.

Emblema sapientiæ.

SED AB INITIO NATIVITATIS; græcè, γενέσεως, idest generationis & originis, tum meæ, ut vult Hugo & Lorinus; tum potiùs ipsius sapientiæ, ipsam INVESTIGABO] Unde Vatabl. *sed a prima origine cognitionem ejus investigabo*. Id facit c. sequ. ubi narrat originem sapientiæ, tum in se, quòd scilicet orta sit ex Deo v. 25. tum in Salomone, qui ibidem v. 1. & sequenti operosè narrat exordia nativitatis suæ, atque ex ejus ignorantia, tenebris & ærumnis, ascendisse se ad invocandam obtinendamque sapientiam commemorat.

ET PONAM IN LUCEM; græcè, εἰς τὸ ἐμφανὲς, idest in perspicuum, SCIENTIAM ILLIUS (Vatabl. *palam faciam cognitionem ejus*) ET NON PRÆTERIBO VERITATEM) non parcam veritati, nec eam celabo ex invidia aliove parvo affectu, ut sequitur, sed candidè & liberaliter omnibus communicabo.

Mysticè, de nativitate Christi hæc accipit Phœbadius in Gallia Episcopus lib. contra Arrianos tom. 5. Biblioth. ubi cùm docuisset à Spiritu sancto nobis revelari Filium, omnemq; veritatem, adiecit: *Est enim Spiritus notitia & veritatis; per quem Salomon de Dominica nativitate Sap. 6. Quid sit, inquit, sapientia, & quemadmodum facta sit referam, & ab initio nativitatis investigabo eam*; unde ipse infert: *Ergo per eumdem Spiritum possumus invenire, quod quærimus*.

Vers. 25. NEQUE CUM INVIDIA TABESCENTE ITER HABEBO: QUONIAM TALIS HOMO (invidus) NON ERIT PARTICEPS SAPIENTIÆ) Unde liquet τὸ *tabescente* non referri ad τὸ *invidia*, sed ad hominem invidum. q.d. Nulla mihi sit communicatio, nullum consortium cum invido, qui ex invidia sapientiam celat, eâque aliis invidet: hic enim nequit particeps vel capax esse sapientiæ, quia invidia livor eum excæcat, & obnubilat, ut sapientiam, quæ benevola est suique communicativa, cernere non possit; qua de causa ipsa sapientia fugit invidum & malevolum, juxta illud cap. 1. *In malevolam animam non introibit sapientia*: quia sapientia hæc est ipsa sanctitas, bonitas & charitas, cui ex diametro adversatur invidia. Unde Vatabl. vertit, *neque verò tabido invidiæ concessero, qui potest sanum habere de sapientia judiciũ*; hoc est, ut ait noster à Castro, *non imitabor invidia tactum, ne communicem sapientiam*: non versabor, nihil commune habebo, nec cum eo agam qui invidia tabescit; quo verbo natura livoris & invidiæ significatur: nam

Livor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas:

sapientia enim se omnibus communicat, quia *sapientia absconsa & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Eccl. 20. 32. & veteres apertas dixerunt Musarum fores, quoniam dona Dei candidè ac liberaliter sunt cõmunicanda.

Hinc & Plato asseruit invidentiam procul esse à Deo, & à choro divino. Atque eum de more secutus Philo lib. *quòd omnis probus sit liber*: Sapientia, inquit, cùm nihil ea sit divinius, & magis expositum, nunquam claudit suum auditorium, sed patentibus januis admittit sitientes. Id secutus Salomon c. seq. v. 13. ait: *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico*, instar solis, qui omnibus lucis suæ radios impertit.

Vers. 26. MULTITUDO AUTEM SAPIENTIUM, SANITAS (græcè, σωτηρία, idest salus) EST ORBIS TERRARUM: ET REX SAPIENS, STABILIMENTUM POPULI EST) hoc est, firmus & stabilis populi status cõsistit

A in prudentia regis. Dat causam, cur nolit rem habere, cũ invidis, nec eos imitari, qui sibi soli volunt sapere, cavetq; ne multi eis in sapientia evadant similes, quia scilicet optandum est multos esse sapientes: horum enim multitudo est sanitas, idest salus, orbis terrarum, quia sapientes sua doctrina sanctaque vita, omnes ad virtutem, & salutem perducere satagunt: quare rex sapiens est stabilimentum, idest basis & columen populi, quia eum in omni virtute, & bono erudire, conservare & promovere satagit. *Non ait Scriptura*, inquit S. August. libr. 4. de Doctrina Christiana c. 5. *multitudo eloquentium, sed sapientium, sanitas est orbis terrarum*. Addit tamen S. Aug. *Sed salubri suavitate, vel suavi salubritate quid melius? quantò enim magis illic appetitur suavitas, tantò faciliùs salubritas prodest*. Quocirca Carolus Magnus instaurans per totum regnũ suum studia litterarũ, exclamavit: *O utinam haberem duodecim Clericos ita doctos, & omni sapientia instructos, uti fuere Hieronymus & Augustinus!* Cui subindignans Albinus Flaccus Caroli magister: *Creator cæli & terræ*, inquit, *similes illis plures non habuit, & tu vis habere duodecim?* ita refert Sangallensis libr. 1. de Gestis Caroli

B Magni.

Porrò vox *sanitas* & *salus* significat sapiẽtem esse medicum, qui curet aliorum infirmitates. Unde S. Basil. regul. 30. inter fusiùs disputatas, cùm quæsisset, qua animi affectione superior aliorum curam suscipere debet? respondet: *Ut qui saucius multis ministrat, & saniem de singulis illorum vulneribus abstergit, & pro natura uniuscujusq; mali remedia ei adhibet accommodata; munere illo nequaquam ad animarum elationem uti consuevit, sed ad demissionem potiùs & sollicitudinem, & majorem quamdam curam: itidem, ac multò etiam magis is, cujus totius fratrum societatis sanandæ provincia est delegata, perinde ut qui omnium minister sit, & rationem de unoquoque illorum redditurus, sic secum agitare animo, & contendere anxiè debet*. Cantacuzenus exemplum dat Mosen, qui stetit in confractione, & Deo volenti ob adoratum vitulum perdere populum restitit, eique veniam & salutem impetravit, Exodi 32. & Zorobabel, qui populum è captivitate Babylonica in patriam & libertatem reduxit.

Qualis debeat esse rector.

Audi S. Gregor. 9. Moral. c. 10. *Sub quo curvantur, qui portant orbem. Ipsi enim orbem portant, qui curam præsentis*

C *sæculi tolerant. Tantorum quippe pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Unde & terræ princeps, non incongruè Græco eloquio βασιλεὺς dicitur: λαὸς enim populus interpretatur. βασιλεὺς igitur βάσις λαοῦ vocatur, quod Latina videlicet lingua basis populi dicitur: quia videlicet ipse super se populum sustinet, qui motus illius potestatis pondere fixus regit. Quo enim subiectorum suorum onera tolerat, eo quasi superpositam columnam basis portat*.

Rex basis reip.

Talis fuit Amalasventha (quæ vox gothicè & belgicè *cæli filium* significat) Theodorici regis Gothorum Ariani & impii Catholica & pia filia; patri deficiente prole mascula in regno Italiæ succedens, quæ mira sapientia & probitate illud administravit, ac Symmachi & Boetii (quos pater injustè occiderat) liberis bona restituit, Athalaricum filium suum bonis ac doctis magistris instituendum tradidit: sed obstitere Gothi, qui Gothica barbaria jactabant litteraria cultura effeminari animum, ad timorem traduci, abduci ab armis & bellandi audacia; quòd rex, qui ferulam magistri timere didicisset, multò magis gladios & tela hostium expavesceret. Quibus illa

Exempla

D licèt invita cessit, sed magno filii & Gothorum malo, uti exitus declaravit. Ita Procopius lib. 1. Belli Gothici, & Baron. ad annum Domini 526. sub Justiniano Imper. huic enim coæva & confœderata fuit Amalasventha.

Ludovicus XI. Galliæ rex, Carolum filium omnium expertem artium voluit, ne esset in capiendis consiliis refractior, tenaciorque sensus sui, & sanè id accidit: nam jam regem vilissimi duo tresve homuli, huc illuc magna cum subditorum indignatione damnoq; circumegerunt. Erravit ergo. Vera enim Philosophia, teste Platone, docilis est & sanis consiliis obsequens, adeoque acutè inter consilia & consiliarios discernere novit, ut sciat quæ proba sint, quæ improba; quæ sana, quæ noxia; qui privatum commodum spectent, qui publicum.

Rursum hujus sententiæ clarissimum est exemplum in Sodomis, quibus pepercisset Deus, si in eis invenisset decem justos, Genes. 18. 32. Vide S. Ambrosium l. 1. de Abraham c. 5. *Propter paucorum justitia*, inquit, *impunitatem*

tem toti populo promittit. Unde discimus quantus murus sit patria vir justus, quemadmodum non debeamus invidere viris sanctis, nec temerè derogare. Illorum etenim nos fides servat, illorum justitia ab excidio defendit; Sodoma quoque si habuisset viros decem potuit non perire.

Ratio à priori. Ratio à priori est, quòd justi sint membra reipublicæ eaque nobilissima, quæ totam rempubl. sua justitia quasi velant, imò ei suam justitiam communicant, juxta illud psalm. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Quare Deus toti reipubl. parcit, quia videt in ea plures extare justos: sicut enim membrum particeps est totius corporis, sic vicissim corpus participat membri bonitatem & sanctitatem. Adde quod ait S. Ambrosius in psal. 118. Octon. 10. ad illa: *Qui timent te videbunt me, & lætabuntur: plerisque justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus verò lætitia est. Quam pulchrum ergo, ut videaris & prosis? Bonum ergo vir justus. Propterea denique Paulus Apostolus ascendit Hierosolymam, ut justos videret, & cum Petro mansit diebus quindecim, ut ex ejus aliquid cohabitatione proficeret.*

Probat idipsum similitudine avis quæ dicitur icterus, eò quòd ictericos sanet, de qua Plinius libr. 30. cap. 11. *Avis icterus*, ait, *vocatur à colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, & avem mori.* Huc alludens S. Ambros. ait: *Nam si est tanta vis in naturalibus, ut animal visum prosit ictericis, ita ut morsus quoque corpus ejus animantis prodesse dicatur, si fuerit demonstratum, iis qui in hujusmodi inciderint passionem; dubitare possumus quòd justi sanet aspectus? Ergo vile animal irrationabile tantam virtutem habet, ut sanare possit hominem momento exiguo quo videtur: homo justus, si tamen cum fide ab eo conspiciatur, qui utilitatem ab eo percipere desiderat, nihil conferet? Nonne vel ipsi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere iis, qui fideliter eum videre desiderant? Sed quemadmodum justus lætificat cor innocentium cum videtur, ita & improbi justorum cognitione torquentur, quia vel tacitis Sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impietatem fides.* Et nonnullis interjectis: *Ipse quoque serpens mori dicitur, si fuerit hominis præventus aspectu. Ergo si tanta virtus, vel in oculis serpentis, vel in oculis est hominis, ut si alter alterum prior viderit possit occidere: non est virtus in oculis justi, qui repletus virtutis est gratia, cum præsertim tantum operetur fides, ut & illa quæ fimbriam Domini tetigit, sanaretur; & ille, cui intendit Dominus Jesus, statim ex ejus oculis gratiam sanitatis hauriret? Sed qui videt justum, debet scire quid videat; non illum videt in corpore, non in vestimento non in patrimonio, non in vultu; sed intus videt. Non inquam illum vidit nisi ejus viderit mentem, nisi ejus sermonem intenderis, nisi sensum illius potuerit comprehendere, sapientiam de tractatu ejus assumere. Tunc igitur lætabitur cum ista perspexerit, cum ista cognoverit. Ita ergo & nos sicubi audiverimus justum, festinemus videre, sicut illa mulier quæ audivit in domo Pharisæi discumbere Dominum Jesum, & ingressa est, & ejus pedes perfudit unguento. Illius imitatores simus: quia Ecclesiæ in illa muliere figuram esse quis dubitet? Sicubi ergo justus sedeat, sicubi accumbat, festinemus videre eum. Pretiosum est videre virum justum, ut videas eum secundum imaginem Dei. Quod foris est, nihil prodest: quod intus est, sanat. Sanè & in eo qui foris est, illum qui intus est frequenter aspicimus.* Unde tandem concludit: *Gentiles signum adorant, quia Dei imaginem putant: sed invisibilis Dei imago non in eo est quod videtur, sed in eo quod non videtur. Vides ergo, quia inter multas Christi imagines ambulamus? Caveamus ne coram imagini detrahere videamur, quam unicuique Christus imposuit.* Qui ergo justum videt, amat, honorat, imitatur, in eo velut in imaginem Christum videt, amat, honorat, imitatur, ideoque ab eo in mente, & sæpè in corpore, sanatur ab infirmitate, qua detinetur.

Multitudo igitur sapientum; id est justorum virtute præditorum, præsertim eminentium, qui doctrina vel consilio pollent, ut alios doceant & regant, vel dirigant est salus totius orbis.

Ergo accipite disciplinam per sermones meos, et proderit vobis] imò multa & maxima dona, quæ recenset cap. seq. conciliabit. Vers. 17

Est minsis. Carneades philosophus ita se mirificè doctrinæ operibus addixerat, ut cum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærens manum ad mensam porrigere oblivisceretur, & Melissa uxor inediæ succurrendi officio, dexteram ejus necessariis usibus adaptaret. Cato junior ne in curia quidem dum senatus cogitur, temperare sibi voluit, quo minùs Græcos libros lectitaret: qua quidem industria ostendit aliis tempora deesse, alios temporibus superesse. De Varrone scribitur, quòd in eodem lectulo & spiritus eius, & egregiorum operum cursus extinctus est. Cleanthis philosophi tam pertinax fuit discendi studium, ut, ne divino tempore à Cyrysippi lectionibus abesset, nocturnum extrahendæ aquæ ad inopiam suam sustentandam impenderet. Hæc horum hominum circa humanas disciplinas assequendas industria & diligentia, nostram circa res divinas & animæ salutem procurandam, supinam negligentiam & ignaviam, si non vehementer nunc excitat, posteà graviter condemnabit.

Philosophi sapientiæ studiosi.

SECVNDA PARS LIBRI

In qua post elogia & parænesim sapientiæ, ejus originem ostendit esse Deum.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

AVctor in persona Salomonis decet id, quod promisit in fine cap. praced. scilicet originem sapientia, modumque eam assequendi per suum ipsius exemplum, qui licet rex fuerit, tamen quoad naturam, vitam & mortem planè aliis hominibus sit similis, ut proinde sicut ipse assecutus est sapientiam, sic cuilibet homini eam assequi liceat. Igitur Primò, narrat se editum in lucem vitam adeptum fragilem, miseram, abjectam & morti obnoxiam, ideoque à Deo enixè postulasse & impetrasse culmen sapientia, ut per eam vita arumnis moderetur. Inde Secundò, v. 11. asserit se per eam adeptum omnia bona, quin & scientiam elementorum, calorum stellarum, ventorum, plantarum, omniumque rerum naturalium, qua sunt in orbe. Mox v. 22. sapientia dotes multiplices enumerat, ejusque originem assignat. Denique v. 28. docet neminem à Deo diligi, nisi praditum sapientia, utpote qua sole sit speciosior. Ex hisce omnibus colligendum relinquit, quid sit homo per originem & naturam, quid verò per sapientiam & gratiam.

1 SVm quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, 2. decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni convenienti. 3. Et ego natus accepi communem aerem, & in similiter factum decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. 4. In involumentis nutritus sum, & curis magnis. 5. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. 6. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. 7. Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ: 8. & præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. 9. nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. 10. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. 11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, 12. & lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam quoniam horum omnium mater est. 13. Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo. 14. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. 15. Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna horum quæ mihi dantur, quoniam ipse sapientiæ dux est, & sapientium emendator. 16. in manu enim illius, & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientia & disciplina. 17. Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum. 18. initium & consummationem, & medietatem temporum, & vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, 19. anni cursus, & stellarum dispositiones. 20. naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, 21. & quæcumque sunt absconsa & improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia. 22. est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis incoinquinatus, certus, suavis amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, 23. humanus benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia perspiciens, & qui capiat omnes spiritus: intelligibilis: mundus, subtilis. 24. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam. 25. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideò nihil inquinatum in eam incurrit. 26. candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius. 27. Et cùm sit una, omnia potest, & in se permanens omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit. 28. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. 29. Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. 30. Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia.

Vers. 1. SUM QUIDEM ET EGO MORTALIS HOMO, SIMILIS OMNIBUS, ET EX GENERE TERRENI ILLIUS hominis, QUI PRIOR FACTUS EST, ET IN VENTRE MATRIS FIGURATUS SUM CARO] Arabicus, *filius sum genitus ex homine terreno, primò creato*; Syrus, *filius sum primogeniti terræ*. Sub carne, utpote potiori hominis parte, intellige sanguinem, ossa totumque hominem. Est synecdoche. Caro monet hominem suę infirmitatis: quid enim hominis carne infirmius, vilius, spurcius? Vis nosse teipsum, o homo? considera ærumnas, sordes, labores, & dolores innumeros & assiduos carnis tuæ, & scies quis & qualis sis. Hinc S. Joannes c. 1. ut ostenderet summam in Verbi incarnatione dignationem & demissionem, non dixit, *Verbum homo*; sed *Verbum caro factum est*, id est, homo carneus. Sensus est q. d. Ego Salomon licèt sim rex; tamen sum mortalis, *& similis*; græcè, ἴσος, id est *aqualis*, ceteris hominibus. Sum enim filius Adæ & Evæ peccatorum, ad mortem cum tota progenie damnatorum, ideoque & ego in peccato originali conceptus, priùs ad mortem damnatus, quàm natus sum: atque perinde ut Adam, sum adam formatus ex adama, id est homo ex humo, terrenus ex terra. Deniq; in ventre matris *figuratus sum*, græcè, γλυφθείς, id est *sculptus* sum caro. q. d. Mater nec potuit, nec scivit modum me formandi in utero, sed Deus velut artifex, & sculptor ex informi vilique semine figuravit, imò sculpsit me carnem, id est hominem carneum, suis membris, ossibus, nervis, musculis, venis, &c. mira arte distinctum, & instar imaginis suæ expictum, figuratum & exsculptum. Unde psal. 138. v. 15. *Et substantia mea in inferioribus terræ*, hebr. est רֻקַּמְתִּי

Deus acu pictor hominis.

rackamti (unde Italicum *recamata*) id est acu pictus sum in utero matris meæ: רקם *rakem* enim est phrygio, qui variè acu pingit arte, & opere phrygionico. Pro *qui prior factus est*, græcè est, πρωτοπλάστου, id est qui primus ex luto fictus formatusq: πλάττω enim est instar figuli lutea vasa formo & fingo. Videtur ergo Deus primò ex limo finxisse hominis statuam in omnia hominis membra distinctam, deinde eam in carnem humanam convertisse, ac deniq; in eam animam infudisse, itaq; fecisse hominem in animam viventem, ut scilicet esset animal vivens, uti dixi Gen. 2. v. 7. Unde Esdræ l. 4. c. 3. v. 5. dicitur: *Dedisti Adæ corpus mortuum: sed & ipsum figmentum manuum tuarum erat, & insufflasti in eum spiritum vitæ, & factus est vivens coram te.*

Docet hic Salomon reges & quoslibet homines, ne se ob regiam dignitatem, opes, scientiam, ingenium, artes aliasve dotes extollant, ac dii quidam videri velint, uti voluit Alexander Magnus, Nabuchodonosor, Antiochus, & alii; sed memores suæ originis & naturæ ad ærumnas & mortem damnatæ cristas demittant, ac instar pavonis, non ocellatam suam caudam contemplantes intumescant, sed fędos suos pedes intuentes fastum deponant, ac similes se ceteris mortalibus agnoscant, Deoque opifici suo humiliter se submittant, eumque colant, & invocent. Hæc enim est vera sapientia, scilicet nosse seipsum, & nosse Deum, ac dicere cum S. Francisco: Quis tu Domine? quis ego? Tu abyssus sapientiæ, potentiæ, virtutis, omnisque boni: ego abyssus nihili, ignorantiæ, infirmitatis, peccatorum, omnisque mali.

Reges cognitent se mortales. Exempla

Idem hoc monitum teste S. Athanasio, dedit S. Antonius Constantino Magno, ejusq; filiis Constanti & Constantio litteras suas exposcentibus: *Reges sæculi*, inquit, *ad nos miserunt epistolas; quæ hic Christianis adhibenda miratio est? Licèt enim diversa sit dignitas, attamen eadem nascendi moriendique conditio est. Illa sunt veneratione omni percolenda, illa toto animi affectu retinenda sunt, quod hominibus Deus legem scripserit, quod per filium suum propriis Ecclesias dita verit eloquiis.* Et post nonnulla: *Laudavit primum, quòd Christum colerent, deinde salutaria persuasit, ne magnam putarent regiam potestatem, ne præsentis carnis imperia tumentes, se homines esse nescirent, & judicandos à Christo oblivìscerentur. Ad postremum clementia circa subiectos & justitiæ, curæ quoque inopum admonuit, atque unum sempiternum esse regem omnium sæculorum, Jesum Christum epistolis testatus est. His principes susceptis vehementissime lætabantur.* Idem scripsit B. Petrus Damiani Agneti Augustæ lib. 2. epist. 5. ac citans totum hunc Salomonis locum, ex eo ita concludit: *Erubescant ergo cordis elata supercilia, & qui se considerat inter ortum & exitum communi cum ceteris naturæ lege constringi, desinat de sublimiori gloriæ singularitate jactari.* Deinde Agnetem laudans, quòd perspecta hac regum misera conditione, relictis Imperii pompis post mortem Henrici II. Imper. mariti sui, appetita à viris principibus ad secundas nuptias, eas refutasset, atque ex Augusta facta esset Sanctimonialis, eam hortatur, ut in sancto instituto perseveret, & perseverantiæ pedem immobiliter figat: *Nam quæ dudum*, inquit, *terreni fueras uxor Imperatoris, nunc per sanctæ professionis dotem sponsa facta es Redemptoris. Sic igitur et te in vera cordis humilitate substerne, sic illi glutino servida charitatis unire, ut cum mystica illa sponsa congruenti valeas voce cantare: Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.*

. Corad. in Sapient. xv.

Quin & Alexander Magnus, qui Jovis Hammonii filius, Deusque credi volebat, vulneratus ex vulnere se mortalem cognovit: *Omnes*, inquit, *jurant me Jovis esse filium sed vulnus hoc hominem me esse clamat.*

DECEM MENSIUM TEMPORE COAGULATUS SUM IN SANGUINE (materno: matris enim semen rubeum est, ac potiùs sanguis videtur, quam semen, ut patet ex ejus residuo sanguine menstruo) EX SEMINE HOMINIS (græcè, ἀνδρός, id est viri) ET OBLECTAMENTO SOMNI CONVENIENTE] Vers. 2. Τὸ *decem mensium tempore*, magis pertinet ad τὸ *figuratus sum caro*, quàm ad *coagulatus sum*. Nam hæc coagulatio breviori fit tempore, figuratio verò & plena organizatio fit decem mensibus. Sub sanguine, non tantùm semen feminæ sanguineum, quod cum semine viri potiùs habet rationem agentis, quàm materiæ elaborandæ; sed & verum sanguinem ab utroq; semine attractum, & in prolem elaborandum accipe. Sanguis ergo maternus materia formando prolis corpori, ac deinde alendo subministrat. Ita Galenus l. 2. de Natur. facult. c. 3. Idem l. 1. de Semine c. 9. quatuor formationis fœtus tempora recenset: primum, *cum semen nihil aliud, quam genitura est*: secundum, *cum substantia factus carnea jam, & non amplius seminalis apparet, quem Hippocrates vocat fœtum*: tertium, *cum jam trium principiorum, cordis, cerebri, jecoris distinctio & formatio evidenter conspici potest, reliquorum autem membrorum obscura quadam delineatio*: quartum, *cum brachia & crura distincte absoluta cernantur, neque amplius fœtum, sed infantem appellat Hippocrates, cum eum palpitare & moveri, ut animal jam perfectum inquiunt.* Plura vide apud Galenum & Hippocratem libro de Formatione fœtus.

Communis sententia est, fœtum utero matris gestari novem duntaxat mensibus, illudque assignatur. 2 Mach. 7. 27. Sapiens tamen hic decem menses assignat. Idem faciunt multi Auctores classici, ut Virgil. in Pollione:

Fœtus in utero est decem mensibus

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Et illud Plautinum in Amphitryone: *Decimo post mense nascitur puer*. Quibus concinit Ovidius 1. Fastorum. Ubi locutus de Romulo, qui annum decem tantùm mensibus complebat, subdit rationem qua ducebatur.

Quod satis est utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis,

Accedit Jus civile. Nam in 6. tit. 29 de posthumis hered. instit. legitimi heredes censentur filii posthumi, qui decimo mense à patris interitu nascuntur. Tertull. l. de Anima c. 37. *Legitima*, inquit, *nativitas fermè decimi mensis ingressus est.* Et rationem addit moralem: *Ut decem*, inquit, *menses decalogo magis inaugurent hominem, ut tanto temporis numero nascamur, quanta disciplina numero renascimur.* Consentit D. Ambrosius ser. 15. in psal. 118. ubi locutus de naturali amore erga parentes: *Nam possum*, inquit, *salva pietatis jure odisse patrem, cui debeo, quod creatus sum nec matrem, longo decem mensium fastidio quæ fœtus onera portavit?* Idem censet S. August. l. 3. de Trinit. c. 5. & epist. 2. ad Volusian. Deniq; B. Petrus Damiani l. 2. epist. 25. est in ordine 42. refert, *plerosque Ecclesiæ Doctores* in ea esse sententia, ut asserant *decem mensibus hominem in materno utero coalescere, nec intra novem mensium spatium fateantur exire*. Quoad tamen ipse interpretatur de decem mēsibus triginta tantùm dierum, iisq; non impletis, sed tantū inchoatis. Sic enim & Christus Dominus, qui conceptus 25. Martii, & natus 25. Decembris, novem tantùm menses implevisse videbatur: in decimum nihilominus dicendus est excurrisse, cùm ex illis novem mensibus quinque unum, & triginta dies sortiantur, atque ideo ultra novem menses quinque dies, qui decimum inchoant, supersint. Si igitur decimestre est spatium, quo uterus gesta-

tur, seu fœtus maturescit, rectè 1. Reg. 1. 20. in nativitate Samuelis vocatur *circulus dierum*: nam denarius Mathematicis appellatur numerus sphæralis, seu circularis ut Georgius Venetus de Harmonia mundi, cantic. 1. ton. 8. & c. 3. testatur. ita noster Alphons. Mendoza in lib. 1. Reg. c. 1. v. 20.

Adde, ex Aristot. lib. 7. Histor. animal. c. 4. ceteris animalibus certum & determinatū esse conceptionis & pariendi tempus, homini verò incertum & varium. Nam & septimo mense, inquit, & octavo, & nono mater parere potest, & quod plurimum accidit, decimo; nonnullæ etiā undecimum attingunt, aliquæ etiam decimum tertium, ait Plin. lib. 7. ca. 5. quin & subinde decimum quartum, ait Avicenna lib. de Anima. Verùm hi partus sunt monstruosi, ideoque eos jura non admittunt. Optimi ergo & perfectissimi nascendi fines, novem vel decem mensibus terminantur. Adjungit Raganus, quem citat Holcot, natos decimo mense esse perfectiores, magisque vitales, velut perfectissimo tempore genitos. Sic & Hippocrates lib. de Septimestri partu, & lib. de Natura fœtus præfert ceteris natos mense decimo, non completo, sed inchoato. Unde Theocritus idyllio 24. Herculem virorum fortissimū asserit mense decimo prognatum. Idem de ceteris heroibus docet Pineda lib. 1. de Rebus Salomonis c. 7. Hinc & S. August. lib. 83. quæst. 36. & lib. 4. de Trinit. c. 5. ait Christum natum post 276. à conceptione dies, id est post novē mēses exactos & decimum inchoatum per sex dies, si cuilibet mensi 30. dies assignes. Idem asserit S. Chrysost. serm. de S. Joanne Baptista, etsi dies præcisè non numeret. Si tamen omnes dies anni in duodecim menses æqualiter partiaris, cuilibet mensi obvenient 30. dies & decem horæ cum dimidia, quo posito, decimus mensis Christi in utero matris, erit inchoatus tantùm per unum diem & sesquihoram circiter. Imò noster Pineda loco jam citato n. 20. naturalissimum & perfectissimum partum requirere à cōceptione decem menses integros, probat ex partu Christi Domini, qui fuit perfectissimus: ipse enim primo conceptionis suæ instanti fuit à Spiritu sancto perfectè formatus, organizatus & animatus, quod in ceteris feminis tantùm contingit die quadragesimo à conceptu, quòd si novem mensibus, quibus Christus fuit in utero, hosce 40. dies addas, utique decem menses integros invenias, quos partus perfectissimus exigere videtur. Addit Petrus Bōgus in Myster. numeror. c. 45. primogenitos decem mensibus saltem inchoatis utero gestari. Ergo dum decem mēses sibi attribuit Salomon, significat accidisse sibi, quod & primogenitis, ut quinque diebus supra novem menses gestatus fuerit, atque adeò, ut in ipsa gestatione jam prænunciaret fore, ut primogeniti jure in regnum paternum successurus esset, quamvis minimè esset primogenitus.

Aliter hæc conciliat Frānc. Valesius S. Philosoph. c. 38. ubi asserit maxime naturalem & communem nascendi periodum esse, novem à conceptu menses: Sapientem ergo, cùm hic decem menses assignat, non solares intelligere, sed lunares, quibus Hebræi utebantur, eosque non integros, sed novem integros & decimum currentem, novem verò menses communes sive solares, quos assignat auctor Mach. l. 2. c. 2. v. 27. faciunt novem menses lunares, & totidem ferè dies, qui decimum mēsem inchoant. Quare idem in re hic præscribit nascendi tempus, quod 2. Machab. cap. 2. v. 27. Hæc ipse. Porrò hæc omnia ærumnosam hominis nativitatem vitamque significant. Nonne enim ærumnosum est latuisse per decem menses in tenebroso & fœdo matris utero, velut in carcere vel sepulchro?

Audi B. Petrum Damiani l. 7. epist. 5. ad Agnetem Augustam: *Decem mensium tempore coagulatus sum ex sanguine & semine hominis, & delectamento somni conveniēte; si non pigeat vigilanter advertere; qua mens hac audiens typho valeat arrogantia superbire? & quis continuo non compellatur sese nosse putredinem, dum tam obscenam ortus sui considerat fœditatem, dicens intra se: Quid superbis terra & cinis?*

Semina plantarū præstant humano. Audi S. Bernard. in Medit. c. 2. *Quid ego sum? Homo de humore liquido. Fui enim in momento conceptionis de humano semine conceptus, deinde spuma illa coagulata modicum crescendo caro facta est.* Porrò materiæ huic humanæ multis nominibus arborum & plantarum semina præferuntur. *Primò.* Primò, quod hæc munda sunt, & sine ullo horrore in sinum mittuntur, oculis videntur & manibus atteruntur A illa verò materia adeò impura est & fœtida, ut nec manu tangi, nec oculis sine rubore aspici possit. *Secundò.* Secundò, arborum semina purissima quadam emanatione procedunt sed materia hæc emanat, non sine pruritu carnis, fervore libidinis & fœtore luxuriæ. Ideo conceptio hominis tenebras amat; & tamquam res obscena, & quæ genitori ignominiæ est, lucem fugit, & aliorum etiam familiarissimorū aspectum exhorret. *Tertiò.* Tertiò, semina arborum atque etiā animalium nullo peccato, nullaque iniquitate inficiuntur: at hæc materia ejusque emanatio sæpissimè aliquo peccato, saltem levi fœdatur, quod parentes ex nimia delectatione solent contrahere. *Quartò.* Quartò, illa semina durabiliora sunt, ac multis diebus, & mensibus, & annis incorrupta servantur: nam & vidimus aliqua post tres aut plures annos germinasse: hoc verò semen quasi momentaneum, post modicam temporis corruptionem subit, & in corruptelam pertransit. *Quintò.* Quintò, tandem arborum semina semel putrefacta, & in arbusculam vel plantulam versa purissimo terræ humore concrescunt: at semen ho- B minis in corpus humanum coagulatum, cibo spurcissimo augetur. Sed attende, inquit Innoc. lib. 1. de Contemptu mundi c. 4. quo cibo conceptus nutriatur in utero. Profectò sanguine menstruo, qui cessat in femina post conceptum, ut ex eo conceptus nutriatur in femina: qui fertur esse tam detestabilis & immundus, ut ab ejus cōtactu fruges non germinent, arescant arbusta, moriantur herbæ, & amittant arbores fœtus, &, si canes inde comederint, in rabiem efferentur. Ecce homo parentes tuos, ex quorum dignitate glorieris, quo hæc semina viri & feminæ libidinosè commixta, in quibus nominandis jam modestiæ & pudicitiæ metas transilimus, ita noster Alvarez de Paz. l. 4. de Cognitione sui p. 2. c. 5.

ET DELECTAMENTO SOMNI (græcè, ὕπνῳ id est *somno*) CONVENIENTE] Ita Rom. & Græca. minùs rectè ergo S. Ambrosius serm. 8. in psal. 118. & S. Bonavent. hic legunt *somni* (alii *somnis*) *convenientis*. Græcè est, ἡδονῆς ὕπνῳ συνελθούσης, id est *ex voluptate* vel *delectatione, quæ venit cum somno*, sive quæ concurrit cum tempore somni, id est, quæ noctu peragitur. Honesta C periphrasi circumscribit actum generationis. Addit S. Bonav. & Carthus. actum hunc vocari somnum, quia rationem ligat, & illico transit, sicut delectatio somni. Verùm prius dumtaxat significat. Græcū συνελθούσης ὕπνῳ id est *convenientis somno*, id est venientis cum somno: comitantis somnum. Somnus enim post conceptionem, eam adjuvat & promovet, uti docent philosophi & medici. Unde Job c. 3. v. 4. *Pereat*, inquit, *dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est. Conceptus est homo.* Perperam ergo Lyranus, Clarius & Holcot, hæc accipiunt de dulci infantium somno, quo jugiter absorpti in utero matris decem transigunt menses. Minùs quoque genuinè Jansen. delectationem somno convenientem exponit eam, quæ decet somnum, quæque congruit nocti ob actus fœditatem & verecundiam. Positus est enim, inquit, genitivus pro dativo, putà *somni* pro *somno*, hæc ipse. Porrò quia Noster vertit, *somni* in genitivo, qui referri debet ad τὸ *delectamento*, non ad *conveniente*, id est simul veniente, ut patet ex syntaxi: hinc Salomon ait se coagulatum ex sanguine feminæ & semine viri, & *delectamento*; & significat *id est* (est appositio) q. d. Quod D est delectamentum somni, id est noctis, *conveniens*, id est simul in unum veniens, & conveniens ad generandam & formandam prolem. Τὸ *ergo conveniens*, significat confluxum & concursum seminis virilis & feminei, qui fit per congressum viri & feminæ ad generandā prolem. Sic dicitur Matth. 1. 18. *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent*: sic enim honestè vocatur congressus conjugū. Honesta ergo periphrasi circumscribit delectationem actus maritalis, quo fit, ut delectabiliter concurrat semen tam maris, quàm feminæ ad formandum embryonem, illamque vocat *somnum*: tum quia noctu fit, cùm solent homines somnum capere: tum quia somnus multùm juvat conceptionem: somnus enim præcedens conceptionem in utroque parente semen concoquit, elaborat & maturat: subsequens verò in femina facit ad concepti seminis intentionem, digestionem & perfectionem, uti docent Galenus & medici. Sic cap. 4. 6. ait: *Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur.*

Salomon fœditati materiæ, putà sanguinis & seminis,

ex quo

ex quo formatus est, addit fœditatẽ actus, qui conceptus est, ut originis suæ utilitatem & fœditatem ostendat: hic enim actus adeò fœdus est, ut lucem fugiat, ac somnum & noctem, id est tenebras & latebras, quibus se occultet, quærat. Ipse enim homini eripit usum rationis (unde philosophus eum definivit esse modici temporis epilepsiã) eumque quasi in brutum & bestiam transformet. Nullus enim actus magis brutus & bestialis est, quàm venereus. Unde Alexander Magnus duabus potissimùm rebus, quum Deus à multis prædicaretur, se quòd mortalis esset deprehendere dicebat, somno, & coitu: quòd hæc præcipuè proderent humani corporis imbecillitatem; ad cetera invictus erat. Somnus enim mortis imago est, & coitus species est morbis comitialis. ita Plut. in Alexandro.

Porrò singula penè verba hujus versus & præcedentis habent emphasim, novasque & singulas hominis nascentis ærumnas continent, ut patet sigillatim ea expendenti.

Vers. 3. ET EGO NATUS ACCEPI (græcè, *attraxi*. S. Ambros. serm. 8. in psal. 118. *bausi*) COMMUNEM, non tantùm cum ceteris hominibus, sed etiam cum bestiis omnibus, AEREM, ET INSIMILITER FACTAM DECIDI TERRAM, ET PRIMAM VOCEM SIMILEM OMNIBUS EMISI PLORANS] Syrus, *sicut quilibet homo cæpi plorare*; Arabicus, *& veni plorans*. Salomon tres hic nativitatis suæ ærumnas recenset: primam, quòd attraxerit aerem communem omnibus, etiam brutis, quasi ab aere tenuissimo penderet ejus vita, ac fugientẽ animam cogeretur respirando fovere & conservare. Vide ergo, quàm cadoca & occidua sit vita, quæ à te tenuissima & fugacissima, & qualis est aer, dependet: pendet ergo ex aere & flatu, quasi ex filo, qui si desit, animam efflari necesse est. Nam ut ait Galen. li. de Utilitate respirationis c. 1. *Cùm ne momentum temporis sine respiratione sufficere possimus, manifestum est eam ad nullam particularẽ actionem, sed ad ipsam vitam pertinere*. Secunda, quòd in similem ceteris terram deciderit, quasi terræ filius ab ea alendus, & in eam ceu matrem post mortem rediturus. Tertia, quòd prima ejus vox fuerit ploratus, quo vitæ ærumnas, quas naturæ instinctu sibi imminere augurabatur, deplorabat.

Rursum hisce tribus innuit se compositum è quatuor elementis: ideo enim aerem attrahit, quia eo constat: iisdem enim rebus res alitur, quibus constat, ait Aristot. Rursum sub aere intellige ignem, ideo enim homo aerẽ frigidum attrahit, ut ignem, id est calorem cordis & sanguinis, refrigeret. Terra intelligitur in eo, quòd terrestris suo pondere in terram decidit: aqua in ploratu & imbre lacrymarum. Ex quibus colligendum relinquit hominem, habere corpus, non cæleste, lucidum, simplex & incurruptibile, sed elementarium, opacum, mistum, corruptibile, quod defectus & vitia omnia, quæ elementis insunt, ex iis sugat & hauriat. Unde fit, ut homo ex igne trahat levitatem, bilem & superbiam; ex aere, inconstantiam & ostentationem; ex aqua, fluxum & defluxum; ex terra crassitiem & hebetudinem.

Homo elementorũ trahit vitia.

An embrys in utero respiret?

Porrò infans in utero matris post formatum pulmonẽ respirat, aeremq; internum attrahit, ait ex Hippocrate Galenus. lib. *Animal sit id, quod in utero est*, cap. 3. Sed id negat Arist. lib. de Spiritu cap. 3. ubi docet fœtum in utero mox formato corde habere pulsum, ac deinde ali & nutriri, ultimò respirare. *Nam tum primum respirat*, inquit, *ubi in lucem editus fuerit partus*. Idem docent alii, quibus hic favet Salomon. Rursum Aristot. l. 2. de Gener. animal. cap. 4. & ejus asseclæ tradunt, puerum in utero per umbilicum attrahere alimentum & nutriri, licèt aliqui censeant per os nutriri, ideoq; mox ut natus est, os mammæ matris admovere, ut lac sugat. ita Galenus loco citato, & Fortunius Lycetus lib. 1. de Ortu animæ humanæ cap. 44. Omittit hic Salomon puerperæ fastidia, partus dolores, infantis pericula, infirmitatem, spurcitiem, de quibus Plutarch. l. de Amore prolis: *Nihil*, inquit, *est ita imperfectum, inops, nudum, informe, spurcum, ut homo à partu statim conspectus, cui soli ferè ne exitum quidem in lucem mundum natura concessit, sed sanguine inquinatus taboque oppletus, & occiso magis, quàm nato similis, à nemine tangi, tolli, suaviari & amplexu foveri potest, nisi natura insitum gerente amorem*.

ET IN SIMILITER FACTAM (græcè id est, *similiter* vel *similia passam*, ut vertit Pagnin. Arias, & Lorinus, hoc est, similibus, passionibus, qualitatibus, incommodis, miseriis & ærumnis obnoxiam, quales sunt calor, frigus, æstus, siccitas, fames, sitis, morbi, &c. DECIDI TERRAM) Vatabl. *& in ejusdem ingenii terram excidi*, q. d. Licèt nascerer filius regis Davidis, tamen nascendo effusus sum in terram, non molliorem, neque meliorem, sed similem ceteris, more aliorum hominum & animantium: sicut enim cælum unum est omnibus, sic & una omnes excipit terra, juxta illud Prudentii: *Una omnes gradiuntur humo*, æquè ac unius aeris haustu vivunt. Hinc in terra calorem, frigus, siccitatem, humiditatem, ceterasq; qualitates, mutationes & perturbationes sensi & passus sum æquè ac reliqui homines, & animalia.

Porrò, ne infans dum nascitur illisu ad terram lædatur, excipitur ab obstetricibus. Unde S. Ambros. epist. 64. quæ est ad Syagrium: *Obstetrices dicuntur eò quòd obstant, ne fœtus laxatis uteri genitalibus in terram defluat*. Et Claud. lib. 10.

Quem prima meo de matre cadentem
Excepi gremio.

Et Job c. 3. *Cur exceptus genibus?*

B Censet noster Pineda lib. 1. de Rebus Salom. cap. 12. n. 4. hic respici ad priscorum Romanorũ ritum, qui pueros recens natos deponebant in terra, ac Opem deam, ut ei opitularetur, invocabant teste Festo. Idque Primò, inquit Varro li. 2. de Vita pop. Rom. ut infans auspicaretur vitalis ac rectus esse. Secundò, ut velut filius terræ ac piæ matris opem & alimenta imploraret, ait Macrobius lib. 1. in Somn. Scipionis, & S. August. lib. 4. de Civit. c. 11. quem audi: *Ipse* (Jupiter sive Deus) *opem ferat nascentibus, excipiens eos sinu terræ, & vocetur Opis. Ipse in vagitu os aperiat, & vocetur deus Vagitanus. Ipse levet de terra, & vocetur dea Levana. Ipse cunas tueatur, & vocetur dea Cunina. Non sit alius, sed ipse in deabus illis, quæ fata nascentibus canunt, & vocantur Carmentes. Præsit fortuitis, voceturq; Fortuna. In dea Rumina mammam parvulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam. In dea Potina potionem ministret. In dea Edulica escã præbeat. De pavore infantium Paventia nuncupetur.* Tertiò, ut terram omnium mortalium matrem esse profitetur, de quo Philo l. de Mundi opificio. Quartò, ut se in terram rediturum præsignificaret, juxta illud Lucretii l. 5.

Romani recens natos ponebat in terra quatuor de causis.

C *Omniparens eadem rerum commune sepulcbrum.*

Hic Romanorum fuit ritus, verùm an idem fuerit Hebræorum, præsertim tempore Salomonis, difficile est credere, difficilius probare.

Porrò homo nascens, primò caput emittit, ultimò pedes. Audi Plinium lib. 7. ca. 8. *In pedes*, inquit, *procedere nascentem contra naturam est, quo argumento eos appellavere Agrippas, ut ægrè partos, qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico propè felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis.* Et infra: *Neronem quoq; paulo antè principem, & toto principatu suo hostem generis humani, pedibus genitum parens ejus scribit Agrippina: ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri.*

Audi & Arist. li. 7. Histor. animal. cap. 8. *Situs in utero quadrupedum omnium extensus est, ex pedum antẽ obliquus, ut piscium: bipedum verò inflexus contractusq; ut avium: homo etiam in semet conglobatus sic gestatur, ut nasum inter genua, oculos super genua, aures extra genua habeat. Omnibus æquè animalibus caput primum superius est, sed cum creverint & jam exitum appetant, deorsum deducitur. Ita fit ut* D *omnibus partus secundum naturam in caput; contra naturã in pedes, aut inflexo circumactoque corpore agatur.* Et c. 10. *Nascuntur secundum naturam cetera etiam animalia, versa in caput, sed pueri manus quoque ad costas porrectas extensasque habent. Qui tum exierint, vocem statim emittunt, & manus in os admovent. Excrementum etiam reddunt, alii statim, alii brevi, sed omnes intra diem, quod excrementum plus quam pro infantis magnitudine est. Papaverculum hoc mulieres vocant, colore cruentum atque admodum nigrum & piceum est, mox lacteum tum & albidum redditur, sugit etiam confestim ubera infans. Vocem antequam egrediatur unquam emittit, etiamsi cum difficulter egreditur caput extet, corpus intus sit totum.*

ET PRIMAM VOCEM SIMILEM OMNIBUS EMISI) legit cum Complut. & S. Ambrosius, id est, *omnibus*, jam Vatican. & ceteri legunt, id est *æquè*) PLORANS) Græcè, id est *vagiens* (quasi, id est *frangens*, inquit Eustath. Odys. 4. quia vagitus fit per quamdam membrorum violentam quasi effractionem, seu compres-

ſonem) & ut ait Tert. l. de Anima c. 9 *Vagitu vitam ſalutans*. Nam infantes primis ab ortu quadraginta diebus lacrymas fundunt, ut docet Ariſt. l. 7. Hiſtor. animal ca. 10. Idem 7. Polit c. 17. quem ſequitur Avicenna, cauſam phyſicam aſſignat, quod vagitus hic & ploratus faciat ad vocis exercitium, & ad corpus roborandum. Verùm cauſa propria moralis eſt, ſcilicet peccatum originale, in quo naſcuntur, cujus hic vagitus eſt index & pœna. Nam cetera animalia in ortu non vagiunt, imò nullam vocem emittunt.

Unde Notat Lyran. Holcot, Lorinus, Pineda, cetérique interpretes, maſculos dum naſcuntur vagiendo vagitum auſpicari ab A, quæ eſt prima littera nominis Adæ protoplaſti: feminas ab E, quæ eſt prima nominis Evæ, quaſi de eorum lapſu quiritentur. Hinc & Chriſtus, ut per omnia nobis aſſimilaretur, noſtramq; culpam lueret & expiaret, vagiendo natus eſt, juxta illud Fortunati: *Vagit infans inter arcta conditus præſepia*.

Cauſa moralis.

Cauſa phyſica eſt, quòd infantes naſcendo magnam ſentiant mutationem: tranſeunt enim nudi ab utero molli & calido ad terram duram, & aerem frigidum. Rurſum, à tenebris & ſomno ad inſolentem lucem & vigiliam, &c. quibus omnibus percelluntur, ac dolentes vagiunt. Ita Alexand. in Problem.

Cauſa phyſica.

Cauſa ſymbolica eſt, quòd infans præſentiat, præſagiat, & quaſi *neſciens prophetet*, ait S. Auguſt. 21. Civitat. c. 14. mille vitæ ærumnas ſibi ſubeundas, quas deplorat. Unde Lucret. l. 6. ait:

Symbolica.

Vagituq; locum lugubri complet, ut æquum eſt,
Cui tantum in vita reſtat tranſire malorum.

Hac de cauſa Thraces, Gadenſes, Tranſi & Cauſiani naſcentes lacrymis, morientes gaudio & ritu proſequebantur, teſte Alex. lib. 2. Genial. c. 25.

Si cui homini Deus revelaret omnes afflictiones corporis & animæ, illi ſubeundas per reliquum vitæ, horreret, ploraret, & penè deſperaret; quid ni ergo eas omnes præſentiens infans ejulet? Audi S. Auguſt. l. 21. de Civit. c. 14. *Quis non exhorreat & mori eligat, ſi ei proponatur, aut mors perpetienda, aut rurſus infantia? quæ quidẽ non à riſu, ſed à fletu orditur hanc lucem, quod quid malorum ingreſſa ſit neſciens prophetat quodammodo*. Unde Plinius ignorans veram vagitus cauſam, ſcilicet peccatũ originale, & naturæ per illud corruptionem, naturam ipſam velut novercam accuſans, in proœmio lib. 7. queritur: *Hominem tantùm nudum*, inquit, *& in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus ſtatim & ploratum, nullumque tot animaliũ aliud, ad lacrymas, & has protinus vitæ principio, &c. flens, animal omnibus imperaturum*. Additque *non fari, non ingredi, non veſci: breviterq; hominem ſcire nihil ſine doctrina, non aliud naturæ ſponte, quam flere*.

Priſcis Latinis infantes vagiendo *va* ſonare videbantur: unde per onomatopœjam *vagire* dicti ſunt, ac Vagitanus (qui & levi nominis flexu Vaticanus dictus eſt) deus, ut iis auxilio eſſet, implorabatur, ait Varro. Audi Gellium l. 16. c. 17. *Vaticanus Deus nominatus, penes quẽ eſſent vocis humanæ initia, quod pueri ſimul atque parti ſũt eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticana ſyllaba eſt. Idcirco vagire dicitur, exprimente verbo ſonum vocis recentis*. Romæ Deus hic colebatur in monte, qui ex eo etiamnum Vaticanus nuncupatur, quem nunc occupat corpus, ſepulchrum & baſilica S. Petri, qui omnes Chriſtianos, quaſi modò genitos infantes lacte ſuæ doctrinæ aluit & pavit, verus utique eorum Vagitanus. Vnus hic excipitur Zoroaſtres, qui in ortu ſuo non vagiit, ſed riſit, ut refert Solinus lib. 1. de Mirabil. mundi c. 3. & hoc fuit portentum malumque omen: nam poſtea fuit artis magicæ inventor. Cardanus lib. de Rerum varietate, cùm de hominis natura agit, eum non niſi poſt aliquot dies ridere tradit, primumque riſum, quem edit, non niſi in ſomnis exiſtere: quod ſignificari ait, nullum, niſi confecto hujus vitæ curriculo verum ac certum gaudium eſſe. Nam ut ait S. Auguſtinus, omnino nihil aliud eſt tempus vitæ hujus, quàm curſus ad mortem. Unde Seneca l. 4. epiſt. 24. vitam comparat clepſydræ, ex qua aqua vel arena ſenſim citoq; tota defluit & deficit: ſimul enim modò defluunt dies vitæ, quibus mors ſuccedit.

Vaticani origo.

Denique infantes nati deponuntur in terram quaſi matrem, ut eam velut mox futurum ſibi ſepulchrum ſalutent, & inter infantiles vagitus funebres monodias ac næuias modulentur, juxta illud S. Bernardi ſerm. de Sancto Martino: *In terra*, inquit, *orimur, in terra morimur*, q. d. Prima videndi ſedes, eſt ultima moriendi: nec majori diſcrimine ortus & interitus ab invicem ſeparantur, quàm hæc duo verba *Orimur* & *Morimur*, quæ una tantùm litterula diſtinguuntur.

IN INVOLUMENTIS NUTRITUS SUM, ET CURIS MAGNIS] Græcè, ἐν σπαργάνοις, id eſt, in faſciis & involucris infantilibus. Unde & Chriſtum, qui eſt verus Salomon, ut nobis eſſet ſimilis, ἐσπαργάνωσε, id eſt, *pannis involuit*, id eſt faſciavit, Virgo Deipara, Lucæ 2. 7. idque Primò, quia cùm cetera animalia pilis veſtita naſcantur, ſolus homo planè nudus naſcitur, ideoq; faſciis, quaſi veſtibus involvendus eſt. Audi Plinium de natura quaſi noverca hominis quiritantem in proœmio l. 7. *Ante omnia unum animantium cunctorum alienis velat, ceteris variè tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumas, pennas ſquamas, vellera; truncos etiam arboreſque cortice, interdum gemino, à frigoribus & calore tutata eſt; hominem tantum nudum & in nuda humo natali abjecit die*, &c. & Plut. l. de Amore prolis: *Nihil, ait, eſt ita imperfectum, inops, nudum, informe & ſpurcum, ut homo à partu ſtatim conſpectus ſanguine inquinatus, tabóque oppletus, occiſo magis quã nato ſimilis*. Hac ſola purpura indutus prodit in lucem princeps æquè ac plebejus homo, ex eadem quiſq; tela conſpicitur veſtitus.

VERS. 4.

Infans faſciatur? Cauſa Prima.

Secundò, faſciis eget infans, ut iis mollia ejus membra ſtringantur, confirmentur & ſolidentur ne ex vagitu & ineptis pueri motibus luxentur, labefactẽtur aut diſtorqueantur. Moleſtæ ergo ſunt infanti faſciæ, ac quaſi cõpedes ejus & vincula quibus conſtringitur, ſed neceſſariæ ad ſalutem. Unde Galenus l. 1. de Sanitate tuenda ca. 7. & 2. de Motu muſc. c. 7. & de Cauſ. morb. cap. 7. docet, *conducere plurimum tuendæ valetudini infantili, ut faſciis deligetur infans, ſed corpori prius toti ſale modicè inſperſo, ut membra melius conſolidentur atque firmentur, &, niſi commodè faſcientur infantes, quorum ſunt mollia peneque fluxibilia corpora, facile inverti & corrumpi membri cujuſque figuram*. Catoni propterea Cenſorino tãta curæ fuit apud Plutar. *Ut niſi ſe ſpectante liberos faſciari permiſerit*.

Secunda

Tertiò, faſciæ juvant, ut infans, qui quaſi quadrupes naſcitur, ac manibus pedibuſque repit ut rana, citò conſolidatis membris & pedibus, iis incedere valeat bipes ut homo. Quàm verò hoc ſit miſerum deſcribit Plinius loco jam citato. *Ab hoc*, inquit, *lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus; itaque feliciter natus jacet manibus pedibuſque revinctis, flens animal cæteris imperaturum, & à ſuppliciis vitam auſpicatur, unam tantum ob culpam, quia natum eſt, heu dementiam, ab his initiis exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos*. Hæc ille.

Tertia.

Unde hæ faſciæ repræſentant inſtitas, ligamina, ſindones & lintea, quibus puer poſt mortem involuendus eſt, ut inſeratur in ſepulchrum. Puer ergo in cunis faſciatus, ſpeciem habet defuncti jacentis in ſarcophago, quia naſcitur moriturus, gignitur ut ſepeliatur. Suas faſciis cunas ceteraque ſimilia intellige. Accedunt varii dolores, quos ex nimia vel inconcinna faſcinatione, multiſq; aliis incommodis patitur puer, & explicare nequit, ſed vagiẽdo & plorando eos proditi ad quos leniendos tria remedia ſuggeſſit natura. Audi Galen. l. 1. de Sanitate tuenda c. 7. *Tria hæc doloris infantium remedia, nutricibus ipſo uſu edoctis inventa videamus, ſcilicet uberis papillam ori indicam, motum mediocrem, vocis modulationem. Rurſuſque triplicem excogitatam dimotionem infantium, in cunis, in lectulis pendentibus, in ſuis ipſarum nutricum ulnis*.

ET CURIS MAGNIS] *To magnis* jam non eſt in Græco. Perperam P. Nannius pro *curis* legit, *cunis*; fortè in aliquo exemplari pro φροντίσι, id eſt *curis*, ſcriptum legit, φορτίσι, id eſt *naviculis onerariis*, quæ cunarum ſpeciem referunt: nam φορμὸς enim eſt ſporta, vas, corbis, quibus ſimiles ſunt cunæ. Porrò in cunis, magnis curis & ſollicitudinibus parentum, obſtetricum, nutricum, pedagogorum alitur & educatur infans: unde varios morbos ac non rarò mortem ſubit: quocirca illi ſervando Gentiles Cuninam deam præficiebant, ait Varro & ex eo S. Auguſt. 4. de Civit. 11.

Porrò Gentiles heroum filios recens natos ponebant in clypeo, ut ad bellum eos erudirent. Unde poſitus eſt in ſcuto apud Theocritum Hercules, itidemque Iphiclus ab Alcmena parente:

Cum

Cùm ambos lavisset, & lacte replevisset.
Posuit super scutum æreum, quod Pterelæ
Amphitryon, pulchram armaturam ademerat, interfecto.

Quin & Lacænæ in clypeo pariebant, auctore Nonno Dionyſ. 41. Deniq; curas has extimulat, præſertim matris erga prolem: quia enim impensè eam amat, hinc impensè eam curat. Menſura enim curæ eſt amor. Unde Anacharſis rogatus, *cur conjugio abſtineret?* reſpondit, *Quia nimis amarem prolem ex eo natam.*

Vers. 5. NEMO ENIM EX REGIBUS ALIUD HABUIT NATIVITATIS (græcè, γενέσεως, id eſt ortus) INITIUM) Sub accipe conceptionem, nativitatem, educationem: quæ ortu omnia mille periculis & incommodis, ideoque mille curis & anxietatibus ſunt obnoxia in homine, non autē in ceteris animalibus, quibus proinde longè infelicior & ærumnoſior eſt homo. Dicit hoc Salomon, non tam ut ceteris regibus; quàm ut reliquis hominibus plebeiis ſeſe aſſimilet & adæquet.

Vers. 6. UNUS ERGO INTROITUS EST OMNIBUS AD VITAM, ET SIMILIS (græcè, ἴση, id eſt æqualis) EXITUS) Idem ergo eſt hominis principium, idem finis, ſolis verò mediis vitæ itineribus diſcrepant; qui ergo ſapit, ea præclarè obeat. Pro *ergo* græcè eſt δὲ, id eſt *autem*, ſed δὲ ſubinde eſt illativum, & æquipollet *ergo*, ut ſuperiùs monui. Pro *introitus* græcè eſt, quæ vox eſt theatralis, & adaptatur perſonis ſcenicis in theatrū prodeuntibus, ut in comœdia agant perſonam, hic regis, ille ſervi iſte militis. Unde εἴσοδος vocabatur carmen, quod in fine comœdiæ canebatur teſte Polluce l. 4. Similis *eſt introitus ad vitam*: per eam enim ingredimur in theatrum hujus mundi, ut perſonam comicam agamus, hic ſacerdotis, ille principis, iſte plebeii. Unde Auguſtus Cæſar, teſte Sveton. moriturus ad amicos ait: *Satiſne bellè perſonam noſtram egimus?* Illis reſpondentibus, *bellè*, attrahens claudenſque lectuli cortinas: *Valete ergo*, inquit, *& plaudite*, uti dicunt ſcenici finitâ jam comœdia. Homo ergo in hac vita eſt mimus & hiſtrio in tragœdia, quæ coram Deo, angelis & hominibus exhibetur, juxta illud Pauli: *Spectaculum* (græcè, θέατρον, id eſt *theatrum*) *facti ſumus mundo & angelis, & hominibus*, 1. Cor. 4. 9. Quiſque ergo videat, ut decorè perſonam ſuam agat; ut Deo illius benè actæ rationem expoſcenti exactam reddat.

Comœdia eſt vita.

Introitus Primò.

Secundò. Secundò, εἴσοδος convenit navigantibus, qui navim ingrediuntur, ut in portum à ſe præcium enavigent: ſic ingredientes in vitam, ingredimur in mare mille tempeſtatibus & periculis piratarum obnoxium, ut per illud duce Deo, & aſſiſtante Sp. ſancto in portum ſalutis enavigemus.

Tertiò. Tertiò, εἴσοδος convenit ingredientibus nundinas & forum, ut in eo merces emant aut vendant. Sic vita noſtra eſt mercatus & nundinæ, ait S. Greg. Nazianz. in quem naſcendo ingredimur, ut in eo merces virtutum, meritorum, & bonorum operum, quibus mereamur ſalutem & vitam æternam, comparemus.

Quartò. Quartò, εἴσοδος & ἔξοδος, id eſt ingreſſus & egreſſus, competit ſoli orienti & occidenti, æquè ac lunæ & ſtellis. Manè enim ſol oriens ingreditur in noſtrum hemiſphærium veſpere occidens egreditur. Sic homo celerrimè per vitam & mundum hunc pertranſit, ut nativitate quaſi manè oriri, in morte quaſi veſpere occidere videatur. Sicut ergo ſol velociſſimè eodem die tranſit ab ortu ad occaſum, ſic homo à vita celerrimè decurrit ad mortem, adeoque vita ejus non eſt aliud, quàm tranſitus continuus ab ortu ad occaſum & mortem.

Quintò. Quintò, εἴσοδος convenit athletis, curſoribus & curribus in ſtadium pro præmio ingredientibus, in eoque ad metam celerrimè decurrentibus. Sic enim vita noſtra eſt ſtadium in quo certamus & decurrimus ad metam & palmam cœleſtem. Quare mors ſapientibus & Sanctis, non tam eſt finis vitæ, quàm mortis, ac veræ vitæ initium, & æternitatis janua, uti paſſim docēt SS. Patres, quin & Philoſophi. Audi paucos è multis. Maximus Tyrius Platonicus ſerm. 25. *Hoc, ait, quod mortem homines vocant, id ipsū eſt immortalitatis initium, & futuræ vitæ procreatio.*

Mors janua immortalitatis

Gnome.

Indi Brachmanes apud Strabonem lib. 15. aſſirmant; *mortem eſſe nativitatem ad illam veram atque felicem vitam.* Pallad. lib. 1. Florileg. *Anima è corpore tamquam è carceribus mortis fugit ad Deum immortalem.* Apollon. Tyaneus apud Philoſt. l. 7. *Nos*, inquit, *homines in carcere ſumus omni tempore, quod nos vitam appellamus, & A qui primi domos invenerunt, non animadvertiſſe videntur, quòd alio carcere ſeipſo circumdarent.* Cicero in Catone Major. *Dum ſumus in his concluſi compagibus corporis, munere quodam neceſſitatis, & gravi opere perfungimur: eſt enim animus cœleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram, locū divinæ naturæ æternitatiq; contrarium.* Idem in Somnio Scipionis agēs de Heroibus Roman. *Qui*, inquit, *è corpore tanquam è carcere evolarūt.* Themiſtius apud Stob. ſerm. 121. *Videtur*, inquit, *ipſum*, τοῦ θανάτου, id eſt mortis, *nomen, hominem è vita migrantem, non ad locum aliquem ſub terram referre, ſed extollere* ἄνω εἰς θεὸν, *hoc eſt, ſurſum ad divinam ſedem. Sic enim probabile eſt animam velut à vinculo corporis, quod expiravit, ſolutam, tum demum verè reſpirantem, ſeq; recreantē, Deo ſociari, & ab eo pendere.* Idem Themiſtius ibidem: *Mortis* ait, *affectum ſubire, ſimile eſt initiationi in magnis aliquibus ſacris, quocirca ut ipſa vocabula, ſic etiam res inter ſe conſimiles ſunt:* τελευτᾶν *enim mori eſt,* τελεῖσθαι, *ſacra;* τελεῖσθαι *initiari. Nam poſt mortem mirabilis quædam lux occurrit, aut loci puri aut amœna prata defunctos excipiunt, in quibus voces, choreæ & venerabiles de rebus ſacris narrationes B reſonant: illic homo jam perfectus, initiatus, ſui juris factus & liber, coronatus obambulans ſacra celebrat, & converſatur cum viris ſanctis puriſque profanam in terra & impuram turbam inſpiciens, quæ in profundo cœno & caligine à ſeipſa conculcatur & compellitur.*

Ex quibus omnibus rectè concludit S. Maximus Epiſcop. Taurin. in Cent. 5. c. 76. *Non puto finem vitæ hujus juſtum eſſe mortem appellare, ſed receſſum à morte, ſeparationem à corruptione, tenebrarum ſubductionem, ut in ſūma dicam omnium conſummationem malorum.*

PROPTER HOC OPTAVI, ET DATUS EST MIHI SENSUS: ET INVOCAVI, ET VENIT IN ME SPIRITUS SAPIENTIÆ] Subdifficilis eſt hoc loco nexus: non ſatis enim liquet quid referat τὸ *propter hoc.* Reſpondet Primò, noſter à Caſtro, ſicque explicat q. d. *Propter hoc*, id eſt propter ærumnas meas jam recenſitas, quia ſcilicet vidi me natum in ſumma miſeria, nec poſſe meis viribus ac induſtria ſapientiam comparare, in hoc volui præferri aliis, quòd confugi ad ſapientiæ auctorem C & largitorem. cognita ergo infirmitate mea, & Dei ſummam potentiam & liberalitatem optavi. Vers. 7.

Secundò, magis genuinè noſter Lorinus: Humanæ, inquit, imbecillitatis conſideratio impulit eum ad concupiſcendam, & poſcendam à Deo ſapientiam, reſpondetq; voto ac precibus eventus, & animæ, quam ſciebat eſſe immortalem, accommodatā perfectionem adeptus eſt: philoſophia enim mortalitatis meditatione gignitur.

Tertiò, Janſen. quia cōmune eſt omnibus initium nativitatis, & quia vidi me ſicut reliquos homines natum in ignorantia; ideo optavi ſenſum & ſapientiam, quæ hāc ignorantiam dirigeret, imò depelleret.

Quartò, noſter Pineda l. 1. de Rebus Salomonis c. 12. *Propter hoc*, inquit, quòd ſcilicet viderem me ex naturæ primordiis ceteris nihilo meliorem, *optavi* (votum concepi qua me ratione excellentiorem efficerem) *& datus eſt mihi ſenſus* (intelligentia, ſcientia, prudentia.) Nam ea nomina, quæ diſcrimen aliquod inter homines efficiūt, non ſunt naturæ, ſed vel fortunæ, ut liberi & ſervi, regis & ſubditi, divitis & pauperis: vel virtutis, laboris & D induſtriæ, ut probi vel improbi, ſapientis vel ſtulti, digni indignive laude:

Vivere commune eſt, ſed non commune mereri.

inquit Prudentius diſputans adverſus Symmachum. Et Felix Minutius: *Generoſus es? Parentes tuos laudas: Omnes enim pari ſorte naſcimur, virtute diſtinguimur*, Idem Pineda l. 6. c. 9. Hinc illa, inquit, Salomonis in eam, quæ vera ex virtute laus & gloria eſt, animi accenſio & incitatio, verè regio & excelſo animo digna, nam cùm eadem eſſent omnibus vitæ primordia, & ſimiles progreſſiones & exitus: *Propter hoc* (ut aliis excelleret) *optavit, & datus eſt illi ſenſus: invocavit, & venit in illum ſpiritus ſapientiæ, & præpoſuit illam regnis & ſedibus*, Sap. 7. 7. atque hæc eſt illa famæ & nominis immortalitas, quam ſibi proponebat & expetebat Sap. 8. 13. *Habebo immortalitatem, & memoriam æternam his, qui poſt me venturi ſunt, relinquam.*

Omnia hæc vera, & huic loco appoſita ſunt, & congrua. Salomon enim, quia duplicem perſonam ſuſtinebat duplicem hic poſtulat ſapientiam, ſcilicet unam quæ eſt

ut

ut personam privatam instrueret: alteram, quæ eum ut personam publicam dirigeret. Sensus ergo est q. d. Quia vidi me natum in tanta miseria & ignorantia, optavi & postulavi sensum & prudentiam, quæ me doceret in vita tam misera & cæca rectè sapienterq; vivere, ac miserias vitæ vel prudenter curare, vel fortiter sustinere: ejus verò concupiscentias inordinatas & noxias generosè cohibere & frænare; denique à voluptate hujus vitæ, utpote brevis & caducæ, mentem avocare, eamque ad futuram vitam in cælis beatam & æternam ambiendam, totisque viribus prosequendam traducere.

Rursum, quia rex sum(hæc enim oratio videtur esse illa, qua initio regni postulavit à Deo sapientiam ad regendum, 3. Reg. 3.) postulavi sapientiam non plebeiis communem, sed regalem, omnibus superiorem & excellĕtiorem, qua subditis antecellerem, eosq; sapienter regerē & dirigerem ad pacem & felicitatem tum præsentem, tum æternam. Rex enim æmulari debet Dei sapientiam & sanctitatem. Nam, ut ait Polybius apud Stobæum serm. 6. *Honestum, deorum est, aut eorum qui diis proximi censentur.* Et Jamblichus epist. ad Agrippam: *Oportet*, inquit, *legibus præfectum summè purgatum esse, juxta summam legū rectitudinem, ac neque seductione, neque fraude falli per ignorantiā, neq; vim inferioribus inferre, nec ulla occasione injusta allici, nam servatorem & custodem legum, tā incorruptū oportet esse, quàm summè fieri potest in humana natura.*

Optavi] Græcè, εὐξάμην id est optavi, oravi, supplicavi, votum concepi. Optare enim facit orare & postulare; imò desiderium suum patefacere Superiori, præsertim Deo, est orare: juxta illud psalm. 10. 17. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Hinc solerter Noster vertit, *optavi* potius quàm *oravi*, ut orationis fontem indicaret, scilicet optationē & vehemens sapientiæ desiderium, præsertim quia orationem mox exprimit, dum subdit: *Et invocavi.*

Moraliter docet hic, initium sapientiæ & sanctitatis esse ingens ejus votum & desiderium, juxta illud Christi: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, Joan. 7. 37. Hinc Christus à Jacob Patriarcha vocatur *desiderium collium æternorum*, Genes. 49. & Apostoli in Pentecoste per decem dies desiderantes, & invocantes receperunt Spiritū sanctum. Idem fac & tu, ac cum Ecclesia ardenti affectu, magnaque obtinendi fiducia suspira & supplica: *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium.* Ita S. Thomas Aquinas profitebatur se sapientiam suam magis oratione, quā studio impetrasse. Nam *omnis sapientia à Domino Deo est*, Eccl. 1. 1.

Sensus] Græcè, φρόνησις, id est, prudentia, scientia, intelligentia; Noster vertere solet, *sensus*, ut scilicet in omnibus sensatè, sapienter & honestè me gererem.

Vers. 1. Et præposui illam regnis et sedibus (græcè, *sceptris & thronis* quæ regis & regni sunt insignia) et divitias nihil esse duxi in comparatione illius Gr. ἐν συγκρίσει, id est *in dijudicatione illius*, si cum sapientia dijudicentur, & in judicio certent utra alteri præstet. Rationem à priori dat ipsa sapientia Proverb. 8. 14. dicens: *Meum est consiliū, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: per me reges regnāt, & legum conditores justa decernunt.* Et v. 18. *Mecum sunt divitiæ & gloria opes superbæ & justitia. Melior est enim fructus meus auro & lapide pretioso, & genimina mea argento electo.* Vide ibi dicta.

Hinc multi fideles, quin & philosophi (ut Crates, Democritus, Anaxagoras) abjecerunt opes, & abdicarunt regna, ut vacarent sapientiæ & sanctitati, quorum nonnullos superiùs recensui. Nam opes & regna sæpè invitis eripiuntur, sapientia & sanctitas invito eripi nequit. Sic Apostoli dixerunt Christo qui est dux sapientiæ: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, Matth. 19.

Vers. 2. Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, et tanquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius] q.d. Sapientia longè præstantior est omni auro & gemmis: sapientiæ aspectu obscuratur auri fulgor, infuscatur argenti candor, hebescit margaritarum nitor, & quidquid illustre & pretiosum est sordescit & vilescit, adeoque ipse Plutus (græcè enim est πλοῦτος, quem Gentiles ut opum Deum adorant: Quid enim est argentum & aurum, nisi terra alba & rubra, ait S. Bernard. serm. 4. de Adventu. Pro *in comparatione* græcè est, ἐνώπιον, id est in visione, in conspectu. Hinc Plato l. 3. de Republ. sapientes & virtute eximia præditos ait conflatos ex auro & argento, sed cælesti, quod terreno præstet, ceteros ex ære & ferro. Audi eum: *Deus effector hominum principibus reipublicæ, qui ceteros præcedebant, miscuit pectori aurum cæleste, id est virtutes divinas, ut alta quadam & excelsa mente essent: illis autem, qui hos adjuvarent in gubernando rempubl. cæleste pectoribus indidit argentum, id est præclarum virtutum ornamentum, etiamsi substiterint infra dignitatem priorum; ut & ferrum & æs miscuit agricolis & aliis opificibus, qui reipublicæ serviunt.* Addit tamen: *Eos quibus Dominus aurum & argentū cæleste pectoribus miscuit, contēnere debere terrenū aurū & argentum, neque loculos habere oportere, neque sequi opes.*

Alludit ad Job. 28. 15. *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus*, nec sapphirus, nec topazius, nec Indiæ colores ceteraque, quæ subdit. Quare stultorum vox est illa apud Horatium lib. 1. epist. 1.

O cives, cives, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos.

Pro *pretiosū* græcè est, τίμιον, nonnulli legunt, ἐπίτιμον, id est *honorarium*. Sunt qui legant, ἄτιμον, id est vilem, inhonorabilem, despectum, quo velit significare quemvis lapidem pretiosum sine honore, ac sine pretio esse si cum sapientia comparetur. Unde sic legunt, *non comparavi ei lapidem, tamquam despectui habitum præ sapientia*; sed communis lectio habet, τίμιον, id est *pretiosum*. Huc faciunt duæ Christi parabolæ, prior de thesauro abscondito in agro Matth. 13. 44. *quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.* Et de pretiosa margarita invēta ibidem v. 46. quam ut compararet industrius negotiator, *abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Nā sapientia thesaurus est & margarita unica. Quòd si *in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi*. Coloss. 2. 3. iure optimo Apost. ad Philip. 3. 8. *existimo, ait, omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiā Jesu Christi Domini mei: propter quē omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

Super salutem et speciem] græcè, *super sanitatem & formam*, sive *pulchritudinem*) dilexi illam, et proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius] *Proposui pro luce habere illam*; alii vertunt, *præ luce*, quasi dicat Anteposui illam luci. Hinc græcè est id est *elegi*. Unde Vatabl. *usumque ejus luci præoptavi*, vel *prælegi, ut cujus splendor supprimi non possit.* Vers. 10

Noster aptiùs vertit, *proposui pro luce*: Græcum enim Primò, verti potest, *pro luce*, vice lucis, instar lucis, Secundò, *super lucem*, præ luce. Duo enim significat Salomon: Primò, sapientiam se præposuisse luci: Secundò, se vice lucis non alio lumine usurum, quā ipsa sapientia. Sapientia enim est lux lucidissima, quæ mentem illuminat ad omnia cognoscenda, & ritè peragenda. *Lucem* hic tum externam solis, tum internam, putà lumen oculorum, accipe, q.d. Sapientiam chariorem habui, non tantùm luce solis, sed & meis oculis, & luce visuque oculorū adeoque seposito visu oculorum, in rebus agendi statui non alio uti visu, non aliis oculis, nisi ipsius sapientiæ: hæc enim per omnes rerum tenebras viam ostendit, secureque deducit ad metam vitæ æternæ.

Huc usque sapientiam proposuit bonis externis, sive fortunæ, uti sunt aurum & argentum, nunc præponit eamdem bonis internis, uti sunt sanitas sive valetudo, forma sive pulchritudo, visus & intuitus lucis: quibus tantum sapientia præstat, quantum corpori animus, cujus ipsa est sanitas, pulchritudo & visus.

Super salutem et speciem dilexi illam] Primò planè, q. d. Magis amavi & optavi sapientiā quàm corporis sanitatem, robur & decorem, quia sapientia, utpote spiritalis & dos nobilissima, præstat omni rei & doti corporeæ. Innuit sapientes sæpè minùs pollere robore corporis, & robustos admodum minùs pollere sapiētia. Sic enim Deus dona sua distribuere & partiri solet. Adde corpus alias dispositiones exigere ad robur, & subinde contrarias ad sapientiam requiri. Unde illud:

Ingenio pollet, cui vim natura negavit.

Secundò, Petrus Blesensis epist. 81. censet hic sapientiæ studiosos invitari ad laborem & studium sapientiæ etiam,

etiam cum jactura sanitatis & formæ, quòd par sit rē tantam, quātā est sapientia, quāvis corporis jactura emi. Hinc videmus studiosos laborare stomacho, capite, phlegmate, fierique macilentos, valetudinarios & decolores, ideoque brevis esse ævi: studendo enim exhauriunt optimos spiritus, & calorem à stomacho avocant ad cerebrum ex quo oritur stomachi indigestio, cruditas, flatus, phlegmata, vertigines, hemicrania, &c. Sic Aristoteles naturali stomachi infirmitate laborabat, eamque calidi olei utriculo ventri admoto levare solebat, ait Ammianus lib. 16. ut mirum sit eum ad ætatem 63. annorum pervenisse, & assiduos dolores tamdiu tanta animi virtute sostentasse: *Fuit enim in lucubrando studio infatigabilis*, ait Laert. in ejus vita, *qui cum cubitum se conferret, in manus globum æneum capiebat, ut cadentis in pelvim globi sono excitaretur. Aristotelem*, inquit Censorinus de Die natali, *ferunt naturalem stomachi infirmitatem, crebrasque morbidi corporis offensiones virtute animi diu sustentasse, ut magis mirum sit ad annos sexaginta tres eum vitam pertulisse, quam ultrà non protulisse*. Blesensem sequitur Pineda lib. 3. de Reb. Salomonis c. 3. n. 8. Sapientia, inquit, est mortis & mortalitatis antidotum, Sapient. 8. v. 17. Quare quamvis corporis vires sapientiæ studio atque vigiliis extenuentur, & ad mortem celeri gradu sapiens contendat; ex altera tamen parte nominis immortalitate, quæ sapienti debetur, vitæ brevioris jactura abundè compensatur: propterea enim addidit: *Super salutem & speciem dilexi illam*, Sap. 7. 10. Idem lib. 3. cap. 10. n. 5. Salomon, ait, exercuit cum labore, attentione, & mentis intentione scientias sine labore acceptas: aliquando etiam cum defatigatione quadam viriū corporis, stomachi languore, capitisq; lassitudine aliqua. Prætervehuntur aliquando ultra modum sapientum vigiliæ & lucubrationes, ut cū ipso Salomone cogantur dicere, *Super salutem & speciem dilexi sapientiā*: ne sapientiæ desint, desunt valetudini curandæ, desunt sibi ipsis, ac vitæ necessariis desunt. Verum enimverò moderatio adhibenda est studio, quam ipsa sapientia præscribit, ne vires corporis lædantur, itaq; usus & exercitium sapientiæ intercidatur, juxta illud:

Omnibus in rebus modus est pulcherrima virtus.

Et illud:

Omnis satietas mala; studiorum autem pessima.

Tertiò, idem Pineda lib. 3. c. 3. n. 5. censet hic respici ad orationem Salomonis, qua à Deo non postulavit sanitatem, nec pulchritudinem aut pulchras uxores, sed sapientiam, 3. Reg. 3. 11.

Hermani Contracti votum sapientiæ.

Huc facit illustre exemplum in Hermanno, cui à contractis membris cognomen fuit Contracti, qui cùm esset filius Comitis, monasticem professus in Ordine S. Benedicti, enixè petiit à B. Virgine, cui erat addictissimus, sanitatem sibi restitui, quæ per visum apparens illi hoc responsum dedit: *Fili charissime, tuis precibus sedulis invitata duorum tibi optionem impetravi; elige quod volueris. Cōtractus permanebis, & omnium Scripturarum scientiam accipies, tam divinarum, quàm humanarum, vel sanitatem corporis accipiens, idiota permanebis, & Ecclesiasticam cathedram ascendes. Jam alterum ex iis, quod volueris elige, quoniam ambo habere non poteris.* Hermannus autem considerans quod Regina cæli singulariter suadebat, elegit remanere contractus, & scientiam Scripturarum accipere, magis quàm corporis sanitatem absque doctrina possidere. Erat enim jam tunc, licèt rudis & idiota, devotus tamen & Scripturarum amore accensus. Ex illo tempore in omni doctrina ultra omnes contemporaneos suos proficiens, excellentissimæ opinionis vir factus est: trium linguarum, Latinæ scilicet, Græcæ & Arabicæ, ita peritus extitit, ac si natus in eis fuisset: floruit anno Domini 1060. auctorque fuit hymni *Salve regina*, & aliorum plurium. Porrò ægritudo illi patientiæ & sanctitatis fuit materia & stimulus. Ita Trithemius de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti li. 2. c. 84.

Porrò quàm parui facienda sit sanitas & forma præ sapientia, docet S. August. serm. 42. de verbis Domini: *Nam salus hominis, quæ reddita est corpori, quanti temporis fuit? Quæ est enim vita vestra dicit Scriptura? Vapor, inquit, ad modicum apparens, deinceps exterminabitur. Quod ergo illius hominis corpori reddita est sanitas, reddita est nonnulla diuturnitas vapori. Non itaque pro magno illud habendum est; vana salus hominis. Et recolite fratres illud propheticum & evangelicum: Omnis caro fœnum, & omnis honor carnis aut flos fœni: fœnum aruit, flos decidit: verbum Domini manet in æternum.* Et post pauca: *Tota quippe ista vita intelligentibus tribulatio est. Sunt enim duo tortores animæ non simul torquentes, sed cruciatus alternantes. Horum duorū tortorum nomina sunt timor & dolor. Quando tibi bene est, times, quando male, doles. Sæculi hujus quē non decipit prosperitas, non frangit adversitas.* Utrumq; docet & præstat sapientia. Sic Gentiles Palladem deam sapientiæ præferebant Veneri deæ pulchritudinis, & Hygiiæ, sive Valentiæ, deæ sanitatis.

ET PROPOSUI (græcè, προειλόμην, id est judicavi, decrevi) PRO LUCE HABERE ILLAM] Jam dedi hujus loci sensum, diaique præferri hic sapientiam luci, tum solis, tum oculorum. Quid charius & lucidius oculis? quid sole, qui est cor, mens & oculus mundi? utique sapientia, cujus aureum jubar solari antecellit, illam ergo prædilexi & prætuli rebus omnibus, quæ lucent & radiant oculis mortalium. Addit Pineda l. 3. de Rebus Salom. c. 4. n. 12. & ex eo Cervantius per *lucem* accipi ipsos sapientiæ oculos pulcherrimos. Salomon, inquiunt, sapientiā quærit sibi sponsam, asserens, *Amator factus sum formæ illius*, sed illius luminibus potissimùm captus, nam proposuit pro luce habere lucem, quoniam inextinguibile est lumen ejus. Illius lumina mirabiliter radiant, imò tota ipsa candor, radius est æternæ lucis. Sap. 7. 26. imò lumen jucundissimū & utilissimum, nam & illa est speciosior sole, & super omnē dispositionem stellarum, quæ poetis cæli ac Jovis oculi dicuntur, luciq; comparata, invenitur prior; illi enim succedit nox; sapientiam autē non vincit malitia. Hujus rei symbolo legimus Gen. 29. 17. captum Jacob non tantū decora facie, sed venusto aspectu Rachelis, quam non solū commendabat pulchritudo eximia, sed lumina oculorum quorum maxima ratio ad speciei illustrationē accidit ex oppositione, velut umbræ Liæ lippientibus oculis. Illorū maxima est vis. Cant. 6. 4. *Averte, ait, oculos tuos à me, quia ipsi me avolare;* Hebr. *extolli, superbire, fecerunt*. Sapientia ergo est Lucina & lampas, in cursu huius vitæ illuminatrix, vivificatrix, & victrix.

Lux typus regni.

Symbol. idem Pineda ibidem c. 3. n. 8 per *lumen* accipit regnum, hujus enim symbolum est lucerna & lux, quia olim regibus præferebatur ignis lucidus, uti ostendit Jer. 1. 13. q. d. Proposui *pro luce*, id est pro regno, habere illam; *quoniam inextinguibile*, id est perpetuum, *est lumen*, id est regnum, & regius splendor, *illius*.

QUONIAM INEXTINGUIBILE EST LUMEN ILLIUS] Græcè, ὅτι ἀκοίμητον τὸ ἐκ ταύτης φέγγος id est *quia insomnis, pervigil, irrequietus est fulgor* sive *splendor, qui ex ea*, scilicet procedit & profluit; Cervantes, *immortale, quod ex hac, est jubar;* Vatabl. *splendor eius supprimi non potest*, alii, *effulgentia ejus nullam subit tenebrarum vicissitudinem*. Sensus est q. d. Proposui sapientiam habere pro luce, quia omnis alia lux solis, lunæ, diei, fundit lumē, sed quod vespere extinguitur, deficit, & quasi dormit per noctem usq; ad manè, quo rursum sol & dies oritur: at sapientiæ lux fundit lumen, quod numquam extinguitur, deficit aut dormit; sed pervigil & luminosum semper perdurat, cùm ex adverso lux oculorum pariter cum homine noctu sopiatur & dormiat, lux quoq; solis vespere occidat, &, ut vulgus loquitur, eat cubitum & dormitū. Occubitus enim solis plebeus videtur esse ejusdē decubitus, quies & somnus, & juxta illud Virgilii 4. Æneid.

Lux sapientiæ inextinguibilis.

Tithoni croceum linquens aurora cubile.

ita à Castro. Huic luci, inquit, ex sole mananti noctium successione accidit quies & nox, ut ait versu ultimo hujus capitis, in qua nocte quiescit homo à labore & somnū capit, at lumen sapientiæ nullo somno intermittitur, numquam quiescit, semper in vigilia est, & in continuum laborem inducit, nam diu noctuq; per somnium & per vigiliam ita affulget homini, ut eum ad laborandum in animi cultura excitet & accendat. Et hac ratione lumen sapientiæ dicitur inextinguibile, quia ubi est, numquam nō illuminat, quemadmodum de amore dixit S. Greg. hom. 30. in Evang. quòd numquam sit otiosus; sed magna operetur si est, quia semper urget ad operandum.

Causa à priori est, quòd sapientia sit radius divinæ lucis, oriaturque & manet à Deo, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, Jacob. 1. 17. Vide ibi dicta.

Igitur lumen sapientiæ est inextinguibile. Primò, quia in se numquam extinguitur, deficit aut variatur; sed idē

lem-

semper & æquales suique simile perseverat. Secundò, quia semper hominem illuminat & inflammat, instigatq; ad bona opera, ut etiam noctu legem Dei & verba sacræ Scriptu. ruminet, meditetur, ac de Deo cogitet, eúq; adoret & invocet, juxta illud S. Hier. ad Eustach. *Esto cicada noctium.* Et illud Psaltis. *In lege ejus meditabitur die ac nocte.* psal. 1. 2. Et illud Mosis: *Meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens,* Deuter. 6. 7. Vide ibi dicta. Et illud de muliere sapienti & forti: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus,* Prover. 31. 18. Tales fuere Essæi sub S. Marco, de quibus Philo lib. de Therapeutis: *Nulla pene,* inquit, *aliæ inter dormiendum offerebant se illis imagines, nisi rerum cælestium. Quorum & elapsa in somnis verba juniores vigilantes attentissimi, scriptis, utpote pretiosissima, excipiebant.*

Acœmetæ qui. Tales quoque fuere Acœmetæ, id est Religiosi non dormientes, sed jugiter psallentes & meditantes, quales fuere Studitæ, quorum præses fuit magnus ille Theodorus Studita, & jugi meditatione & studio ita cognominati, de quibus alibi dixi. Apud Græcos certamen erat cursus, in quo qui decurrendo lumen lampadis accensum servabat vincebat; qui verò extinguebat, vincebatur. Audi Pausaniam in Atticis: *Ara est, in qua homines in urbem accensas lampades præferentes decurrunt. In eo autem certamen est, ut in cursu accensa conserventur, cujus enim fax extincta fuerit, palma in medio relinquitur.*

Pari modo Christianus lampadem fidei & charitatis, oleo bonorum operum foveat, & accensam teneat oportet usque ad ultimum vitæ diem. Nam virgines sapientes oleum habentes, eoque lampades accensas foventes, admissæ sunt ad nuptias cælestes, eo verò carentes, & lampades habentes extinctas, ab iis exclusæ fuerunt, Matth. 25. 7.

Vers. 11. VENERUNT AUTEM MIHI OMNIA BONA PARITER CUM ILLA, ET INNUMERABILIS HONESTAS PER MANUS ILLIUS] *Omnia bona* sunt opes, fama, gloria, regnum, victoria, &c. *Innumerabilis,* id est plurima. Est hyperbole: nam omnes opes Salom. licet plurimæ, absolutè tamen numerari poterant, utpote finitæ.

Ne quis Salomonem temeritatis accuset, quòd sapientiam ceteris bonis prætulerit, eamque in sponsam sibi delegerit, ostendit eam non indotatam ad se venisse, sed pro dote attulisse bona omnia. Id ita reipsa accidisse patet 3. Reg. 3. 11. ubi Deus ait Salomon: *Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi sapiens & intelligens; in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, divitias, scilicet & gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus.* Unde Christus Matth. 6. adducto exemplo ex gloria Salomonis, conclusit versu 33. *Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Adjicientur* dixit, non sine emphasi, quia exteriora bona, etiam non parentibus, & suis quoque inimicis largitur, quasi adjectanea, imò rejectanea. Sic cum Sapientia increata, putà cum Filio suo, Deus nobis omnia donavit, Rom. 8. 32. cum sapientia verò creata, id est cum gratia & charitate, reliquæ nobis proveniunt virtutes, velut proprietates ex essentia & natura gratiæ promanantes: externa quoq; bona quatenus prosunt ad gratiam & salutem.

HONESTAS] Id est virtus, quæ spectat bonum honestum, ac præsertim modestia, ait S. Bonav. & Dionys. Verùm græcè est πλοῦτος id est opes, divitiæ, hæ enim in Script. vocantur *honestas*; quia possidentem faciunt honestum & honorabilem, ut ab omnibus colatur: sic *honorare* vel *honestare*, significat ditare, ut 1. Timoth. 5. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore,* id est stipendio, *digni habeantur.* Et v. 3. *Viduas honora* (sustenta) *quæ verè viduæ sunt.* Sic *honestas* pro opibus, & *honestare* pro divitem facere, sumitur hoc c. v. 13. & c. 8. v. 18. & c. 10. 10. & Eccl. 11. v. 14. & 23. Est ergo metalepsis: divitias enim consequitur honestas victus, vestitus & familiæ. Unde & prisci Latini *honestum* sumebant pro divite, ut docet Asconius in Verrinam 3. Ulpian. l. 52. D. de furtis, Titium honestum opponit Titio egeno. *Cùm,* ait, *Titio honesto pecuniam credere vellem, subjecisti mihi alium Titium egenum, quasi ille esset locuples.*

PER MANUS ILLIUS) Græcè, *in manibus illius,* id est, Primò, in ejus arbitrio & potestate, quasi ab ea manans & pendens; Secundo, q. d. Liberaliter per manus illius erogabatur. Minus enim symbolum sunt Primo, potestatis, & dominii, Secundò, liberalitatis & beneficentiæ. Unde *donum*; græcè dicitur δῶρον quæ vox palmã significat, sive manum explicatam & extentam, qua dona erogamus. Unde Plin. l. 35. c. 14. *Græci antiqui,* ait, *doron palmum vocabant, & ideo dora munera, quia manu darentur.* Tertiò, laboris & operationis, unde per manus sapientiæ innuit eam, non esse otiosam, sed operosam, nec otiosis, sed operosis suas opes conferre. Quartò insuper, contentionis & pugnæ, ut notet sapientiam magnam debere cũ insipientia & concupiscentia subire luctam, cum eaque crebrò manus conferere, ut eam subigat & obsequentem reddat. Hinc Plutus, id est deus divitiarum præses, pingebatur cum signo Fortunæ & Minervæ (quæ dea erat sapientiæ) Erganes, id est operatricis, inquit Plutarch. Hesiodus, Aristoph. & alii. Unde Pausan. l. 1. & 6. qui est Eliac. ait: *In arte Minervæ fanum est, signumque auro & ebore fabricatum. Phidiæ ajunt opus fuisse, insistit deæ cassidi gallus gallinaceus, quod opinor, hæc est avis omnium pugnacissima, vel fortasse, quod Minerva cognomento Ergana sacra est.* Gallus pugnax & pervigil insistit capiti Minervæ, ut notet sapientiam & opes, non otio, sed assidua vigilia, labore & contentione comparari. Minervæ ergo, sive Palladi, armatæ cæli terræque bona, perinde ac duci milites subduntur. Huc facit illud Horatii l. 1. epist. 1.

Munus symbola quatuor. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Sapientia laboriosa.

Ad summam sapiens uno minor est Iove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Hinc Salomon post collatam sibi sapientiam mirabiliter cœpit ditescere, per eam enim naves misit in Ophir, quæ auri copiam ei afferebant, multaq; alia solerter adinvenit, quibus immensas opes & gloriam sibi comparavit, uti ostendit Pineda l. 4. de Rebus Salom. c. 4.

ET LÆTATUS SUM IN OMNIBUS: QUONIAM ANTECEDEBAT ME ISTA SAPIENTIA] quasi dux deducens me ad omnia bona jam dicta. Unde græcè est, ἡγεῖται, id est dux est sapientia, q. d. Quoniam sapientia dux est, auctor, caput, fons & mater omnium bonorũ quia Deus scilicet, auctor & amator sapientiæ, ea omnia largè elargitur sapientiæ studiosis.

Igitur minùs aptè ad hunc locum Holcot exponit, q. d. Sapientia quasi dux mihi præibat in omni negotio per sapiens providumque consilium, ut omnia prudenter agerem & transigerem, quia hac de re hic non agitur. Sẽsus ergo est quem dedi, sic enim se explicat hemistichio sequenti, dicens: *Et ignorabam quoniam horum omnium mater est.* Perperam Complut. pro *horum* legunt, *bonorum*; & alii, *bonorum*: Pro *mater* græcè est γενέτις, id est, *genitrix*: alii legunt, γένεσις, id est *generatio*, id est generatrix. Sic Philo lib. de Profugis asserit, sapientiam esse filiam Dei, sed meritò patrem dici posse (symbolicè scilicet & emblematicè) & esto nomen habeat femininum, habere tamen virtutem masculam, imò vires & actiones virorum perfectissimorum. Sic sapientia de se ait: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Eccl. 24. Vide ibi dicta. Porrò quod ait *ignorabam*, intellige antequam eam ejusque dotes planè perspectas haberem, experientia cognovissem: at ubi ea perspexi & expertus didici, planè agnovi omnium bonorum matrem esse sapientiam.

QUAM SINE FICTIONE (græcè; ἀδόλως, id est, *sine dolo*) DIDICI, ET SINE INVIDIA (Græcè, ἀφθόνως, quod per homioptoton pulchrè respondet τῷ ἀδόλως) COMMUNICO, ET HONESTATEM ILLIUS NON ABSCONDO] Vers. 13

Fictio hæc, sive dolus consistit in eo, quòd quis sapientiam non sincerè propter ipsam, putà ex amore sapientiæ, sed propter aliud quærat & discat, putà ut per eam opes, honores, status adipiscatur. Sicut Simõ Magus fictè & dolosè voluit emere S. S. qui est auctor sapientiæ, non ut eo sanctificaretur, sed ut per eum acciperet potestatem faciendi miracula, ex eaque Magni nomen apud homines consequeretur, Actor. 8. 19. Sensus ergo est, q. d. Ego Salomon quæsivi & didici sapientiam, tum à matre & patre meo, tum à Nathan Propheta, tum maximè à Deo, qui mihi illam infudit; quæsivi eam, inquam, non rectè, sed sincerè puraque intentione, & recto fine, quem ipsa poscit scilicet ut per eam rectè & sanctè viverem, atque eãdem alios docere, unde sine invidia largè & liberaliter eã quibuslibet

buslibet communico, tum per vocem, tum per hæc scriptura mea: & *honestatem*, græcè id est divitias ejus à me per experientiam compertas, ac paulò antè à me recensitas *non abscondo*, sed ubique prædico & propalo. Nam, ut dixit c. 55. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*. Vide ibi dicta.

Nonnulli non incongruè ἀδόλως, id est sine fictione sine dolo & fraude passivè accipiunt, q. d. Non sum fraudatus opinione, quam de sapientia conceperam, quòd bona omnia, quæ mihi promittebat reipsa præstaret. Unde Vatabl. vertit, *hanc citra frustrationem didici*.

Denique ex hoc loco demonstrat noster Pineda lib. 3. de Salomone c. 27. Salomonem fuisse publicum sapientiæ professorem.

Sapientia sua communicat. Moraliter hinc disce, verè sapientem non esse invidũ, nec arctum, sed liberaliter se suaque communicare & impendere in aliorum commodum & salutem, perinde ac Deus sua largè omnibus impertit, ac sicut sol radios lucis suæ omnibus immittit. Sic Apostoli, ait S. Iren. lib. 3. ca. 14. nulli invidentes, quæ didicerant ipsi à Domino, ultrò omnibus communicabant. Sapienter S. Basil. orat. 6. de Institut. & admon. *Discendum est*, inquit, *absque ullo pudore, & docendum absque invidia, & si quid ab altero hauserimus, idipsum non est celandum, sicut improbæ mulieres solent dum spurios partus supponunt, sed grato animo illis auctor prædicandus atque aperiendus est.*

Exempla Rabanus Maurus, & Alcuinus Flaccus magister Caroli Magni, Bedæ discipuli, cùm scholas Parisiis aperirent, omnes gratis docebant; itaque Academiæ nobilissimæ & antiquissimæ initium dederunt, uti habet eorum Vita. Idem facit Societas nostra, quæ ultrò & gratis omnes docet omnia, quæ ad liberales artes & Theologiam pertinent. Gal. l. 5. Methodi c. 5. asserit se vel unius studiosi gratia omnia dicturum scripturumque. Plato uno Aristotele discipulo contentus alacriter docebat, illoq; præsente etiamsi ceteri abessent, dicebat *Auditorium est*, teste Laertio, Plut. & aliis. Plin. l. 25. c. 1. & 2. laudat veteres, ut M. Catonem omnium bonarum artium magistrum, Orpheum, Musæum, Hesiodum, &c. qui ea, quæ notant de viribus herbarum scripto vulgarunt. *Nihil ergo*, inquit, *intentatum inexpertumque illis fuit: nihil deinde occultatum, quod non prodesse posteris vellent. At nos elaborata iis abscondere atq; supprimere cupimus, & fraudare vitã etiam alienis bonis. Ita certè recondunt, qui pauca aliqua novere invidentes aliis, & neminem docere in auctoritatem scientiæ est.*

Ratio à priori. Ratio à priori est, quam dat S. Thomas in illud 1. Corinth. 3. *Cum sit inter vos zelus & contentio nonne carnales estis? Zelus*, inquit, *& contentio non habet locum, nisi in carnalibus hominibus, quia ipsi ad bona corporalia afficiuntur, quæ simul à pluribus integrè possideri non possunt: & ideo propter hoc, quòd aliquis bonum aliquod corporale possidet, alius impeditur à plena possessione illius, & ex hoc sequitur invidia, & per consequens contentio. Sed spiritualia bona, quibus spirituales afficiuntur, simul à pluribus possideri possunt, & ideò bonum illius non est alterius impedimẽtum, & propter hoc in talibus, nec invidia, nec contentio locum habet. Unde Sapiens c. 7. ait, Sine invidia communico*, quòd Deus iis, qui libenter alios docent, doctrinam largiter communicet & adaugeat, juxta illud Christi: *Qui enim habet* (qui dato & habito utitur ad aliorum commodum) *dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet* (non utitur,) *& quod habet auferetur ab eo*, Matth. 13. 12. Vide parabolam talentorum, ac præmia eorum qui ea erogarunt, Matth. 25. 21. Hinc sapienter R. Ismael in *Pirke avoth*, id est in Sententiis patrum c. 4. *Qui eo fine discit* inquit, *ut alios postmodum doceat, illi Deus & discendi gratiam confert & docendi: & qui hoc animo discit, ut suos ipsius mores instruat, dat illi Deus unde discat & doceat, & quod alios docuit, in opus & praxim redigat.*

Exempla Illustre exemplum est in S. Aug. qui Florentinæ offerens suam docendi operam epist. 132. *Superest*, inquit, *ut promas ipsa, si quid ex me quærendũ putas. Aut enim scio, quod inquisieris, & non negabo: aut ita nescio ut nullo fidei salutisque detrimento nesciam, & hoc etiam teipsam si potuero faciam reddita ratione securam: aut certè si nescio, & tamen sciendum est, vel impetrabo à Domino ne tibi desim: nam sæpè officium impertiendi meritũ est accipiendi vel ita tibi respondebo, ut noveris pro hac ipsa re, quam pariter nescimus, ad quem pulsare debeamus.* Et post nonnulla: *Equidem etiam iis rebus, quas utcumque scio, magis te cupio esse scientem, quàm scientia nostra indigentem. Neque enim, ut quod scimus doceamus, aliorum ignorantiam optare debemus. Multò quippe melius omnes sumus dociles Deo, quod utiq; in illa superna patria, cùm in nobis completum fuerit quod promissum est perficietur, ut non dicat homo proximo suo: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent eum, sicut scriptum est à minore usque ad majorem eorum.*

Excellens hac in re fuit Cosmas Scholasticus, de quo ita scribit Joãnes Moschus oculatus testis in Prato spirit. c. 172. *Erat*, inquit, *vir iste humilis misericors abstinens, vir quietus sine ira, socialis, peregrinorum susceptor, amator pauperum. Plurimũ itaque nobis utilitatis contulit vir iste mirabilis, non solum ex aspectu, sed etiam ex doctrina sua, & quod magnam haberet librorum copiam super omnes qui erant in Alexandria, eosque promptè ac libenter volentibus accommodaret.* Subdit deinde ejusdem vitam & virtutes: *Erat autem & nihil possidens. In tota namq; domo ejus nihil vidisses aliud, quã libros, & scabella, & lectulũ & mensam. Licebat verò omnibus ingredi, & interrogare, quæ ad utilitatem pertinerent, & legere. Diebus autem singulis intrabam ad eum ipse & teste veritate numquam ad illum ingressus sum, quin ipsum aut legentem, aut scribentem contra Judæos, invenirem: Magno enim fervebat zelo convertendi gentem illam ad veritatem.* Additque, eum talem vitam constanter egisse per 33. annos.

B. Philippus Nerius dictitabat, servum Dei salutis proximorum studiosum, debere omnium horarum esse virũ, ut quodlibet tempore cuilibet sui facultatẽ præbeat: idq; ipse factitabat, eaq; de causa advẽtantibus clavem cubiculi sui tradebat, ut sine pulsu ad se ingredi posset, opis vel consilii petendi causa, quando & quoties luberet.

Denique primos doctores sapientiæ, qui eam studiosè posteris tradiderunt, & per multa sæcula propagarunt, fuisse Adam, Noe, Abraham, Joseph, Mosen, Davidem ostendit Pineda l. 3. de Rebus Salom. c. 27.

INFINITUS (græcè ἀνεκλειπής, id est indeficiens, inexhaustus) ENIM THESAURUS EST HOMINIBUS] Dat causam, cur sine invidia sapientiam ultrò cõmunicet, quòd scilicet ejus thesaurus sit indeficiens, instar fontis vel putei perennis, unde quo plus aquæ exhauritur vel effluit, eo plus succedit rursusque affluit. Quare ne verearis, ò doctor, alios docere; metuendo ne tua doctrina deficiat, vel tibi ipsi non sufficiat, quia docendo crescet tibi doctrina, tum ex ipso ejus usu & exercitio, tum ex Dei remuneratione & dono, sicut lux candelæ si aliam & aliam accendat, non minuitur, sed augetur, & sicut oleum Eliæ, quò in plura vasa effusum fuit, eò pariter magis fuit multiplicatum, 3. Reg. 17. 12.

QUO QUI USI SUNT, PARTICIPES FACTI SUNT AMICITIÆ] Græcè πρὸς Θεὸν ἐστείλαντο φιλίαν, id est *contraxerunt* vel *strinxerunt ad Deum*, vel *cum Deo amicitiam*, arctam scilicet & strictam; Vatabl. *amicitiam cum Deo junxerunt*; Pagn. *sepofuerunt ad Deũ amicitiam*. Alia est hæc ratio, cur suum sapientiæ thesaurum alii libenter communicet, quod scilicet, qui eo utuntur in aliorum bonum docendo, consulendo, &c. propter insignem hanc charitatẽ, strictam cum Deo amicitiã ineãt: Deus enim est primus sapiẽtiæ doctor, qui alios doctores sibi socios quærit, ut eam in omnes dispergat: quare eos in suum consortium & amicitiam, imò in suum doctoratus officium gradumque associat: *Divinorum enim operum divinissimũ est, Deo in salute animarũ cooperari*, ait S. Dion. Atque angelorum munus est alios illuminare, purgare & perficere. Hinc patet, quòd vera inter Deũ & justũ intercedat amicitia, quæ sita est in charitate. Nam Primò, per hanc fimus *divinæ consortes naturæ*, ideoq; quodãmodo æquales Deo. Secundò, per hanc fit mutuus amor, & mutua communicatio bonorum inter Deum & justum. Tertiò, per hanc singulariter justus amat Deum & amatur à Deo, idq; purè propter Deum, non propter utilitatẽ propriam. Quartò, per hanc anima intimè unitur Deo, juxta illud: *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Ad veram enim amicitiam requiruntur & sufficiunt hæc quatuor, scilicet æqualitas, mutua benevolentia, singularitas, & unio. Ita D. Th. 2. 2. q. 23. art. 1. & ibidem fusiùs Franc. Suar. Greg. de Valentia, & alii. VERS. 14. *Charitas est amicitia hominis cum Deo cur?*

PROPTER DISCIPLINÆ (tradendæ & docendæ) DONA COMMENDATI] Græcè διὰ τὰς ἐκ παιδείας δωρεὰς συσταθέντες id est, *propter ea, quæ ex disciplina promanant dona*

na constituti, compositi vel *commẽdati*. Per doctrinã enim & disciplinam auditorum ignorantia dispellitur, errores abiguntur, veritate mens imbuitur, vitia castigãtur, virtutes inferuntur, gratia & salus æterna procuratur, quæ omnia doctores Deo, angelis & hominibus mirificè commendant. Quocirca viri sapientes, amici, imò consultores & magistri fuere Regum & Imperatorum, ut Senec. Neronis, Apollon. Augusti, Arist. Alessandri Magni. Aristæas Ptolemæi Philadelphi, Lactantius Constantini, Alcuinus Caroli Magni. Alii per *dona disciplina* accipiunt bona omnia, quæ paulò antè sapientiã comitari & ab ea profluere asseruit, hæc enim sapientem apud omnes commendant, atq; amabilem pariter & admirabilẽ efficiunt.

Propriè συσταθέντες, quod Noster vertit, *commendati*, idẽ est, inquit Cervantius, quod cum Deo sibi amicissimo stãtes, consistentes, excitati, erecti ex terræ scilicet pulvere, collocati, constituti secundum Deum, stabiliti, firmati, alias ex sese ruituri in barathra errorum. Sic Plato in Timæo. & Polyb. lib. 2. Præterea studiosè excepti, culti, in cœtum, congressum, colloquiũ & contuberniũ admissi, nempe ipsius Dei, quo cum amoris vinculo adstricti. Quę officia præstamus iis, quos habemus commendatos.

Denique συσταθέντες sunt cohærentes, conspirantes, concordes & consonantes, certè unà cum Deo Deiq; gratia atque dono ipsius, eos in tantum fastigium dignitatis evehentis, reddentisque consortes divinæ naturæ, & pulcherrima bonorum harmonia suavissimos. Nam *systema* apud musicos est constitutio & plenum modulationis corpus, ex consonantiarũ conjunctione cõsistens quale est diapason, diapẽte, &c. apud Boet. l. 4. de Music. c. 14.

Moraliter disce hic dignitatem doctorum sapientiæ, quòd scilicet præ cæteris justis & doctis sint amici Dei, quia plurimos doctos, id est probos, sanctos, Deiq; amicos, efficiunt. Hi enim sine fictione docent quod à Deo didicerunt, quia non alio fine docent, quàm quem Deus & sapientia ipsa requirit, scilicet ad Dei notitiam cultũque propagandum, & ad animas salvandas, qui enim alio fine docet, v. g. ad ambitionem vel lucrum proprium, fictè & dolosè sapientia utitur, imò abutitur. Hinc rursũ verus doctor sapientiæ sine invidia sua cõmunicat, quia nil tam alienum à sapientia, quàm invidia: sapientiæ enim spiritus *suavis est amans bonum, benefaciens humanus, benignus*, &c. ut audiemus v. 22. Unde Eccles. c. 20. 32. *Sapientia absconsa*, inquit, *& thesaurus invisus, qua utilitas in utrisque? Melior est qui celat insipientiam suam quàm homo qui abscondit sapientiam suam*. Et Apostol. Ephes. 4. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Evangelistas, alios autẽ pastores & doctores*) non propter se, ut sibi soli sapiant, sed ut alios doceant, nimirum) *ad consummationem sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi*. Unde Paulus. *Væ mihi est*, inquit, *si non evangelizavero* 1. Corinth. 9. 16.

VERS. 15 MIHI AUTEM DEDIT DEUS DICERE EX SENTENTIA, ET PRAESUMERE DIGNA NORUM QUAE MIHI DANTUR: QUONIAM IPSE SAPIENTIAE DUX EST, ET SAPIENTIUM EMENDATOR] Pro *dedit* S. Greg. & Cantacuzenus legunt, *det*, quod est optantis, cùm peius sit asserentis. Declarat quomodo sapientiam sine fictione didicerit, & sine invidia comunicet, quòd scilicet Deus ei dederit facultatem & donum loquendi ex sententia, ut nimirũ animi sui sensa, & quæcumq; mente concepit, liberè, facilè, methodicè, clarè, gratiosè, nervosè eloqui valeat, ut auditores ea facilè intelligant, capiant retineant & exequãtur, Multi enim sunt viri docti in seipsis, sed sua sensa eloqui non valent: unde inepti sunt ad docendum. Docti ergo, ut fiant doctores congrui, egent gratia & facilitate se explicandi, influendiq; in animos auditorum, ut iis illa perspicuè ostendant & efficaciter persuadeant. Ita hodie videmus nonnullos doctores, sed mutos & elingues, alios verò disertos & facundos, qualis fuit Salomon. Pergit hic enarrare Salomon quæ & quanta per sapientiam cognoverit, ut deinde v. 22. in ejus laudes & elogia sese effũdat. Porrò id facit non ex fastu, sed ex gratitudine omnia enim refert in Deum, quasi sapientię omnisq; boni fontẽ. Nam ut ait S. Aug. in ps. 85. 2. cùm Psaltes ibidẽ ait: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati; imò & habere te cognosce*, inquit, *& nihil ex te habere, ut nec superbus sis, nec*

A *ingratus: dic Deo tuo, Sanctus sum, quoniã sanctificasti me, quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti, non quia merui.*

DICERE EX SENTENTIA] Gr. εἰπεῖν κατὰ γνώμην. Porrò γνώμη multa significat: Primò, sententiam: nam gnomæ vocantur sententię gravis, parabolę & proverbia. Hoc secutus Vatabl. vertit, *Deus dedit mihi sententiosè loqui*. Secundò, voluntatem, qua quis aliquid in mente statuit & decrevit. Unde Budæus, & ex eo Jansen. κατὰ γνώμην inquit, est propria sponte, liberè & lubenter loqui. Hoc secutus S. Bonav. explicat. q. d. Ut firmus certusq; pronuntiem de rebus, non hæsitans, non cunctabundus, sed quasi potestatem habens. Tertiò, ingenium, judicium, consilium. Unde aliqui explicant q. d. Deus dedit mihi gratiam loquendi ingeniosè, subtiliter & eruditè, sed simul cum judio & consilio utili prudentique, quod auditoribus ubique suggero; quo fit, ut ubique proferã ea, quę congrua sunt ingenio, consilio & judicio prudentiæ. Unde Clarius vertit, *Dei dono habeo, ut loquar eruditè quæ cẽtio*. Quartò opinionem & existimationem, q. d. Deus dedit mihi ita sapienter loqui sicut congruum est opinioni, quam de me homines conceperunt. Quintò, nonnulli B censent gnomen subinde significare gnomonem, indicem & regulam, qualis est stylus in horologio, qui per umbrã horas singulas notat & indicat, q. d. Ego in omnibus dictis sequor lucẽ ductumq; rationis & Dei instar umbræ & styli in horologio. Verùm hoc alienius videtur. Sextò & genuinè, significat sensum. Unde Petrus Nannius vertit, *Deus dedit mihi, ut secundum mentẽ eloquar, & animi sententiam exprimere valeam*, ut scilicet quæ sapienter mente concepi, sapienter ore eloquar, non tantùm quoad rem, sed etiam quoad methodum & modũ, quo ea in animo & cogitatione mea depinxi. Unde viri sapientes, & egregii oratores apud principes vel populum peroraturi, non tantùm puncta dicenda, sed etiam ordinem & modũ quo singula dicturi sunt, mente præconcipiunt, ut unum ex alio dependeat, sicut annuli in catena; ac unũ ex alio fluat, sicut latices ex fonte. Porrò sapienter dicere tria requirit Primò, ut quis ea priùs premeditetur, uti jam dixi: Secundò, ut ea proferat sapidè, iucundè, hilariter, gratiosè: Tertiò, ut ea promat cum pondere, nervosè, efficaciter & appositè ad persuadendum, Tota enim vis fructusque oratoris & orationis consistit in persuadendo C ait Tullius.

Gnome multum significat.

Porrò quam fatua sit eloquentia sine sapientia, demõstras apologus ranæ & anguillæ, appositis epithetis venustus, apud Cyrill. l. 2. Apolog. moral. cap. 16. cui titulus: Contra arrogantes ex eloquentia. *Ranuncula in fonte genita*, inquit, *sine voce cum cauda procedente die dum crevisset, ac mutata forma, perdita, caudula, loquacitatis inquietissima ampullas accepisset, natantẽ ibidem aspiciẽs sine sono caudatam anguillam, mox eloquii vento tumens coram illa, naturæ cœpit arrogantia sua grates referre, dicẽs: Gratias tibi ago, quod non solùm subtraxisti mihi caudam bestialitatis opprobrium, sed etiam rationalis gloriæ facundiã tribuisti. Hoc autem cum audisset anguilla, & tumorem fastus ejus ex ampullosa fabulatione notasset, ut superbam confunderet, è contra subiunxit. Ego sanè soror naturæ gratias offero, quòd acutissimum jactantiæ fomitum à me abstulit, & mihi in effugium salutare longiorem astutiæ caudam dedit. Ut quid charissima pestifero vento loquacitatis inflaris? Nõ attendis, quod inflata lingua dum eructat facundiã, bullis* D *stultitiam? quia flatu superbiæ venenata mox a mente sapientiam fugat. Verùm quid est eloquentia sine sapientia, nisi incõdita lingua, furiosa potentia, bucca sine fronte, equina dementia, ars incomposita, & dulcedo non modicũ venenosa?* Ex quibus concludit, & hoc epimythium colligit: *Malo igitur sine vocis artificio cum formica gaudere prudẽtia, quam vocis tonitruo insanire cum asino, vel etiam cum jubilo captiva vernare philomela. Malo certè in æternum non loqui, quam locutione sempiternum captivanda in superbiam erigi. Quo dicto sub limo se abscondit.*

Apologus ventosa eloquentia.

Salomon ergo eloquentia aquè ac sapientia excelluit: & tum illa, quàm hæc insigne est regum & principum decus, uti hic ipse insinuat. Unde de Calliope, quæ eloquentiæ erat dea, sic canit Hesiodus in Theogonia,

Quæ reges etiam comitatur ritè verendos.

Eloquentes fuere Julius Cæsar, Augustus, Tiberius, Claudius Imp. teste Tacito lib. 13. Annal. sub initium, item Diomedes, Ulysse, Nestor, Pericles & Alexander Magnus, quem Dio l. 2. de Regno ita patri Philippo loquen-

quentem inducit: *Rhetorica quidem opus est regi: nam tu frequenter rescribere cogeris, & contradicere Demostheni rhetori valdè vehementi & impostori, atque aliis quoque, qui Athenis rempubl. administrant.* Hæc est illa Gallici Herculis imago apud Lucianum, *catenulis aureis confertissimam hominum multitudinem trahens, omnes auribus vinctos, & quidem neque de fuga cogitantes, neque omnino restitantes, aut pedibus in diversum renitentes, sed spontè festinantes, innexis tamen catenulis summæ Dei linguæ perterebratæ*, &,

Quamvis durissima corda,
Eloquio pollens ad sua vota trahit.

Pyrrhus Epiri rex dictitabat, plures se urbes subjecisse eloquentia Cyneæ oratoris sui, quàm armis, teste Valerio Maximo.

Mysticè S.Gregor. 23. Moral. c.10. vel 17. *Fit plerumque*, inquit, *ut fortiter dicant, sed tamen juxta ea quæ dicunt vivere nesciant. Unde bene quidam sapiens dixit: Mihi autem Deus det hæc dicere ex sententia. Sententia quippe à sensu vocata est. Et recta, quæ intelligit, non ex sola scientia, sed ex sententia dicere appetit; qui nequaquam tantummodò sciendo dicere, sed sentiendo desiderat experiri quod dicit.*

B Et præsumere) Græcè ἐνθυμηθῆναι, id est cogitare & mente concipere ea, quæ digna sunt donis, quæ mihi à Deo data sunt & indies dantur, sive quemadmodum decet dona mea. *Præsumere* ergo est præconcipere, sive mente priùs comprehendere & complecti ea, quæ pro dignitate rei eloquenda sunt. Qui enim rectè vult dicere, priùs quid & qualiter dicendum sit præmeditetur oportet.

Aliter Hugo: Cogitare, inquit, dignè de datis, est pro donis acceptis gratias agere. Nihil enim dono ita dignum est, ac gratiarum actio. Alii: Cogitare, inquiunt, dignè de datis, est cogitare quomodo ea, quæ nobis data sunt ad aliorum commodum, apte in eos dispensemus. Melius noster à Castro: Præsumere, inquit, est præconcipere digna datis. Hoc pertinet ad gravitatem sententiarum, cui illa orationis facultas respondet: Nam sunt, ut ait Cicero de Oratore, qui rectè sentiant, cùm tamen id, quod sentiunt, non possint ornatè distincteque dicere. Duo ergo sibi à Deo data gratulatur Salomon, & in loquendo facundiam; C & præeligere, quod Vulgatus dixit, *præsumere* ex cogitatis, ea, quæ dicturus esset gravia & digna tantis donis: id est talia, qualia decet dona à Deo data, & datorem eorum Deum, non levia ac ludicra & inutilia; sed gravia, seria & multæ utilitatis, utpote ex sapientia profecta.

Cantacuzenus pro δεδομένων, id est, *quæ dantur*, legit, λεγομένων, id est, *quæ dicuntur*: ut enim oratio sit congrua, debet esse digna rebus quæ dicuntur.

Quoniam ipse sapientiæ dux est) Græcè ὁδηγός, id est dux viæ, sive itineris, quo scilicet è terra ad cælum cælestemque vitam contendimus; sicut columna ignis per noctem, & nubis per diem præiens castra Hebræorum, eis erat ὁδηγός, id est dux viæ per desertum in terram promissam, Exodi 13. 21. Deus ergo est noster ὁδηγός, id est viæ in cælum dux, monstrator, inquit Cervantes, præceptor, coryphæus, princeps, auspex suaviter pelliciens, & potentia fortiter impellens, æstimator omnia suis momentis librans æqua lance, ac magni æstimans eos, quos instituendos atque regendos habet, moderator, rector, auriga, & gubernator, institutor formatorque eorum, quos sapientia imbuendos suscepit; uti dicitur magi- D ster Rhetorices, Philosophiæ, Theologiæ, imò dux & princeps, v. g. Medicinæ Galenus, Philosophiæ Aristoteles, Theologiæ S. Aug. & S. Thomas, qui ut dux ceteris quos ducit præstat, præitque in via, sicut, magister puero, dux militi, strategus exercitui, stella Magis, doctrina & exemplo prælucens. Nam rectè dux dicitur sapientiæ, qui discipulorum agmina sicut acies militum ductat, item imperator, primipilus in gymnastica gymnasiorum exercitatione, quasi militari. Gentilibus viæ, æquè ac sapientiæ & sermonis, præses & dux erat Mercurius, græcè ἑρμῆς, id est interpres & nuncius, ita dictus, quasi medicurrius, inquit Arnobius, & ex eo Giraldus syntag.9 hoc est medius currens, quòd sermo medius inter homines fit: ideoque & Nuncius dictus, quia per sermonem omnia enunciantur, ait S. August. lib. 7. de Civit. 14 Unde Julianus Apostata, teste Ammiano, nocte dimidiata semper exurgens occultè Mercurio supplicabat, quem in mundo velociorem sensuum esse motum mentium suscitantem, Gentiles tradidere. Verùm verus fidelium Mercurius non est alius, quàm Deus & Christus.

Deus ductor.

Et sapientium emendator) Græcè διορθωτής, id est moderator, director, erector, corrector, rectificator, bene dispositor, qui scilicet hærentem & incertum quid agat dicatque moderatur & dirigit, labentem erigit, errantem corrigit, curvum rectificat: διορθόω enim idem est, quod moderor, dispono, dirigo, erigo, corrigo, reparo, rectum facio: sicut pædagogus puerum incongruè loquentem, scribentem vel ambulantem emendat, hoc est, corrigit, erigit, dirigit. Nam Deus tribuit hominibus & sapientiam cordis, qua cogitent & eligant quæ sint dicturi; & eloquentiam sive moderationem orationis: nam corrigit, disponit & moderatur, quæ dicenda sunt. Unde subdit, quòd in manu ejus sunt tum nos, tum sermones nostri. Rursum διορθόω est moveo, ceu ventus naves, ut recta in portum tendant, teste Athenæo lib.13. Item prospero, in meliorem statum restituo, & felici successu uti facio. Unde Orthosia dicitur Diana, (cujus meminit Pindarus in Olymp. Lycophron & Phavor, teste Giraldo syntag.12. de Diis Gentium) quòd vitam hominis erigat, statuat, dirigat, secundet, & parientes, non solùm natos, sublevet, expertes dolorum faciat, allevatos dirigat & felices reddat: & Jupiter Orthosios ab eisdem effectibus, erigendis scilicet excitandisque labescentibus. Deus ergo dicitur σοφῶν διορθωτής, id est Primò, *sapientum stator*, perinde ac recens natorum infantium, ait Cervantius, qui constituit, servat & format stantes & rectos. Secundò, erector eorum, qui eos, si in via cespitent, nutent, labascant, corruant, erigit sublevatque, & in locum suum reducit. Tertiò, qui illos, qui adversis flatibus à tramite & via sapientiæ deflectere faciles sunt aut amant, spiritu suo velut navim in portum salutis dirigit. Quartò, qui eosdem deprehensos & reprehensos corrigit & emendat, & sic pristino statui, integritati & incolumitati, instar medici & chirurgi restituit, restitutos instituit, & confirmat omni labe purgatos, quibus omnia prospera & votis annuentia contingunt; & sic prosperum iter eis facit Deus salutarium ipsorum, psal. 67. 20. Ita Deus correxit, vel per Aaronem direxit, vitium linguæ Moysis, quem legatum destinabat ad Pharaonem pro liberatione Hebræorum, Exodi 4. Sic Christus correxit ignorantiam Nicodemi, Joannis 3. & Samaritanæ, Joan. 4. Scribarum & Pharisæorum, S. Petri, S. Joannis & Jacobi, ceterorumque Apostolorum & discipulorum, ut patet passim in Euangeliis. Denique Deus est sapientum emendator, cùm eos de sapientia, vel bonis operibus præsumentes, & vanè gloriantes arguit, castigat, humiliat. ita Lyranus, Hugo & Dionys. Verè Ethicus: *Supra modum si quis sapit, bis desipit. Nemo sapit minùs quàm qui nimis. Intra modum quisquis sapit, verè sapit.* Hoc est, quod Ecclesia & fidelis quisque implorando opem Spiritus sancti, qui verus & summus est sapientiæ doctor, obsecrat: *Veni creator Spiritus*, &c.

Deus emendator sapientium.
Primò.
Secundò.
Tertiò.
Quartò.
Quintò.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Et: *Flecte quod est rigidum,*
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

In manu enim illius, et nos, et sermones nostri) q. d. In Dei arbitrio, potestate & providentia (horum enim symbolum est manus) est regere & moderari, tam nos, quàm sermones nostros. Pro *sermones* græcè est λόγοι, quod tam sermones, quàm rationes, cogitationes, ratiocinationes, discursus significat: hos enim omnes dirigit Deus. Sed meliùs hoc loco Noster vertit, *sermones*: quia agitur de eloquentia. Hinc S. August. lib.4. de Doctrina Christiana c. 6. prædicatorum monet, *ut sit priùs orator Dei, quàm dictor: quia ut dicatur à nobis, quod oportet & ut oportet, non facit nisi ille, in cujus manu sumus, & nos & sermones nostri*, &c. Et Bernard. epist. 87. ad Ogerium: *Si aliquid fortè à me audivisti, quod possis prodesse sibi, gratias Deo age in cujus manu sunt, & nos & sermones nostri.* Nam in manu Dei est vita & flatus noster, Daniel. 5. 23. ipseque omnia opera, tum naturalia, tum potiùs supernaturalia operatur in nobis, Isaiæ 26. 12. Omnia enim nostra sufficientia ex Deo est, 2. Corinth. 3. 5. Denique *ho-*

minis est animam præparare, & Domini gubernare linguam, Prover. 16. 1. Quare initio sermonis cujuslibet orandum cum Davide: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*, psal. 50. 17.

ET OMNIS SAPIENTIS) Græcè, φρόνησις, id est intelligentia, prudentia, scientia. Significat ergo scientiam speculativam, vel potiùs prudentiam sibi à Deo infusam.

ET OPERUM SCIENTIA, ET DISCIPLINA) ita Rom. græce dumtaxat est ἐργατῶν ἐπιστήμη, id est *opificiorum scientia*; Prosper lib. 1. de Vocatione gentium c. 9. legit, *& operum scientia & disciplina*; Complut. *& operum scientiæ disciplina*. Omnia hæc eodem redeunt & idem significant, scilicet *opificiorum scientiam*, ut habent Græca, id est peritiam artium mechanicarum & agriculturæ. Idem ergo est *disciplina*, quod *scientia*, putà cognitio sive peritia. Significat Salomon cum sapientia speculativa sibi inditam à Deo scientiam factivam sive practicam, putà artium mechanicarum, uti architectonicæ, mathematicæ practicæ, fabrilis, agriculturæ, nauticæ, &c. Has enim exercuit in fabrica templi, in cultura agrorum, in missione navium in Ophir. Sic Cato exercitus Romani dux peritus erat rei rusticæ, de eaque libros conscripsit, adeoque, nulla ars neque privatæ, neque publicæ rei gerendæ ei defuit, ait Livius lib. 43. 34. Hinc Vitruvius dedicat Augusto Imp. sua scripta de Architectura: *Ut majestas*, inquit, *imperii publicorum ædificiorum per se nota haberet opera, & egregias auctoritates*.

Operum scientia efficax. Tropol. *operum scientia* est, quæ non tam verbo, quàm opere & exemplo docet sapientiam & virtutem, ideoque efficacissima est, de qua S. Hieron. ad Nepotian. epist. 2. *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat. Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse*

Gnoma. *non facis? delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat.* S. Ambros. serm. 79. de sanctis Martyribus; *Benefacere; prima doctrina est. Cessantibus enim verbis, hoc ipsum docet hominem opus optimum, quod videtur, quòd etsi voce aures non excitet virtute tamen corda compungat. Quis enim bonum factum videns non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magistro utens ejus exemplo doceatur? Dictis igitur facta præcedunt; imò sine factis dicta nihil prosunt.* Plura ibi de eadem re. S. August. serm. 3. de Verbis Domini: *In doctore molesta est causa dicere, nec facere.* S. Gregor. Pastoral. par. 2. cap. 3. *Illa vox libentiùs auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat.* Tertull. initio lib. de Patientia: *Dicta factis deficientibus erubescunt.* S. Leo Pont. serm. in nativit. S. Laurentii: *Validiora sunt exempla, quàm verba; & plenius est opere docere, quàm voce.* S. Bernard. serm. 76. in Cantic. *Si pastor doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum ne non tam nutriat doctrina uberi, quàm sterili vita necat.* B. Petrus Damiani serm. de sanctis Apost. Petro & Paulo: *Bonus & perfectus magister (Paulus,) qui fidem facit verbis opere meliore.* Guaricus Abbas Igniacensis serm. 2. de Pentecoste: *Suspecta mihi hæc est consolatio, si dicam, & non faciam, si suppetant suffragia linguæ, cùm desint merita vitæ.* Ennodius ad Maximum Episcopum in oratione ei dicenda: *Plus agendo populum instituis, quàm loquendo. Illa monita discipulorum conscientiam erudierant, quæ præbentur exemplo.*

VERS. 17. IPSE ENIM DEDIT MIHI HORUM, QUÆ SUNT (græcè, τῶν ὄντων, id est entium vel existentium) SCIENTIAM VERAM) Græcè ἀψευδῆ, id est non falsam, non mendacem; sed veram & genuinam. Hinc Primò, aliqui docent, Salomoni inditam à Deo fuisse scientiam omnium entium, id est Metaphysicam, quæ pro objecto habet ens, ac considerat latitudinem entis. Secundò, alii scientiam entium realium, etiam quæ actu non existunt, sed tantùm sunt possibilia. ita S. Bonav. Tertiò, alii omnium entium, quæ in rerum natura existunt, putà Physicam. ita Jansen. De iis enim se explicat in sequent. Unde Salomon vocatur, *summus physiologus* ab Euseb. lib. 11. Præpar. cap. 6. Quartò, scientiam omnium entium, tam naturalium, quàm supernaturalium, putà Theologiam, quam proinde tempore Salomonis floruisse ex hoc loco docet Melchior Canus l. 12. de Locis cap. 2.

Verius est omnium entium, non possibilium, sed existentium scientiam Salomoni inditam, idq; quoad speciem, non quoad individua. Nam individuorum omnium nec ipse Adam habuit, ut scilicet quot lapilli jacent in flumine, quot in individuo nascantur muscæ, apes, culices, quot volatus, gyros & bombos edant, &c. uti docet S. Thomas 1. p. q. 94. art. 3. Idem de Christo sentit Franc. Suarez 3. p. quæst. 12. sub finem: Quia, inquit, hoc nec ad perfectionem scientiæ, nec naturalis prudentiæ videtur necessarium. Idem docet Scotus, Gabriel, Almainus & alii.

UT SCIAM DISPOSITIONEM ORBIS TERRARUM) Græcè σύστασιν κόσμου, id est, ut Anastas. Nicen. quæst. 39. & Jansen. *mundi constitutionem*; alii, *constructionem*, ut scilicet cognoscam, qua ratione constructus & constitutus sit mundus, quibus partibus constet, & quo ordine nexuque dispositis. S. Ambros. lib. de Fide resurr. legit, *compositionem*; Orig. hom. 21. in Lucam, *rationem mundi*; noster Lorinus, *constitutionem ex partibus suis, & secundùm variam collocationem rerum, quæ in mundo sunt, earumque coagmentationem*, præsertim quoad primarias & præcipuas mundi partes: hanc enim plenè cognovit Salomon ex primis principiis & causis, quibus res constitutæ sunt. Id enim innuit vox σύστασις. Rursum S. Ambros. lib. de Salomone tom. 2. c. 1. *Noverat* (Salomon) inquit, *mundanæ dispositionis introitum, qualiter esset hoc cælum omne, quod cernimus, ardua sublimitate suspensum, quemadmodum fieret aeris istius circumiectus, & fusus æquo moderamine, libratus in medio; quibus modis pigro ad imum dilapsa pondere terra subsisteret; qua ratione intra certas littorum metas liquidi elementi impatiens fluctus lapsus exæstuet*, &c. ita ipse, paraphrasticè exponens locum Sapientiæ, de quo agimus: alludens, ut apparet, ad illud Poetæ 1. Metam.

Ignea convexi vis, & sine pondere cæli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce,
Proximus est aer illi levitate locoque
Densior his tellus elementaque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sui: circumfluus humor
Ultima possedit, solidumque coercuit orbem.

Hinc patet Salomonem, non tantùm fuisse cosmographum, sed etiam geographum, qualem debere esse principem docet Lipsius Exempl. Polit. c. 8. ac talem fuisse Adamum & Noe docet Arias in Apparatu. Denique Abulens. in lib. 3. Reg. c. 3. v. 11. docet scientiam Salomonis fuisse indelebilem, eo quòd non per actus & species objectorum esset acquisita, sed à Deo infusa, idque in gradu perfecto; quare nec per cessationem ab actu, nec per actus contrarios, aut deceptionem potuisse deleri.

ET VIRTUTES (græcè ἐνέργειαν, id est energiam, vim, efficacitatem) ELEMENTORUM) quam scilicet vim habeant in agendo singula elementa. Repete ad omnia, *ut sciam*. Primus *Salomon doctrinam calidorum & frigidorum, siccorum & humidorum tradidit*, ait Anastas. Nicenus.

INITIUM ET CONSUMMATIONEM (Anast. Nicen. VERS. 18.
qu. 39. legit, *finem*) ET MEDIETATEM TEMPORUM) Origen. hom. 21. in Lucam pro *temporum* legit, *sæculorum*: hæc enim è temporibus constantur; S. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 7. legit, *principium rerum*: *Quod principium rerum*, inquit, *quis finis, quæ sunt media*. Sensus est q. d. Deus dedit mihi, ut cognoscerem totum decursum temporis à principio usque ad finem, & omnium, quæ in tempore naturaliter accidunt, ut scilicet nossem quomodo quisque dies, mensis, annus, sæculum incipiat, progrediatur & desinat. Philosophi enim est rerum principia, progressus & exitus perspicere. Cave ergo hinc inferas, Salomonem cognovisse, quo die finiendus sit mundus, & quo die futurum sit judicium. Hoc enim negat Christus Marci 13. 32.

VICISSITUDINEM PERMUTATIONES, ET COMMUTATIONES TEMPORUM) Ita Græca & Roman. perperam ergo aliqui legunt, *consummationes temporum* (alii *omnium*) adduntque *morum mutationes, & divisiones temporum*: quæ duo verisimile est ex alia versione, vel alicujus interpretatione in margine priùs ascripta, posteà relata in textum. S. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 7. pro his omnibus tantum legit, *divisiones temporum*; lib. verò de Salomone c. 1. legit, *divisiones & mutationes temporum*; Origen. hom. 21. in Lucam, *temporum varietatis, & translationes mensium*. Pro *vicissitudinem* græcè est, τροπῶν, id est conversionum: perperam aliqui vertunt, *morum*; sic enim scribendum esset accentu acuto τρόπων: τρόποι enim sunt mores, qui huc non pertinent: jam verò scribitur τροπῶν per accentum circumflexum, à τροπαί, id est conversiones, item solstitia, quòd in eis sol cursum mutet & convertat. Nam in solstitio æstivo à Tropico Cancri cursum reflectit ad Tropicum Capricorni: in solstitio verò hie-

mali

mali à Tropico Capricorni redit ad Tropicum Cancri: nec enim ultra duos hos Tropicos sol progreditur. Unde Vatabl. vertit: *solstitiorum vicissitudines*. ita Caotacuz. Clarius, Lorinus, à Castro. Hinc & τροπαὶ vocantur venti solstitiales. Gaza exponit *flatus tropæos*, id est quos versarios seu reciprocos ouncupamus. Per *commutationes temporum* intellige ceteras temporum vicissitudines, quales sunt dierum ac noctium, ait S. Bonavent. æstatis & hyemis, veris & autumni (quas pariter Cicero Tuscul. 1. vocat commutationes temporum quadripartitas ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum aptas) item mensium successiones, lunationes, lunæque incrementa & decrementa.

Vers. 19. ANNI CURSUS, ET STELLARUM DISPOSITIONES) Pro *cursus* græcè est κύκλους, id est circuitus vel circulos: anni enim io orbem eunt & redeuot. Unde annus hebr. dicitur שָׁנָה *scana* à revolutione; græcè ἐνιαυτός, quòd in se redeat; Latinè *annus*, quasi *anus*, id est aooulus, quod in se revertatur: unde illud,

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Pro *dispositiones* græcè est, θέσεις, id est theses, positiones & situs stellarum seu siderum, eorumque motus, ortus, occasus, concursus, eclipses, &c. quæ naturaliter certò sciri possunt ex astronomia. Fuit ergo Salomon astronomus, at non astrologus judiciarius, ut ex astris & horoscopo divinaret de futuris contingentibus, & actionibus liberis. Hoc enim temerarium est, stultum & impossibile.

Vers. 20. NATURAS ANIMALIUM (tam cicurum & domesticorum, quàm ferorum & agrestium) ET IRAS BESTIARUM, VIM VENTORUM, ET COGITATIONES HOMINUM, DIFFERENTIAS VIRGULTORUM, ET VIRTUTES RADICUM) *Iras*, græcè θυμούς, id est aoimos, iras, furores, qualis scilicet cujusque feræ sit ira, quibusque rebus iritetur, uti elephanti iritantur viso sanguine, bubali viso colore rubro & purpura. Unde nuper bubalus Romæ furibundus incurrit in Pontificem purpuratum, eumque confecisset, nisi aulicus quidam medium se interjecisset, suaque morte mortem Pontificis redemisset.

Minùs rectè Vatabl. cum Cantacuzeno vertit, *affectus*, exponitque de cicuratione ferarum: esto Salomon ex plena cognitione naturæ iræ ferarum, potuerit quoque nosse modum eas placandi & cicurandi. Sicut elephanti bilem iofringi hausto hordei succo, scribit Plinius lib. 8. cap. 7. hordeum enim refrigerat: unde medici febricitantibus hordeatum præscribunt. Hinc morale hoc dogma elicit Seneca epist. 85. *Sapiens est artifex domandi mala: dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, & cetera horrenda, cùm ad hunc pervenere mansueta fiunt.*

Denique per φύσεις, id est naturas animalium, intellige naturales differentias singulorum, proprietates, qualitates, indoles, instinctus, opportunitates ad hominum usus, aliaque id genus. Nam ut ait S. Basil. hom. 9. Hexam. *Animalia singula diversis proprietatibus inter sese variisque non mediocriter distinguuntur. Est enim bos quidem constans strenuusque asinus autem piger: equus libidine incenditur, petitque impetuosè femellam: lupus mitescere nequit: vulpes insidiosa est, & ad dolos natura concinnandos sagax: cervus timidus, laboriosa formica: canis gratiosus est, & initiæ semel amicitiæ tenax ac memor: simul enim animalia singula cum sua peculiari natura creata sunt. Unà cum leone animositas, & ad incandescentiam ira propensio illa assignata est, vita solitaria, expers societatis ad ea, quæ genus subeunt idem.*

VIM VENTORUM) Græcè πνευμάτων βίας, id est *spirituum violentias*, impetusque violentos, quod tam de ventis, quàm de dæmonibus accipi potest. Dæmonum enim major est vis & impetus, quàm ventorum; ideoque nisi Deus eos infringeret, nullus hominum eorum tentationi & impulsui resistere posset. Unde Salomon dicitur scripsisse exorcismos ad reprimendos & expellendos dæmones: multò magis cognovit Salomon ventorum vim & indolem, unde scilicet eorum sit ortus, motus, & violentia, occasus, frigus, calor, humor, siccitas, salubritas vel morbida qualitas, quæ tanto studio rimantur Physici, & probabilia dumtaxat afferunt. Porrò quanta sit ventorum vis, liquet ex tempestatibus, quas in mari; & terræ motibus, quos in orbe cient. Unde Poeta:

Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Hinc à priscis sapientibus Dei majestas occulta hoc hieroglyphico repræsentabantur. Exhibebatur in tabula vir poplitibus se excipiens, erectis io cælum oculis, vel pronus in faciem, adspirantium ventorum strepitum perhorrescens, cum hoc versiculo:

Ἀνέμων πνεόντων τὴν ἠχὼ προσκύνει, hoc est,

Flantium ventorum sonum adora.

Iamblichus interpretatur q. d. Deum cùm minimè videre possis, at certè per res creatas sparsum, & io iis tacito quodam horrore spirantem debes venerari. Porrò D. Dionysius Cælestis hierarch. c. 15. Deum venti nomine commodè designari ostendit, propter naturalem vim movendi atque animandi, & celerem insuperabilem discessum, & nobiliorum principiorum atque finium incognitas atque invisibiles latebras. Ita noster Causin. lib. 1. Parab. histor. cap. 24. Vide dicta Amos 4. 13.

COGITATIONES HOMINUM) Solus Deus certò cognoscit & pervidet secretas cordis cogitationes & volitiones. Angeli ergo & homines sapientes eas tantùm conjectant ex signis physiognomicis similibusque conjecturis, juxta illud: *Quomodo in aquis resplendent vultus*
B *prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Prov. 27. 19. Et illud: *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus*, Eccli. 19. 26. Vide utrobique dicta, & Aristot. in Physiognomia. Sic litigantibus de prole meretricibus Salomon solerter conjecit ex amore materno, quænam esset vera prolis mater, 3. Reg. 3. 16. & ex postulatione Adoniæ petentis sibi dari uxorem Abisag, quæ Davidem senem calefecerat, conjecit Adoniam affectare Davidis regnum, 3. Reg. 3. v. 22. Noster à Castro per *cogitationes*, græcè διαλογισμούς accipit non singulorum hominum mentis cogitata, sed universim communes dialogismos, discursus, sive ratiocinationes hominum.

DIFFERENTIAS VIRGULTORUM (græcè, φυτῶν, id est *plantarum*; S. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 7. legit, *herbarum*; lib. verò de Salomon capit. 1. legit, *arborum*) ET VIRTUTES RADICUM) Salomon enim *disputavit super lignis, à cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: & disseruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.* 3. Reg. 4. 33. Vide
C Pinedam li. 3. de Rebus Salomonis c. 23. ubi docet Salomonem medicinæ & magiæ naturalis fuisse peritissimum, id est exactissimè rerum naturas, vires, proprietates, sympathias, antipathias calluisse, prætereaque divinare atque efficere potuisse mirifica quædam, quæ rerum causas ignorantibus, aut præstigiosa, aot miraculo proxima viderentur: quæ est ipsa magiæ naturalis propria ratio; & quæ nomine absconditorum & improvisorum rectè possumus ioterpretari. Vide de his Euseb. 4. de Præpar. cap. 1.

ET QUÆCUMQUE SUNT ABSCONSA ET IMPROVISA, DIDICI, OMNIUM ENIM ARTIFEX DOCUIT ME SAPIENTIA) Videtur Noster legisse, ἀφανῆ id est *obscura, improvisa*: jam contrariè legunt ἐμφανῆ, id est *manifesta & perspicua*, ut vertit Cantacuzenus, Vatabl. & Jansen. Aut potiùs ἐμφανῆ vocantur ea, quæ subitò vel ioopinatò incidunt, & ex improviso apparent, ut prævideri ac provideri nequiverint, ac proinde causas habent occultas, ut opponantur absconsis, quæ tam quoad substantiam, quàm quoad causam latent & sunt abscondita. Talia ἐμφανῆ sunt fulgur illicò apparens & dispa- Vers. 21.
D rens, parelii, hiatus, ceteraque aeris phænomena: item terræ motus, maris exundationes, procellæ, tempestates, turbines, &c. Huc pertinet vis magnetis (licèt id neget Guilielm. Gilbertus Angliæ medicus lib. 1. de Magnete cap. 1. ejusque cognitionem sibi velut primo inventori vaoè arroget) virtutes gemmarum, lapidum, herbarum, ambræ, succinorum, &c. quas cognitas fuisse Salomoni non est dubium. Ita Lyran. Cervantius & alii. Abulensis verò in lib. 3. Reg. c. 3. quæst. 9. per *improvisa* accipit somnia, ex quibus medicus & physicus conjicere potest, qualis sit complexio & humorum temperies io corpore.

Ex dictis rectè colligit noster à Castro, Deum bonorum largitorem affluentiùs & abundaotiùs donare, quàm postuletur: siquidem Salomoni sapientiam ad gubernandum postulanti: adjecit scientiam omnium rerum naturalium tam affluenter, ut solo primo parente fuerit hac in parte inferior. Nam io primis largitus est summam eloquentiam, scientiam de moribus, omnes artes, philosophiam naturalem, astrologiam, chronologiam, historiam naturalem, logicam, & demum alia quæcumque

nosci possunt. Audi S. Ambros. in c.30. Proverb. sub ini- A tium: *Tam locuples possessor sapientiæ Salomon, cùm omnia cognovisset, quæ in arcanis abditarum dispositionum tenebantur absconsa, noverat mundanæ dispositionis introitum, qualiter esset hoc cælum omne quod cernimus abdita sublimitate suspensum*, & cetera de elementis, quæ superiùs recitavi, ac subdit: *Quod principium rerum, quis finis, & quæ sunt media. Quem iterum divisiones & mutationes temporum non latebant, qui comprehenderat qualiter sibi annorum mutua vicissitudo redeunte orbe succederet: quæ causa varios stellarum ageret cursus, præcedendo se nonnumquam, aut subitò subsequendo: unde earum esset ortus, aut obitus: & alia multa, quæ sapientia docente cognoverat.*

OMNIUM ENIM ARTIFEX DOCUIT ME SAPIENTIA) Per artem enim, ideam & industriam sapientiæ divinæ creata sunt omnia, æquè ac conservantur & gubernantur, juxta illud Proverb. 8. 30. *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens*, &c.

Porrò *sapientia* hæc, tam creata & Salomoni infusa accipi potest, quàm increata, quæ est in Deo, sive ea sit essentialis, & tribus personis Sanctæ Trinitatis communis, B sive notionalis & soli Verbo, sive Filio, propria, de qua intellexit S. August. lib.4. de Trinit. cap. 20. & S. Ambros. lib. de Incarnat. Domin. Sacram. in fine, Gregorius Bæticus lib. de Fide contra Arrianos, Origen. lib.1. Periarchon ca. 2. & alii veteres, qui hinc probant Filium non esse creaturam, sed creatorem, ideoque Deum: imò sic explicat Concil. Sardicense Epistola ad omnes Episcopos, dicens: *Nullus nostrum negat Filium genitum ante omnia, opificem Archangelorum, & mundi, & humani generis; quoniam ait, Omnium artifex sapientia docuit me*, juxta illud Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*. Quia enim Filius à Patre generatur & procedit per intellectum, ut verbum mentis; hinc ei appropriatur ars, idea, scientia, sapientia, quodque ipse sit artifex & principium creaturarum, ut docet D. Thom. 1.p.q.45. art.8.

Igitur *sapientia* hic generalissimè accipitur abstrahitque, & communis est cratæ & increatæ, ideoque hæc applicari possunt, tum increatæ, sive essentiali, sive notionali; tum creatæ, sive participatæ. Unde subinde Sapiens ab increata ad creatam transit, idque maximè facit initio cap. 9. ubi C eam sibi à Deo communicari & infundi efflagitat: hæc enim nequit alia esse, quàm donum creatum.

Sapientia hic artem complectitur.

Hinc rursum *sapientia* hic amplissimè sumitur pro quavis cognitione rerum, tam cælestium & divinarum, quàm agendarum ex virtute & præscripto prudentiæ, atque efficiendarum per artem. Inducitur enim hic sapientia, uti idea, ars & artifex omnium rerum naturalium, artificialium, & moralium: quare non solùm omnem scientiam, omnem ethicam, sed & artem quemlibet complectitur. Unde v.24. ait: *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam*. Sic quoque sapientia sumitur Proverb.8.22. & seqq. ubi dicitur per sapientiam creatos esse cælos, elementa, ceteraque omnia, ac per eamdem regi.

Denique hæc sapientia v.23. dicitur habere *omnem virtutem*, id est vim & potentiam, quòd scilicet omnia possit, sitque omnipotens, item quòd omnes spiritus capiat, & omnia prospiciat & attingat ubique: quæ propriè competunt sapientiæ increatæ; participativè tamen tribuuntur creatæ: hæc enim potest dici omnipotens, quia hanc Deus D creationi & creaturis omnibus applicat, indit & communicat. Omnia enim in sapientia fecit, & nihil est in cujus sapienti creatione, ordine, & dispositione non reluceat mira Dei sapientia.

Verùm enim verò propriè & genuinè loquitur hic Salomon de sapientia increata & essentiali, quæ commune est attributum divinitatis, sive Dei, ac proinde commune tribus personis SS. Trinitatis: huic enim propriè competunt dotes jam recensitæ, de quo S. August. lib. 7. de Trinitate c.2. & 3. per hanc enim Deus & creavit mundum, & eum conservat, & providet ac prospicit omnibus rebus, dum divinis sedibus assistit. in hac est spiritus intelligens, hoc est, hæc divina sapientia spiritum cælitus demittit in sui amatores, qui mentem eorum excitat ad intelligendum, sanctitate dedicat, atque cetera donat ac præstat, quæ hominum saluti & divinæ gloriæ conducentia sunt. Hæc autem omnia cùm Deus homini tribuat, & non tantùm Filius, aut Spiritus sanctus, cumque aptiùs de divino sapientiæ attributo exponantur, quæ artifex omnium est & sedium divinarum assistrix, quæ Filio & Spiritui sancto non aptè conveniunt; meritò de ea hæc explicanda sunt, ex qua omnia ornamenta & charismata sibi tribui postulabat Salomon, ac suo exemplo nos postulare docet. Ita à Castro, imò S. August. lib.4. de Genesi ad litt. c.12. & lib. de Natura boni cap. 28. & lib. 1. de Incarn. Verbi c.13.

Pulchram & piam de artifice omnium sapientia contemplationem habet noster Alvarez de Paz tom.3. l.3. p. 3. decade 3. contempl. 22.

EST ENIM IN ILLA SPIRITUS INTELLIGENTIÆ, SANCTUS, UNICUS, MULTIPLEX, SUBTILIS, DISERTUS, MOBILIS, INCOINQUINATUS, CERTUS, SUAVIS, AMANS BONUM, ACUTUS, QUEM NIHIL VETAT, BENEFACIENS) Effundit se hic Sapiens in sapientiæ laudes per 26. epitheta & elogia, ut cunctis hominibus ejus desiderium & studium excitet, utque ostendat meritò eam esse omnium artificem, meritoque se ab ea potuisse omnia doceri. VERS. 22.

Multi hæc intelligunt de Spiritu sancto, qui est tertia in SS. Trinitate persona, voluntque hic Spiritus sancti proprietates & attributa recenseri. Hic enim est in Sapientia increata & ingenita, putà in Verbo & Filio, ut in sui origine: procedit enim & spiratur à Filio, ac sapientiam suis amicis affluenter largitur, 1. Corinth. 12. 11. Joan. 14. 26. & c. 16. 13. Nam veteres per sapientiam hic accipiunt Filium, ut dixi: & rectè. Ita S. Ambros. lib.3. de Spiritu S. ca. 19. & 23. S. Gregor. hom. 5. in Ezech. S. August. epist. 102. S. Bernard. serm. 3. de Pentecoste, qui hinc probant Spiritus sancti divinitatem, dotesque divinas, S. Bonavent. Cantacuz. Lyran. Hugo, Holcot, Dionys. & alii multi. Imò Cantacuzenus asserit auctorem clariùs multò, quàm ceteros omnes Prophetas, qui ipsum vel præcesserunt, vel consecuti sunt, de Spiritu sancto verba fecisse: Lyranus & Holcot addunt exponi modum, quo directus sit auctor in supernaturali contemplatione, nempe per Spiritum sanctum à sapientia communicatum.

Spiritus sanctus enim indit suis spiritum, id est impulsum, ad amandum verum & summum bonum, quod est ipse Deus, idque per multiplicia officia & varias virtutes, quæ sequentibus epithetis designantur. Denique Nazianz. orat.44. similia, imò eadem epitheta dat Spiritui sancto: *Erat igitur*, inquit, *semper perceptibilis, non particeps, perficiens, non ab alio perfectus; explens, non expletus, sanctificans, non sanctificatus; deificans, non deificatus, ipse semper & secum & cum iis, quibus adjunctus est, idem & æqualis: Invisibilis, temporis expers, nullo loco inclusus, immutabilis qualitate, quantitate, forma & tactu carens, seipsum movens, ac sempiternum motum habens, arbitrii sui per se potens, omnipotens (tametsi ad primam causam, ut omnia ea, quæ unigeniti sunt, ita etiam, quæ Spiritus sancti sunt, referantur) vita & vivificus, lux & lucis largitor, bonitas ipsa & fons bonitatis, Spiritus rectus, principalis, dominus, mittens, segregans, templum sibi extruens, viam præmonstrans, arbitratu suo operans, gratiasque dividens, spiritus adoptionis, veritatis, sapientiæ, prudentiæ, scientiæ, pietatis, consilii, fortitudinis, timoris.*

Spiritus S. dotes.

Secundò, si sapientiam creatam hic accipias (uti posse accipi paulò antè dixi) pariter hæc epitheta competunt spiritui ejus creato: in sapientia enim creata est spiritus intelligentiæ, id est intelligentia creata, hoc est, aspirata vel inspirata à Deo: hoc enim significat τὸ *spiritus*, cùm dicitur spiritus intelligentiæ, spiritus sapientiæ, spiritus consilii, spiritus pietatis, spiritus timoris Domini: nimirum hæc dona & virtutes à Deo aspiratas esse Christo & Sanctis, quæ eos instar spiritus & venti impellunt ad timorem, consilium intelligentiam, & per hæc ad ipsum. Deum (ad Deum enim impellit sapientia, omnisque sapientiæ vis & spiritus) ut patet Isaiæ 11. & Exodi 28. 3. & c. 31. v. 3. Vide ibi dicta.

Tertiò planè, propriè & genuinè: sicut sapientia hic increata essentialis intelligitur propria Deo, & communis tribus personis SS. Trinitatis; sic & spiritus: ipsa enim est spiritus, id est spiritalis dos & attributum Dei, hominemque ut spiritus impellit ad sui, id est ad Dei, cognitionem & amorem. Ita S. August. lib.4. de Genesi ad litt. c. 12. & lib. de Natura boni c.28. & lib.1. de Incarn. Verbi c.13.

EST ENIM IN ILLA SPIRITUS INTELLIGENTIÆ) Græcè πνεῦμα νοερόν, id est *spiritus intelligens*. Unde

à S.

à S. Dionys. Areop. & à S. Gregor. Nazianz. angeli vocantur *νοεραὶ φύσεις*, id est intellectuales naturæ, quæ videlicet sunt intelligentiæ abstractæ, hoc est, à materia seiunctæ, & incorporeæ, puræque mentes & spiritus intelligentes. Et sic nonnulli censent sapientiam, quæ est attributum Dei, æquè ac Spiritum sanctum, hic vocari *spiritum intelligentiæ*, eò quòd sit immaterialis, incorporeus, spiritalis & intelligens.

Meliùs S. Greg. Nazianz. orat. 5. de Theolog. *Spiritum intellectilem*. ut ipse vocat, interpretatur spiritum sapientissimum. Unde Vatabl. vertit, *est enim in illa spiritus sagax*: S. Ambros. in Symbol. c. 7. *spiritus, Domini intelligens*, S. Gregor. hom. 5. in Ezech. *spiritus intellectus*.

Tertio & plenissimè, sapientia Dei vocatur *spiritus intelligentiæ*, vel *intelligens*, tum quia intelligit cuncta, ac magna vi intelligendi & penetrandi omnia usque ad fundum, prædita est; tum quia angelis & hominibus tribuit vim intelligendi, juxta illud Job 32. 8. *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*. Ita S. August. locis jam citatis. Nam ut ait Plinius libr. 2. c. 7. *Deus totus est oculus, totus visus, totus auditus* Igitur per *spiritum intelligentiæ*, quem sapientia Dei increata intelligentissima, imò ipsa intelligentia in abstracto nobis aspirat, accipias impulsum & amorem intelligendi & cognoscendi ea quæ salutis sunt, quæ scilicet Deo placita sunt, & spirituali profectui necessaria vel utilia. Nam diligere, & sollicitum esse ut intelligas, quæ Dei & virtutis sunt, initium est salutis, quo qui caret, incapax est gratiæ & gloriæ. Hoc est quod Salomonem secutus Siracides ait Eccl. 4. 12. *Sapientia filiis suis vitam inspirat*, sive insufflat. Simile est illud Virgili 6. Æneid.

Magnam cui mentem animumq;
Delius inspirat vates.

Symbol. S. Bonavent. *Spiritus intelligentiæ*, inquit, *est in sapientia*, id est in Christo, secundùm humanitatem in eo habitando, secundùm divinitatem ab illo emanando.

Tropol. hæc omnia sapientiæ attributa charitati & perfectioni virtutum (quæ summa est sapientia) accommodat noster Alvarez de Paz lib. 4. de Dignit. perfect. p. 1. cap. 1. & 4.

SANCTUS) Hinc multi, uti dixi, hæc accipiunt de Spiritu sancto, qui in se per essentiam & originem, sive vim processionis (procedit enim ut amor Patris & Filii, qui est purissimus & sanctissimus) sanctus est, & sanctificat angelos æque ac homines. Verùm cùm cetera omnia propriè accipiantur de ipsa sapientia, quæ propria est Deo, & communis tribus personis SS. Trinitatis, hoc quoque *sancti* epitheton Deo divinæque sapientiæ attribuendum est. q. d. Sapientia divina, ipseque Deus, est spiritus summè intelligens & perspicax, sed ita, ut simul sit sanctus. Vana enim est sapientia & intelligentia, quæ sanctitate destituitur, finis enim intelligentiæ est sanctitas, ut bonum virtutis, quod intelligis, sanctè ames, & pia voluntate complectaris, opereque exequaris.

Sanctitas quis?

Porrò *sanctitas*: inquit S. Dionysius de Divin. nomin. c. 12. *est ab omni scelere libera, & omninò perfecta, & omni ex parte immaculata puritas*. Sanctitas ergo est amor Dei: Deus enim est summa puritas; ipse enim est lex æterna rerum agendarum, quæ est obiectum & regula sanctitatis, idque non per qualitatem aliquam advenientem, sed per ipsam suam essentiam & substantiam. Unde Seraphini ei jugiter acclamant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth: plena est omnis terra gloria ejus*, Isajæ 6. & Psaltes psal. 144. *Justus Dominus*, inquit, *in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*. Hinc sequitur, ut, si creatura fieri velit sancta, debeat per amorem jungi Deo; ac quo magis illi jungitur, eo magis sanctificari: sic enim magis recedit & separatur à rebus & affectibus terrenis, quæ eam inquinant, juxta illud Levit. 11. 44. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Qui ergo sanctitatem optat, à creaturis se sequestret, & in fundum animæ, ubi Deus quasi in templo suo habitat, se recipiat, ut ibi procul à rerum externarum strepitu, in silentio cum Deo suo versetur, ipsum amet, colat & adoret.

Simili modo sapientia & doctrina creata, si vera sit & divinæ imitatrix, omnem suam speculationem & intelligentiam ad sanctitatem suam, æquè ac alienam, velut ad scopum & finem referat oportet; quare ipsa doctos facit sanctos. Quocirca Deus hunc suum sapientiæ spiritum intelligentem & sanctum, communicavit S. Patribus & Ecclesiæ Doctoribus, uti S. Athanasio; S. Basilio, S. Nazianzeno, S. Chrysostomo, S. Hieronymo, S. Ambrosi, S. Gregorio, S. Bernardo, ac deinde S. Thomæ Aquinati, qui tam sanctus fuit, quàm doctus & intelligens, indeque dictus est Doctor Angelicus; & S. Bonaventuræ, qui charitatis ardorem sapientiæ coniunxit, ac lectorem tam amore Dei accendit, quàm cognitione rerum divinarum illuminat, indeque dictus est Doctor Seraphicus. Hi duo sui ævi fuere quasi oculi, imò soles. Verè Picus Mirandul. in Apol. post initium: Est, inquit, in Joanne Scoto ingenium vegetum atque discussum; in S. Thoma solidum & æquale, ideoque moderatum, compositum, ad omnemque honestatem, virtutem & sanctitatem comparatum.

UNICUS) *μονογενής*, id est *Unigenitus*, ut vertit S. Hieron. in ca. 16. Ezech. quod propriè Verbo sive Filio, qui est Sapientia à Deo Patre genita, competit: vel *unigenus*, sive unius generis, qualis est sapientia divina communis toti SS. Trinitati. q. d. Sapientia increata Dei est unius generis, tum quia in se unica est & simplicissima, utpote eadem cum divinitate. ita Lyran. tum quia in suis actibus & operationibus unum eumdemque tenorem, normam & regulam communem servat, nimirum legem æternam, atque unum eumdemque finem spectat, scilicet Dei honorem & gloriam. Eadem tamen est multiplex ob immensitatem perfectionis, quæ in se licèt una & simplex, virtute tamen continet omnes omnium creaturarum, etiam possibilium perfectiones, quæ numero sunt infinitæ, ideoque ad multas imò innumeras species, actus & opera se extendit, & quasi partitur ipsum genus sapientiæ. Omnes enim species & effectus sapientiæ, in uno genere & ratione communi sapientiæ conveniunt, atque in universali dictamine ac legibus communibus sapientiæ coeunt, juxta illud 1. Corint 12. v. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Vide ibi dicta. Si daretur una gemma purissima atque pulcherrima, quæ simul esset adamas, & carbunculus, & smaragdus, & sapphirus, & topazius, & cetera quæ in opibus computantur, quàm pretiosa esset & admiranda? O igitur substantia simplicissima, quæ omnia es, quàm nobis diligenda, & super omnia æstimanda existis! Tu es sapientia, tu bonitas, tu justitia, tu omnis alia vera perfectio.

Idem imitatur sapientia creata, infusa & participata. Nam, ut ait noster à Castro, sicut divina sapientia una cùm sit, tam diversas virtutes & opera ad unam Dei gloriam omnia in mundo operatur ac refert: ita hic spiritus ex illa profectus, omnia hominis munia & omnia officia unius generis efficit, dum unum omnibus finem præstituit, ad hoc ea omnia dirigens, ut voluntati divinæ subserviant, eamque tamquam regulam sequantur; & uno amoris vinculo omnia colligantur, & tamquam pretioso aureo exornantur; atque ex hac parte habet spiritus sapientiæ, ut sit pacificus: nam ita S. Jacobus cap. 3. v. 17. vocavit sapientiam, quæ de sursum est, pacificam, & S. Paulus ad Ephes. 4. 3. scribit: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ: unus Dominus, una fides, unum baptisma: unus Deus & pater omnium, qui est super omnes, per omnia, & in omnibus nobis*. Sic quoque S. Bonavent. Glossa, Lyran. & Hugo.

Tropol. Richard. de S. Victor. in Cant. ca. 33. Spiritus Dei, inquit, unicus est & multiplex, quia cùm unus sit, diversis tamen modis mentes visitat & afficit. Nunc animam timoribus & desideriis præparat, nunc jam paratam suis donis promovere non cessat. Non semper uno affectu, sed diversis animam tangit, prout secundùm statum & dispositionem suam necesse est. Unde nunc ad salutarem compunctionem, nunc ad amorem, nunc ad gratiarum actionem, nunc ad desideria & exercitationem alicujus virtutis accendit; modò cor tangit, modò semetipsum abscondit, & iterum ut opus perficiat adinvenit. Si non aperiamus, ad januam expectat; & aliquando quidem efficaciùs pulsat, aliquando verò ob culpam nostram justo judicio cessat.

MULTIPLEX) Græcè *πολυμερής*, id est multimembris, multarum partium, multis constans partibus, ut mundum vocat Aristot. Gregor. Nazianz. orat. 5. de Theologia

legia hunc locum referens de Spiritu sancto, *multiplex* explicat, *agendi facultate varius* ac multiplex, vel quod, unus cùm sit, per singulas mundi partes se quasi per ramos diffundat & multiplicet, ac varios sapientiæ modos in eis efficiendis ac conservandis operetur; vel potius propter varias gratias diversaque dona, & multiplicia officia, quæ unus cum sit, exercet, sive in Ecclesia universa, sive in hominibus singulis.

Hac de causa Spiritus sanctus descendens in Apostolos in Pentecostes, apparuit supra eos in specie linguarum dispertitarum, sive flammæ dissectæ, ut multiplicitatem donorum, quam eis indebebat, repræsentaret. *Multiplex*, ait S. Ambros. in Symbol. cap. 7. *appellatur eò quòd multa in se habeat, & per ea omnia unus est, nec in aliquid eorum, quæ operatur ipse mutatur, sicut imago ex annulo, quæ in ceram transit, & annulum non relinquit.* Audi & S. August. epist. 102. ad Evodium: *Legitur quidem & spiritus sapientiæ multiplex, sed rectè dicitur etiam simplex. Multiplex enim, quoniam multa sunt, quæ habet: simplex autem, quia non aliud quàm quod habet, est. Sicut dictus est Filius habere vitam in semetipso, & eadem vita ipse est: homo autem Verbo accessit, non Verbum in hominem convertibiliter accessit: atque ita & Filius Dei simul cum homine suscepto dicitur unde idem Filius Dei incommutabilis est atque coæternus Patri, sed in Verbo solo: & sepultus est Filius Dei, sed in carne sola.* q. d. Christus, quà Deus, unicus est & immutabilis; quà homo, multiplex, mutabilis & passibilis.

Audi & S. Bernardum serm. 3. de Pentecoste hæc adaptantem Spiritui sancto: *Verè multiplex Spiritus, qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem. Ad usum quidem vitæ, bonis & malis, dignis pariter & indignis communia bona abundantissimè tribuens; ita ut videatur hic discretionis limitem non tenere. Ingratus, qui in his quoque beneficium Spiritus non agnoscit. Ad miraculum, in signis & prodigiis, in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operetur: ipse est antiqua miracula suscitans, ut ex præsentibus fidem astruat præteritorum. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam sine propria utilitate largitur, tertia infunditur ad salutem, cùm in toto corde nostro revertimur ad Dominum Deum nostrum. Porrò ad auxilium datur, cùm in omni colluctatione adjuvat infirmitatem nostram. Nam cùm testimonium perhibet spiritui nostro, quòd filii Dei sumus, ea inspiratio est ad consolationem. Datur etiam ad fervorem, cùm in cordibus perfectorum vehementius spirans validum ignem caritatis accendit, ut non solùm in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem.*

Denique B. Petrus Damiani lib. de *Dominus vobiscum*, cap. 6. *Unus est Spiritus*, inquit, *in majestatis essentia, multiplex per diversa charismatum dona, quæ dat Ecclesiæ sanctæ, quam replet, ut & in universitate sit una, & in suis partibus sit tota.* Unde colligit, licet Ecclesia personarum sit multiplicitate (adde quoque, rituum nonnullorum) diversa; in unum tamen esse sancti Spiritus igne conflatam, atque ideo etsi per corporalem situm partibus videatur dividi, unitatis tamen intimæ sacramentum nullatenus à sua valere integritate corrumpi.

Subtilis] Græcè λεπτόν, id est tenuis, gracilis, macilentus, rarus & extenuatus, quia omnia pervadit & penetrat (unde S. Ambros. lib. 3. de Spiritu S. c. 6. legit, *penetrabilis*) etiam profunda Dei, 1. Corinth. 2. 10. Hoc est, quod ait Apost. Heb. 4. 12. *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum: & intentionum cordis.*

Subtilitatis origo. Appositè post *sanctus* subjungit, *subtilis*: quia sicut aer purus, æque ac cibus levis & subtilis generat ingenium subtile, ut docent medici: sic pariter sanctitas, id est secretio à rebus terrenis, facit hominem subtilem, spiritalem & divinum. Nam ut vulgo dicitur: *Pinguis venter non gigni sensum tenuem*. Tritum est illud Horatii libr. 2. Serm. satyra 2.

Corpus onustum
Hesternis vitiis, animum quoque prægravat ipsum,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Sic Gellius lib. 4. cap. 19. ex Medicis docet pueros cibo somnoque largiore utentes fieri crassos & obtusos.

Hunc subtilitatis spiritum in speculativis, sapientia præ-

A alius communicavit Joanni Scoto Ordinis S. Francisci, qui illum ut suum in Theologia & Philosophia magistrum colit & sequitur. Unde vulgo vocatur *Doctor subtilis*; à Scaligero exercit. 324. vocatur *lima veritatis*; ab aliis, *cos ingeniorum, philosophorum phœnix, & inter philosophos quidam Deus*; ab aliis, *subtilitatis miraculum, arcanorum Apollo. Seraphicæ Religionis columen, Sorbonæ gloria.* Dubitat Cardanus lib. 16. de Subtilit. Quis subtilior, an Aristoteles, an Euclides, an Scotus? Porrò hæc subtilitas partim ei naturalis fuit à subtilitate ingenii, qua excelluit, partim supernaturalis, opusque gratiæ & Spiritus sancti, cujus ipse, utpote Religiosus, fuit instrumentum & organum. Unde Joannes Major in 4. distinct. 38. q. 10. eum vocat humillimum, Apostolicum, pauperrimum, imò Summo Pontificatu dignum. Et D. Bernard. de Sora in report. impressa Parisiis anno 1517. ita de eo canit: *Scoti elogia.*

Scotus adest fidei lampas, Christiq; Sibylla,
Interpresq; Dei, castrum insuperabile veri;
Scriba Jovis, mundiq; oculus, conviva Tonantis,
Ingenii claro penetravit acumine cuncta.

B Porrò subtilitas hæc rebus intenta verborum elegantiam respuit. Unde Picus Mirandul. epist. ad Hermolaum, Scotum cum Lucretio comparans: *Est*, inquit, *huic* (Scoto) *os insipidum, illi* (Lucretio) *mens desipiens: hic infantissimus dicendo sentit ea quæ laudari dicendo satis non possint: ille fando eloquentissimus loquitur nefanda.* Cùm argueretur à quodam de studio contradicendi, quòd ubique sese opponeret D. Thomæ Doctori sancto, subtiliter respondit: si Doctor est, disputet mecum; si sanctus est, oret pro me. Ego enim studio veritatis, non contradictionis, cum illo disputo. Sicut enim ex collisione lapidum exilit ignis, sic ex confricatione ingeniorum per disputationes subtiles, elicitur & emicat veritas. Cos ergo subtilis ingenii, est contradicentis argumentatio.

Sanctior est subtilitas in practicis, quæ mille modos & praxes virtutum, quibus indies magis placeat Deo, magnosque meritorum cumulos coacervet, subtiliter excogitat & adinvenit: qualem videre est in Vitis Sanctorum; ut qui eas legit, facilè easdem addiscat & usurpet. Hæc maximè

C sita est in subtili intentione cujusque operis, ut scilicet quodque opus optimo fine, potà propter amorem & honorem Dei, fiat: cui si addas alias aliarum virtutum intentiones & fines, v. g. si comedas, studeas, labores, ambules, ores, ut honores & ames Deum, insuper ut abstinentiam, patientiam & pœnitentiam exerceas, ut proximo prodesse valeas, similesque ob fines, subtiliter & facillimè virtutes, earumque merita mire adaugebis. Summa subtilitas sanctitatis est, multa magnaque agere & pati pro amore Dei. *Subtilitas sanctæ actionis, e intentio.*

Hic multi interserunt aliud epitheton Spiritus sapientiæ, scil. *modestus*. Ita S. Bonavent. Hugo, Glossa & Holcot. Verùm hoc non habent Græca, nec Romana, nec cetera Latina correctiora.

Disertus] Græcè τρανόν, id est Primò, clarus, planus perspicuus & disertus; Vatab. *illustris*. Ratio à priori est, quod qui bene res intelligit & comprehendit, facilè & copiosè eas eloqui potest, itaque est disertus: sapientia *linguas infantium facit τρανάς*, id est *disertas*, ut dicitur cap. 10. v. 21. juxta illud psal. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Et illud psal. 8. *Ex ore infantium & lacten-*

D *tium perfecisti laudem*. uti fecit in ore S. Agnetis, S. Priscæ, S. Viti, S. Celsi, aliorumque puerorum & puellarum, qui tyrannis pro castitate & fide restiterunt usque ad mortem & martyrium; itaque sapienter & diserte eis responderunt, ut fecerint eos obmutescere. Hoc est, quod suis promisit Christus dicens: *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, Matth. 10. 19. Sic Nazianz. orat. 2. huc alludens Spiritum sanctum vocat τρανόν, id est perspicuum & disertum, imo τρανωτικὸν πάντων, id est illustratem omnia: quia quidquid in nobis est luminis, id habemus ex illustratione Spiritus sancti; & quia omnia nobis explicat & illustrat, ut eadem alios clare docere & efficaciter persuadere valeamus, juxta illud quod Isaias c. 35. 6. prædixit, quod *aperta erit lingua mutorum*, ut Apostolorum, qui Actuum 2. 4. Spiritu sancto edocti *cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Et Actuum 6. 10. Judæi disputantes cum Stephano non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui qui loquebatur.

Secundò, τρανὸν verti potest, *integer, solidus, adultus,*

verus,

verus, ita Complut.& Cantacuzenus, qui idipsum sic exponit, q.d. Spiritus sanctus est indissolubiliter magnus, integer, perfectus, atque omnis magnitudinis, amplitudinis, integritatis & perfectionis effector, omnem rerum earumdem coagmentationem continendi vim habens, & magnarum rerum efficacissimarum causa. Igitur Spiritus sanctus est integer, solidus, adultus, id est vividus, vegetus, vigorosus & efficax in operando.

M o b i l i s] Græcè *εὐκίνητον* (quæ vox in Græco præponitur *τὸ τρανὸν*, id est *disertus*) id est *bene mobilis*, uti vertit S.Ambros.lib. 3. de Spiritu sancto ca. 19. (licèt nonnulli codices S.Ambros.habeant, *bonus mobilis*, sed perperam) Vatabl.vertit, *vegetus*.

Spiritus est mobilis. Primò. Jam Primo, noster Lurinus opinatur, sapientiam & Spiritum sanctum dici mobilem, eò quòd facile è nobis moveri, id est precibus flecti & persuaderi, potest.

Secundò. Secundo, alii *τὸ mobilis* referuntur ad *τὸ disertus*, quod præcessit. q.d.Sapientia & spiritus sanctus faciunt sui compotes disertos, ut linguam habeant mobilem & volubilem ad disertè loquendum & disserendum; at non ita, ut properando verba præcipitent, sicut faciunt nonnulli concionatores populares, ut sui admirationem concitent: in quos acriter invehitur Seneca epist.40. *Hæc popularis oratio*, inquit, *nihil habet veri, movere vult turbam, & inconsultas aures impetu rapere, tractandam se non præbet, aufertur. Quomodo autem regere potest, quæ regi non potest? Quid? quòd hæc oratio, quæ sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet Remedia non prosunt nisi immorentur. Multum præterea habet inanitatis & vani: plus sonat, quàm valet. Leniendà sunt, quæ me exterrent; compescenda, quæ me irritant; discutienda, quæ fallunt, inhibenda luxuria, corripienda avaritia. Quid bonum raptim potest fieri? quis medicus ægros in transitu curat? Quid? quòd ne voluptatem quidem ullam habet talis verborum sine delectu ruentium strepitus.*

Tertiò. Tertiò & genuinè q. d. Sapientia & Spiritus sanctus est mobilis, id est agilis, motivus & efficax, tum in se, quia scilicet in omnes partes facilè se movet, atque ad omnia negotia facilè occurrit ac præstò adest, ut rite gerantur. Sapientia enim citò suggerit sana consilia, præsertim ubi periculum, vel opus difficile ingruit, juxta illud Boetii de Deo lib. 3. de Consol.metro 9.

Stabilisq; manens dat cuncta moveri.

Tum quia sui compotes facit agiles, alacres & expeditos ad omne bonum, juxta illud Ezech. 1. 20. *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter elevabantur, sequentes eum: spiritus enim vitæ erat in rotis.* Et illud Pauli Rom.8.14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Hinc Spiritus sanctus descendit in Apostolos specie spiritus, id est venti vehementis, ut significaret se eos impellere ad opera heroica, & ad vehementiam efficaciamque concionandi, cui nemo resistere posset. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*, ait S.Ambros.in illud cap.1. S.Lucæ: *Abiit* (Maria) *in montana cum festinatione.*

Denique S.Gregor.hom.5. in Ezech.stabilem cum mobili conciliat. *Omnipotentis ergo Spiritus*, inquit, *ut ubique præsentia signaretur, simul & mobilis & stabilis dicitur, quia ubique etiam nescientibus occurrit. Tenens ergo omnia stabilis; præsentem se omnibus exhibens, mobilis appellatur.*

Rursum stabilis est in promissis, ut sit impossibile mentiri eum; mobilis in iis præstandis: stabilis, nos contra mala stabiliendo; mobilis, bona communicando: stabilis, in contemplatione; mobilis, in actione: mobilis, in via; stabilis, in patria.

I n c o i n q u i n a t u s] *ἀμόλυντον* id est incontaminatus, immaculatus, impollutus, uti legit S.Ambrosius, carens omni labe & macula, omnibus sordibus & tenebris Deus enim est mera ac pura lux, & tenebræ in eo non sunt ullæ, 1.Joan.1.5.Nam, ut ait S.Ambros.lib.de Spiritu sancto cap.19.& in Symbol.c.7. *Sicut lumen tenebras non recipit, sic & Spiritus sanctus per naturam habet, ut omnium sordium incapax sit: sed & omnium sordium*, ut ait Cantacuz. *expiandarum vim habet, nihilq; vel esse, vel permanere inquinatum patitur, ac sine ulla invidentia cunctis rebus illucescit, cunctasq; maculas delet.*

Hinc symbolum sapientiæ & sapientis est apis, quæ purissima est, puros amat, impuros fugit, adeoque feminas veneri operam dantes invadit & aculeis configit, uti dixi Proverb.6.6.Præclarè S.Gregor. Nazianz. in Carmin. *Pro viribus tuis*, inquit, *teipsum lustrato, vita splendida renovato. Sic enim Deum mentis intelligentia comprehensum percipies. Nec frustra vulgò dicitur, Deum ad templum suum accurrere. Quippe purus cùm sit, non nisi purus homo potest ipsius habitaculum esse.* Hinc illud Cant. 4. 11. *Favus distillans labia tua*, quia, ut explicat Richard. Victor. *Labia devotæ animæ spiritualis dulcedinis liquore fluunt, & aliis ad ædificationem hanc fundunt. Hunc favum congerunt de diversis Script. floribus: hos perquirit, his insidet, de his suavitatem spiritualis dulcedinis extrahit, scientiam inflantem segregat & contemnit, ædificationem potiùs perquirit, suaveolentes sententias, non pomposam eloquentiam eligit.* Et Petrus Collensis l.1. epist. 11. *Discurre*, ait, *per amœnissimos Script.campos, lege quasi apis, & reconde in alucolo memoriæ suavissimi odoris flores, castitatis lilium, olivam charitatis, patientiæ rosam, uas spiritualium charismatum.* Vide quæ de ape dixi Proverb.6.6.

C e r t u s] Græcè, *σαφὴς*, id est *manifestus*, ait S. Ambros.perspicuus, indubitatus; Vatabl.*evidens*; Noster, *certus*, ut nec ipse erret, nec in errorem inducat sese habentem. Differt ergo à *τρανὸν*, quòd *σαφὴς* sit certus de veritate, ut in sentiendo non erret; *τρανὸν* verò sit conspicuus & disertus in eloquendo, ut alios edoceat. Hinc Philoponus l.1. Poster.sub finem, à *σαφὴς* censet dici *σοφίαν*, id est sapientiam, quasi *σαφίαν*, quia res divinæ circa quas versatur, per se ac natura sua sunt certissimæ & manifestæ. Hinc S.Ludovicus rex Franciæ moriturus inter alia documenta, quæ Philippo filio reliquit, hoc interserit: *Si quid possideas rei alienæ, etiamsi id acceperis à majoribus tuis, incunctanter restituas justo possessori, ubi certò id tibi constiterit, Sin autem dubia res est, cura ut veri sapientes accuratè & sine mora inquirant.* Ita Gaguinus lib. 7. de Gestis Francorum.

Et S.Thomas Aquinas in epist. qua cuidam petenti præscribit modum acquirendi scientiam & sapientiam: *Tardiloquum*, inquit, *te esse jubeo: conscientiæ puritatem amplectere: orationi uacare ne desinas: omnibus amabilem te exhibe: nihil penitus quære de factis aliorum*, &c. *ea quæ agis & audis, fac ut intelligas de dubiis te certifices.* Intellige quoad fieri potest. Nam multa in hac vita sunt obscura & probabilia dumtaxat, in quibus certitudo & evidentia haberi nequit. Quare sæpè in agibilibus probabilem dumtaxat opinionem sequi debemus: sed hæc in praxi certa est. Cùm enim nequimus habere evidentiam, certum est in praxi licere sequi sententiam probabilem dumtaxat. Addit Cervantius: Sepia, inquit, dicebatur Arist. philosophorum princeps & coryphæus, qui velut affuso atramento celabat aliquando veritatem, de quo Sap. 1. 11. est illud, *sermo obscurus.* at Spiritus hic sanctus, & qui eo edocti sunt, uti doctrinam certam absque errorum aut dubitationum nebulis; veram, absque falsitatis tenebris; sinceram, absque hypocrisis dolis; claram, absque caligine ignorationis; hauriunt; ita ex participatione hujus spiritus docentis, certi, veri, sinceri & perclari sunt. Hinc à Christo Spiritus sanctus vocatur Spiritus veritatis, Joan. 14. 17.

Aliqui *certus* exponunt firmus, fidelis, constans in promissis, propositis, dictis & factis.

S u a v i s] Græcè, *ἀπήμαντον*, id est *illæsus*; S.Ambrosius, *inviolabilis*, alii, *incolumis & incolumes reddens*; alii, *prosper*; Vatabl.*innocuus*, qui nocere nequit, & cui noceri non potest. Sic & Cantacuzenus: quod Noster profundè vertit, *suavis*. q. d. Adeò bonus & benignus est spiritus sapientiæ, ipseque Spiritus sanctus, ut non tantùm nemini noceat, sed & omnibus prodesse studeat. Adeò enim suavis est, ut omnes incolumes servare, fovere, solari, erigere & promovere satagat. Unde vocatur *Paracletus*, id est consolator, talesq; efficit Sanctos, præsertim qui animarum lucro student. Sic ab Ethnicis suis Jupiter dicebatur Apemius (quæ vox alludit ad *ἀπήμαντος*) qui tristes noxas pellit à foribus, seu qui damna & calamitates avertit: de quo Pausan. in Attic. dicens: *In Hymeto Pluuii Jouis ara, in Parthenete Iupiter ex ære; est etiam ara ibidem alia, ad quam Jouis, quem modò Pluuium modò Apemion, id est innoxium, appellant, rem diuinam faciunt*, &c. Atque hujus suavitatis specie, colore & imitatione induti videntur hoc Spiritu præditi. Est enim, ait hoc loco Holcot, *facies domini, famulus, magistri speculum, discipulus, regni moderator, rex*: ita & suaves de familia sunt Spiritus sancti, qui & ipse suavissimus est, ac suorum ingenia, mores, sermones suavitate condit eximia, ut non nisi mel & nectar vultu & ore spirare ac fundere videantur, juxta illud Pauli: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patien-*

tientia, &c. *in longanimitate*, *in suavitate*, *in Spiritu sancto*, *in charitate non ficta*. 2. Corinth. 6. 6. Et: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, Galat. 6. 1. Hinc Spiritus sanctus dicitur osculum & suavium Dei, & ut S. Bernard. ait serm. 1. de Spiritu sancto. *Dulcissimum quod est in Deo*, juxta illud Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui*. Hinc & sapientia de se dicit: *Spiritus meus super mel dulcis*. Eccli. 24. 27. Et Sap. c. 12. 1: *O quàm bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus!* Nimirum.

Spiritus sanctus osculum Dei

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Hinc Deus apparuit Eliæ in spiritu leni: *Non*, inquit, *in spiritu Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus*, sed in sibilo auræ tenuis. 3. Reg. 19. 11.

Amans bonum] Græcè, φιλάγαθον; Vatabl. *boni studiosus*, ut scilicet hominem in virtute omnique bono promoveat. *Charitas* enim (quæ est comes sapientiæ & Spiritus sancti) *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*. 1. Corinth. 13.

Porrò φίλος & φιλάγαθος, inquit Cervantius, Primò, est studiosus boni; Secundò, amicitiæ fœdere sociatus cum bono; Tertiò, placitus, gratus, familiaris, charus; Quartò, osculans & suavians; Quintò, philtro amoris ad se rapiens.

Acutus) ὀξὺ quod nonnulli accipiunt pro ὠκὺ, id est velox: quod secutus Cantacuzenus explicat q. d. Sapientia & Spiritus sanctus ubiq; præstò est, velociter invocantibus se sistit, imò eorum orationem prævenit & prævertit, uti dixit cap. 6. 14. Perperam Glossa. Hugo & Bonav. pro *acutus* legunt, *actum*, nectuntque precedenti epitheto, hoc modo: *Amans bonum, actum*, vel *actus*, uti alii legunt, in genitivo.

Spiritus sapientiæ acutus.

Dicitur Spiritus sapientiæ *acutus*, non hebes vel obtusus. Primò, quòd instar acus habeat acumen intelligendi & penetrandi omnia, etiam oculta, arcana & obscura, sitq; perspicacissimus. Secundò, quòd intellectus apicem exacuat, faciatque de qualibet re acutè disserere, atque in dicendo & disserendo æquè ac in agendo sit argutus, solers, callidus & vafer. Addit Cantacuzenus, quòd in rebus minimis, quæ ob exiguitatem dividi nequeunt, totus perfectè ac penitus adsit. Tertiò, quòd instar gladii acuti resecet malum à bono, vitium à virtute, fucum à veritate, imperfectum à perfecto amorem proprium ab amore divino, ut mentis intentionem acuat & rectificet. Quartò, quòd voluntatis aciem exacuat ad bonum, quod melius est & perfectum, totis viribus ambiendum. Quintò, quòd sui sapore gustuque acuto intimos animæ sensus penetret, pungat & feriat: sicut acetum acore suo saporem ciborum exacuit, ac palatum pungit feritque; itaque orexin & appetitum excitat, & quasi stomachum acuit, juxta illud Plinii epist. 123. *Ut enim si cœnam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutosq; miscerem, ut obtusus ille & oblitus stomachus his excitaretur*. Tale acetum menti ingerit sapientia, cùm illam de erroribus & defectibus suis, vel interius per inspirationem, vel exteriùs per acrem mordacemque Superioris reprehensionem castigat. Talis fuit S. Joannes Baptista, & Christus Dominus: unde de eo cecinit Isajas c. 49. 2. *Posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me*. Sextò, *acutus*, id est acer, biliosus, acerbus, iracundus, indignans. Sic enim ira vocatur acuta. Iram autem Sancti induunt, cùm zelantur pro Dei honore, ut ejus offensas avertant. Ita enim est cos virtutis & zeli. Sic Actor. 17. 16. dicitur: *Paulus autem cùm Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem*; græcè παρωξύνετο, id est *acuebatur*, *inflammabatur*, *irritabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatram civitatem existentem*.

Primò. *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.* *Quintò.* *Sextò.*

Quem nihil vetat) Græcè, ἀκώλυτον, cujus prima & optima versio Vulgari interpretis est, *quem nihil vetat*; Secunda Complut. Dionys. Holcot & aliorum, *qui nil vel neminem vetat*, Tertia S. Ambros. lib. de Incarn. *providens, possibilis*; Quarta Vatabl. *prohiberi nescius*; Quinti Jansen. Pagnini, Montan. *expeditus*; Sexta Cantacuz. *cujus potentiæ resisti non potest*; Septima, ad verbum ex Græco, *quem nihil reprimit, prohibet, avertit, arcet*, quo minùs pergat in eo, quod semel cœpit.

Igitur, quod in multis Vulgatæ exemplaribus olim legebatur: *Quem nihil vetat benefacere*, rectè ex Græco & correctioribus Vulgatæ exemplaribus correxerunt Romani: *Quem nihil vetat, benefaciens*: *benefaciens* enim est aliud epithetum, de quo mox.

Sensus est q. d. Sapientiæ divinæ, æquè ac Spiritus sancti, tanta est providentia & potentia, ut nullus eam remorari, prohibere, inhibere, sistere vel impedire valeat; sed ipsa potiùs omnes & omnia sibi obsistentia impediat, sistat, dispellat & disuciat. Est miosis. Unde S. Ambrosius legit, *providens, possibilis*. Et Cantacuzenus: Ejus, inquit, potentiæ resisti non potest, permeat corpora, animas, mentes: non impeditur cujusquam duritia aut repulsa, *nec est qui se abscondat à calore ejus*, psal. 18. 7. Nulla est tanta malitia, quæ vincat sapientiæ bonitatem, ut dicitur hoc cap. v. ult. Sic Saulus illi resistere nequivit, sed ab ea audivit: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, ideoque ex Saulo factus est Paulus, Act. 9. Nullum cor, quantumvis durum, gratiæ Dei efficaci resistit: ideo enim datur, ut cordis durities auferatur, ait S. August. Unde noster à Castro ἀκώλυτον exponit, *expeditus, cui agenti nihil obstat prohiberi nescius, nullius imperio addictus, qui non possit prohiberi*: ita enim vi sua pervadit omnia, ut impedimenta quæque perrumpat. Gregor. Nazianz. explicuit *minimè impeditus*, hoc est, *liberam habens potestatem*.

Benefaciens) Græcè, εὐεργετικόν, id est *beneficus*; Pagnin. & Montan. *pronus, celer & velox ad beneficia præstanda*, benè, ritè, rectè, faciliter, feliciter, aptè, præclarè faciens, operans, benefaciens; S. Ambrosius, *munificus*, qui liberalis est in suos, eosq; pariter facit liberales. *Dat omnibus affluenter, nec improperat*, Jacob. 1. 5. Sic Christus *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo*. Actor. 10. 38. Bonum enim est sui diffusivum. Hinc Deus, quia summè bonus, summè pariter se suaq; etiam impiis & ingratis communicat, uti docet S. Dionys. de Divin. nomin. in Bono. Proprium ergo Dei & divinitatis opus est, benefacere. Hinc illud epist. 3. Joan. v. 11. *Qui benefacit, ex Deo est*. Et illud Pauli, imò Christi: *Beatius, est magis dare, quàm accipere*, Actor. 20. 35. Et illud Nazianz. orat. de cura pauperum, *Esto calamitoso Deus*: nulla enim alia dote magis homo accedit ad Deum, quàm beneficentia, ut docet ibidem Nazianz. & S. Leo serm. 40. Deus enim est immensus beneficentiæ sol, radios bonitatis suæ in omnes & omnia diffundens, Græcum εὐεργετικόν propriè idem est, quod *benefactivus*; ita scilicet ut non tantum per se benefaciat, sed & aliis omnibus benefaciendi facultatem simul & voluntatem aspiret, adeoque quòd beneficiis ejus ritè utamur, id ex ipsomet, tamquam ex uberrimo fonte, hauriamus: cumque suis bonis & donis eximiè aliquem auget, id eo consilio facit, ait S. Leo serm. 40. ut illa per divitis manum in alios derivet; ut cùm aquas in thesaurum sive arcam congregamus, id facimus, ut inde per euripos in multorum domus derivemus. Reges, Imperatores, Pontifices unum aut alterum seligunt, cujus manu fiant eleemosynæ: at Deus tot ei muneri præficit, quot sua bona distribuit. Quocirca veteres, teste Eusebio lib. 1. de Præparat. & Plinio lib. 2. c. 7. beneficos velut vivas Dei imagines, & simulachra divino numine imbuta, venerabantur, quin & reges vocabantur Evergetæ, id est benefici, ut ait Christus Lucæ 22. 25.

Beneficentia proximè accedimus ad Deum.

Homanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis) Vers. 23.

Humanus, benignus) Græcè est una vox φιλάνθρωπον, id est hominum amator: unde φιλανθρωπία à Paulo ad Titum 3. 4. vocatur insignis ille Christi amor in homines, quo se eorum causa hominem fecit, id est hominum cognatum & fratrem. *Humanus* ergo idem est, quod amans homines, ita ut totus eorum saluti incumbat. Sapientia enim divina hominis causa totum mundum creavit, angelos illi custodes dedit; quin & Verbum in carnem, ac Spiritum sanctum in Apostolos ceterosque fideles misit, ac innumera eis dona contulit, & indies confert. Hinc Philippus Solitarius l. 3. Dioptræ c. 3. & 5. notat Deum nusquam dici φιλάγγελον, sicut dicitur φιλάνθρωπος. Nam *nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, ait Apost. Hebr. 2. 16. Quocirca S. Chrysost. Deum magis amasse homines, quàm angelos docet homil. 21. in Genes. imò magis in dies amat, præsertim cùm seipsum in Eucharistia hominibus in epu-

epulum proponit: ibi enim *divini sui erga homines amoris thesauros in homines effundit*, ut ait Trident. sess. 13. imò S. Joan. c. 13. *Cùm dilexisset suos*, inquit, *qui erant in mundo in finem* (tum vitæ, tum amoris, id est extremo amore). *dilexit eos*.

Stabilis) Tum quia spiritus sapientiæ, æquè ac Spiritus sanctus, idem semper est sibiq; constat, & est immutabilis: tum quia fidelis est, & quæ promisit infallibiliter præstat: tum quia animas, quas inhabitat, facit in bonis propositis & operibus stabiles, constantes & perseverantes, ut in iis confirmentur, sintque sancitæ & sanctæ.

Certus) Græcè ἀσφαλὴς id est firmus, munitus, tutus ab omni hoste, adversitate, periculo, ideoque securus, ut sequitur. S. Ambros. vertit, *integer*, S. Bonavent. *constans in bono*. *Certus* ergo hic aliud significat, quàm paulò antè: ibi enim græcè est σαφὴς, id est manifestus, perspicuus, evidens: hic verò est ἀσφαλὴς, id est tutus, cautus, carens periculo, integer, benè munitus & custoditus, certus se nihil detrimenti passurum; item minimè titubans fallente pedis vestigio, haud periculosus, qui titubare aut falli nescit, qui frustrari vel frustrare nequit, sed firmus certusque est in omnibus, cui te tuaque omnia indubitanter credere possis; cùm homines etiam sapientes & potentes sæpè titubent, vacillent, lapsent, cespitent. Gentiles Neptuno maris Deo cognomen dedere Asphalii, id est tuti & securi, ob navium in portubus tutam à tempestatibus fidamq; stationem, eique juxta portum templum erexere, teste Pausania l. 3. & 7. Verùm hoc Asphalii cognomen, non nisi Sapientiæ Dei & Spiritui sancto competit.

Securus) Græcè ἀμέριμνον, id est *sine cura*; S. Ambrosius, *sine sollicitudine*, tranquillus, quietus, eò quòd tutus sit & bene munitus, uti præcessit, ac suos securos, tranquillos ac lætos præstet. Nam *secura mens, quasi juge convivium*, Proverb. 15. 15. Sancti ergo in quibusvis periculis, tentationibus & tribulationibus securè dormiunt in providentia & cura Spiritus sancti, sicut infans dormit in sinu matris, juxta illud S. Petri epist. 1. c. 5. 7. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*. Hinc *justus* Spiritu sancto rectus & protectus, *quasi leo confidens* in quibusvis terriculamentis *absque terrore erit*, Proverb. 28. 1. nec timet, sed gaudet vitam præsentem perdere, ut beatam & æternam mercetur. Matth. 10. 28. Vide Isajam c. 4. 6. & c. 32. 18. & c. 48. 22.

Omnem habens virtutem) Græcè παντοδύναμον, id est *omnipotens*, vel *qui omnia potest*, uti legit S. Ambrosius; vel *omnipotentia præditus*, uti vertit idem S. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto. q. d. Sapientia Dei omnia potest, adeoque suos facit quasi omnipotentes, juxta illud Pauli: *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Philip. 4. 13. quia *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Roman. 8. 31. Sapientia enim Dei & Spiritus sanctus potest omnia creare, æquè ac gubernare, tam quæ naturæ sunt, quàm quæ gratiæ; tam quæ artis sunt, quàm quæ virtutis; tam quæ juris, potestatis & dominii sunt, quàm quæ medicinæ & sanitatis. Omnibus enim morbis tam corporis, quam animi saluberrima & efficacissima exhibet pharmaca. Deniq; potest armare validissimos exercitus angelorum, hominum, animalium & creaturarum omnium contra impios hostes suos, uti dixit in fine cap. 5. Unde Apostolos induit virtute ex alto, Lucæ 24. 49. ut omnes principes, populos, philosophos, omnes mundi delicias æquè ac terrores, omnia tormentorum & martyrum supplicia forti animo adirent, & superarent.

Hanc sapientiæ divinæ vim veteres Mythologi, & Hieroglyphici repræsentarunt per hastam Palladis. Audi Pierium Hierog. 42. cap. 19. Quòd Palladem armatam ubique conspiciamus, indicat arma parum proficere, nisi quæ per sapientiam administrantur: nam stulto præcipitique ingenio imperatores quot & quantas & sibi & reipublicæ calamitates attraxerint, ut alia dissimulem, clades illæ insignes ad Trebiam, ad Trasimenum, ad Cannas acceptæ facilè ostenderunt. Porrò autem hasta in manu Palladis, ingenii vim atque promptitudinem ostendit. Unde apud Martianum legas:

Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen.

Hoc est quod canit Psaltes psal. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, ubi per Spiritum S. Basil. & Cyrillus intelligunt Spiritum sanctum.

Omnia prospiciens) Vatabl. *omnia perspiciens*; græcè, πανεπίσκοπον, id est; *qui omnia spectat*, vel *speculator est omnium*, uti locis citatis legit S. Ambrosius; vel *lustrans omnia*, uti legit S. Gregorius; vel ad verbum *omnium Episcopus*, id est inspector, q. d. Dei sapientia & providentia, æquè ac Spiritus sanctus agit totius mundi Episcopum: nam instar Episcopi ex altissima æternitatis suæ specula omnia inspicit & circumspicit, etiam secreta cordium, omnia scrutatur & visitat, utrum suo munere ritè fungantur. Rursum omnibus prospicit & providet de rebus necessariis & utilibus. ita Cantacuz. Deniq; singulis inspirat curam & providentiam futurorum, ut quisq; suæ saluti & futuræ felicitati prospiciat. Nam *circumspicimus præsentia, prospicimus futura*, ut ait Donatus. Idem ergo faciat Episcopus in sua diœcesi, rex in suo regno, Dux in suo ducatu, magistratus in sua civitate, pater familias in sua domo, ac fidelis quisque in sua anima. Sic quisq; in suo officio & gradu imitabitur Dei sapientiam. Unde S. August. tract. 51. in Joannem fidelem quemque, etiam laicum alloquens: *Cùm ergo*, inquit, *auditis fratres Dominum dicentem: Ubi ego sum, illic & minister meus erit; nolite tantummodo bonos Episcopos & clericos cogitare: etiam vos pro modulo vestro ministrate Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamq; ejus quibus potueritis prædicando: ut unusquisque, etiam paterfamilias, hoc nomine agnoscat, paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo; & pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam: ita in domo sua Ecclesiasticum, & quodammodo Episcopale implebit officium ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso.*

Huc alludens Ecclesia Sabbato post Pentecosten, ita orat & obsecrat: *Spiritum sanctum, Domine, quæsumus; benignus infunde, cujus & sapientia conditi sumus, & providentia gubernamur*. Nam ut ait S. Chrysost. serm. 1. de Spiritu sancto: *Ipse est spiritalis mentium nostrarum sol, interni nostri hominis lumen, lucifer in pectoris cælo.*

Et qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis) Ita Roman. Verùm Græca hæc omnia legunt in genitivo, qui Latinè vertitur per accusativum, referuntque ad unum idemque spiritus sapientiæ officium: sic enim habent: *Et qui omnes capiat spiritus intelligibiles* (Vatabl. *rationales*) *mundos, subtilissimos*; itaque legit Nazianz. orat. 37. cùm ait: *Per omnes spiritus penetrans, intellectiles puros, tenuissimos* (*hoc est per angelicas, ut opinor, copias*) *quemadmodum & per Propheticos & Apostolicos*. Et S. Ambrosius, *Et per omnia*, ait, *penetrans spirituum intelligibilium*.

Sic quoque legunt nonnulla Biblia Latina, ac S. Bonavent. Rabanus. Vatabl. Clarius, Jansen. ac Cantacuzenus, qui per tria ultima spirituum epitheta censet denotari tres angelorum hierarchias: quibus dominatur Spiritus sanctus. q. d. Spiritus sanctus capit: id est perficit (ideoque in eis degit & residet) spiritus intelligibiles, id est angelos perfectissima intelligentia præditos, quales sunt omnes primæ hierarchiæ, putà Cherubim, Seraphim & Throni: item omnes spiritus mundos, id est omnes angelos secundæ hierarchiæ, putà Dominationes Principatus & Potestates, qui ob puritatem affectuum liberi sunt ab omni animi passione & perturbatione, ideoque idonei ad regendum & imperandum. Denique Spiritus sanctus capit omnes spiritus subtilissimos, id est omnes angelos tertiæ hierarchiæ, quales sunt Virtutes, Archangeli & Angeli, qui quia sunt spiritus subtilissimi, hinc nobis sunt invisibiles. Favet huic lectioni, quòd ipse spiritus sapientiæ paulò antè vocatus sit νοερὸν, id est *intelligens*, item incoinquinatus, id est *mundus*, denique *subtilis*. Ergo id non videtur repetendum hoc loco, sed legendum in plurali, *intelligibiles, mundos, subtiles*, ac referendum ad spiritus creatos, quales sunt angeli.

Verùm pleraque exemplaria Latina constanter legunt in nominativo, *intelligibilis, mundus, subtilis*, itaque legit Editio à Romanis correcta. Concludens enim Sapiens repetit & inculcat tria præcipua sapientiæ divinæ, & Spiritus sancti epitheta, quæ causa sunt, cur ipse capiat omnes spiritus. Facilis est lapsus ex o in ω, ut pro νοερὸν scriptum sit νοερῶν, pro καθαρὸν καθαρῶν; pro λεπτότατον λεπτοτάτων, hoc est, pro *intelligibilis* scriptum sit, *intelligibiles*, pro *mundus*, *mundos*; pro *subtilis subtiles*.

Sensus ergo est q. d. Spiritus sapientiæ, æquè ac Spiritus S. *capit*, id est intimè permeat, penetrat, occupat, continet & complectitur omnes spiritus, tum hominum, tum angelorum, eò quòd ipse summè sit intelligens, mundus & subti-

subtilis, imò sit ipsa increata immensaque intelligentia, munditia (sive puritas) & subtilitas, ideoque omnis omnium spirituum creatorum, putà hominum & angelorum, intelligentia, munditia & subtilitas ab eo ceu perenni fonte dimanat & profluit uti paulò antè dxi. Hosce ergo omnes ipse in se capit & continet. Primò, quia omnes eorum dotes & perfectiones, non tantùm eminenter, sed & formaliter in se continet; verùm infinities pleniùs & perfectiùs, quàm sint in hominibus & angelis, utpote creaturis suis, quas ipse ut creator in infinitum superat & transcendit. Secundò, quia omnes eorum secretissimas cogitationes, volitiones, intentiones scrutatur & pervidet. Tertiò, quia omnes purgat, illuminat & perficit: intellectum eorum sua luce illustrando, & voluntatem amore inflammando; itaq; illas ceterasque animæ potentias agit & impellit ad omne bonum. Denique ipse dat omnibus essentiam & proprietates, imò quidquid habent, sive id sit naturale, sive supernaturale. Insuper eis communicat vim penetrandi & capiendi spiritus quoslibet, indendo eis donum discretionis spirituum, per quod secretas cordium intentiones perspiciant & discernant.

Sapientia capit omnes spiritus. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò.

Porro Spiritus hic dicitur *intelligibilis*, græcè νοερὸν, id est summa vi intelligendi præditus, omniaque intelligens, & à nobis intelligi faciens. *Mundus*, quia omnis non tantùm peccati & labis, sed & materiæ est expers, purissimusque est spiritus. ita S. Bonavent. Item quia omnes hominum sordes, vitia & scelera expurgat & mundat per gratiam; æquè ac morbos, miserias & mortem expurgabit & mundabit per gloriam. ita Hugo. Denique *mundus*, quia ipse est lux purissima & splendidissima. *Subtilis*, ob causam superius recensitam.

Denique nonnulli per *spiritus* accipiunt dona Spiritus sancti: hæc enim, ut sua, Spiritus sanctus in se continet, & à se electis & dilectis prout vult dispertit & communicat. Cùm ergo deitas, uti docet S. Cyrillus in Concilio Ephesino, omni loco, mensura, circumscriptione, magnitudine superior, à nullo capi comprehendiq; possit, imò omnia capiat & comprehendat, id attributum sapientiæ infert & confirmat ipsius deitatem.

Propriè, ut dixi v. 21. & 22. hæc omnia epitheta competunt sapientiæ divinæ, quæ divinitatis est attributum commune toti SS. Trinitati, quæque Deo est quasi idea, ars & artifex omnium agendorum, tam in naturalibus, quàm in moralibus & supernaturalibus: unde concludens subdit: *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia*. Eadem tamen rectè tribuuntur Filio, qui est Sapientia Patris genita, uti docent S. Ambros. S. August. S. Nazianz. Chrysost. Basilius, & alii: ac Spiritui sancto, qui essentialiter non differt, imò idem est cum sapientia divina, ait Cantacuzenus & Hugo: Spiritus sanctus enim propriè est *Spiritus intelligentiæ, sanctus*, ut dixit v. 22.

Nota. Græcè est *διὰ πάντων χωρῶν πνευμάτων*, quod Primò, Noster vertit, *qui capiat omnes spiritus*; Syrus, *& omnes spiritus tenet*; Arabicus, *pertransiens per spiritus castos*; Secundò, S. Ambrosius, *per omnia penetrans spirituum*; Tertiò, Vatabl. *omnesq; spiritus penetrans*; Quartò, Pagnin. & Mont. *ad omnes capax spiritus*; Quinto, Jansen. *per omnes procedens spiritus*; Sextò, Lorin. *per omnes penetrans spiritus*, Septimo, Octavo & Nono Cantac. *per omnes pervadit spiritus, perficit & peragit, quos omnes infinitis partibus superat*. Undecimò, alii vertunt, *continens omnes spiritus*, sicut locus continet locatum; Duodecimò, *comprehendens, perspiciens & intelligens omnes spiritus*; vel passive *comprehensus perspectus, intellectus ab omnibus spiritibus*: Decimo tertio, *uniens omnes spiritus*; Decimo quartò, *proficiscens per omnes spiritus*. Hæc omnia enim significat χωρῶν. Igitur spiritus sapientiæ Dei, ac Spiritus sanctus omnes spiritus, etiamsi sapientissimi sint & astutissimi, comprehendit in astutia sua, eorum excellentias in se continet, eos sua manu ut sapientia, sic & potentia tenet, omnia illorum penetrans & pervadens, imo & perficiens & uniens, & novem hierarchicos ordines ad unius curiæ cælestis concentum redigens, eos subiectos tenens: & quamvis velut in phalangas & exercitus distributi sint militiæ cælestis, Luc. 2. & eorum quilibet æquivaleat integro exercitui, juxta illud psal. 33. *Immittet*, hebr. חֹנֶה *chone*, id est, *castra metabitur angelus Domini in circuitu timentium eum*; tamen singulos & omnes capit, id est tenet, occupat & comprehendit spiritus sapientiæ Dei, ipseque Spiritus sanctus.

Vers. 24. OMNIBUS ENIM MOBILIBUS MOBILIOR EST SAPIENTIA: ATTINGIT AUTEM UBIQUE PROPTER SUAM MUNDITIAM) Græcè *πάσης γὰρ κινήσεως κινητικώτερον σοφία*, id est *omni motu magis motivum quid est sapientia*. q. d. Sapientia vi & celeritate motus sui vincit omnem motum, quantumvis celerem & violentum: sapientia in movendo & operando efficacior & velocior est quovis motu & actione, ac quovis movente & agente. Unde S. Fulgent. in respons. 6. ad Arrianos legit, *omnium mobilitantium mobilior est sapientia*; & S. August. lib. 4. de Genes. ad litter. c. 12. *motus ejus* (sapientiæ) *agilior & celerior est omnibus motibus*, etiam angelorum & cælorum, adeoque motu primi mobilis. Coniunctio causalis *enim* dat causam, cur spiritus sapientiæ permeet ac penetret spiritus hominum & angelorum, quantumvis puros & subtiles, quia videlicet celerrimè, imò in instanti, pervadit omnia, non minùs quàm spiritus (ventus vel aer) subtilissimus & tenuissimus penetrat intima quæque domus; & sol sua luce abdita quæque ingreditur & illustrat: nam à sapientia habent quòd intelligant & sapiant.

Ita hunc locum explicat S. Gregor. Nazianz. orat. 37. quæ est 5. de Theolog. *Per omnes*, inquit, *spiritus penetrans, intelligentes, puros, tenuissimos* (*hoc est per angelicas, ut opinor, virtutes*) *quemadmodum & per Propheticos & Apostolicos, eodem temporis momento, nec tamen in iisdem locis* (*alii enim eorum alibi fusi ac sparsi erant:*) *quod quidem perspicuè ostendit, eum nullius loci circumscriptione coerceri*. Quæ verba explicans Elias Cretensis sic ait: *Quamquam enim Prophetæ & Apostoli dispersi essent, alii alibi, nec in eisdem locis degerent; tamen eodem temporis momento Spiritus sanctus omnibus aderat, in aliis prophetiæ munus efficiens, in aliis infinitas rerum divinarum indicationes*. Cito hic Nazianz. ex versione Billii, ne mireris lector verba hic Nazianz. diversa ab iis, quæ ex alia versione citavi initio versus præcedentis.

Obiicit S. Thom. 1. p. q. 9. art. 1. ad 2. Sapientia prima & increata est ipse Deus: Deus autem est immutabilis & immobilis; quomodo ergo sapientia hic dicitur *mobilior omnibus mobilibus?* Respondet, *quòd sapientia dicitur mobilis esse similitudinariè: secundùm quod suam similitudinem diffundit usque ad ultima rerum: nihil enim esse potest quod non procedat à divina sapientia per quamdam imitationem, sicut à primo principio effectivo & formali, prout etiam artificiata procedunt à sapientia artificis. Sic igitur in quantum similitudo divinæ sapientiæ gradatim procedit à supremis, quæ magis participant de ejus similitudine, usque ad infima rerum, quæ minùs participant, dicitur esse quidam processus & motus divinæ sapientiæ in res: sicut si dicamus solem procedere usque ad terram, in quantum radius luminis ejus usque ad terram pertingit. Et hoc modo exponit Dion. c. 1. cæl. hierarch. dicens, quòd omnis processus divinæ manifestationis venit ad nos à Patre luminum moto*.

Moraliter, sapientia Dei ac Spiritus sanctus suos, quos possident, faciunt mobiles, agiles & celeres ad omne bonum, juxta illud psal. 103. 4. & Hebr. 1. 7. *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos sicut flammam ignis*. Et illud Cant. 2. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*. Sic B. Virgo plena Verbo & Spiritu sancto *abiit in montana cum festinatione*, Lucæ 1. Sic Magdalena, Petrus & Joannes cucurrerunt ad sepulchrum, Joan. 20. 4. Sic Abraham cum Sara & famulo cucurrit ad excipiendos hospites, Genes. 18. Nam *nullus piger est in domo sapientis*, ait S. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 5.

ATTINGIT AUTEM UBIQUE PROPTER SUAM MUNDITIAM) Græca addunt, *καὶ χωρεῖ διὰ πάντων*, id est *penetrat & pervadit omnia*. Ita Vatabl. quia sapienter omnia efficit, disponit, conservat, ordinat, alit, fovet, vivificat, gubernat: hi enim sunt actus providentiæ, quæ est pars sapientiæ Dei. Vel, ut Pagnin. & Arias, *capax est per omnia*, vel *capit omnia*, quasi locus & fundus rerum omnium. Vide dicta in fine versus præcedentis.

Munditiam Primò, cum S. Bonavent. intelligas abstractionem ab omni materiæ fæce: Secundò, cum Lyran. Rikel. Holcot separationem ab omni defectu, atque permixtione indigna actu illo puro: Tertiò, *munditiam* cum Carensi capias pro luce scientiæ: Quartò, cum Lorino pro simplicitate naturæ purissimæ instar lucis, in qua nullæ tenebræ, 1. Joan. 1. 5.

Causa agilitatis est munditia, indeq; subtilitas.

Causa ergo cur sapientia omnibus mobilibus sit mobilior, omniaque attingat & penetret, est ejus omnimoda munditia & puritas: hæc enim parit subtilitatem summam, quæ omnia penetrat & pervadit: sicut vapor (hoc enim exem-

pium

plum subdit Sapiens) sua subtilitate penetrat aquam, terram, aerem & cælum; idem facit ventus: & sicut anima, quia subtilis, insinuat se in omnia corporis membra; ac angelus quia spiritualis, omnia corpora pervadit. Denique sicut sol, inquit à Castro, cum in cælo sit, progredi dicitur usque ad terram, quousque ad illam ejus radii perveniant, & luce sua omnia permeat, etiam loca sordida, nec tantillum maculatur, ita quatenus divinæ sapientiæ similitudo gradatim progreditur per effecta à supremis ad infima, dicitur moveri & omnia pervadere, nec tamen in aliquo à rebus sordidis, in quibus ipsa quoque relucet, inquinatur propter suam puritatem. Quod perspicuum fit in peccatis permittendis, è quibus quàm sapienter multa eruat bona, multa hominibus commoda, & Deo multam pariat gloriam divina sapientia, certius est, quàm ut à me oporteat explicari. Dei enim sapientia, quæ non est aliud quàm ipse Deus, nihil habet materiæ, nihil fæcis, nihil mistionis, nihil potentiæ, ut habent angeli, sed est actus purissimus, ideoque nullis locis, vel limitibus terminatur, sed omnia subit, & per omnia sese expandit. Unde Damascen l. 1. de Fide c. 8. docet Dei essentiam cuncta implere, continere, complecti, præhabere, pervadere sine ullius sordis vel labis contagione; imò omni loco & substantia, quam implet, esse longè sublimiorem & celsiorem, ideoque ab omnibus esse semotam, secretam & separatam. Hinc Holcot elicit, Deum in omni creatura posse adorari, cum in ea realiter existat, eamque contineat & conservet, velut ejus anima & spiritus: at ob periculum vel suspicionem idololatriæ id non expedire; quare Deum tantùm adorandum esse iis in rebus, quæ vel à Deo, vel ab Ecclesia ex instituto proponuntur ad hoc, ut in iis adoretur. Vide Bellarm. li. 1. & 2. de cultu Sanctorum, & Gabr. Vasquez lib. 2. de Adorat. disp. 1.

VERS. 25. VAPOR EST ENIM VIRTUTIS DEI, ET EMANATIO QUÆDAM EST CLARITATIS OMNIPOTENTIS DEI SINCERA: ET IDEO NIHIL INQUINATUM (S. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 19. vertit, *maculosum*) IN EAM INCURRIT] Pro *vapor* Syrus vertit, *exhalatio*; Arabicus, *facies*.

Probat quod sapientia sit munda, omniaque penetret per munditiam, id est mundissimam subtilitatem, ex eo quòd ipsa sit quasi vapor virtutis Dei, & emanatio claritatis Dei, qua occasione simul demonstrat sapientiæ originem, quòd scilicet origo ejus sit Deus, æquè ac naturam, dignitatem & majestatem, quòd scilicet sit divina.

Loquitur propriè, uti jam sæpiùs monui, de sapientia, quæ est attributum Dei & deitatis, ideoque communis est tribus personis SS. Trinitatis. Hæc ergo est *vapor*, id est similis vapori, instar vaporis, *virtutis*, græcè [illegible], id est *potentiæ Dei*, quem scilicet potentia Dei ex se quasi exhalat & exspirat, quasi vigorem suum, ait Origen. 1. Periarchon c. 2. & ex eo S. August. vel quisquis est auctor l. 2. de Incarnat. Verbi c. 13. qui proinde ibidem pro *vapor* vertit, *vigor*. Talis enim est vapor Dei, nimirum vigorosus & efficax, cùm vapor creaturæ nil sit, nisi fumus evanescens. Unde Eccles. 1. 2. pro *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; Aquila vertit, *vapor vaporum, & omnia vapor*. Sapientia ergo propriè non est vapor exhalans ex Deo, cum in Deo nullus sit vapor, nulla exhalatio, nullum accidens; sed omnia sint unum idemq; cum Deo Deique essentia: vocatur tamen *vapor* anthropopathôs nostro modo concipiendi, quo concipimus res divinas ex analogia rerum, quas videmus in creaturis. Unde sicut in homine sapientia est qualitas & accidens, quod oritur ex anima accedente doctrina & studio: sic concipimus pariter in Deo deitatem esse quasi substantiam; sapientiam verò esse quasi qualitatem & proprietatem ex deitate manantem, & quasi evaporatam exhalatamque. Vapor autem notat Primò, sapientiam ejusdem cum Deo esse substantiæ: vapor enim ejusdem naturæ est cum re, è qua evaporatur, ut docet Aristot. sect. 13. probl. & de Sensu & sensili cap. 2. Secundò, eamdem à Deo oriri sine commistione corporum, sine fæce & labe, esseque planè puram & mundam, sic enim oritur vapor è corpore. Tertiò, eamdem esse mobilem, subtilem & sublimem: talis enim est vapor, qui proinde è terra sursum in cælum ascendit. Quartò, eamdem esse vividam & vigorosam, ac in se habere quidquid est præstans in Deo; sic enim vapor præsertim ex rebus odoratis vel distillatis (quocirca Eccli. c. 24. 20. sapientia se comparat vapori & odori balsami, cinnamomi, ac libani, id est thuris) totum earum succum haurit & imbibit: unde mirè redolet, estq; fragran-

Sapientia Dei est quasi vapor. *Primò.* *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.*

A tissimus. Hinc ait, quòd sapientia sit *vapor potentiæ Dei*, q. d. Sapientia totam omnipotentiæ divinæ vim, ex qua quasi exhalat, haurit & imbibit. Sensus ergo est, *vapor est virtutis Dei*, &c. q. d. Sapientia est quiddam subtile & odoratum, quod à Deo efflatur, hominemque divino quodam vapore & odore recreat, ut oleat Deum, ejusque vita & sermo spirent quid divinum.

Primò, ergo sapientia Dei in se est quasi vapor. Ita S. August. loco jam citato, & Origen. 1. Periarchon c. 2.

Secundò, eadem est quasi vapor, quatenus à Deo, Deique potentia & potenti operatione in creaturas emanat & exhalat. Probat enim id, quod dixit sapientiam omnem habere virtutem, omniaque attingere & pervadere. q. d. ait noster à Castro: Sicut ex aquarum expiratione, ut ait Cicero li. 2. de Natura Deorum, solis calore oritur vapor, sive tenuis quædam exhalatio, quæ deinde in terram defluens illam fœcundat: ita ex omnipotentia Dei operante in rebus omnibus, easque producente, statim subtilissima ac purissima prodit sapientia, quæ res omnes Dei potentia factas distinguit, ornat, & pulchras facit, intelligenti cogno-
B scendas, & miris modis fœcundas. Supponit igitur potentiam Dei omnia operantis sapientia, ut rem speciosam species, & ut dispositio orationis inventionem, & ut orbis invisi conditionem, ipse ornatus ejus, ac dispositio & distinctio: & ut ex proportione partium corporis & mundi prodit pulchritudo & species; ita ex operibus Dei omnipotentiæ prodit sapientiæ ejus pulchritudo, instar vaporis cujusdam.

Idipsum à Salomone didicit Plato, qui sapientiam censuit esse vaporem, sive calorem & ignem cælestem ac divinum. Unde in Protagora fingit Prometheum virum prudentissimum ([illegible], id est à providentia, nuncupatum) ignem è cælo furatum, quo homines in terra informes ex luto factos fictosque calefaceret, animaret, vivificaret, ut jam cælestes, imò divinæ consortes naturæ, effecti vitam sapienter, id est justè sancteque, traducerent. Ignis enim hic est sapientia. Addit deinde Jovem è cælo Mercurium in terram misisse, ut hominibus inderet pudorem & justitiam, utpote quæ sint civitatum ornamenta & vincula, se injurias arceant, & amicitias concilient. Et
C Plutarch. lib. de Iside, negat hominem vel majus munus accipere posse, vel Deum majus dare, quàm veritatem: hanc enim propriam esse Deo, reliqua velut non sibi propria & peculiaria, Deum hominibus elargiri; insuper nec argentum & aurum Deo beatitudinem, nec tonitru & fulminem vim afferre, sed utrumque ei tribuere scientiam & prudentiam.

Tertiò, Patres per sapientiam accipiunt genitam, putà Filium; huic enim competunt analogiæ vaporis jam dictæ. Unde Dionys. Sicut, ait vapor elevatur ab aqua virtute solis; sic ab omnipotente Patre procedit Filius. Audi Euseb. l. 4. de Demonstr. c. 3. *Unius ergo Patris unum esse filium oportet. Nam si fragrantiæ genus unum ex aliqua subjecta re proficiscatur, unum quoque & eumdem, qui in omnes diffundatur, suavem odorem, non diversos & plures fateri par est. Cùm igitur primum illud solumq; bonum, qui est omnium regnator Deus, divinam vitalemq; fragrantiam, quæ animo & cogitatione dumtaxat apprehendi potest produxit, unam hanc fas est intelligere, plures nefas. Quid enim esse potest, quod quidem ab hac diversum sit, quæ in omnibus Patri similis est, quod non*
D *submissius sit ac deterius? quod neutiquam nobis in Filii theologia introducendum. Vapor enim est virtutis Dei, ac defluentia mera gloriæ omnipotentis. Nam ex beneolenti corpore, verbi gratia ex unguento aliquo, aut etiam ex floribus atque odoramentis, quæ de terra nascuntur, beneolens quidam flatus, præter illud primùm subiectum corpus, in omne quod extrinsecus ambit, profunditur: ac dum latiùs refunditur, ipsum quoque aerem complet. Non sanè privatione aliqua, aut diminutione, aut sectione, aut divisione ejus, quod primùm subiectum est, corporis; sed illo manente in propria sede, & eamdem penes se conservante naturam, fragrantiamq; illam procreante, nihilo deterius priore, ipsum quoque quod procreatur beneolens & fragrans genus* (hoc est generatio, seu genitum & filius, juxta id Act. 17. 28. 29. *Ipsius enim & genus sumus: genus ergo cùm simus Dei*. &c.) *cùm propriam habeat sedem atque naturam, hac ipsa, quàm maximè fieri potest, id quod simillimum sit naturæ procreantis, imitatur.*

Filius est quasi vapor Patris.

Hinc rursum per *vaporem* accipias halitum, qui ex ore efflatur. Unde Nannius vertit, *siquidem à divina virtute efflatur*,

efflatur, juxta id, quod de se ait sapientia Eccl. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Filius enim est Verbum illud bonum, quod ore suo eructavit Pater æternus.

Deniq; subtiliter Origen. 1. Periarch. c. 2. & ex eo S. August. vel potiùs S. Augustini affectator vel affectator, l. 1. de Incarn. Verbi c. 13. hæc omnia exponens de Sapientia genita, id est Filio, sic disserit: *Ait autem sapientiam vaporem esse non gloriæ omnipotentis, neque æternæ lucis, neque inoperationis Patris, nec bonitatis ejus. Neque enim conveniens erat alicui horum adscribi vaporem: sed cum omni proprietate ait, virtutis Dei vaporem esse sapientiam. Intelligenda est ergo virtus Dei, qua viget, qua omnia visibilia & invisibilia, vel instituit, vel continet, vel gubernat, quia ad omnia sufficiens est, quorum providentiam gerit, quia velut unita omnibus adest. Hujus ergo totius virtutis tantæ & tam immensæ vapor, &, ut ita dixerim, vigor ipse in propria subsistentia effectus, quamvis ex ipsa virtute velut voluntas ex mente procedat; tamen & ipsa voluntas Dei nihilominus Dei virtus efficitur. Efficitur ergo virtus altera in sua proprietate subsistens, ut ait sermo Scripturæ: Vapor quidam primæ & ingenitæ virtutis Dei.*

Addit deinde Filium esse coæternum Patri, sicut vapor coævus est rei natura sua evaporanti, atque concludit: *Secundùm Apostolum verò dicentem, quia Christus Dei virtus est*, 1. *Corinth.* 1. *jam non solùm vapor virtutis Dei, sed virtus ex virtute dicenda est.*

Mysticè vapor charitatis est B. Virgo. Mysticè & participativè, hæc adaptes B. Virgini, quæ vapor est charitatis, & candor puritatis divinæ. Unde S. Ildefonsus orat. 1. de Assumpt. *Vade, quæso*, ait, *vos filii imitamini signaculum fidei vestræ, Mariam, quam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit & ignivit, ita ut in ea Spiritus sancti flamma tantùm videatur, nec sentiatur, nisi tantùm ignis amoris Dei.* Ex S. Bernard. serm. in illud, *Signum magnum*: *Longe*, inquit, *aliter Maria meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis undique, & tamquam ipso igne concludi* (scilicet, igne amoris Dei, de hoc enim sermo est) *candidissimus sanè & calidissimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum, vel minùs lucidum sed ne tepidum quidem, aut non ferventissimum liceat suspicari.* Idem in serm. cui titulus, *Laus Mariæ*: *In circuitu ejus*, ait, *acies validas spiritualium virtutum suo se invicem ordine tuentium (siquidem ordinatione tua perseverat dies) sed & innumerabilium beatorum spirituum militiam, ad ministerium tantæ principis delegatam fuisse nullatenus ambigimus; utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent ne præparatum æterno regi hospitium alienus hospes invaderet.* S. Bernardo succinit S. Anselmus in lib. de Excellentia Virginis c. 3. *Nulli*, inquit, *dubium castissimum corpus, & sanctissimam animam, funditus ab omni fuisse macula peccati jugi angelorum custodia protectam, utpote aulam, quam suus & omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus erat, & ex qua hominem in suæ personæ unitatem ineffabili, fuerat operatione suscepturus.*

VERS. 25. ET EMANATIO QUÆDAM EST OMNIPOTENTIS CLARITATIS DEI SINCERA] Græcè *καὶ ἀπόρροια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής*, id est *limpidus omnipotentis gloriæ rivus*. Ita Nannius: *ἀπόρροια* enim est fluxus, effluentia, defluvium, flumen, rivus, qui ex fonte vel scaturigine manat, scaturit & defluit: *ἀποῤῥέω* enim est fluo, defluo, profluo. Vatabl. *sincerè promanat à majestate Omnipotentis*; S. Anselm. tract. de Spiritu sancto legit, *manatio omnipotentis gloriæ*. Noster pro *gloria* hic & alibi vertit, *claritatem*. Utraque enim significat claram & gloriosam majestatem Dei. Unde Arabicus vertit, *& gloria continens omnia*; Syrus, *& stabilitas*, vel *firmitas in gloria ejus*.

Comparavit sapientiam vapori à re vapida exhalanti, nunc comparat eam rivo, vel flumini ex fonte mananti & profluenti. Idem facit Eccles. c. 24. 35. ubi sapientiam comparat quatuor fluminibus paradisi, scilicet Tigri, Euphrati, Phison, & Geon. & v. 40. ait: *Ego sapientia effudi flumina: ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio: ego quasi fluvii dioryx, & sicut aquæductus exivi de paradiso. Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum: & ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare. Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam usque ad longinquum: penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

Porrò, quòd sapientia manet & profluat ex Deo sicut aqua limpida è fonte, notat Primò, sapientiæ identitatem in substantia cum Deo: aqua enim manans ex fonte ejusdem substantiæ est cum aqua ipsius fontis. Rursum sapientiæ puritatem: quid enim purius & limpidius aqua, quæ omne impurum abluit? Tertiò, *τὸ emanatio omnipotentis Dei*, significat sapientiam esse omnipotentem æquè ac Deum. *Sapientia est q. rivus Dei. Primò. Secundò. Tertiò.* Audi ex Origen. 1. Periarch. c. 2. S. August. de Incarn. Verbi cap. 13. qui per sapientiam accipit Filium: *Sed quoniam gloriam dixit esse omnipotentis, cujus gloria aporrhœa dicitur, id est sapientia, hoc intelligi datur, quòd etiam in omnipotentia gloriæ societatem habeat sapientia, per quam Deus Omnipotens dicitur. Per sapientiam, quæ est Christus, tenet Deus omnium potentatum, non solùm dominantis auctoritatem, verùm etiam subiectorum spontaneum famulatum.* Et post nonnulla: *Deus Pater omnipotens est, eò quòd potentatum omnium teneat, id est cæli & terræ, maris, & omnium quæ in eis sunt. Horum autem potentatum gerit per Verbum suum, quia in nomine Jesu omne genuflectitur cælestium, terrestrium & infernorum. Et si omne genuflectitur Jesu, sine dubio Jesus est omnipotens, cui subiecta sunt omnia. Et ipse est, qui potentatum agit in omnibus, & per quem subiecta Patri sunt omnia. Per sapientiam namque, id est verbo & ratione; non vi & necessitate subiecta sunt. Et ideo in eo ipso, quòd obtinet omnia gloria sua est: & hæc est omnipotentiæ purissima ac limpidissima gloria, cùm ratione sapientia, non vi ac necessitate cuncta subiecta sunt.*

SINCERA] *εἰλικρινής*, id est vera, non fucata; sincera, non ficta; pura, liquida, perspicua, aperta, manifesta, & ad radios solis (qui *ἥλιος* dicitur) examinata, comparata & probata. q. d. Sapientia est emanatio, seu defluxus omnipotentis gloriæ sincerus, sive purissimus: nam defluit vel emanat sapientia, quasi rivus purissimus ex purissimo fonte gloriæ, aut majestatis Dei: quomodo enim non pura prodiret ex fonte tam puro? ideirco nihil polluti in eam cadit; propter suam puritatem, ut dictum fuerat. Origenes & Augustinus dictis locis de Filio Dei & hoc intelligunt nam Dei Filius aporrhœa est gloriæ purissimæ ac limpidissimæ omnipotentis Dei, quia emanat omnipotens ab omnipotente, & gloriosus à glorioso, non gloria mutabili ac caduca, sed purissima ac limpidissima, quæ ex bono prodit immutabili, & quod Deo convenit natura sua. Audi S. August. *Purissima verò ac limpidissima gloria sapientiæ, satis convenienter dictum est ad dictionem ejus gloriæ, quæ non pura, nec sincera gloria dicitur. Omnis enim natura, quæ convertibilis & commutabilis est, etiamsi glorificetur in operibus justitiæ, vel sapientiæ, per hoc ipsum, quòd accidentem habet justitiam vel sapientiam, & quod accidit etiam discedere potest; gloria ejus sincera ac limpida dici non potest: Sapientia verò Dei, quæ est unigenitus Filius, quoniam in omnibus inconvertibilis est, & incommutabilis, & substantiale omne bonum in eo est, quod utique mutari ac converti numquam potest, ideirco pura ac sincera gloria ejus prædicatur.*

Denique Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis c. 26. per sapientiam accipit Theologiam Salomoni à Deo cum scientiis naturalibus inditam, ac eidem hæc omnia pulchrè adaptat: *Vapor*, inquit, *est virtutis Dei*, q. d. Cùm ipsa virtus, & magnitudo potentiæ Dei non possit homini communicari & infundi; hinc ex illa magnitudine suprema efflatur quiddam tenue, quiddam subtile & odoratum, quod divinum est, & Deum olet. Eo eùm perfunditur homo, id est cùm Theologia imbuitur, divino quodam vapore & odore recreatur. Potentiam Dei tunc si non habet homo, tamen illam olet, tamen cognoscit, tamen percipitur, tamen repræsentat, tamen divinus habetur. Est item *emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera*, q. d. Limpidus est omnipotentis gloriæ rivus; quod dictum est, tum propter hanc sinceritatem, tum propter id quod sequitur: *Nihil inquinatum in illam incurrit*. Quod idem est ac si diceret: *Nihil inquinamenti in illam illabitur*. Crediderim dictum cum allusione quadam ad Nilum, qui neque clarus limpidusvè emanat, sed ex obscurissima scaturigine erumpens; neque defluit albus & illustris, sed atratus & turbidus. Hæc Pineda.

CANDOR EST ENIM LUCIS ÆTERNÆ, ET SPECULUM SINE MACULA DEI MAJESTATIS, ET IMAGO BONITATIS ILLIUS] Syrus, *splendor est lucis sapientia, & incorruptibile speculum gloriæ omnibus* VERS. 26.

ser-

servis Dei, & forma gratiæ illius; Arabicus, *quia ipsa est splendor lucis perpetuæ, & speculum operis Dei, in quo non est macula*. q.d. Sapientia est radius divini Numinis, quasi luminis & solis increati. Nota. Pro *candor* græcè est ἀπαύγασμα, id est splendor, fulgor, explendescentia: unde pro *candor* multi vertunt, *splendor*. Ita S.Ambros. lib. 5. de Fide c.4. Concil. Tolet. XI. imò ita vertit Uulgatus Interpres Hebr. 1. 3. Sensus est q. d. Sapientia est candor, id est splendor Dei & deitatis, quæ est lux æterna & increata, hoc est, majestas immensè lucida & gloriosa. Sicut ergo à sole manat radius & splendor: sic à Deo & deitate manat sapientia, quæ instar radii divini resplendet. Rursum sicut purissimum, quod ex luce solis prodit, est candor seu splendor, qui omnia penetrat absque eo quòd ab ulla re inquinetur aut obscuretur: ita ex luce solis intelligibilis Dei prodit purissima sapientia omnia illustrans, omnia ut splendor penetrans, atque ita elucet in omnibus, ut nihil sit quod eam coinquinet, aut obscuret.

Sapientia est candor, id est splendor.

Audi S.Aug. li.4. de Trinitate c.20. *Candor lucis æternæ quid aliud est, quàm lux lucis æternæ? Candor quippe lucis quid nisi lux est, & ideo coæternæ luci, de qua lux est? Maluit autem dicere, Candor lucis, quàm Lux lucis* (interpres Latinus nempe) *ne obscurior putaretur ista quæ manat, quàm illa de qua manat. Ac ne minor videatur lux quæ genuit, dictum est, Candor est lucis; nec enim major ex minore manat.*

Philo lib. 1. de Monarchia: *Sicut lux à nullo illustratur, sed seipsa ostendit: sic Deus qui nullis hominum operibus illustrari potest, divina sua essentia solus seipsum illustrat.* Thalassius ad Paulinum presb. *Quod lux est videntibus & visis, hoc Deus est intelligentibus & intellectis.* Plato in Alcib. *Sicut specula evidentiora sunt, quàm oculi pupilla, & puriora: sic quoque Deus optima animę nostrę parte purius quidpiam ac splendidius est.* S.Basil. in c.1. S. Joannis Deum comparat soli cujus pulchritudinem & fulgorem omnes mirantur, sed si quis penitiùs eum intueri velit, non tantum minùs eum videbit, sed & oculorum aciem perdet, atque excæcabitur.

Loquitur propriè de sapientia essentiali, quæ est attributum Dei commune tribus personis. Comitanter tamen loquitur de sapientia notionali, quæ est Verbum sive Filius, uti docent passim Patres, imò Apost. Hebr. 1. 3. Filius enim procedit à Patre sicut splendor vel radius à sole: unde splendor, qui est ejusdem substantiæ cum luce solis, illique coævus, & ab ea inseparabilis, ac indeficiens, notat Filium esse consubstantialem & coæternum Patri, ab eoque inseparabilem, ac deficere non posse, uti docet S. Chrysost. in epist. ad Hebræos cap. 1. 3. S. August. tract. 20. in Joan. Damasc. lib. 1. de Fide cap. 9. & S. Basil. lib. 2. contra Eunom. quem audi: *Totum Patrem in seipso Filius habet, ut imago genita, & splendor majestatis Dei ex tota ejus majestate resplendens: & absurdum est majestatem Dei non habere splendorem, & non unà cum Deo semper fuisse.* Hinc in Symbolo Niceno Filius vocatur *lumen de lumine, Deus de Deo*. Hæc similitudo splendoris & sapientiæ per multa similis est, at non per omnia: nam splendor est accidens solis, sapientia verò est essentia Dei. Rursum splendor est numero diversus (imò, ut aliqui volunt, etiam specie & essentia differt) à luce solis: at sapientia eadem numero est cum deitate. Ad hæc splendor solis augetur, minuitur, hebetatur & obtunditur per nubes aliaque corpora opaca: at sapientia Dei augeri, minui vel obtundi nequit, sed in eodem semper tenore perdurat.

Porrò Filius propriè est splendor Patris, quà Deus, participativè etiam, quà homo. In humanitate enim Christi resplendet gloria deitatis: quia *in ipso* (Christo quà homo est) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ut ait Apost. Colos. 2. 9. Unde Honorius III. c. *Sanè cùm olim*, de celebr. Missarum jubet Eucharistiam deferri præeunte lumine: quia ipsa est candor lucis æternæ. Et Julius III. in bulla erectionis Confratern. S.Sepulchri constit. 38. *Cùm*, inquit, *in altaris ministerio immoletur Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce, putà in aurora, vel clara jam luce.* Vide dicta Hebr. 1. 3.

Sapiens hic ostendit nobilitatem sapientiæ ex ejus origine, quæ est ipse Deus, atque ex ejus summa cum Deo conjunctione; unde Primò, comparavit eam vapori exhalanti e re calida; Secundò, rivo mananti è fonte; Tertiò, hic splendori, quem sol emittit: Deus Pater enim est quasi lux & sol splendorem emittens, uti docet S. Dionysius c. 4. de Divin. nomin. Quartò, speculo sine macula; Quintò, imagini.

Huc alludens noster Lyricus, doctè & eleganter de divina Sapientia ita canit:

Diva terrarum pelagique præses,
Pura sinceri soboles sereni,
Mentis arcanum jubar, & corusca
Filia lucis.
Par Patri natum sine matre Numen,
Candor aspecti sine nube veri,
Ingeni proles, genialis almi
Pectoris ardor.
O sacer mundi lepor, ò decoræ
Fabra naturæ facies, paternæ
Mentis exemplum, liquidi serenus
Luminis imber.
Patris interpres, similisque voci,
Nata fœcundo Genitoris ore,
Vera virtutum, generosa pulchri
Mater honesti.
Cælibis Patris generata partis,
Cælibus matris generanda partu,
Lumen, & verum semel elocuti
Copia veri,

Tropol. candor notat sapientiam, & sapientes esse candidos, sinceros, securos, veraces, fidos; non suspicaces, fictos, dubios, fallaces. Nam ut ait Seneca epist. 3. *Multi fallere docuerunt, dum timent falli, nihilque magis cavendum est, quàm ut diffidere videaris.* Et nonnullis interjectis: *Nulli fidem adhibere unum idemque vitium est, atque omnibus credere.*

Sapientes sunt candidi.

Audi S.Bernard. serm. 17. in Cantica: *Sapientia*, inquit, *ambiguum & obscurum non admittit. Pessimæ matris ignorantiæ pessimæ duæ filiæ sunt, falsitas, & dubietas; illa miserior, ista miserabilior; perniciosior illa, ista molestior, cùm loquitur Spiritus cedit utraque, & est non solum veritas, sed certa veritas: est enim veritatis ille spiritus* (*cui contraria est falsitas*) *& sapientiæ, quæ cùm sit candor vitæ æternæ* (explicuit Bernard. effectum æternæ lucis, nempe quod sit vita participata ex æternæ vitæ fonte, juxta illud Joan. 1. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum*, &c.) *& ubique attingat propter munditiam suam obscurum ambigui non admittit.*

Idipsum per visum experta est S.Gertrudis. Nam ut habet Vita ejus l. 2. c. 22. vidit ipsa Deum, instar speculi solaris, radios in animam suam vibrare: *Cùm*, inquit, *ò Domine applicuisses mihi in veritate tuam faciem optatissimam, afferendo tecum copiam totæ beatitudinis, ego ex divinis tuis oculis persensi per oculos meos ingredi in intima mea lucem quamdam incomprehensibiliter suavem, quæ penetrando omnia mea viscera, videbatur operari in singulis membris meis virtutem quamdam supra modum admirabilem. Videbatur enim exhaurire medullas ossium meorum, ac deinde ipsa ossa cum carne annihilare, sic ut tota substantia animæ meæ non videretur esse aliud, quàm splendor ille divinus, qui totam animam ejusque sinus oberrans, illi inæstimabilem & jucundissimam afferebat serenitatem.*

Exemplà.

Hujus candoris, æquè ac sapientiæ exemplum singulare fuit ipse S. Bernardus, qui candorem internum candore externo vultus, vestium, sermonum, gestuum, actionum repræsentabat: unde eumdem candidis virtutum omnium coloribus ita depingit Auctor Vitæ ejus lib. 3. cap. 1. *Primum maximumque miraculum quod exhibuit, ipse fuit: serenus vultu, modestus habitu, circumspectus in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione devotus, &, sicut alios ipse monebat, crebra siquidem experientia persuasus, de omni re magis fidens orationi, quàm industriæ propriæ vel labori. Magnanimus in fide, longanimis in spe, profusus in charitate, summus in humilitate, præcipuus pietate. In consiliis providus, in negotiis efficax, numquam tamen minor quàm in otio otiosus. Iucundus ad opprobria, ad obsequia verecundus. Suavis moribus, meritis sanctus, miraculis gloriosus, affluens denique sapientia & virtute, & gratia apud Deum & homines.* Et post nonnulla: *Apparebat in carne ejus gratia quædam, spiritualis tamen potiùs, quàm carnalis: in vultu claritas præfulgebat, non terrena utique, sed cælestis: in oculis angelica quædam puritas, & columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam indiciis foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ, copiosè perfusus homo quoque exterior videretur.*

ET SPECVLVM SINE MACVLA DEI MAJESTATIS) Pro *majestatis* græcè est, *ἐνεργείας*, id est energiæ, efficaciæ, inoperationis, in qua relucet majestas & magnificentia Dei. Unde Origen. & ex eo S. August. de Incarn. Verbi c. 13. legit, *& speculum immaculatum inoperationis*, vel *virtutis Dei*. q. d. Sapientia divina est speculum sine macula, id est lævissimum, tersissimum, purissimum, limpidissimum, clarè repræsentans Dei essentiam & majestatem, ejusque vim & energiam, in quo scilicet clarè intuemur vim operantem, energiam & efficacitatem Dei: quia ipsa sapientia exerit & palam facit vim efficacem, qua Deus operatur omnia in hoc mundo, quæ, nisi sapientiæ præstò esset, omnino in opus non prodirent, ac ita efficacitas potentiæ Dei operantis non ostenderetur.

Rursum idipsum de Verbo & Filio interpretatur Orig. li. 1. Periar. c. 2. & cum sequens S. August. loco jam citato. Filius enim producitur & gignitur per intellectum Patris, tamquam verbum mentis, ideoque perfecta species, sive speculum, in quo relucet res intellecta & cognita. Audi Origen. & August. *Sed & speculum immaculatum paternæ operationis Dei nominatur sapientia esse. Ergo inoperatio virtutis Dei quæ sit priùs intelligenda est: quæ est vigor quidam, ut* B *ita dixerim, per quem inoperatur Pater vel cùm creat, vel cùm providet, vel cùm judicat, vel cum singula quæque in tempore suo disponit atque dispensat. Sicut enim in speculo omnibus motibus atque omnibus actibus, quibus is qui speculum intuetur movetur vel agit, iisdem ipsis etiam ea imago, quæ per speculum deformatur, actibus vel motibus commovetur vel agit, in nullo prorsus declinans. ita etiam sapientia de se vult intelligi, cùm speculum immaculatum paternæ virtutis inoperationisque Dei nominatur: sicut & Dominus Jesus Christus, qui Sapientia Dei est, de semetipso pronunciat dicens: Quia opera quæ facit Pater, hæc etiam & Filius, facit similiter. Et iterum dicit: Quoniam non potest Filius à semetipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quoniam ergo in nullo prorsus Filius à Patre virtute operum immutatur ac differt, nec aliud est opus Filii, quàm Patris; sed unus atque idem, ut ita dicam, motus in omnibus est; idcirco eum speculum immaculatum nominavit, ac per hoc nulla dissimilitudo Filii intelligatur à Patre, cùm in Euangelio Filius similia facere non dicatur, sed eadem similiter facere.*

C Denique sapientia divina in B. Virgine & Sanctis exercens divinas operationes, facit ut ipsi sint specula, in quibus resplendeat Dei puritas, charitas, sanctitas, majestas. Ita S. Bonav. & Holcot, qui hæc adaptat humanitati Christi: Christus enim quà homo, fuit, inquit, planum speculum planè docendo; concavum humiliter moriendo; connexum potenter resurgendo. In concavo ima summaque ordine apparent inverso, & ignis à radiis illic allisis excitari solet: quid magis inversum & paradoxum, quàm Deum nasci, pati, crucifigi, mori? Unde in hac meditatione exardescit ignis, psal. 38. 4. Apud Rhodiginum l. 15. c. 12. Apuleius scribit à *Socrate frequenter ad specula missos discipulos, ut eis edocti caverent, ne pulchritudinem corporis morum turpitudine dehonestarent*. Et Pythagoras *in speculo se non ad lucernæ lumen, sed illustri sole contemplari jubebat*, id est conferre pedem cum doctissimis.

At sapientia jubet fideles intueri hæc vitæ Christi, B. Virginis & Sanctorum specula, iisque mores suos conferre, & quoad fieri potest adæquare, ut & ipsi aliis similia in sese exhibeant sanctitatis specula. Denique castitas est speculum, D in quo relucet ipsa in creatura Deus.

ET IMAGO BONITATIS ILLIVS) q. d. Sapientia Dei adeò bona & benefica est, ut sit clara imago repræsentans bonitatem Dei. Dices: Eadem repræsentat nobis potentiam, providentiam, justitiam Dei: cur ergo dixit *bonitatis* potiùs quàm justitiæ, vel potentiæ? Respond. Quia Deo velut summo bono propria est bonitas, ac bonitas est causa, cur se & sua communicet creaturis, eaque tam liberaliter effundat. Sicut ergo imago exprimit vultum ejus, cujus est imago; sic sapientia divina in res creatas effusa & diffusa clarè repræsentat divinam bonitatem, quę causa & ratio, cur Deus se communicet, & in omnes res cratas diffundat; dans eis quòd sint, ac simul quòd bonæ & speciosæ sint.

Rursum Patres nomen imaginis attribuunt Filio. *Ipse enim est imago Dei invisibilis*, Colos. 1. 15. *& figura* (græcè *character*) *substantiæ ejus*, Hebr. 1. 3. Vide ibi dicta: quare Dei Patris bonitatem perfectè exprimit, imò eadem cum eo bonitatem habet, ait S. August. loco jam citato; atque ex immensa bonitate Pater se totum communicat Filio, ac proinde bonitatis illius imago est Filius. Porrò hic notantur tres Verbi dotes cuique principi consectandæ, scilicet sapientia, potentia, bonitas, quæ quasi sorores se invicem comitantur. Hinc Poetæ pinxerunt sapientiæ deam, putà Palladem sive Minervam, *γλαυκῶπα*, id est cæsiis oculis, armatam, & inventricem olivæ & olei: cæsii enim oculi cæruleum cæli purissimi colorem referentes, notant perspicacem sapientiam, arma potentiam, oliva bonitatem & beneficentiam.

Tres dotes principis.

Insuper sapientia Dei facit homines bonos, imò eodem gradu, quo facit eos sapientes, facit pariter bonos, id est Dei amicos & Deiformes, ac divinæ bonitatis imitatores, adeò ut videantur esse dii quidam terrestres, Dei cælestis dotes & virtutes in se exprimentes, ac viva quædam Dei in terris simulachra. *Unde & inoperatione Patris*, ait S. August. de Incarn. c. 18. *quæ esse præstat omnibus clarior ac magnificentior invenitur, cùm unusquisque per participationem Christi secundùm id quod sapientia est, & secundùm id quod scientia est, & sanctificatio est, proficit, & in altiores perfectuum gradus venit: & per hoc, quòd participatione Spiritus sancti sanctificatus est quis purior ac sincerior effectus, digniùs recipit sapientiam ac scientiæ gratiam, ut depulsis omnibus expurgatisque pollutionis atque ignorantiæ maculis, tantum profectum sinceritatis ac puritatis accipiat, ut hoc quod accepit à Deo ut esset, tale sit quale Deo dignum est; eò quòd ut esset utique purè præstitit, ac tam perfectè, ut tam dignum sit id quod est, quàm est ille, qui id esse fecit. Ita namque & virtutem semper esse, atque in æternum manere, percipiet à Deo id is, qui talis est, qualem eum voluit esse ille, qui fecit.* Ita S. Aug. vel quisquis est Auctor; nam phrasis arguit non esse hoc opus S. August. sed alicujus ejus discipuli, qui ejus stylum affectarit, uti rectè observarunt Doctores Lovanienses in censura hujus libri. Adde, Auctorem hunc pleraque, quæ ex eo jam citavi, penè ad verbum descripsisse ex Origine li. 1. Periarcho cap. 2. ubi videbit, qui utrumque leget & conferet.

Denique Pineda l. 3. de Rebus Salomonis c. 26. per sapientiam accipit Theologiam Salomoni à Deo infusam: Hæc enim, inquit ipse, est candor & splendor lucis æternæ putà Theologiæ Dei & Beatorum: ac speculum sine macula Dei majestatis. Sicut enim in speculum incurrunt res objectæ, ut videri videatur illarum imago; ita sanè in mente humana, præsertim si limpidam se Deo & sapientię præbeat, Deus se conspiciendum præbet, illius majestas, potentia, virtus, & reliqua divinæ naturæ attributa: *& imago bonitatis illius*, non solùm quòd Theologia de Dei bonitate differat, sed quòd videatur postulare, ut, sicut sapiētia in Deo est cum suprema sanctitate conjuncta, ita etiam eadem sapientia cum sanctitate conjuncta sit in hominis animo, & divinam bonitatem atque sanctitatem referat. Propterea enim comparatur cum *flumine*, cum *rivulo*, cum *emanatione*, ut significetur ita sapientia exire ex immenso illo sapientiæ & divinitatis pelago, ut quamvis spatietur per hominis animum, & per latissimos rerum cognoscendarum & creaturarum omnium campos, at tandem oporteat ortum suum repetere, & in Deū primum sapientię fontem desinere. Hoc si non fiat, si sapiens aliquis desipiat, si Deum non quærat, non colat, mirum non minùs, quàm cùm *Jordanis conversus est retrorsum*. Pari enim ratione de Salomone stultescente dictum est; Reg. 11. 9. *iratus est Dominus Salomoni, quòd aversa esset* (retrorsum conversa) *mens ejus à Domino Deo Israel*.

Theologia est speculum Dei.

Mysticè, hæc omnia sapientiæ mira & magnifica elogia adaptes B. Virgini. Ipsa enim post Christum, & per Christum, præ omnibus hominibus & angelis est *vapor virtutis Dei, & emanatio quędam claritatis omnipotentis Dei, & sincera*. Ipsa est *candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius*. Ipsa habet omnem virtutem, omnia prospicit, & capit omnes spiritus intelligibiles, etiam Cherubim & Seraphim: ipsa enim est mare sapientiæ, & abyssus puritatis, bonitatis ac gratiarum omnium: imò Patres aiunt gratiam, & consequenter gloriam, ejus esse quasi infinitam. Sicut enim dos & dignitas maternitatis Dei est quasi infinita: sic pariter velut infinitam ipsa poscit gratiam & gloriam. Nam ut ait S. Thomas 3. par. qu. 7. art. 10. in matre Dei fuit gratia tali dignitati proportionata. Audi Patres. S. Epiphan. orat. de laudibus Virginis: *Gratia*, inquit, *sanctæ Virginis est immensa*. Divus Anselmus in libro de Excellentia Virginis cap. 8. *Immensitatem*, inquit, *gratiæ tuæ, & gloriæ tuæ considerare cupienti ò Virgo, sensus deficit, lingua fatiscit*. Damascen. orat. 2. de dormitione Virginis: *Virgo*, inquit,

Gratia B. Virginis quasi infinita.

vitæ

vitæ thesaurus, gratiæ abyssus immensa. Luculentissimè D. A Bonavent. in Speculo c. 5. *Immensa*, inquit, *fuit gratia, qua Virgo fuit plena: immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum: Mariæ autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cælo major fuit continere potuit.* Et post nonnulla: *Tu ergo immensissima capacior es cælo: quia quem cæli capere non poterant*, &c. *tu capacior es mundo: quia quem totus non capit orbis*, &c. *Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quantò magis mente; & si capacitas tam immensa fuit, oportuit quidem ut illa gratia, quæ tantam implere potuit capacitatem esset immensa.* B. Petrus Damiani serm. de Nativit. Virginis: *Gloria*, ait, *quæ eam ex hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem.* Verùm hæc omnia cum grano salis accipe. Nam sicut maternitas Dei est dos & dignitas entitativè & absolutè finita; utpotè quæ in puram meramque creaturam cadit, cujus capacitas limitata est & finita, nec doni absolutè infiniti capax: sic pariter absolutè finita est gratia & gloria, quæ huic maternitati congruè respondet & debetur. Dicitur ergo illa à Patribus immensa & infinita, non absolutè, sed secundùm quid, putà obiectivè & respectivè. B

Quo sensu.

Resp. Primò.

Primò, quia respicit obiectum infinitum, putà Deum: per illum enim Beata Virgo verè est mater Dei, sicut visio Dei, licèt in se sit qualitas finita, tamen respectu obiecti putà Dei, in quod tendit, dicitur infinita, ut docet S. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4.

Secundò.

Secundò, respectu intellectus nostri, quia illum superat copia gratiæ & gloriæ Virginis, ut eam mente definitè concipere & adæquare, ac planè comprehendere nequeamus: hoc enim per hyperbolem homines dicunt esse infinitum, quod ipsi comprehendere & definire, sive definitè assignare nequeunt.

Tertiò.

Tertiò, quia respectu hominum & angelorum est infinita. Omnes enim homines & angeli à Deo in tanta naturæ & gratiæ præcellentia creati, & plures qui creari possunt, nullo modo accedunt ad dignitatem & præcellentiam maternitatis & matris Dei, ac consequenter nec ad ejus gratiam & gloriam: Deus enim angelis & hominibus admetitur eam gratiæ mensuram, quam eorum capacitas & lex Dei ordinaria postulat: quare ea mensura illis confert gratiam, ut semper gratiæ plurimum donandum supersit, cujus adhuc eorum natura capax C est.

Quartò.

Accedit, quòd juxta insignes Philosophos ac Theologos, qui gradus intensionis gratiæ, & cujuslibet habitus ac potentiæ censent non esse homogeneos, sed heterogeneos; ita ut v. g. gradus secundus intensionis gratiæ sit alterius rationis & generis à primo, & tertius alterius à secundo, & sic consequenter; planè dicendum est, quòd si ulli data est gratia & gratiæ gradus heterogenei, hoc est, diversæ & altioris rationis à nostris, illos datos esse B. Virgini; quia ejus maternitas est heterogena & altioris ordinis, quàm omnis alia creato dignitas & quia actus ejus fuere intensissimi & excellentissimi. Quod si verum est, sequitur, quòd, licèt infiniti à Deo crearentur angeli cum suis donis & gratiis; numquam tamen accederent ad gratiam B. Virginis. Ipsa enim numero graduum gratiæ longè superat singulos angelos creatos & creabiles, cumque hi gradus ponantur heterogenei, inferiores omnes licet plurimi & plurimi, numquam accedunt ad dignitatem & excellentiam superiorum, utpote altioris ordinis, alteriusque naturæ; sicut æs licet plurimum, numquam D accedit ad dignitatem auri. Ponamus ergo v. g. summos angelos singulos habere gratiam ut 50. B. Virginem verò ut mille; quinquagesimus primus ejus gradus gratiæ cùm sit altioris ordinis, dignitate superabit omnes gradus gratiæ omnium angelorum, utpote qui non transcendunt 50. ac proinde inferioris sunt ordinis, conditionis & naturæ. Multò magis eosdem superabit 52. gradus gratiæ B. Virginis, ac magis 53. 54. ceterique deinceps: quia quo superiores sunt, eo nobiliores pariter sunt & perfectiores, ac proinde altioris sunt ordinis, magisque superant gradus se inferiores, quàm hi superent alios sibi subiectos; sicut angeli primæ hierarchiæ magis superent alios sibi subiectos; sicut angeli primæ hierarchiæ magis superant angelos secundæ hierarchiæ, quàm hi superent angelos tertiæ: quia quo quis magis accedit ad Deum, eo altiùs assurgit magisque perficitur & quasi dilatatur. Id clarum est in cælis, qui quo superiores sunt, eo majorem habent peripheriam, capacitatem & magnitudinem.

Hinc colligas Primò, in B. Virgine esse plenitudinem gratiæ singulari sensu & modo, quatenus creaturæ capacitas prædicto modo, juxta legem Dei ordinariam expleta est. Id voluit S. Cyprian. serm. de Nativit. Christi dicens: *Matri Dei plenitudo gratiæ debetur.* Et Sophronius ser. de Assumpt. *Ceteris datur gratia per partes: Mariæ verò tota se infundit gratiæ plenitudo*: quæ verba usurpant S. Bernard. Bonav. Damian. & alii.

Plenitudo gratia Virgine quanta.

Secundò, de Virgine, ait S. Anselm. *Decens erat, ut Virgo ea puritate niteret, qua major sub Deo nequeat intelligi*: sub Deo accipe Christum: unde S. Bernard. *Jure ergo Maria sole perhibetur amicta, quia profundissimam Dei sapientiæ, ultra quàm credi potest, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Et S. Ambrosius, quem citat Dionys. Carthus. *Incomprehensibilis*, inquit, *incomprehensibiliter operabatur in matre.*

Ratio à priori.

Ratio à priori est dignitas, tum maternitatis, tum mediatricis. Mater enim Dei jure suo à Christo constituta est mediatrix Dei & hominum omnium: quare gratiam non singularem sibi soli, sed universalem velut capitis in omnes fideles refundendam accipit. Docet hoc S. Anselmus lib. de Excellentia Virginis c. 9. *Quis igitur*, inquit, *illa perpendens æstimare queat qua laude digna sit, quæ tantorum beneficiorum sola præ cunctis effici debuit mediatrix?* Et paulò anteriùs: *Pura*, inquit, *sanctitas, & sanctissima puritas, piissimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem sanctitatemque transcendens, incomparabili puritate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis dignissimè fieret.* Et S. Laurent. Justin. serm. de Annunc. *Magna profectò*, inquit, *fuit Mariæ gratia, exuberans atque completa, quæ cælis dedit gloriam, gaudium præstitit angelis, sæculo pacem refudit fide docuit gentes, vitiisque finem imposuit. Quomodo non est Maria juxta Gabrielis oraculum, plena gratia, quæ effecta est paradisi scala, cæli janua, interventrix mundi, Dei atque hominum verissima mediatrix?* Et S. Bonav. in Speculo: *Omnia flumina*, inquit, *intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam; flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam*, &c. ac demum ubi percurrit omnes Sanctorum conditiones: *Quid mirum*, inquit *si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? ait enim Beatus Augustinus: Gratia es plena Maria, quam apud Deum invenisti, & per C totum mundum effundere meruisti.* Audi & Sophron. serm. de Assumpt. *Talibus*, inquit, *decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esset gratia plena quæ dedit cælis gloriam, terris Deum, pacemque refudit, fidem gentibus fuerit vitiis, ordinem vitæ, ac moribus disciplinam. Quid mirum si lætitiam & gloriam plenam & superplenam habet in regno, quæ gratiam plenam & superplenam habet in exilio? Quid certè mirum, si tam in cælo, quàm in terra ejus plenitudo super omnem creaturam sit, de cujus plenitudine omnis natura virescit?* Plura hac de re collegi Eccli. 24. & Proverb. 31. v. 10. & sequentibus.

ET CUM SIT UNA, OMNIA POTEST; ET IN SE PERMANENS OMNIA INNOVAT, ET PER NATIONES IN ANIMAS SANCTAS SE TRANSFERT, AMICOS DEI ET PROPHETAS CONSTITUIT.) Vers. 27.

Sapientia Dei in se est unica, sed in viribus officiis & actibus multiplex, quia potest, imò facit omnia. Nam sine sapientia nihil fit à Deo. Hoc est quod dixit v. 23. *Omnem habens virtutem.* Ipsa ergo est παντοδύναμος, id est omnipotens, ac una & indivisa in se existens infinitorum vim & D perfectionem in se continet: quare una sufficiens est omnibus producendis, continendis, conservandis, gubernandis.

ET IN SE PERMANENS stabilis, immobilis & immutabilis, OMNIA INNOVAT) quia nova semper operatur, ac novos effectus semper producit, tum in natura, tum in gratis. Sic in vere novos producit flores, in æstate novas segetes, in autumno novos fructus, in hieme novas nives, pluvias & glacies: sic innovat omnes hominum gradus & status, novos homines veteribus suggerendo, ac deformatos veteres mores per novos viros religiosos corripiendo ac reformando.

ET PER NATIONES IN ANIMAS SANCTAS SE TRANSFERT) Pro *nationes* græcè est γενεὰς, id est *generationes*, hoc est Primò, ætates & sæcula. q. d. Sapientia per singula sæcula communicavit se sanctis animabus, à se electis & dilectis. Nullum fuit sæculum sapientiæ & sanctitatis expers, sed in quolibet fuere semper aliqui viri sapientes & sancti, amici Dei & Prophetæ, à Deo selecti & consecrati. Unde Vatabl. vertit, &

vissitudinibus ætatum in animas sanctas se transferens.

Secundo, per *generationes* accipias cum Nostro hominum genera & nationes, qui in terra nascuntur. q. d. Nulla est natio, in qua sapientia non habuerit vel habeat aliquos sui discipulos, amicos & Prophetas, tum propriè dictos, qui scilicet futura & secreta pronuncient; vel per catachresin, *Prophetas*, id est viros eximiè sapientes & sanctos: tales enim olim erant Prophetæ. Deus enim non est acceptor ætatum, personarum, vel gentium, *sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi*, Actor. 10. 35. Hos ergo Deus constituit, græcè κατασκευάζει: id est Primò, ædificat & extruit, tamquam regias basilicas, & animata Dei templa: Secundò, instruit, adornat, concinnat, tamquam sacra Dei oracula: Tertiò, docet, præparat, dirigit, quasi orbis doctores, ad eum docendum & convertendum: Quartò, munit & armat contra omnes hominum dæmonumque insultus: Quintò, probat, confirmat, astruit, stabilit virtutibus & miraculis, quasi certis suis sigillis.

Vers. 28. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat) tamquam cum uxore & sponsa: nam græcè est *συνοικῶν σοφίᾳ*, id est connubio junctus sapientiæ: *συνοίκησις* enim, id est cohabitatio, vocatur conjugium, quia in eo cohabitant maritus & uxor. Unde cap. seq. v. 2. ait: *Quæsivi sponsam mihi eam assumere*. Pro quo S. Ambros. lib. de Viduis legit, *proposui ergo hanc mihi adducere in conjugium*.

Per sapientiam hic & omnibus hisce Salomonis libris, practicam intellige, putà prudentiam, virtutem, sanctitatem, charitatem: cum hac enim, imo in hac, inhabitat sapientia & Spiritus sanctus: *Deus* enim *charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Joan. 4. 16. Et: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, Joan. 14. 23. τὸ *inhabitat* significat sapientem, id est sanctum, familiariter & assiduè versari cum sapientia, id est sanctitate, charitate & Deo.

Est enim hæc speciosior (ita Roman. & Græca: malè ergo aliqui legunt, *pretiosior*) sole, et
Vers. 29. super omnem dispositionem stellarum luci comparata invenitur prior) Pro *speciosior*, græcè est *εὐπρεπεστέρα*, id est formosior, ornatior, modestior, elegantior, magis composita, decora, exculta, præclara & præstans. Dat causam, cur Deus adeò diligat sapientiam, ut nullum diligat nisi propter illam, putà non nisi illa præditum. Causa est sapientiæ pretium, excellentia, species, pulchritudo & claritas, quæ tanta est, ut vincat jubar solis & omnem dispositionem stellarum, quæ fulgent ut totidem gemmæ; adeoque superet & præcedat lucem, tum stellarum, tum cujuslibet rei, imò primigeniam illam initio mundi ante solem & stellas à Deo creatam & coacervatam, ex qua deinde in partes divisa sol & stellæ formatæ sunt, uti dixi Genes. 1. Sol enim, stellæ, & lux illa primigenia fuere splendor creatus, finitus, materialis, corporeus, mutabilis & occasui obnoxius: at verò sapientiæ splendor est increatus, infinitus, immaterialis, incorporeus, immutabilis, æternus, divinus.

Hujus sententiæ & præcedentis elegans extat solis & aquilæ apologus, sale sapientiæ conditus, apud Cyrillum lib. 1. Apologorum moralium c. 2. cujus titulus est: *Nihil sibi bono est sine sapientia. In lucidioris aeris*, inquit, *sublimitatem aquila conscendens, solis sine comuita ejus mira venustate inspecta, mox eum tali quæstione pulsavit, dixitq; Tu quid es, ô vas admirabile, tam decorum? At ille respondit; Nescio. Tunc illa magis mirata, nimirum quòd in lucis fonte hujus ignorantiæ tenebras invenisset, adjunxit: Quomodo est hoc, quòd in splendoribus tuis cetera videantur, & tui tu nescius te non vides? cui dixit: Quippe sapientiæ non sum expers. Sola enim illa sui gaudent notitia, quæ sunt in seipsa conversiva. Ad hoc aquila sic arguens dixit: Quomodo igitur perdita est tibi tantæ luciditatis gloriositas? tantæ pretiositatis dignitas, tantæ virtualitatis causalitas, ac tantæ soliditatis perpetuitas? Ex quo namque te ignoras, tu tibi nihil es; nihil siquidem prudentia est fatuo, rutilantia cæco, & eloquentia surdo. Tunc Titan respondit: Etsi nihil mihi sum, tamen ei sum, cujus sunt omnia, quod est quoddam maximum vas sapientiæ. Ipse enim sapiens, cùm solus se cognoscendo sit suus, cunctorum etiam, quæ sibi non sunt, intellectu carentium, sapientia constitutus est domi-*

Apologus humilis Sapientiæ.

nus. Rationem clarum mox subjicit, aitque: Homo enim participio sapientiæ ejusdem (Gen. 1. 28.) ex divina imagine decoratus, ab ipso primordio universis rebus mundi visibilibus est præfectus. Nimirum ideo, quia sapientis sunt omnia, cui non prævalet metallorum gemmarumque validitas; quin etiam illi subsidiaria divitiarum servit potestas. Quamobrem (Proverb. 3. 15.) *pretiosior est sapientia cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, ei non valent comparari. Quibus auditis, mox illa dilectione sapientiæ inflammata, petiit à sole, ut quid ea sapientia esset, luce definitionis ostenderet. Cui libenter annuens, inquit, Sapientia quidem est, illa mentis veritas, qua summum, quod est Deus, fide recta conspicitur, & casta dilectione tenetur. Hac enim qui dotatus est, jam mundi est dominus, & possessor est suus. Quibus diligenter notatis, in propria gaudens illa reversa est.*

Et super omnem dispositionem (græcè θέσιν, id est thesin, positionem, situm, collocationem, ordinationem) stellarum) Primò, à Castro exponit q. d. Sapientia supra omnem stellarum situm est posita: celsitudine superat stellas & cælos, quia sedet cum Deo in altissimo divinitatis ejus solio. Secundò, meliùs idem & alii explicant. q. d. Sapientia sua splendore, ordine, specie, dispositione vincit omnem omnium stellarum splendorem, ordinem, speciem, dispositionem. Unde Vatablus vertit, *& omnem astrorum seriem superat, lucique comparata potior deprehenditur*. Nominat *dispositionem stellarum*, quia in earum situ & dispositione mirus est ordo, miraque pulchritudo, adeò ut astrorum velut castrorum acies sit ordinata. Unde vocatur *militia cæli*, & exercitus Dei sabaoth, Judic. cap. 5. v. 20. Isaiæ 24. 21. Deuter. 17. 3. Rursum stellæ dispositæ sunt in cælo, ut lumina & oculi in capite: unde à Poetis vocantur cæli aut Jovis oculi.

Luci comparata invenitur prior) *Prior*, tum tempore, id est anterior, quia sapientia ab æterno fuit in Deo, illique est coæva, cùm lux initio mundi & temporis sit creata; tum dignitate & præstantia. Unde Vatabl. vertit, *potior*. De pulchritudine solis, stellarum, lucis dixi Genes. 1. & Eccli. 43. v. 1. & seqq. Hunc sensum exigit ratio, quam subjungit. Porrò τὸ *& super omnem dispositionem stellarum*, pendet & nectitur cum eo quod sequitur, *Luci comparata invenitur prior*. q. d. Si ultra ordinem lucemque stellarum, sapientiam compares primigeniæ luci, instar solis totum mundum illuminantis in ipso mundi initio, utique sapientia illa luce invenietur prior, tum tempore, tum dignitate. q. d. Si non tantum stellis, sed & luci, quæ in mundo fuit prima & maxima, sapientiam conferas, illa invenitur prior & potior.

Illi enim succedit nox, sapientiam Vers. 30.
autem non vincit (græcè κατισχύει, id est prævalet, superat, circumvenit, contendit, coercet) malitia) Dat causam, cur sapientia sit prior, id est potior & præstantior luce, non solùm solis & stellarum, sed & primigenia mundi, eò quòd illa instar solis se movens & gyrans per nostrum hemisphærium, vespere occumberet, & transiret ad alterum adversumque mundi hemisphærium, itaque ei succederet nox, ipsaque lux verteretur in tenebras. At sapientia semper sibi constat, nec ipsa in insipientiam, aut malitiam verti potest, nec ab ea vinci. Loquitur propriè de sapientia increata Dei: hæc enim adeò potens est & provida, ut nulla malitia vinci possit, sed potiùs ipsa omnem malitiam hominum & dæmonum, omnem quoque rerum malitia, id est duritiem & difficultatem, vincat sibique subjuget. Comitanter tamen & consequenter loquitur de sapientia participata & homini infusa. Esto enim ipsa recedat ab homine, qui à sapientia & sanctitate deficit, transitque ad insipientiam & malitiam; tamen ipsa in se, putà in suo fonte, manet illæsa & intacta apud Deum. Rursum ipsa homini invito & nolenti eripi nequit: quare quamdiu homo eam retinere vult, vinci nequit à malitia.

Hinc patet per sapientiam intelligi prudentiam, justitiam & sanctitatem: nam illi opponit malitiam: hæc enim est practica, & summa insipientia.

Pro *malitia* græcè est, *κακία*, id est malitia tam culpæ, quàm pœnæ, putà tam iniquitas, quàm adversitas & calamitas, q. d. Nec culpa, nec pœna vel afflictio ulla vincit sapientiam Dei. Potest quoque abstractum sumi pro concreto. q. d. Malitia, id est mali & impii persequentes pios, non possunt vincere eorum sapientiam & virtutem, quamdiu eam sponte non deserunt. Hinc

Sapientia non vincit malitia: quæ?

ali-

siiqui legunt, *in sapientiam autem non incidit malitia.*

Exemplũ. Exemplum dat S. Bernardus hom. 2. super *missus est*, Adam & Euam, Christum & Mariam: illos enim utpote insipientes vicit malitia serpentis & superbiæ; hi vero utpote sapientes vicere tam illorum insipientiam, quàm serpentis malitiam: *Quid dicebas*, inquit, *ô Adam: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi? Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quàm deleas culpam. Verumtamen sapientia uicit malitiam, cùm occasionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit: in thesauro* B *indeficientis suæ pietatis invenit. Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenosa cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me.*

Idem sermon. de septem donis Spiritus sancti, *Sapientia*, C inquit, *vincit malitiam, dum satanam conterit Dei virtus & Dei sapientia Christus*, & cetera, quæ commodiùs cap. sequenti v. 1. recitabo.

Causa. Idem serm. 85. in Cant. dat causam: *Virtus*, inquit, *est vigor animi immobiliter stanti cum ratione. Vel virtus est vigor animi, quod in se est, omnia ad rationem cogens vel dirigens.* Et post plura subiungit: *Et si quis sapientiam virtutis amorem diffinierit, non à vero deviare videbitur. Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor. Et fortè sapientia à sapore nominatur, quòd virtuti accedens* D *quoddam veluti condimentum sapidam reddat, quæ per se insulsa quodammodo & aspera videbatur. Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni diffiniat. Hunc saporem perdidimus ab ipso penè exortu generis nostri. Ex quo cordis palatum, sensu carnis prævalente, infecit virus serpentis antiqui, cœpit animæ non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare.* Causam subdit: *Quia serpentis* A *malitia mulieris insipientiam circumvenit. Sed unde malitia visa est vicisse ad tempus, inde se victam dolet in æternum. Nam ecce denuo sapientia mulieris cor & corpus implevit, ut qui per feminam deformati in insipientiam sumus, per feminam reformemur ad sapientiam. Et nunc assiduè sapientia vincit malitiam in mentibus ad quas intraverit, saporem mali quem illa invexit sapore exterminans meliori. Intrans sapientia dum sensum carnis infatuat, purificat intellectum cordis, palatum sanat, & reparat.*

B Porrò S. Bonavent. in Speculo cap. 3. *Quidam*, inquit, *legunt hic Prior, quidam Purior. Utrumq; Mariæ stellæ nostræ competit. Maria enim est prior, id est potior, sive dignior: Maria etiam purior est sole & stellis & luce; quia tam dignitate, quàm puritate solem & stellas & omnem lucem superat corporalem, imò etiam spiritualem, id est angelicam creaturam, de qua dicitur: Divisit Deus lucem à tenebris, id est angelos stantes à cadentibus. Hac utique luce angelis prior & purior est Maria: prior dignitate, & purior sanctitate. Unde* C *Anselmus exclamans ait. O benedicta super mulieres, quæ angelos vincis puritate, Sanctos superas pietate!* Hæc Bonav. Quocirca S. Ephrem oratione de Deipara, agens de ea: *O omnibus*, inquit, *superis exercitibus gloriosior, omnium Sanctorum ac virginum corona ob fulgorem inaccessæ, omnium princeps, omnium dux, sacratissima puella. Per te reconciliati sumus Deo meo.*

Tropol. lux, imò sol, suos patitur defectus: modò enim exultat ut gigas fulgida radiorum cæsarie coronatus; modò D verò laborat ut Hercules, cæca caligine circumfusus: at sapientia, id est virtus, invicta inter adversa quælibet, sibique similis perstat. Audi Tertull. l. de Spectat. c. 29. *Vis & pugilatus & luctatus? præstò sunt non parva, sed multa. Aspice impudicitiam deiectam à castitate; perfidiam cæsam à fide; sævitiam à misericordia contusam; petulantiam à modestia obumbratam; & tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. Vis autem & sanguinis aliquid? habes Christi.*

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit commendare sapientiam, eiusque dotes & commoda maxima plurimaq; recensere, ob quæ Salomon se eam in sponsam delegisse, & summis votis expetisse asserit.

1. ATtingit ergo à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. 2. Hanc amavi, & exquisivi à juventute mea, & quæsivi sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius. 3. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed & omnium Dominus dilexit illam. 4. doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operum illius. 5. Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientiæ locupletius quæ operatur omnia? 6. Si autem sensus operatur: quis horum, quæ sunt, magis quàm illa est artifex? 7. Et si justitiam quis diligit: labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. 8. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat: scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum; signa & monstra scit antequam fiant, & eventus temporum & sæculorum. 9. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædii mei. 10. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores juvenis: 11. & acutus inveniar in judicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me. 12. tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent. 13. Præterea habebo per hanc, immortalitatem; & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. 14. Disponam populos; & nationes mihi erunt subditæ. 15. Timebunt me audientes reges horrendi: in multitudine videbor bonus, & in bello fortis. 16. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tędium convictus illius, sed lætitiam & gaudium. 17. Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo; quoniam immortalitas est in cognitione sapientiæ. 18. & in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honestas sine defectione, & in certamine loquelę illius sapientia, & præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam quęrens, ut mihi illam assumerem. 19. Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. 20. Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. 21. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis pręcordiis meis.

VERS. 1. ATTINGIT ERGO A' FINE USQVE AD FINEM FORTITER, ET DISPONIT OMNIA SVAVI- A TER.) Syrus, *extendit enim animam suam à finibus usque ad fines verò, & disponitur cum omnibus suaviter;* Arabicus,

& extenditur à fine deserti, & usque ad finem ejus feliciter, & gubernat omnia cum bonitate. οὖν *ergo* innuit hæc à præcedentibus pendere & educi. Græca habent δὲ, id est *autem*: prosequitur enim cœpta sapientiæ elogia. Hæ particulæ sæpè commutantur: nam δὲ, id est *autem*, sæpè capitur pro οὖν, id est *ergo*: & οὖν sive *ergo*, sæpè non illativum est, sed inchoativum, & continuativum sententiæ. Unde S. Bernard. Hugo, Pagnin. & alii caput hoc octavum inchoant ab ultimis verbis cap. 7. *Sapientiam autem non vincit malitia*. Vatabl. verò & Cantacuzenus omnia hæc referunt ad finem cap. 7. & c. 8. inchoant à v. 2. *Hanc amavi*, &c. Sensus ergo est q. d. Sapientia, ut dixi cap. 7. est emanatio claritatis omnipotentis Dei, omnia potest, omnia penetrat, omnia capit, estque invincibilis: *Attingit ergo à fine usque ad finem fortiter*, &c. Pro *attingit* græcè est διατείνει, id est protendit se, extendit, porrigit S. August. 2. d. de Trinit. cap. 14. vertit, *pertendit*; Tigur. *pertingit*; Budæus in Comment. linguæ Græcæ legit, διαπνεῖ, id est *perspirat*. Unde Vatabl. vertit, *perspirat ab extremo usque ad extremum firmiter, & administrat omnia commodè*: sapientia enim est quasi spiritus perspirans omnia *à fine usque ad finem*, græcè, ἀπὸ πέρατος εἰς πέρας, id est *ab extremo usque ad extremum*. Quæres quænam sint hæc duo extrema?

Sapientia attingit à fine ad finem. *Primò.* Respondetur Primò, esse duo extrema mundi. q. d. Sapientia pervadit omnia à summo cœlorum usque ad imum terræ, putà à peripheria mundi usque ad centrum sive à *convexo cœlorum usque ad medium terræ centrum*, ait Adrianus Pont. l. 3. de Imag. & ut ait S. Bernard. *à summo cœlo usque ad inferiores partes terræ. Attingit autem fortiter, non quidem mobili discursione, vel locali diffusione, vel subiectæ creaturæ tantùm officiali administratione: sed substantiali quadam & ubique præsenti fortitudine, qua utique universa potentissimè movet, ordinat, & administrat. Et hæc omnia nulla sui cogitur facere necessitate. nec enim aliqua in his laborat difficultate, sed disponit omnia suaviter, placida voluntate*. Hucusque S. Bernard. tract. de Gratia & lib. arb. post medium.

Unde S. August. epist. 57. ad Dardanum quæst. 1. ex hoc loco probat sapientiam divinam, sive Deum, esse ubique. Additque: *Sed sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi sine labore regens, & sine onere continens mundum.* Hoc profundè meditans & admirans S. Bernard. l. 5. de Consid. exclamat? *O sapientia potens attingens ubique fortiter! O potentia sapiens disponens omnia suaviter! Res una, effectus multiplex, operationes diversæ. Et illa una res est longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter majestatem, profunditas propter sapientiam.*

Secundò. Secundò, duo hæc extrema sunt nobilissima & vilissima creatura: q. d. Sapientia pertingit à summo & *maximo angelo usque ad infimum vermiculum*, ait S. Bernard. de Gratia & lib. arb. omnia conservans, vivificans, dirigens, gubernans. Et S. Dionys. c. 7. de Divin. nom. disputans de sapientia divina: *Ratio quoque*, inquit, *Deus dicitur in sanctis Litteris, non solùm quia rationis, & sensus, & sapientiæ indultor est, sed quia & omnium causas in se uniformiter antè complexus est: & quia per omnia pergit penetrans, ut scriptum est, usque ad omnium finem, pertingens à summis substantiis usque ad imas, &c. idcirco & in omnibus Deus agnoscitur, & seorsum ab omnibus, & ex omnibus quidem, ut dixi, ipsa* (sapientia Dei) *noscenda est: & ipsa est, juxta Scripturæ fidem effectrix omnium, & semper cuncta coaptans, ipsiusque omnium indissolubilis convenientiæ atque ordinis causa, semper priorum fines subsequentium initiis jungens, unamque mundi conspirationem & congruentiam decentissimè moliens.*

Tertiò. Tertiò, S. Bernard. de Gratia & lib. arbit. *Sapientia attingit à fine ad finem*, hoc est, inquit, *ab ortu creaturæ ad finem, quem ei destinavit ipse, sive in quem urget natura, vel accelerat gratia, vel concedit causa*. Rursum attingit à principio operis sui (& cujusque rei) usque ad finem. q. d. Nil inchoatum à se relinquit imperfectum, sed quæcumque inchoat perficit, & constanter ad finem à se intentum perducit. Duo enim sunt extrema operis, scilicet principium & finis. Ad S. Bernard. accedit S. August. 4. de Trinit. c. 14. *Diabolo*, inquit, *insidiante & furente utitur ad salutem fidelium suorum excellentissima, seu celsissima Sapientia Dei, à fine superiore, quod est initium spiritualis creaturæ, usque ad finem inferiorem, quod est mors corporis, pertendens fortiter, & disponens omnia suaviter.*

Allegor. Allegor. Sapientia Dei attingit à fine ad finem in Christo: per incarnationem enim juncta sunt duo extrema, scilicet summum & imum, putà Deus & homo coeuntes in eamdem hypostasin & personam. Ita S. August. loco jam citato, & epist. 3. ad Volus. opus enim incarnationis fuit opus summæ sapientiæ, summæ fortitudinis & potentiæ, summæ quoque suavitatis & misericordiæ, uti ostendit S. Thom. 3. p. q. 1. art. 1.

Symbolicè. Symbol. S. Bonav. per duos fines accipit Patrem & Spiritum sanctum: *Secunda persona*, inquit, *quæ dicitur Sapientia, attingit à Patre usque ad Spiritum sanctum, per identitatem substantiæ: fortiter ob Patrem, cui attribuitur potentia; suaviter propter Spiritum sanctum, cui bonitas.*

Tropolog. Primò. Tropol. S. Bernard. de Gratia & lib. arb. hæc adaptat libero arbitrio: *Sic ergo*, inquit, *liberum arbitrium suo conetur præesse corpori, ut præest sapientia orbi, attingens & ipsum à fine usque ad finem fortiter, imperans scilicet singulis sensibus & artubus, tam potenter, quatenus non sinat regnare peccatum in suo mortali corpore*, Rom. 6. *& sic vendicet antiquam dignitatem & libertatem excussa servitute peccati; curetque hæc agere non minùs suaviter, quàm fortiter, hoc est, non ex tristitia aut necessitate, sed prompta & alacri voluntate: hilarem enim datorem diligit Deus; atque ita per omnia imitabitur sapientiam, dum & vitiis resistit fortiter, & in conscientia requiescit suaviter. Verùm cujus ad talia provocamur exemplo, indigemus auxilio.*

Secundò. Rursum idem S. Bernard. hæc adaptat charitati. Sic enim scribit serm. 50. in illud Cant. 2. *Ordinavit in me charitatem. O sapientia*, inquit, *quæ attingis à fine usque ad finem fortiter, in instituendis & continendis rebus; & disponis omnia suaviter, in beandis & ordinandis affectibus, dirige actus nostros, prout nostra temporalis necessitas poscit; & dispone, prout tua veritas æterna requirit.*

Tertiò. Insuper idem S. Bernard. serm. de septem donis Spiritus Sancti, iis hæc accomodat: sic enim ait: *Sapientia vincit malitiam, dum satanam conterit Dei virtus & Dei sapientia Christus. Attingit ergo à fine ad finem fortiter, in cælo quidem, deiiciendo superbam, in mundo, superando malignum; in inferno, spoliando avarum. Et disponit omnia suaviter; in cælo stantes angelos confirmando; in mundo, venumdatos redimendo; in inferno, captivos liberando. Aut si meliùs placet, accipiamus hoc modo: Ordinata procedit acie adversus septem peccati gradus Spiritus septiformis. Et primus contra negligentiam timor exurgit, nimirum ipse est, quo concutitur anima, discutitur conscientia, excutitur sopor lethalis, incutitur solicitudo. Denique qui timet Deum, nihil negligit, sed veretur omnia opera sua.* Et pluribus interiectis: *Attingit ergo à fine usque ad finem fortiter sapientia victrix, eradicando singula vitia, singulasque inserendo virtutes. Excutitur siquidem negligentia, ut timoris spiritus repleat mentem; abiicitur curiositas, ut succedat pietas; experientia mali fugatur, apponiturque scientia. Sic & concupiscentiæ prævalet fortitudo, & consilium consuetudinem amputat, & intellectus vigens contemptum amovet, & desperante omnino malitia sapientia regnat. Qua quidem triumphante, de cetero miseram illam animam, quam perniciosè negligentia soporaverat, petius excitaverat curiositas, attraxerat experientia, tenuerat concupiscentia, ligaverat consuetudo, contemptus in carcerem traxerat, malitia jugulaverat; timor suscitat, pietas blandè demulcet, scientia quid actum sit indicans dolorem apponit, quod summum est fortitudo erigit, consilium solvit, intellectus educit de carcere, sapientia mensam ponit, refocillat esurientem, & salutaribus reparat alimentis.*

Quartò. Denique idem S. Bernard. de Gratia & lib. arbit. hæc adaptat Christo ejusque gratiæ, quæ omnes animæ fines & vires peccato deformatas, sibi conformando reformat: *Et revera*, inquit, *cui potiùs id operis congruebat, quàm Dei Filio, qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, portans verbo universa, ex utroque facilè munitus apparuit, & unde reformaret deformem, & unde debilem confortaret, dum & de splendore figuræ fugans tenebras vitiorum redderet sapientem, & ex virtute verbi contra tyrannidem dæmonum potentem efficeret? Venit ergo ipsa forma, cui conformandum erat liberum arbitrium, quia ut pristinam reciperet formam, ex illa erat reformandum, ex qua fuerat & formatum. Forma autem sapientia est, conformatio, ut faciat imago in corpore, quod forma facit in orbe.*

FORTITER) Græcè, ἰσχυρῶς, id est validè, robustè, valenter, firmiter, animosè, constanter; Vatabl. *penitus*: *solo*

enim,

enim, vel ῥωννύω, idem est quod roboro, valido, confirmo: unde ῥώμη est robur, vis, potentia, sanitas, valentia. Inde & urbis Romæ nomen, quam Solinus initio Polyhist. *Valentiam* prius fuisse dictam Latinis tradit, licet alii Romam derivent à *ruma*, id est mamma lupæ, quam Remus, qui & Romus, ejusque fratres Romulus suxerunt.

Noster Antonius Fernandius in Vision. visione 6. censet esse metaphoram à communibus rerum mensoribus, qui ad normam exigentes rerum magnitudines, quæ quibus locis conveniant antè sciunt; nequa fit in ipsa rerum dispositione perturbatio: attingit ergo Deus à fine usque ad finem fortiter, id est exacta præscientia metitur res omnes, quid possint, quid exigant, unde & quousque sufficiant. Hinc verò sequitur, quòd disponat omnia suaviter, sibi invicem rebus & earum locis apprimè respondentibus. Attingit item fortiter, quia ubi creaturæ vires deficiunt, ipse sufficit, ut eò quò vult pertingat.

Fortitudo & suavitas providentiæ. Primò. Rursum fortitudo sapientiæ, providentiæ & gratiæ Dei cernitur in hoc, quòd ipse suam voluntatem certissimè impleat, & finem intentum obtineat; suavitas verò in eo, quòd nostram libertatem non lædat, nec naturæ conditionem invertat: non enim cogit liberum arbitrium, sed suaviter alliciendo mulcendoque ei bonum suadet & persuadet. Ita Nyssen. aut potius Nemesius lib. 7. Philos. c. 1. Theodor. Epitome divin. decret. c. de providentia, Damascen. 2. de Fide cap. 29.

Eadem suavitas cernitur in rebus naturalibus, nulli enim Deus vim affert, nihil contra cujusquam rei naturam facit, sed solùm ut poscit cujusque rei natura. Est enim divina providentia (ut scribit S. Dionys. cap. 4. de Divin. nom. p. 4.) *cujusque naturæ conservatrix, eis quæ per se moventur, & libera aguntur arbitrio, convenienter providens, omnibusque & singulis propriè, ut omnium singulorumque natura capit, pro modo cujusque providentissimas bonitates impartiens.*

Secundò. Ad hæc, divinæ providentiæ suavitas in eo se ostendit, quòd per viciniora ac faciliora media res ad suos fines deducat, uti patet intuenti omnia elementa & elementaria. ita S. Chrysost. in S. Matth. cap. 3. Sic Paulus à Deo ignoto Atheniensium, sumpsit exordium differendi de Deo vero & noto, Actor. 17. 23 uti ibidem notat S. Chrysostomus.

Tertiò. Insuper insuperabilis sapientiæ & providentiæ divinæ omnia gubernantis fortitudo in eo elucet, quòd rebus etiam summè contrariis ad destinatos providentiæ suæ fines utatur, ut venditione Joseph ad ejus principatum, passione & cruce Christi ad ejus gloriam & hominum salutem, persecutione tyrannorum ad Martyrum coronas & triumphos, peccatis hominum ad ostendendam suam, vel clementiam in condonando, vel justitiam in puniendo. Nam ut sapienter æquè ac eleganter ait Boetius lib. 4. de Consol. prosa 6. *Sola est divina vis, cui mala quoque bona sint, cum eis competenter utendo alicujus boni effectum eliciat. Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem licèt in alium, tamen in ordinem relabatur: ne quid in regno providentiæ liceat temeritati.*

Sic cùm Deus peccatorem à suis concupiscentiis adducit ad pœnitentiam, aut hominem vocat ad Religionem, ad apostolatum, ad martyrium, &c. non facit id violenter, sed suaviter: immittit enim priùs menti pias affectiones, velleitates, desideria pœnitentiæ, Religionis, apostolatus, martyrii, quibus homo illa eveat ambiatque, ac postulet à Deo dicatque cum Saulo in actu ipso persecutionis: *Domine quid me vis facere?* Actor. 9. Id in se expertus S. Augustin. ita gratias agendo exultat lib. 9. Confess. cap. 1. *Domine ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Laudet te cor meum & lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Domine quis similis tibi? Dicant, & responde mihi, & dic animæ meæ, Salus tua ego sum.* Et post pauca: *Quàm suave mihi subitò factum est carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, tu vera & summa suavitas, ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Jam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum, & garriebam*

A *tibi claritati meæ, & divitiis meis, & saluti meæ, Domino Deo meo.*

Disponit] Græcè, διοικεῖ, id est gubernat, administrat, dispensat, tuetur, disponit totum mundum, sicut paterfamilias domum: οἶκος enim est domus. Mundus autem est parva domus magni Dei, quam œconomicè regit ut paterfamilias.

Suaviter] Græcè, χρηστῶς, id est, ut Pagnin. *utiliter*; Vatabl. *commodè*; item *benignè, dulciter, suaviter*. Unde Christiani à Gentilibus vocabantur Chrestiani, quasi commodi, utiles, suaves. Huc alludens S. Justinus Apol. 2. pro Christianis: *Christiani esse accusantur*, inquit, *atque utile & commodum odisse, iniquum est*. Sapientia ergo Dei disponit omnia utiliter, commodè, suaviter: quia ut ait S. August. lib. 7. Civit. c. 30. *sic administrat omnia quæ creavit, ut etiam ipsa proprios* (juxta formam sibi inditam) *exercere & agere motus sinat*, imò jubeat & efficiat; adeò ut nulla res in universo reperiatur, quæ in eo non utiliter B suo officio fungatur, & universo commoda sit, dum unaquæque res, quantumvis minima, fines sibi præstitutos à natura adipisci conetur.

Efficax ergo est causa prima, putà Deus, sed sese attemperat causis secundis. Unde S. Dionys. de Divin. nomin. cap. 4. arguens eos, qui dicebant oportuisse nos à Deo ad ad virtutem cogi: atqui, inquit, *non est providentiæ divinæ violare naturam, sed ea est naturæ cujusque conservatrix: eis quæ per se moventur, & libero aguntur arbitrio, convenienter providens, omnibusque & singulis propriè, ut omnium singulorumque natura capit, pro modo cujusque providentissimam bonitatem impartiens*, &c. & cap. 7. ait *Deum in Scriptura vocari logon, non solùm quia rationis & mentis, sapientiæque auctor est; sed etiam quia causas omnium uniformiter in se anticipat, & quoniam singula transeundo pervadit usque ad omnium finem, quemadmodum tradunt eloquia.*

Æquè, imò magis suaviter Dei sapientia, putà Christus, disponit & dispensat res supernaturales, ut patet in incarnatione ejusdem, passione & morte, de qua rectè S. Bernard. serm. 1. in die sancto Paschæ: *Vicit*, inquit, C *planè sapientia malitiam, attigens à fine usque ad finem fortiter; & suaviter universa disponens sed pro me fortiter, suaviter mihi.* Et in Eucharistia; hæc enim est *cibus fortium; & suavitas mentium.* Unde typus ejus fuit manna habens omnem saporis suavitatem, juxta illud psalm. 25. 5. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est!* Et illud Zachar. 9. 17. *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Vide ibi dicta. Idem patet in donis & habitibus gratiæ creatis, hæc enim Deus homini infundit, ut per ea facilè & suaviter operetur actus supernaturales, qui per se homini sunt difficiles, imò viribus naturæ impossibiles. Audi S. Thomam 1. 2. q. 110. a. 2. Deus creaturis naturalibus sic providet, ut non solùm moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas & virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, ut secundùm seipsas inclinentur ad hujusmodi motus, Et sic motus, quibus à Deo moventur, fiunt creaturis connaturales & faciles; secundùm illud Sap. 8. *Et disponit omnia* D *suaviter*. Multò igitur magis illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales, secundùm quas suaviter & promptè ab ipso moveantur ad bonum æternum consequendum. Et sic donum gratiæ qualitas quædam est Eadem ratione probat dandum esse habitum charitatis 2. 2. qu. 23. art. 2. Habitus enim gratiæ & virtutum faciunt, ut eorum actus homini sint faciles, suaves & jucundi, ideoque eos homini Deus infundit.

Tropol. hanc sapientiæ divinæ in gubernando universo idem & formam imitentur reges, principes, Prælati, rectores, &c. ut fortitudinem suavitate condiant: unde nonnulli hoc sibi lemma sumpserunt: *Suaviter & fortiter*: fortitudo enim dat efficaciam gubernationi, suavitas facilitatem & durationem. Nullum enim coactum & violentum, est perpetuum. Quare in regendo timori miscendus est amor: si enim solus sit timor, aget homines, non ut homines, sed ut jumenta & bruta: homines enim magis ducuntur amore, quàm timore, & amor non solùm suavior, sed & fortior est timore. Nam omnia vincit amor. Huc facit illud: *Blandum imperium imperiosum,* *Gubernandi modus sit fortis & suavis.*

sum, quia quæcumque blandè imperat, fortiter impetrat.

Rursum regimen suave æquè ac forte & durabile poscit, ut rectores sese accommodent subditorum ingeniis, talentis, dotibus & propensionibus quoad fieri potest: nam *nihil invita facies dicesve Minerva*. Sic sapientia Dei accommodat se conditioni causarum secundarum, dum cum necessariis necessariò, cum contingentibus contingenter, cum liberis liberè, cum audacibus audacter, cum timidis timidè, cum infirmis infirmè, cum validis validè concurrit & operatur. Superior ergo imitetur Christum, qui fuit leo improbis & obstinatis, agnus verò probis & obsequentibus. Hoc documentum suis inculcavit noster S. Ignatius.

Huc facit illud cap. 12. 18. *Tu autem Domine cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos*. Et illud psalm 24. 10. *Universæ viæ Domini, misericordia & veritas*. Unde S. Basil. epist. 165. ad Eustath. profitetur se experientia, multarum tribulationum didicisse, quòd Deus res nostras suavi sua providentia longè meliùs disponat, quàm nos optare possimus. Idem de seipso asserit S. Ephrem tract. de Sui reprehens. cujus mirabile providentiæ divinæ exemplum fusè recensui Genes. 42. 18.

VERS. 2. HANC AMAVI, ET EXQUISIVI A JUVENTUTE MEA, ET QUÆSIVI SPONSAM MIHI EAM ASSUMERE, ET AMATOR FACTUS SUM FORMÆ ILLIUS) Græcè κάλλους, id est speciei & pulchritudinis illius; S. Hieron. in cap. 42. Ezech. legit, *quæsivi sponsam ducere mihi, & amator fui decoris ejus*; S. Ambros. libr. de Viduis, *proposui hanc adducere mihi in conjugium*; S. Hilarius in psal. 127. *quæsivi sapientiam sponsam accipere mihi ipsi* Huc facit illud Isaiæ 61. 10. *Induit me Dominus vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis*.

A JUVENTUTE MEA) A puero enim mater Salomonis ei instillavit desiderium sapientiæ, id est probæ sanctæque vitæ, ut patet Proverb. 31. 1. præsertim cùm Davida patre defuncto illi in regnum successit annum agens circiter 18. Tunc enim ille videns magnam sapientiam requiri ad regendum tantum populum, eam à Deo postulavit & impetravit, 3. Reg. 3. 10. Significat veterem sapientiæ amorem, ideoque profundum, radicatum & robustum. Nam feminæ quæ sponsæ viris teneris ab annis consuescunt, tenerè diligi solent: eoque teneriori amore earum ii tenentur, quo à teneriori ætate conjuges connixere, adolescente amore cum ætate: & quo antiquior amor, eo major esse solet, nobilior, robustior & præstantior, instar arboris & vini, quibus vetustas confert dignitatem, & veluti generis splendorem, gliscente in dies flamma ex consuetudine mutua, quasi ex fomite adjecto. Hinc illud Proverb. 5. 18. *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ; cerva charissima, & gratissimus hinnulus: ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter*.

ET QUÆSIVI SPONSAM) Hinc opinatur Pineda lib. 2. de Rebus Salomonis cap. 1. sub finem, Salomonem ambiisse sapientiam, quasi sponsam, eamque à Deo impetrasse, antequam ambiret filiam Pharaonis, eamque sibi desponderet. Verum hoc valdè incertum est, præsertim quia lib. 3. Regum c. 3. v. 1. priùs narratur eum duxisse filiam Pharaonis: deinde v. 10. subjungitur ejus oratio, & impetratio sapientiæ. Adde, Salomonem ante regnum iniisse conjugium cum Naama, ex eaque genuisse Roboam: Roboam enim agens 41. annum, patri Salomoni anno 40. regni morienti in regno successit. 3. Regum cap. 11. v. 43. & c. 14. v. 21. ergo uno anno ante regnum suum genuit eum Salomon. Sapientia igitur sponsam sese offert, non tantùm virginibus, sed & conjugibus, iisque magis necessaria est ad regendum uxores, filios & familiam. Ipsa enim est sponsa alterius & altioris ordinis, scilicet spiritualis, non carnalis.

SPONSAM) Græcè νύμφην, id est *nympham*. ita græcè dicitur sponsa, quasi νέαν vel νῦν φαινομένην, id est *novam*, vel *nunc apparens*, id est nova nupta, quæ cùm priùs ut virgo se absconderet, jam nupta in publicum prodit, seseque palam ostendit, ita Rhodig. lib. 21. c. 26. ex Eustathio. Ita Salomoni nova è cœlo, velut sidus divinum illuxit & apparuit sapientia. Rursum Nymphas antiqui aquarum deas esse putaverunt, quasi lympharum numina: veteres enim nympham dicebant, quam nos mutationes unius litteræ lympham, id est aquam. Quandoque nymphæ dicuntur Musæ, quòd aqua currendo musicos sonos efficiat. Hinc nymphæ perhibentur fuisse virgines purissimæ. Talis nympha & musa præ omnibus, imò sola ex omnibus est sapientia. Nymphæ quoque dicuntur apes castæ, cùm primum formam cœperint habere, teste Plinio lib. 11. c. 6. Apis cœlestis est sapientia, fundens mel divinum.

Sapientia est nympha multipliciter.

Sponsa hebr. vocatur כלה *calla*, id est perfecta, consummata ab omni pulchritudine & ornatu, quo sponsæ præ ceteris decorantur præstant & amantur, adeò ut quasi reginæ coronis ornentur & coronent: hinc Græcum κάλλος, id est pulchritudo, quæ pariter omnes in sui amorem καλεῖ, id est vocat, allicit & rapit, ut ait S. Dionys. de Divin. nom. cap. 4. Quid pulchrius sapientia, quæ est *calla*, id est perfecta, completa, suisque numeris omnibus absoluta, ut ne hilum desideres, sive animi, sive corporis dotes in sponsis consideres. Solent decem præ ceteris in sponsa dotes laudari & spectari, quas hoc versu & sequentibus ex ordine sapientiæ attribuit Salomon. Prima est, ut amori simul & venerationi sit. Secunda, ut amœnitate floreat. Tertia, ut splendeat nobilitate generis. Quarta, ut vigeat sapientiæ dignitate. Quinta, ut circumfluat divitiarum opulentia Sexta, ut præmineat sanctitate. Septima, ut virtutum varietate distinguatur. Octava, ut singulari prudentiæ majestate nobilitetur. Nona, ut ingenii ac morum placida suavitate dulcescat. Decima, ut philosophum, seu sapientem cupidum sui omnigena rerum varietate delectet. Atque has omnes dotes, quarum gustum aliquem in superioribus dedit, nunc Sapiens sponsæ attribuit, eam amabilem pariter & venerabilem docens, pulchram, nobilem, sapientem, divitem, sanctam, optimam, præditam quadruplici virtute, eximiè singulariterque prudentem, & cum qua in consortium adducta vita transigi possit omni suavitate & voluptate perfusa. Quæ suo ordine novem primis versiculis (exceptis quinto & sexto, qui divitiis dantur) atque singula singulis continentur. Quibus tantæ sponsæ dotibus, atque omnis generis bonis inde profectis, quæ mox describit, quasi adjectis igniculis inflammatum se juvenem, peneque puerum, illius desiderio asserit, ut eam intimis à Deo precibus efflagitarit & impetrarit: ita Cervantius.

Vox *sponsa* significat summum Salomonis erga sapientiam amorem, teneritudinem, desiderium, & delectationem. Rursum summam, intimamque & secretam cum ea conjunctionem, conversationem, familiaritatem, unionem, ut cum ea fieret non caro una, sed spiritus unus, juxta illud: *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*, 1. Corinth. 6. 17. Et illud Jerem. 3. 4. *A modo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es*. Et illud: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, 2. Corinth. 11. Vide ibi dicta.

Sapientia est sponsa: cur?

Hinc S. Dionys. c. 4. de Divin. nomin. ante finem ait, *amoris charitatis nomen esse divinius. Scribit autem & D. Ignatius: Meus amor cruci affixus est; & in primis Scripturæ sanctæ institutionibus invenies quamdam hæc dicentem de divina Sapientia: Amator factus sum pulchritudinis ejus*. hæc Dionys. Et inferius dicit amorem unire, & facere ecstasin: *Atque hoc amoris verbum*, inquit, *vim habet faciendi unum, & colligandi, præstantique modo res inter se miscendi, quæ in pulchro & bono, propter pulchrum ac bonum antè consistit, atque ex bono ac pulchro pulchri bonique causa manat, continetque paria communi inter se conjunctione, & superiora ad inferiorum procurationem impellit, inferioraque cum superioribus conversione corroborat. Dimovet etiam de statu divinus amor, nec suos esse amantes patitur, sed eorum etiam, quæ amantur: quod declarant & superiora, quæ inferiorum sunt eis consulendo, & paria mutua inter se cohærentia, & inferiora diviniore ad superiora conversatione. Itaque Paulus ille magnus jam divino amore captus, præditusque ejus vi, quæ hominem è statu suo dimovet, divino ore: Vivo autem*, inquit, *jam non ego, vivit verò in me Christus, ut verus amator, & à mentis; quemadmodum ipse ait, statu dimotus: Deo degit non suam vitam, sed amantis tamquam valdè diligendam*.

Mystice hæc omnia adaptes B. Virgini, quæ est *calla*, hoc

Myst. B. Virgo est sponsa.

hoc est perfectissimæ *musa musarū, & nympha nympharū*, præsertim colentibus, amantibus, & invocantibus ipsam, quam proinde, ut alios omittam, sibi per annulum despondit S. Edmundus Cantuariensis Episcopus. Audi auctorem Vitæ ejus c. 6. *Ut autē cura ejus* (castitatis) *conservandæ major ei inesset, de consilio cujusdam sacerdotis coram imagine perpetuæ Virginis sanctissimæ matris Dei, castitatis nuncupavit votum, & illi singulari & incomparabili Virgini se commendans, eam sibi sponsam delegit: atque, ut fœdus cum illa initum prorsus firmum & stabile fore declararet, novo quodam modo eam annulo suo, tanquam arrhabone, sibi despondit, annulum illum, quem ea de causa fecerat, ejus imaginis digito infigens, in quo etiam inscripta erat Angelica salutatio.* Fructum eximium subiicit: *Atque ex eo tempore, ut ipse in suo obitu confessus est, quoties illum clementissimæ Virginis imploravit opem, illa in tentatione exitum, in persecutione solatium, in afflictione remedium, in dolore gaudium ei celeriter impetravit. Habuit verò etiam in digito suo annulum, cum quo post mortem, ut solent Pontifices, sepultus est, eui itidem cunctis admirantibus Angelica salutatio insculpta fuit, ut beatissima Virgo ipsum suum sponsum & habere & agnoscere dignaretur.* Extat hæc Vita apud Surium die 20. Novembris.

Exempl. S. Edmundi.

Et amator factus sum formæ illius) Est hæc secunda dos sponsæ Salomonis, puta sapientiæ, scilicet forma & pulchritudo, quæ magnum est amoris illicium. De hac dictum est cap. 7. v. 29. *Est enim hæc speciosior sole.* Loquitur de sapientia essentiali communi tribus personis, comitanter tamen de notionali quoque, putà de Christo, qui quà Deus, est imago, id est pulchritudo Patris; quà homo, pulchritudo creaturæ juxta illud: *Speciosus forma præ filiis hominum*, psalm. 44. Idem à Salomone didicere Plato & Philosophi. Plato enim in Phædro ait: Primum pulchrum omnia pulchra facit: pulchritudo autem hanc dignitatem habet, ut omnium rerum sit illustrissima, ideoque summè amabilis. Sapientiæ vero forma, tanquam facies, si oculis cerneretur, mirabiles sui excitaret amores, imo ardores. Idem de virtute ait Cicero lib. 1. Offic. Aristot. quem citat Eugubinus in psal. 44. *Deus*, inquit, *est potentia fortissima, vita immortalis, virtute optimus, pulchritudine speciosissimus.* Vide S. Dionys. cap. 4. de Divin. nom. p. 1. & S. August. lib. 2. contra Academ. c. 3. & 1. Retract. 1. ubi ait φιλοσοφίαν esse φιλοκαλίαν, hoc est, amorem sapientiæ esse amorem pulchritudinis.

Pulchrè in hæc verba pieque scribit Theophilus Alex. epist. 2. Paschali: *In sacris*, inquit, *voluminibus Scripturæ, nivea membra sapientiæ pressis figentes osculis, in ejus hæremus amplexibus, & si Dominus concesserit viventes cum ea, in illius perseuerantes amore cantamus, Sap. 8. 2. Amator fui pulchritudinis ejus. Quotquot enim Scripturas sanctas diligentiùs legunt, & per picta sermonum cælestium prata discurrunt, hac beatitudine perfruentur*, &c. Vis exempla? Accipe.

Exempli S. Agnetis.

S. Agnes præfecti Romani filium se ambientem respuens, se illi desponsam dicebat, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur. Idem, si non verbis, certè reipsa dixere ceteræ S. Virgines & Martyres. Unde illud S. Ignatii: *Amor meus crucifixus est*, cujus meminit S. Dionys. cap. 4. de Divin. nomin. uti paulò ante dixi.

S. Laurentii Justin.

Hac forma sapientiæ illectus sanctus Laurentius Justinianus, primus Patriarcha Venetiarum, eam sibi in sponsam accepit annum agens undevigesimum. Sic enim ipse de se scribit in Fasciculo amoris: *Eram vestri similis, quærens æstuanti desiderio pacem in rebus exterinsecis, nec inveniebam. Tandem quædam virgo sole splendidior mihi apparuit, cujus nomen ignorabam. Hæc propiùs accedens venusto vultu, placidoque affatu: O juvenis, ait, dilecte, cur effundis cor tuum, & pacem sectando per multa variaris? quod quæris, penes me est: quod concupisti, tibi polliceor; si tamen me in sponsam habere volueris. Cùm verò nomen ipsius, & genus, & dignitatem scire peroptarem, se ait sapientiam Dei esse, quæ propter hominum reformationem humanam formam suscepit. Assensi igitur, & dato pacis osculo læta recessit.*

D. Henrici Susonis.

Ita D. Henricus Suso, qui sub annum Domini 1350. doctrina, sanctitate & miraculis claruit, ac mirus sapientiæ fuit amator, unde & Minister æternæ sapientiæ est cognominatus, cùm hæc Sapientis verba: *Quæsivi eam mihi in sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius*, ad mensam legi audiret, tanto ejus amore exarsit, ut spiritale cum ea connubium contraxerit. Audi Auctorem Vitæ ejus cap. 4. *Dum his flagraret desideriis, sapientia tali schemate se illi visendam præbuit. Longè super ipsum ferebatur in columna nubis residens in throno eburneo, micans instar luciferi, & tanquam sol lucens in virtute sua: corona ejus erat æternitas, amictus felicitas, sermo suavitas, complexus omnis boni satietas. Propè erat & longè aberat, sublimis & humilis, præsens & occulta; familiarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat: excelsis cæli fastigiis erat altior, & abysso profundior: attingebat à fine usque ad finem fortiter, & disponebat omnia suaviter. Dum elegantis puellæ specie teneri videbatur, mox pulcherrimi juvenis præ se ferebat imaginem. Nonnunquam ceu artium omnium peritissimam se præbebat amicam, cunctis amabilem. Itaque dulcissimè ad eum se convertens, & comiter non tamen sine divina quadam majestate illi arridens, benignè his eum verbis affata est: Præbe fili cor tuum mihi. Tum verò vestigiis illius advolutus, medullitùs ac humillimè illi gratias egit.* Ex nonnullis interiectis: *Interim nonnunquam animæ illius sese communicabat ipse propemodū totius boni fons & profluviū, in quo simul reperit quidquid pulchrum, amabile vel desiderabile esset: siquidem id illic modo ineffabili existebat. Hinc quamdam contraxit consuetudinem, ut quoties cantiones amatorias dici vel cantari audisset, corde & animo ad suavissimam amicam suam, ex qua quidquid est amabile procedit, abstracta quodam intuitu sese confestim intrò reciperet, sive introrsus raperetur. Neque sanè dici possit, quoties gratissimam illam amicam lachrymantibus oculis, & in immensum expansa cordis sinu circumplexus sit, & suo pectori suaviter adstrinxerit.*

Sapientiæ forma.

Porrò *amator* intellige per excellentiam. Amor enim formæ est ardens & violentus, ut videre est in amasiis feminarum, qui earum amore dicunt aguntque admiranda, ut stultescere & insanire videantur; ac patiuntur quælibet dura, ut iis potiantur. Multò ardentior in Salomone & Sanctis est sapientiæ & sanctitatis divinæ amor, juxta illud Cantic. 8. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Hinc ἔρως, id est amor, alludit ad Ἄρης id est Mars, quòd amor sit Martius, & polleat fortitudine Martia, instar ferri edomet omnia, prælia quælibet non reformidet, sed ineat; dura quæcumque fortiter sustineat, vulnera infligat & suscipiat, juxta illud Cant. 2. 5. *Amore langueo*; Symmach. *vulnerata dilectione ego sum.* Studiosus ergo sapientiæ, pro ea omnia difficilia capessit, & omnia dura generosè sustineat.

Generositatem (S. Hilar. in psalm. 127. vertit, *honestatem*, id est honorem, decus, præstantiam, nobilitatem) illius glorificat, contubernium habens Dei: sed et omnium Dominus dilexit illam) Tertia, post amabilitatem & pulchritudinem est hæc sapientiæ dos, scilicet nobilitas, & generositas, *illius* non est in Græco: unde sic aliqui explicant q. d. Sapientia est generosa, ideoque generositatem discipulis suis commendat, imò *glorificat*, id est miris laudibus & encomiis extollit, jubetque omnibus, ut sint animo non abiecto, vili & depresso, sed excelso, nobili & generoso, ac magna magno animo aggrediantur, ut ab heroicis operibus generosi & heroes esse ac nominari possint. Causa est, quòd ipsa contubernium habeat Dei, id est Deo sit familiaris, cum eoque assiduè conversetur: quare à Deo generoso discit generositatem, ut generosa & divina meditetur & moliatur. Hinc & suis jubet assiduè per orationem & meditationem versari & ambulare cum Deo, instar Henoch, & Noë, ut ab eo discant terrena omnia calcare, ac cælestia ambire, nec nisi divina cogitare, desiderare, operari; uti fecere omnes Apostoli, Martyres, sancti Doctores, sanctæ Virgines, &c. Unde S. Hieron. *Virtus*, inquit, *poscit animi robur Socraticum*, imò Herculeum; quin & Christus: *Regnum cælorum*, inquit, *vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. Huc facit illud Senecæ epist. 112. *At ille, qui philosophiam in remedium suum exercuit, ingens fit animo, plenus fiducia, inexsuperabilis & major adeuntes. Quod in magnis evenit montibus, quorum proceritas minùs apparet longè intuentibus: cùm accesseris, tunc manifestum fit, quàm in arduo summa sint. Talis est, mi Lucili, verus, & rebus non artificiis philosophus. In edito stat admirabilis, celsus, magnitudinis veræ non exsurgit in plantas, nec summis ambulat digitis, eorum more qui mendacio staturam adiuvant, longioresq; quàm sunt videri volunt. Contentus est magnitudine sua. Quid ni contentus sit eò usque crevisse, quò manum fortuna non porrigit? Ergo & supra humana est. Par sibi in omni statu rerum, sive secundo cursu vita procedit, sive fluctuatur per adversa & difficilia.*

Vers. 3.

Sapientiæ generositas. Primò

Gra-

Græca ad verbum sic habent, *εὐγένειαν δοξάζει συμβίωσιν θεοῦ ἔχουσα*, quod Primò, Jansen. sic vertit & explicat: Sapientia *putat esse nobilitatem habere convictum cum Deo*: *δοξάζει* enim, tam putare, quàm glorificare significat: unde *δόξα* tam opinionem quam gloriam denotat: & participium *ἔχουσα*, id est *habens*, more Græco ponitur pro infinitivo *habere*.

Secundò. Secundò, alii q. d. Sapientia *generositatem glorificat*, hoc est nobilitatem illustrat, putà familiam generosam & nobilem, illustriorem & gloriosiorem reddit, uti patet in Platone, Aristotele, Cicerone, quos sapientia humana celebres & gloriosos effecit: multò magis id patet in S. Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Basilio, S. Thoma Aquinate, cæterisque Ecclesiæ Doctoribus, quos sapientia divina apud omnes gentes per omnia sæcula nobilitavit. Nobilitas enim generis est externa, utpote excita ab avis & proavis: nobilitas verò sapientiæ & virtutis est interna & propria, utpote proprio labore & studio parta. Unde Cicero gloriatur: *Ego*, inquit, *mea virtute meis majoribus præluxi*. Verùm hos sensus elidit *Τὸ illius*, quod addidit Noster; & solerter in Græco subintellexit. Unde

Tertiò. Tertiò, nonnulli *τὸ illius* referunt ad studiosum sapientiæ. q. d. Sapientia sui studiosos, qui contubernium & conversationem habent cum Deo, velut nobiles & generosos glorificat, id est illustres & gloriosos reddit, uti reddidit Mosen, qui ex consortio Dei radios, & quasi cornua lucis faciei suæ affixa accepit, Exodi 34. 30. Verùm græcè est fœmininum *ἔχουσα*, id est *habens*, quod proinde ad virum studiosum sapientiæ referri nequit: sic enim dicendum esset masculinè *ἔχων*.

Quartò. Quartò, alii *τὸ illius* referunt ad *τὸ formæ*, quod præcessit. q. d. Sapientiæ formam sive pulchritudinem, quæ ipsius est decor, ornatus, nobilitas & generositas, illustrat & glorificat contubernium Dei: pulchritudo enim sapientiæ valdè exornatur ex eo, quòd ipsa habeat consortium & familiaritatem cum Deo. Unde Arabicus vertit, *pulchritudo ejus nobilitat, concedens conjunctionem* vel *conjugium Dei*; vice versa Syrus vertit, *& gaudium, & laus, & gloria Dei in participatione ejus*. Conjuges enim se invicem amant & glorificant.

Quintò & genuinè. Quintò & germanè, *τὸ illius* refert ad sapientiam, de C qua omnis est hic sermo. q. d. Inde patet, quanta sit sapientiæ generositas & nobilitas, quòd scilicet ipsa habeat contubernium, vel, ut græcè est, *συμβίωσιν*, id est convictum, hoc est summam consuetudinem & familiaritatem cum Deo, cum eoque commoretur, colloquatur, epuletur, dissuavietur, quodque Deus intimè illam amet & diligat. Generositatem ergo, id est nobilitatem, ejus illustrat & glorificat ipse convictus Dei. Aut, ut alii; q. d. Sapientia habens contubernium, seu convictum cum Deo, celebrat eum & glorificat tamquam summam generositatem & nobilitatem. Aut potiùs q. d. Sapientiæ generosum genus nobilemque prosapiam, quòd scilicet sit orta ex Deo, illustrat & glorificat, quòd eadem velut contubernalis & sponsa Dei cum eo intimè conversetur, convivat, in eodemque cum eo thalamo & mensa degat, velut ei par & æqualis. Græcum enim *συμβίωσις*, id est convictus, tribui solet conjugibus, quorum jugis est convictus, summaque conversatio, par & æqualis amor. Sapientia ergo inducitur hic quasi filia & simul sponsa Dei, ideoque duplici hoc titulo nobilissima & illustrissima.

Sic mysticè B. Virgo glorificatur, quòd ipsa sit genitrix filia, sponsa Dei; genitrix Dei Filii, filia Dei Patris, sponsa Spiritus sancti. Græcum enim *εὐγένεια*, id est generositas, nobilitas, à *γένος*, æquè ac Latinum generositas à genere, generisque nobilitatem nomen accepit, uti docet Tiraquellus de Nobilitate c. 2. n. 47. & seq. Nobilis enim dicitur, quasi noscibilis, vel notus ex genere, putà ex avis & atavis nobilibus, & ex virtute notis. Sic S. Hilarius in psalm. 127. ex hoc loco sapientiam *nobilem sponsam* appellat. Ipsa ergo est eugenia, id est nobilitas æquè, ac *συμβίωσις*, id est convictrix & conjunx Dei. Est enim integra nobilitatis sapientiæ ratio, quòd ipsa habeat tantam cùm Deo consuetudinem, ut non solùm ex eo sit orta, sed & cum eo conjunctissime vivat, eoque potiatur familiariter, ceu sponsa sponso; & quòd Deus vicissim eam intimè diligat, ex utroque enim vera summaq; nobilitas oritur. Multi enim sunt filii & filiæ regum, quæ non in mensa parentum, sed à nutricibus aluntur; unde vix vident, vix norunt parentes, nihilque apud eos possunt. At sapientia ita est filia Dei, A ut simul sit contubernalis & conviva Dei, jugiterque mensæ & thalamo ejus assideat: plurimum ergo apud eum potest. Est hic ingens stimulus ad sapientiæ studium, quòd per eam fiamus generosi, nobiles, contubernales & familiares Dei, ac intimè à Deo diligamur. Canonistarum sententia est, nobiles si fiant Religiosi, perdere nobilitatem, utpote jam mundo & sæculo mortuos. Unde lib. 5. Decret. titulo 34. de purgat. canonica cap. 1. *Nobilis*, Glossa ait: *Propter crimen perditur nomen dignitatis, sicut per monachatum amittit quis nobilitatem*. Verum rectè Tiraquellus lib. de Nobilitate c. 26. id explicat, ut per nobilitatem intelligantur nobiles honores, tituli & ditiones, uti sunt regnum, Ducatus, Comitatus, Baronatus: horum enim incapax est Religiosus, per votum paupertatis; idem tamen servat pristinam nobilitatem, quæ sita est in jure sanguinis, quòd scilicet prognatus sit ex parentibus nobilibus, Comitibus, Ducibus, Regibus: hæc enim est indelebilis, utpote unà cũ natura in nativitate accepta. Religiosus ergo nobilitatem suam amittit, sed alia diviniore auget & duplicat, dum ditiones & regna terræ contemnens, unique vacans Deo, il- B lius fit familiaris & intimus, uti hic docet Sapiens.

An Religiosus perdat nobilitatem.

Mysticè S. Bonavent. Glossa & Hugo: Filius Dei, inquiunt, qui est Sapientia Patris, nobilitatem & generositatem habet ex suo genere & generatione, quòd scilicet sit genitus à Deo Patre. Unde idem habet contubernium, id est æqualitatem intimamque conjunctionem cum Patre: illi enim est *ὁμοούσιος* & consubstantialis: unde tam suum, quàm Patris genus glorificat, adeoque in omnibus Patris gloriam quærit & propagare satagit; ideoque factus est homo, crucemque & mortem subiit. Quare Deus Pater Filium, quà Deum, amat amore simpliciter infinito; quà hominem, amore tanto, qui superet amorem omnium creaturarum simul sumptarum. Nam humanitatem Christi assumpsit ad unionem hypostaticam cum Verbo: quæ est dignitas & gratia tanta, ut longè transcendat omnes dignitates & gratias omnibus creaturis communicatas, etiam unitas & simul sumptas. Christum secutus Paulus, magnus Dei Christique amator & convictor: *Vivo*, inquit, *ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*, Gal. 2. 20. Quare Deus illum præ ceteris dilexit, eumque suæ gloriæ præconem, & doctorem C Gentium effecit.

Mysticè, Christus est generosissimus.

Symbol. hæc facilè adaptes B. Virgini, cujus nobilitas, & generositas tanta fuit, ut ex ea genus duxerit, carnemq; sumpserit, ipse Dei Filius: cum quo ipsa corporaliter jugem habuit *συμβίωσιν*, id est convictum, meruitque ipsam Dei Sapientiam ex se incarnatam jugiter videre, & audire, ejusque ignitis sermonibus, velut amoris radiis accendi. De quo S. Bernard. hom. 1. super Missus est: *Maria*, inquit, *matrem se agnoscens, majestatem illam, cui angeli cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium, dicens: Fili, quid fecisti nobis sic?* Et mox: *Et erat subditus illis, quis? quibus? Deus, cui angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantùm Mariæ, sed etiam Josepho propter Mariam. Mirare sive filii benignissimam dignationem, sive matris excellentissimam dignitatem: utrimque stupor, utrimque miraculum; & quod Deus feminæ obtemperet, humilitas sine exemplo; & quòd Deo femina principetur, sublimitas sine socio.* Quò etiam spectasse videtur S. Ildefonsus serm. 1. de Assumptione, ubi cum plurima, quæ Deipara Christo exhibuit obsequia, numerasset, subjicit: D *Ergo qui cuncta pascit, cælestia & terrestria simul regit, hunc sacratissima Virgo lacte carnis aluit & nutrivit: ad cujus deinde nutum universi reguntur, sub ejus disciplina vel arbitrio infans Deus versatur.* Et mox: *B. Virgo gladio passionis Christi vulnerata est in anima. O sanctissima omnium feminarum, quæ cum Deo tale tantumq; contubernium habuit in terris; & ecce hodie exaltatur apud eum, quem genuit, ut permaneat sine fine gloriosa in cælis.* Et S. Epiphan. hæresi 78. *Erat*, inquit, *Maria affectatrix Jesu, cum ipso semper existens*. S. Augustinus item lib. de Assumpt. (vel quisquis est Auctor) cap. 7. tom. 9. *Absque dubio*, inquit, *omni opere ministratrix extitit, quæ hunc in utero gessit, partuque profusum aluit & fovit, in præsepio reclinavit, & à facie Herodis in Ægyptum fugiens abscondit, & omnem infantiam ejus matris affectu ita prosecuta est, ut usque ad crucem, in qua filium jam virum perfectum vidit pendentem, ab ejus indubitanter ministerio non recesserit: consecuta non solùm gressibus pedum, tanquam pro amore filii; verum etiam imitatione morum, tanquam pro reverentia Dei. Maria ergo ministra Christi spiritualium operum qualitatibus sicut devotissima extitit, ita absque dubio re-*

Generositas B. Virginis.

ligio-

ligionis fide, & veræ credulitatis charitate fecutrix fuit. S. Bernard. serm. cui titulus, *Signum magnum: Toties Maria filium audivit non modò turbis loquentem in parabolis, sed & discipulis seorsum regni Dei mysteria revelantem: vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem: vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit ascendentem.*

VERS. 4. DOCTRIX ENIM EST DISCIPLINÆ DEI, ET ELECTRIX OPERUM ILLIUS) Pro *doctrix* græcè est μύστις, id est *mystis*, id est secretorum Dei conscia, & quasi secretaria, eorumdemque revelatrix & doctrix, quæ scilicet novit arcana Dei, & quibus vult ea revelat. Rursū *mystis*, id est sacerdotissa & initiatrix, quæ scilicet alios sacris initiat, ac sacerdotes & Prophetas (est enim ipsa prophetis, æquè ac mystis) constituit, ut dixi cap. 7. 27. Secreta enim, sacra præsertim, non nisi sacerdotibus creduntur, & committuntur. Unde Vatabl. vertit, *scientia Dei sacerdos est & operum ejus antistes*; Nannius, *est enim sacerdos Dei*, id est mysteriorum Dei conscia & cultrix; Jansen. *est enim arcanorum Dei perita*; Budæus, *initiatrix, dux, interpres*; Cantacuzenus, *residens in consilio Dei, & penitus quæ ad illum spectant noscens*, juxta illud Proverb. 8. 12. *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* μύστης enim vocatur mysteriorum conscius, qui ea velut arcana celat, & non nisi dignis revelat, ita dictus ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ στόμα, id est ab obsignando ore, quod os habeat clausum, & quasi obseratum. Sicut ergo sacerdos & mystes mysteria celat, & quæ divina sunt pro dignitate tractat: ita & sapientia, ac sapiens sapientiæ beneficio initiatus, Deum dignè colit & sanctè tractat sancta; quin & alios ad hoc idoneos eadem docet, Deumque dignè & sanctè colere docet. Simili phrasi ait Celsus Jurisconsultus, *Jus est ars boni & æqui, cujus merito nos quis Sacerdotes appellet: justitiam namque colimus, boni & æqui notitiam profitemur*: hæc autem sacra sunt; ergo ejus professores sunt quasi sacerdotes. Dat causam ejus quod dixit: *Sed & omnium Dominus dilexit illam*; quia sapientia est quasi quædam sacerdos, & mystica magistra sanctæ Dei disciplinæ & scientiæ, Deum hominibus declarat, & manifestat: nam si, ut dicitur Daniel. 12. 3. *qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates*, quantò magis quæ omnes erudit, & Dei amicos facit? ita à Castro. Rursum q. d. Deus diligit sapientiam: nam ex eo quòd eam amet, fecit eam suam mystin, id est mysteriorum omnium & secretorum consciam, juxta illud Christi: *Jam non dicam vos servos*, &c. *sed amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis*, Joan. 15. 15. summum enim amoris & amicitiæ signum est, communicare alicui sua secreta. Adhæc fecit eam suam mystin, vel mystida, id est doctricem suorum mysteriorum, ac antistitem suorum sacrorum, ac electricem operum suorum: præfecit ergo eam, tam doctrinæ & sacris, quàm operibus suis; ut quidquid illa eligit, hoc Deus operetur; quod illa negligit, hoc Deus pariter negligat & non operetur. Utrumque autem summi amoris est indicium.

Sapientia est mystes & sacerdos.

Est hæc quarta dos sponsæ nostræ, putà sapientiæ, quòd scilicet ipsa sit sacerdos & mystis, id est doctrix *disciplinæ*, græcè ἐπιστήμης, id est *scientiæ, Dei*, quòd scilicet instruat, & doceat nos scientiam Sanctorum, qua Deum cognoscamus, colamus, amemus ea fide, religione, & pietate, qua tantam majestatem decet. Id præstitit Christus, qui est sapientia incarnata, ac summus mystes, sacerdos & pontifex in æternum secundùm ordinem Melchisedec: unde de illo ait S. Joannes c. 1. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit*; qui proinde Isajæ 9. 6. vocatur *magni consilii angelus*, id est nuncius, juxta Septuag. Unde & Christus Joan. 7. 16. *Mea doctrina*, inquit, *non est mea, sed ejus qui me misit*. Denique ipse novos mystas, novos sacerdotes, novos legis Euangelicæ doctores, putà Apostolos & discipulos, instituit, instruxit, consecravit, ac per totum orbem misit & in dies mittit.

Theologia nobilitat multipliciter.

Symbolicè noster Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis c. 26. num. 3. per sapientiam accipiens Theologiam, hæc elogia eidem adaptat: Theologia, inquit, Theologum nobilitat; facitque illustrem. Primò, quia ipsa nobilitatem supremam inter omnes scientias obtinet. Secundò, assiduè conversatur cum Deo, de quo disserit. Tertiò, conscia est mysteriorum Dei. Quartò, divina docet. Quintò, tantum excellit scientias naturales, quantum sacerdos laicos. Sextò, tam familiaris est Deo, quàm huic sacerdos. Septimò, quia Cantacuz. in id. *Hanc amavi: ex Theologiæ adytis & penetralibus, animum Salomonis contendisse ad hujusmodi amoris afflationem* affirmat.

ET ELECTRIX OPERUM ILLIUS) Græcè, αἱρετίς, id est *electrix*: pro quo Anastasius Nicenus in Sacr. Script. quæst. 78. (extat tom. 6. Biblioth. SS. Patrum) Cantacuzenus & Budæus in Comment. linguæ Græcè, legunt εὑρετίς, id est *inventrix operum illius*. Sicut enim canis venaticus olfacit, & olfactu invenit capitque leporem: sic sapientia solerter indagat, & invenit mille agendi operandique modos & rationes. Unde Vatabl. vertit, *antistes operum ejus* q. d. Sapientia Dei, tum essentialis, tum notionalis, qua Pater æternus produxit Filium, artificiosè invenit omnia Dei opera: nam ad miram ejus inventionem pertinet ornatus, varietas, summaque pulchritudo operum Dei. Ipsa ergo, quasi sagacitate quadam admiranda in nihilo olfecit, invenitque opera Dei, quæ cum ipso extra nihilum produxit. Secundò, tantam tamque mirabilem varietatem rerum commentatione & cogitatione adinvenit. Tertiò, veluti casu id fecit, hoc est, citra laborem & fatigationem. Quartò, quantum ad opera gratiæ, id fecit inventione crucis. Joan. 3. & Sacramentorum, Eucharistiæ præsertim, Joan. c. 6. & 13. ac sanctitatis animarum, quasi pulchrarum pretiosarumq; margaritarum; item resurrectionis, & exaltationis sui corporis veri, & mystici, non sine labore, sudore, cruore, nece.

Sapientia inventrix operis Dei multiformiter.

Verùm alii passim legunt αἱρετίς, id est *electrix*, q. d. Sapientia præest omnibus Dei operibus, quare ex variis quæ sese offerunt, meliora seligit: licèt enim duplex sapientiæ, quatenus prudentiam tangit, munus sit, scilicet Primò, per eubuliam, id est consultationem & consilium, inquirere & invenire; Secundò, per synesin, id est judicium, commodiora & meliora ex iis seligere, teste Aristotele 6. Ethicor. c. 5. tamen hoc illo potius & præstantius est. Unde S. Hilar. in psal. 127. vertit, *in labore utilium operum valida*. q. d. Sapientia in mediis ad finem utilibus eligit magis valida & efficacia. Noster Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis c. 3. n. 6. vertit, *ponderatrix*. q. d. Sapientia creaturas Dei pro dignitate tractat, eligit optima, negligit viliora: rursum æquissima rationis trutina, cujusque merita atque dignitatem ponderat & examinat, ac cuique id, quod exigit vel meretur, assignat. Sic Christus ex tot millionibus hominum, ex mera gratia duodecim Apostolos elegit, qui converterent totum orbem. Sic & hodie eligit viros Apostolicos ad infidelium & hæreticorum conversionem, illisq; gratias & dotes ad tantum opus necessarias, vel opportunas liberaliter attribuit & assignat.

VERS. 5. ET SI DIVITIÆ APPETUNTUR IN VITA, QUID SAPIENTIA LOCUPLETIUS, QUÆ OPERATUR OMNIA?) Græcè, *& si opes sunt appetibilis possessio in vita*, &c. opes enim ab omnibus appetuntur ad victum & vestitum, & ad vitam honestè & splendidè transigendam: ipsæ ergo sunt fulcra & nervi vitæ, bacula & viaticum viæ: tanto ergo sunt in amore divitiæ, quanto quæ earum subsidio præsente floret, vigente præstat; absente verò languet, flaccescit, decidit vita. Sensus ergo est q. d. Sapientia ipsa divitias operatur, & est quasi scaturigo auri, argenti & gemmarum; qui illam possederit, omnes divitias possidebit. Confert sapientiam cum rebus omnibus, & ab ea docet omnes, etsi præstantissimas, superari, quòd illa sola habeat eorum omnium usum. ita à Castro.

Est hæc quinta dos sponsæ, putà sapientiæ, quòd sit opulenta, opesque sapienti afferat, ex eo quòd *operatur omnia*, hoc est Primò, quòd sit operosa, non deses & otiosa, suosque stimulet ad laborandum, nec sinat otiari: labor autem parit opes, otium verò inopiam, juxta illud: *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat*, Proverb. 10. 4. Secundò, *operatur omnia*, id est prudens, solers, industria, efficax in operando: scit enim omnia ea opera seligere, quæ plus lucri afferant, nec desistit donec lucrum, quod optat, assequatur. Tertiò, *omnia operatur*: quæ in mundo sunt, nimirum Deus, & sapientia divina, ergo & opes, primùm spirituales, deinde corporales, juxta illud Christi: *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis*, Matth. 6. & illud Isaiæ cap. 33. *Divitiæ salutis, sapientia & scientia.* Vide dicta c. 7. v. 8. & seq. & Prov. 8. v. 18. Exemplo sit Salomon, cui Deus sapientiam postulanti cum ea opes tantas dedit, quantas nemo unquam regum habuit, 2. Paral. 1. 12. Hinc alchimistæ censet Salomonem peritum fuisse artis chimicæ, quæ alia metalla in

An Salomon archimista?

au-

aurum transmutat, indeq; tantas opes sibi parasse: illam artem Salomonis ævo in usu fuisse colligunt ex illo psalm. 118. v. 119. *Prævaricantes reputavit omnes peccatores terræ:* ubi pro *prævaricantes* hebr. est סעפים *sigim*, quod S. Hieron. vertit, *scorias*; Augustinus verò Nebiensis Episcopus vertit, *alchimias*.

Resp. negativè. Verùm errant; cum quia nulla est ars, quæ metalla possit in aurum, cujus forma est nobilissima, transmutare; tum quia etiam si id posset præstare ars, tamen tantos ad id requirit sumptus, ut quicumque ea utuntur, depauperentur, & ex opulentis fiant inopes, ut constat experientia. Unde Joannes XXII. c. *Spondent*, in Extravag. l. 5. de crimine falso: *Spondent*, inquit, *quas non exhibent divitias pauperes alchimistæ; pariter qui se sapientes existimant, in foveā incidunt quam fecerunt*. Ex nonnullis interiectis: *Alchimistæ verbis dissimulant falsitatem, ut tandem quod non est in rerum natura, esse verum aurum vel argentum, sophistica transmutatione confingant*. Hinc nonnulli artem chimicam vocant chamicam, id est inventam à Cham filio Noë impio, quem putant fuisse eumdem cum Zoroastre mago. Plura hac de re vide apud nostrum Delrio lib. 1. Disquis. Magic. cap. 5. Pererium de Magia, Conimbr. lib. 2. Physic. cap. 7. Pinedam lib. 4. de Rebus Salomon. cap. 21. Sapientia ergo alias verasque artes & modos ditescendi docuit Salomonem, nimirum mittendo classes in Ophir, effodiendo aurum & argentum è venis terræ auriferis, quas ipse sua sapientia deprehendit, indicendo vectigalia majora, agros & vineas totius regni solertiùs excolendo, mercimonia quæstuosa instituendo, atque omnibus ex rebus sagaciter captando lucrum.

Vers. 6. Si autem sensus operatur: quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex?) Græcè, τεχνίτης, id est opifex, faber, artifex, qui artificiosa adinvenit & operatur. Pro *sensus* græce est, φρόνησις, id est prudentia, intelligentia, industria.

Jam Primò, per φρόνησιν, sive sensum, aliqui accipiunt ipsam sapientiam. Unde Vatab. vertit, *& si opifex omnium est sapientia, quid illa in rerum natura est artificiosius?*

Secundò & potiùs, alii per φρόνησιν, id est prudentiam, vel sensum, accipiunt artem & industriam operandi: sic prudentia pro arte capitur Exodi 28. 3. ita Jansen. Loquitur, inquit, de prudentia artificum & operariorum, cum qua comparat sapientiam Dei, docens eam magis esse industriam, quàm prudentiam artis. q. d. Si per artes mechanicas multa fiunt artificiosè, quanto artificiosior est sapientia, quæ omnes artes adinvenit, & plures adinvenire potest? omnis enim ars, omnisque industria manat à sapientia, ejusque est quasi pars, vel species, ut dixi cap. 7. 21. Inducitur hic sapientia ut sponsa. Mirè autem ornat sponsam, quòd sit artificiosa, ac manibus elaboret opera magnæ artis & industriæ, uti sunt acupicturæ & phrygionica, iisque conficiat pulcherrima & pretiosissima virorum ac mulierum ornamenta, juxta illud quod de muliere sapiente & strenua dicitur Proverb. 31. 13. *Operata est consilio manuum suarum. Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus & purpura indumentum ejus*, &c. Ita à Castro, Lorinus, Jansen. Cervantius & Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis cap. 3. n. 6. & alii.

Sexta est hæc sponsæ, putà sapientiæ, dos, scilicet quòd mira sit artifex; omnia enim artificia & artificiosa opera sapientiæ divinæ, à qua humana dimanat, sunt ascribenda: quare ipsa est inventrix & origo omnium artium. Loquitur toto hoc capite, æquè ac præcedenti, de sapientia abstractè & genericè, quatenus ipsa idea est & effectrix omnium, tam naturalium, quàm artificialium & moralium, ideoq; artes omnes æque ac virtutes complectitur, uti superiùs monui, & idipsum hic locus evincit.

Vers. 7. Et si justitiam quis diligit: labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim, et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus) Græcè est, *labores hujus sunt virtutes*; & ita legit Clemens Alexan. li. 6. Strom. quod verò Clemens addit: *Temperantia enim & prudentia docet justitiam, & magni excelsiq; animi virtutem, quibus nihil est in vita hominibus utilius*, quoad priorem partem dissonat à Græco & à Vulgata, ut patet intuenti, ac proinde mendoso S. Script. codice usus videtur. Sensus est q. d. Sapientiæ labor consistit in arduo, putà in exercenda, comparanda, & augenda virtute qualibet, ac præsertim in agendo & patiendo dura & ardua, juxta illud: *Agere fortia Romanum est, pati fortia Christianum*. Hinc ἀρετὴ, id est virtus, alludit ad Ἄρης, id est Mars, quod virtus sit Martia, & fortes heroicosque animos requirat.

Ab arte transit ad prudentiam & virtutum, putà à factiva ad activam, docetque sapientiam esse matrem omnium virtutum, æquè ac artium, quæ est septima dos sapientiæ. Nominat dumtaxat quatuor virtutes principales, quæ primò quod sciam, à S. Ambros. lib. 5. in Lucam, vocatæ sunt cardinales, quasi cardines ceterarum omnium: omnes enim aliæ ad has quatuor, velut ad suos fontes & capita, revocantur, atque in his velut cardinibus honestas omnis nostra revolvitur. Justitiam ergo, quæ hic primo loco ponitur, generalem intellige, quæ est complexio virtutum omnium, cujus partes sive species primariæ sunt sobrietas, prudentia, justitia specialis, & virtus, græcè ἀνδρία, id est fortitudo. Quocirca ex hoc loco Theologi colligunt quatuor esse virtutes cardinales, scilicet prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam, quæ subinde naturales sunt & per actus naturales acquisitæ, uti fuere in Philosophis: aliquando verò supernaturales, & à Deo in justificatione cum fide, spe & charitate fidelibus infusæ, eò quòd ad finem supernaturalem dirigantur, uti docet D. Thom. 1. 2. q. 63. art. 3. imò Conc. Trid. sess. 6. cap. 7.

Sobrietatem) Græcè σωφροσύνην, quæ vox propriè temperantiam in usu tam cibi, quàm veneris ceterarumque voluptatum aliquo sensu sensibilium, indeque sapientiam & prudentiam significat (unde interpres Anastasii Niceni quæst. 78. in Script. vertit hoc loco, *sapientiam, & prudentiam docet*: sed parùm apposite, ut patet) hanc enim parit temperantia, quæ proinde dicta est σωφροσύνη, quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν, id est servans prudentiam vel sapientiam: unde & σώφρων dicitur temperans, quasi σαόφρων, hoc est σῶς τὰς φρένας, id est sanus mente. Temperantia enim est mentis sanitas. Ex adverso Euripides in Hecuba teste Aristot. 2. Rhetor. c. 24. aptè dixit Venerem vocari Ἀφροδίτην, quod ἀφροσύνης, id est insipientiæ & amentiæ, sit parens. S. August. lib. 1. de Moribus Eccles. c. 16. legens, *sobrietatem sapientia docet*, per *sobrietatem* accipit veritatem contemplationis; sed meritò idipsum retractat lib. 1. Retract. cap. 7. ubi docet legendum esse, *sobrietatem, & prudentiam docet*, uti habent Græca & Noster.

Prudentiam) φρόνησιν paulò antè vocavit artem, hic verò vocat *prudentiam*, quæ est antistes & auriga virtutum, ut aiebat S. Antonius, teste S. Athanasio in ejus Vita, quin & Socrates omnes virtutes vocabat prudentias. Vide Aristot. 6. Ethic. cap. 5. & seq. & S. Thom. 1. 2. q. 57. & 2. 2. q. 47. & seq.

Virtutem) Græcè ἀνδρίαν, id est fortitudinem, sive virilitatem, ἀπὸ τοῦ ἀνδρός, id est à viro: fortitudo enim est virorum, non feminarum, ac virile requirit robur, quale inter feminas quoque præstitere viragines. Fortitudo autem, partim est activa, qualis est militum, qui ardua in bello aggrediuntur; partim & potiùs passiva, qualis est patientium & Martyrum, qui dura & atrocia forti & invicto animo sustinent: unde ejus partes potentiales vel integrales sunt, fiducia, magnanimitas, securitas, magnificentia, patientia, longanimitas, perseverantia, constantia, ait D. Thom. 2. 2. q. 123. & seq. quem vide.

Omittit hic Sapiens tres virtutes Theologicas, fidem, spem, charitatem, quarum pariter mater est sapientia, unde ejus allusione S. Sophia, id est sapientia, mater, & Martyr, tribus filiabus suis harum trium virtutum nomina indidit, vocavitque eas, Fidem, Spem, Charitatem, ac una cum eis nobile martyrium obiit, uti videre est in earum Vita, quæ extat apud Surium 1. Augusti. Omittit autem eas Sapiens, quia agit hic de virtutibus moralibus dumtaxat, quæ consistunt in operibus & laboribus externis. Hi enim sunt sapientiæ *labores*, qui, ut ipse ait hoc versu, *magnas habent virtutes*: *bonorum* autem *laborum gloriosus est fructus*, uti dixit cap. 3. 15.

Et si multitudinem (perperam Hugo & Idacius lib. 3. contra Varimadum legunt, *similitudinem*) scientiæ desiderat quis, scit præterita, et de futuris æstimat: scit versutias sermonum et dissolutiones argumentorum: signa et monstra scit antequam fiant Vers. 8.

FIANT, ET EVENTUS TEMPORUM ET SÆCULORUM) Clarè Vatabl. ex Græco vertit, *si quis item multarum rerum peritiam desiderat, hæc antiqua novit, & futura conjectat: hæc sermonum strophas callet, & ænigmatum explicationes: signa & prodigia præsagit, eventusque tempestivitatum & temporum.*

Contulit sapientiam cum artibus & virtutibus, iisque omnibus eam prætulit, nunc eam confert & præfert scientiis quibuslibet, imò illas omnes à sapientia eminenter contineri, ac nimiam sciendi curiositatem ab ea temperari asseverat. Est ergo hæc dos nona sapientiæ. Unde Clemens Alex. lib. 6. Strom. citato toto hoc versu, concludit: *Vides fontem disciplinarum manere à sapientia.*

Pro *multitudinem scientiæ*, græcè est πολυπειρίαν, id est *multorum experientiam*; Vatal. *multam peritiam*. hanc enim gignit experientia. Unde Plato lib. 7. de Legibus, πολυπειρίαν & πολυμαθίαν, quasi matrem & filiam associavit. Et Sallustius in Jugurta asserit, nil esse sapientius experientia. Quocirca Philosophi à rerum experientia cœperunt philosophari, & rerum causas indagare.

Historiæ commoda. SCIT PRÆTERITA) Græce, τὰ ἀρχαῖα, id est B *antiqua*. q. d. Sapientia novit historias antiquas & diu præteritas. *Historia enim est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis*, ait Cicero lib. 2. de Oratore. Et S. Gregor. Nazianz. ad Nicobulum: *Historia*, inquit, *est conglobata quædam ac velut coacervata sapientia, hominumque multorum mens in unum collecta. Jucundum & securum est ex alienis eventibus, vel lætis, vel tristibus: discere quid tibi in simili casu agendum sit. Salubre est*, ait Livius initio lib. 1. *omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri ut inde tibi tuæque reipublicæ, quod imiteris, capias. Inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vitas.* Quocirca Basilius Imper. ita præscribit Leoni filio cap. 56. *Per veteres*, inquit, *historias ire ne recusa: ibi enim reperies, sine labore, quæ alii cum labore collegerunt; atque illinc hauries, & bonorum virtutes, & improborum vitia; varias humanæ vitæ mutationes, & rerum in ea conversiones, mundi hujus instabilitatem, & imperiorum præcipites casus: & ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia, quorum illa fugies, ne in divinæ justitiæ manus incidas, hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.* C

DE FUTURIS ÆSTIMAT) Græcè, εἰκάζει, id est assimilat, comparat: conjecta, vivam formam exhibet, repræsentat. Ex præteritorum enim experientia, vel cognitione historica fit conjectura prudens de eventu futurorum. ita Cantacuz. Prudentes enim comparando, præterita similia cum futuris, facilè de eorum exitu conjiciunt: eorum enim formam & vivam imaginem repræsentant præterita. Unde Idacius li. 3. contra Varimadum vertit, *de futuris præsaga est*; Clem. 6. Strom. *conjicit futura*; Anastas. Nicen. qu. 78. *futura exquirit*; Pagnin. *futura imaginatur*: ergo præter *effata sapientum*, qui anticipatione sapientiæ futura sagaciter prævident, ac salubriter præcinunt, *fata reliqua fatua sunt delirantium pronunciata.*

SCIT VERSUTIAS SERMONUM) Græcè, στροφὰς, à στρέφω (id est verto, verso, versutè ago, torqueo, circumago) sicut versutiæ dicuntur à verto vel verso, quòd per eas plana res vertatur in obscurum & alienum sermonem, sive per acutas & subtiles sententias, quales sunt parabolæ, ut patet Eccli. 39. vers. 9. & 2. Reg. 14. 20. sive per verba dolosè & fraudulenter ad favellandum composita, quales D fuere quæstiones captiosæ à Pharisæis Christo propositæ, ut eum caperent in sermone; sed à Christo per sapientiam deprehensæ & dissolutæ, Matth. 22. 15. & seq. Talia quoque sunt sophismata sophistarum, præsertim hæreticorum, quæ dissolvit & resolvit Dialectica: unde ejus cognitionem sapienti commendat auctoritate & exemplo Christi & Pauli, S. August. lib. 1. contra Cresconium cap. 10. & seq.

Audi Clementem Roman. lib. 1. Constit. c. 6. ubi lectorem à lectione Gentilium ad lectionem S. Script. traducit: *Nam*, inquit, *in lege Dei desideras? sive enim historias legere cupis, habes libros de Regibus; sive sophistica, id est quæ argutè ad sapientiam referantur, & Poetica, habes Prophetas, Job, Proverbia, in quibus plus acuminis, quàm in omni poesi & sapientia sophistarum reperies, quòd is, qui solus sapiens est, illa effatus est.* Ubi per sophisticam intelligit Dialecticam, qua sophistæ ad sophismata contexenda abutebantur.

DISSOLUTIONES ARGUMENTORUM) ingeniosorum, occultorum & argutorum: unde græcè est *ænigmatum*, id est quæstionum obscurarum, & difficilium explicatu, *solutiones*: ænigma enim est gryphus sive scirpus, id est sermo nodosus & involutus, sive, ut Valla interpretatur, allegoria obscurior, quam divinare magis quàm interpretari oporteat, qualis est illa Samsonis de favo mellis in ore leonis invento: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, Judic. 14. Vide dicta Proverb. 1. 6. Hinc 3. Reg. 10. *Regina Saba audita fama Salomonis venit tentare eum in ænigmatibus: & docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat; non fuit sermo, qui regem posset latere, & non responderet ei.* Et Josephus ænigmatum certamen à Salomone cum Hiram rege Tyri initum narrat lib. 8. cap. 2. *Quæstiones ænigmaticas Tyrius rex ad Salomonem transmisit. At ille callens hujusmodi rerum ac prudentissimus, nihil inexplicatum relinquebat, sed omnia ratione pervincens apertissimè declarabat.* Et Eccles. cap. 47. 16. *Terram*, inquit, *retexit anima tua, & replesti in comparationibus ænigmata.*

SIGNA ET MONSTRA (græce, τέρατα, id est prodigia) SCIT ANTEQUAM FIANT) q. d. Sapientia præsagit futuras eclipses, æstus, frigora, pluvias, ventos, tempestates, sterilitatem, fertilitatem, pestem, morbos, &c. ex mathesi, & signis meteorologicis ac prognosticis. ita Cantacuzenus. *Prodigia* dicuntur monstra, quòd futura præmonstrent. Audi Ciceronem lib. 2. de Natura deorum: *Prædestinationes, prædictiones & præsensiones rerum futurarum, quid aliud declarant hominibus, nisi ea quæ fiunt ostendi, monstrari, portendi, prædici? &c. ex quo illa ostenta, monstra, portenta & prodigia dicuntur.* Prodigium autem, ait Servius in 3. Æneid. est, quod *in longum tempus dirigit significationum*; ita dictum *quasi porrò adigendum*, ait Nonius Marcel.

EVENTUS TEMPORUM ET SÆCULORUM) Græce, καιρῶν καὶ χρόνων, id est opportunitatum & temporum. q. d. Sapientia solerter prævidet & prospicit futuras rerum opportunitates, commodaque tempora ex signis præviis, præsertim meteorologicis jam dictis: unde in ad suum & reipubl. bonum prudenter & fructuosè utitur.

PROPOSUI ERGO HANC ADDUCERE MIHI AD CONVIVENDUM: SCIENS QUONIAM MECUM COMMUNICABIT DE BONIS, ET ERIT ALLOCUTIO COGITATIONES ET TÆDII MEI) Vers. 9.

Perperam Lyran. Dionys. & Glossa legunt, *ad convivandum*: legendum enim, *ad convivendum*. Nam græcè est πρὸς συμβίωσιν, id est *ad convictum*, hoc est, ad contubernium, ad familiarem conversationem S. Ambros. lib. de Viduis legit, *proposui ergo adducere eam mihi in conjugium*: Conjunx enim est perpetua conviva suæ conjugis. Nam S. Ambrosius eo loco magis videtur ad hunc v. respicere, quàm ad v. v.

COMMUNICABIT DE BONIS) Græcè, ἔσται σύμβουλος ἀγαθῶν, id est erit consultrix bonorum, quæ scilicet mihi bona dabat consilia, ait Vatabl. vel potiùs *erit communicatrix bonorum*: Symbola enim vocantur collationes, v. g. convivia, in quibus quisque convivarum suum confert epulum in commune symbolum, de quibus Proverb. 23. 21.

ET ERIT ALLOCUTIO COGITATIONIS [græce φροντίδων, id est *curarum*: cogitatio enim ex etymo est mentis agitatio, collectio, coactio, ait S. Augustinus 10. Confess. 12. Hinc *cogitatio* in Script. sæpè notat anxiam mentis intra se fluctuantis disceptationem, ut patet Matth. 21. 25. & c. 15. 19. Lucæ 1. 29. & alibi) ET TÆDII MEI) *Allocutio*, id est consolatio: blanda enim allocutio est consolatio afflicti. Græcè παραίνεσις, id est *exhortatio, consolatio, admonitio*, ut vertit Jansen. *moderatio*, ut Clarius; *lenimentum*, ut Vatabl. *alleviatio*, ut Glossa. Est hæc decima dos sponsæ, putà sapientiæ quòd sponso suo communicet sua bona, ejusque solicitudines, labores, dolores & mœrores, suavi prudentique alloquio & consilio leniat & soletur: ad hoc enim uxor data est viro, ut sit ei in adjutorium vitæ, tam miseræ & calamitosæ, Genes. 2. Hinc illud Osee 2. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*, id est blandè consolabor eam. Adde ex Agrest. Grammat. *Ut loqui est hominis, eloqui oratoris, obloqui obtrectatoris sic alloqui est suadentis, vel hortantis, vel blanditiis.* Hoc est illud celebre: *Laborantis visitatio* [& magis allocutio) *laboris est sublevatio.* Id videre est in ægris & agricolis. Audi S. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 5. *Laborantem consolari, est pariter in labore persistere: quia sublevatio est laboris, visitatio collaborantis: sicut cùm in itinere comes jungitur, via quidem non abstrahitur, sed tamen de societate comitis levatur labor itineris:*

neris: juxta illud, *Comes facundus in via pro vehiculo est*. Talis est sapientia.

TÆDII MEI) Græcè λύπας, id est tristitiæ, doloris, mœroris mei. Idipsum expertum se fatetur Severinus Boetius in carcere, scribens libros de Consolatione philosophica, æque ac Thomas Morus in carcere Anglicano commentans in Passionem Christi. Idem experiuntur omnes sapientiæ studiosi. Si tantam voluptatis dulcedinem, ait Cervantius, ob amorem sapientiæ ex Ciceronis Hortensio hausisse se fatetur S. Augustinus lib. 3. Confess. cap. 4. *ut fastidium ac tædium ex aliarum rerum studio, unius philosophiæ amore levaret*: quam Cicero 2. Offic. vocat *oblectationem animi, requiem curarum, non modò à solicitudine abducentem, sed contra omnes fortunæ impetus strenuè armantem*, & lib. 12. epist. fam. in 23. & Tusc. 5. *vitæ tranquillitatem largientem*; quanto, quæso, id omne præstantiùs præstat, non studium adumbratæ sapientiæ, quæ est philosophia, sed sophia ipsa, suo contubernali, & sponso, seipsa & allocutione sua? Et quàm bellè hæc omnia conveniunt in eamdem increatam, incarnatam, in Eucharistia nos ad suum contubernium, convictum, coniugium, convivium, communionem, consilia, munera, communicationem bonorum omnium, allocutionem invitantem, & admittentem cupidum sui.

Vers. 10. HABEBO PROPTER HANC, CLARITATEM AD TURBAS, ET HONOREM APUD SENIORES JUVENIS) Pro *claritatem* græcè est δόξαν, id est gloriam, splendorem, majestatem. Pro *honorem* græcè est, τιμὴν, id est honorem, pretium, existimationem inclytam. Decem sponsæ dotibus hucusque recensitis, deinceps quatuor alias adjungit.

Undecima sapientiæ dos hæc est, quòd sponso, licet juveni, conciliet gloriam apud populum, & honorem apud senes. Exemplo sit Salomon, toto orbe, per omnia sæcula, ob sapientiæ famam celebris & gloriosus. Sic Plato in Sophista ait, sapientem esse divinum ac diis simillimum, ideoque summis honoribus decorandum.

JUVENIS) Multi id referunt ad sequentia, *Et acutus inveniar*. Verùm obstat τὸ *&*. Quare Romani ceterique emendatiores referunt ad τὸ *seniores*, quod præcessit. q. d. Sapientia facit, ut sapiens, licèt ætate juvenis, honoretur, non tantùm à juvenibus sibi coævis, sed etiam à senibus à quibus licet superetur ætate, eosdem tamen superat sapientia, uti contigit Salomoni, Job, Danieli, Joanni Baptistæ, Christo & Apostolis. Ita Cantacuz. Vatablus, Osorius, Clarius, Jansen. à Castro & alii.

Mysticè, sapiens, id est virtute pollens, vocat se juvenem, esto senex sit, quia in virtute nunquam flaccescit, in fervore numquam tepescit, numquam in bonis operibus fit imbecillior, sed dum quotidie proficere satagit, & robustior in bono fieri, floridam sapientiæ juventam retinet & conservat: juxta illud, *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion*. ps. 83. 8.

Vers. 11. ET ACUTUS INVENIAR IN JUDICIO, ET IN CONSPECTU POTENTIUM (græcè, δυναστῶν, q. d. Dynastarum) ADMIRABILIS ERO, ET FACIES PRINCIPUM ADMIRABUNTUR (Arias, *stupebunt*) ME) Ultima hæc pars deest in Græco. Sapientia enim facit homines acutos, ut rectè de re qualibet in judicio, sive forensi, sive privato judicent, ipsumque punctum difficultatis sagaciter tangant & acutè resolvant, uti fecit Salomon in judicio meretricum 3. Reg. 3. De quo appositè S. Ambros. 2. Offic. c. 8. *Propterea scriptum*, ait, *Audivit omnis Israel judicium, quod judicavit rex; & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium*. *Nec immeritò*, inquit, *æstimatus est intellectus Dei esse in eo in quo occulta sunt Dei. Quid autem occultius, quàm internorum viscerũ testimonia, in quæ sapientis intellectus, velut quidam pietatis descendit arbiter, & velut quamdam genitalis alvi vocem eruit, qua maternus patuit affectus?* & cap. 10. *Justum & sapientem* appellat *Salomonem in hoc judicio, justæ censuræ & callidæ inventionis pleno*. & lib. 3. de Spiritu sancto capit. 7. *non nisi Spiritus sancti munere Salomonem potuisse*, dicit, *feminarum latentem conscientiam penetrare, idq; gladio spiritus acutissimo*. Addit Josephus: *Ex illa die populus velut divina mente prædito obtemperabat*.

ADMIRABILIS ERO) Id est me meamque sapientiam mirabuntur & obstupescent, ideoq; hianti ore excipient & venerabuntur potentes & dynastæ. *Gloria summa*, ait Cicero 2. Offic. *constat ex tribus his, si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam nos honore dignos putat*. Græcè est θαυμασθήσομαι, id est admirationi ero, admirationem mei concitabo, portentosus ero, instar cœlestis iridis, quæ ab admiratione hominum, tantam ejus colorum varietatem & speciem admirantium, Græcis dicta est *Thaumantias*, quasi *admiranda*. Sicut enim iris ex reverberatione radiorum solis suam formam haurit admirabilem: sic ego ex irradiatione sapientiæ divinæ hauriam omnem meum judicii & ingenii splendorem, quem omnes admirabuntur. Quare Severus Sulpitius lib. 1. Sac. hist. in Salomone sic ait: *Ita in admiratione ingenii prudentiæque ejus reges vicinarum gentium amicitiam ab eo fœdusq; petiere, parati imperata facere*. Longè veriora sunt hæc in Christo, qui est Sapientia incarnata, cujus sapientiam obstupuerunt turbæ, juxta illud: *Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum*, Lucæ 19. 48. græcè, *pendebat suspensa animo*; Syrus, *pendens erat ab eo ad audiendum eum*. Et ministri ad eum capiendum missi, rogati à Scribis, cur eum non adducerent, responderunt: *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo*, Joan. 7. 46.

Hac ingenii & acuminis dote inter omnes Patres & Doctores Ecclesiæ, velut aquila excelluit S. Augustinus, cui proinde jure meritoque hæc elogia assignat S. Prosper lib. 3. de Vita contempl. cap. 31. *Sanctus Augustinus Episcopus, acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis litteraturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua fidei nostræ Catholicus, in quæstionibus solvendis acutus, in revincendis hæreticis circumspectus, & in explicandis Scripturis Canonicis cautus*. Et Concil. Tolet. VIII. c. 2. anno Domini 653. *Sanctissimus Augustinus*, inquit, *vestigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, asserendi copia profluus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructu fœcundus*.

TACENTEM ME SUSTINEBUNT (expectabunt ut loquar) ET LOQUENTEM ME RESPICIENT, (græcè, *loquenti attendet*, id est ore & oculis intenti in me, loquentem audient) ET SERMOCINANTE ME PLURA (diutiùs me perorante) MANUS ORI SUO IMPONENT) silentium sibi indicentes me attentè ascultabunt, præ voluptate & admiratione mearum sententiarum. Audi Cantacuzenum hæc paraphrasticè explicantem: *Ero coram dynastis in admiratione, dum ad meam solertiam industriamq; respicient, rerum ingeniosam interpretationem, & promptam quæstionum facilemq; declarationem. Me tacente præstolabuntur, & me loquente attendent, neque tumultuabuntur, vel dum me ipse colligo, ac tacitus ad memoriam revoco, quæ sunt mihi dicenda, vel dum pergo dicere, resq; illis gratissimas ac jucundissimas porrigo: quòd si contigerit, ut in his quoque sim longior, diligenter tamen ad ea, quæ dicentur attendeat, & nobiscent quidem: quin etiamsi adhuc longiùs ferantur impetu quodam, sibi ipsi ora obstruent admota manu*. Sic Ænea perorante, Dido ejusque asseclæ admirantes *conticuere omnes, intentiq; ora tenebant*, ait Virgil. Æneid. 2. Magna enim vis est in ore, oculis & voltu dicentis, ait Plutarch. opusc. de Auditu, atque in ipsa actione & pronuntiatione, quæ oculis magis, quàm auribus percipitur: unde intentos in se rapit auditorum aspectus. Quocirca, ut ait Cicero in Oratore, prima pars & laus oratoris est pronuntiatio: unde idem in Catilin. 4. *Video*, ait, *in me omnium vestrum ora atq; oculos esse conversos*. Sapiens enim orator debet conari, ut vel rerum novitate & insolentia, & gratia & energia dicendi; vel materiæ gravitate, jucunditate & pondere suspensos & intentos in se detineat auditorum animos; sic enim eos faciet sibi benevolos & attentos. Talis erat Job, qui de se perorante ait cap. 29. 9. *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo*, &c. *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi*, annuendo & applaudendo. Et Paulus, cujus facundiam & energiam dicendi stupentes Lycaonii, eum quasi Deum cælo lapsum vocabant Mercurium, Act. 14. Et S. Maurilius, qui Indicio columbæ designatus Episcopus Andegavensis, & à S. Martino consecratus, sanctitate & miraculis crebris illustris, omnium in se ora auresque rapiebat. Unde erat *sermone silens, & silentio loquens, mihiq; eius jucunditate severius & severitate jucundius*, ait Fortunatus in ejus Vita.

PRÆTEREA HABEBO PER HANC, IMMORTALITATEM: ET MEMORIAM ÆTERNAM HIS, QUI POST ME FUTURI SUNT, RELINQUAM) uti de facto Salomon reliquit. *Immortalitatem*, græcè Vers. 13.

ἀθανα-

ἀθανασίαν, accipe tum nominis & famæ, tum vitæ æter- A næ, q.d. Nanciscar per sapientiam vitam immortalem apud Deum, & memoriam æternam apud homines, juxta illud pſ. 111. 7. *In memoria æterna erit justus*. Sic de Josia rege ait Eccleſ. c. 49. 1. *Memoria Josiæ in compositione odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini*. Mirè enim recreat & animat sapientem, quòd memoria ejus erit laudi & exemplo apud posteros; immortalitas enim nominis magnum est mortalitatis vitæ lenimentum: imò Cicero Tuſcul. 1. inde colligit animæ immortalitatem. Anima enim non desideraret memoriam æternam, nisi ipsa esset æterna, ut sentire posset, quid de ea dicturi sint posteri: quid enim ad illam pertinerent laudes hominum, si nullus illarum in ea foret sensus? Est hæc duodecima dos sponsæ, id est sapientiæ, scilicet immortalitas vitæ æquè ac famæ.

Vers. 14. DISPONAM POPULOS, ET NATIONES MIHI ERUNT SUBDITÆ) Est hæc decima tertia dos sapientiæ, quòd doceat sapienter regere populos & subditos quoslibet. Per *populos* accipe Israelitas; per *nationes*, græcè *ἔθνη*, id est B gentes, accipe Idumæos, Moabitas, Ammonitas, ceterasq; vicinas gentes Salomoni subditas, 3. Reg. 4. 24.

DISPONAM) Græcè, *διοικήσω*, id est administrabo, œconomicè regam, gubernabo, ordinabo. ordinatè collocabo, per ordines digeram, cuique suum locum, munus, officium & gradum assignabo. Optima enim gubernandi ratio est, si omnes ordine suo collocentur, & omnia ordine suo gerantur. S. August. libr. de Opere monach. cap. 18. ait: *Ipsa est optima gubernatio, ut omnia suis temporibus* (sub quibus ceteras intelligit circumstantias personarum, ætatum, virium, locorum) *distributa gerantur ex ordine* (*qui*, ut idem ait lib. 1. c. 10. ex duobus libris, quod de Ordine scripsit, *est per quem aguntur omnia quæ Deus constituit*) *ne animum humanum turbulentis implicationibus involuta perturbent*.

Vide dicta Proverb. 8. 15. ad illa: *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt*. Vide & Clement. Alex. in Apologia, ubi Amphionis & Orphei incantationes, orationes sapientiæ & eloquentiæ plenissimas fuisse ait, C quarum vi homines, qui antea sub humana figura speciem ferinam belluinis moribus gerebant, ad contentum politicæ disciplinæ redacti sunt; quibus præfert, ut lucem ombris, ut veritatem mendacio, Christum Dominum, quem *sanctum*, *& cælestem animarum incantatorem* appellat; Anastaſ. verò Sinaita lib. 4. Hexam eumdem *lyram cælestem* nuncupat. Denique ex hoc v. 14. Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis c. 34. colligit Salomonem regem regum, sapientiæ beneficio, non solùm exteris, sed & suis jus dixisse, judicando, decidendo lites, & cuique jus suum attribuendo; idque per se; non tantùm per judices à se constitutos.

Vers. 15. TIMEBUNT ME AUDIENTES REGES HORRENDI: IN MULTITUDINE VIDEBOR BONUS, ET IN BELLO FORTIS) Sapientia enim subditis est mansueta, ac rebellibus, & hostibus, præsertim tyrannis, horrendis & formidabilibus, est terribilis, & horrenda, juxta illud Virgil. 6. Æneid. de arte regnandi:

Hæ tibi erunt artes, &c.
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Sic Moses metum & horrorem incussit Pharaoni, Exo- D di 7. & seq. Josue Chananæis c. 2. 10. Daniel c. 2. 26. Nabuchodonosori; Joannes Baptista Herodi, Marci 6. 20. Hinc, & sponsa, puta Ecclesia, vocatur *pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*. Cant. 6. 9. Nam, ut ait Nyssen. orat. 13. in Cant. *Ecclesiæ fabricatio ad instar fabricationis est mundi*. Et Can. 7. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?*

BONUS) Id est benevolus, benificus, clemens, liberalis. Hæ ergo sunt duæ præcipuæ principis dotes, scilicet beneficentia & fortitudo, juxta illud Homeri: *Utrumque, rex est bonus, & fortis miles*; quod assiduè in ore habebat Alex. Magnus, teste Plutarcho in Moral. rex enim in pace bonus & pacificus sit oportet, in bello verò fortis. Huc facit illud Plutarchi lib. Ad principem ineruditum, & lib. *cum principe philosophandum*: *Succenset Deus tonitrua & fulmina, radiorumq; protectus minitantibus: qui verò recta ratione præditi, honestate humanitateq; ipsum referre conantur, hos studio eorum delectatus, auget, suiq; eos æquitate, justitia, veritate ac mansuetudine impertit, quibus nihil est diuturnius*. Vide Dionem orat. 2. de regno, & orat. 49. quæ incipit, *Humanis & eruditis hominibus, neque jucundum magis sa-*

Princeps sit benignus & fortis.

Gnomæ.

A *tum genere, neque difficile*. Et Arist. in Quæst. Politic. ubi ait: *Princeps inimicis formidolosus est, si armis & exercitu, multoq; veluti ad bellum apparatu instructus fuerit; ea tamen omnia diutiùs, ceu vana, priùs quàm his utatur, detineat. Nam & Deus ipse antequam majestatis suæ trepidationem incutiat, inducias quasdam præbet*. Quòd si id non juvet, tum demum sua in reos jacula & fulmina contorquet. Audi ex Legibus Visigothorum lib. 1. tit. 2. cap. 6. sanctionem: *Ex institutione morum, ex mansuetudine principum, eaq; ex dispositione legum oriente, & concordia fit civium, & triumphus hostium; atque fit bonus princeps interna regens, & externa conquirens, dum suam pacem possidet, & alienam litem abrumpit, celebratur in civibus rector; & in hostibus victor*. Audi & Senecam Tragœdum in Octavia colloquentem cum Nerone: N. *Ferrum tuetur principem*. S. *Meliùs fides*. N. *Decet timeri Cæsarem*. S. *At plus diligi*. N. *Metuant necesse est*. S. *Quidquid exprimitur grave est*. N. *Jussis nostris pareant*. S. *Justa impera*. Et Isocratem orat. 2. ad Nicoclem: *Bellicosus sit scientia rei militaris & apparatu, sed pacificus, ut B nequid præter jus & æquum concupiscat sibiq; vendicet*. Et Musonius apud Stobæum serm. 48. *Commodum est principi*, inquit, *ut subditis amandis potiùs, quàm metuendus sit*.

INTRANS IN DOMUM MEAM, CONQUIESCAM CUM ILLA: NON ENIM HABET AMARITUDINEM CONVERSATIO ILLIUS, NEC TÆDIUM CONVICTUS ILLIUS, SED LÆTITIAM ET GAUDIUM) Vatabl. *nihil enim habet amaritudinis ejus commercium, nec quidquam doloris convictus ejus, sed lætitiam & gaudium*; cum ex adverso hominum, licèt amicissimorum, convictus & nimia familiaritas, sæpè pariat tædium, imò aculeum afferat stimuletque ad iram vel tristitiam.

Est hæc decima quarta sapientiæ laus, quod sapienti, à publicis privatisque negotiis animum ad sapientiam sevocanti, illa afferat ipsi pacem & lætitiam, ac tædia & mœrores ex negotiis contracta, leniat vel abstergat. Ita læto semper animo æquè ac vultu apparuere S. Antonius, S. Romualdus, S. Franciscus, S. Dominicus, S. Ignatius, ac prisci Essæi, Anachoretæ & Religiosi, sapientiæ & con- C templationi dediti. Vide S. Basilium de Constit. monast. c. 13. & 14.

Causa hujus pacis & gaudii est prima, serenitas & sanctitas bonæ conscientiæ: *Secura enim mens est quasi juge convivium* Proverb. 15. Secunda, amor & confidentia in Deum. Tertia, spes futuræ gloriæ, quæ omnes vitæ sanctæ, licèt asperæ, labores & dolores absorbet. Huc facit illud Eccl. 15. v. 6. *Jucunditatem & exultationem thesaurizabit super illum*. Et illud sapientiæ de seipsa: *Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum*. Eccl. 24. 27. Discant à sapientia viri sapientes in conversatione non esse tetrici, austeri, abstracti, duri; sed amœni, hilares, jucundi, faciles, obsequentes, ut omnibus libenter aures præbeant, eorumque postulatis benevolè, quoad possunt, satisfaciant.

Denique ex τῷ *non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius*, D. Thomas 1. 2. q. 35. art. 5. probat delectationem contemplationis esse meram ac puram, nec ullam habere tristitiam sibi oppositam. Experiuntur hoc Ascetæ, qui jugiter cum Deo, cum Christo, cum B. D Virgine, cum angelis & Sanctis versantur: hi enim in terrestri quasi degunt paradiso, & quasi terrestres angeli, cælestium delicias in carne prælibant, juxta illud: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* pſ. 30. 20. & illud: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, pſ. 36. 9.

HÆC COGITANS APUD ME, ET COMMEMORANS (græcè *φροντίσας*, id est *curans*, hoc est cum cura studiosè & sollicitè considerans) IN CORDE MEO: QUONIAM IMMORTALITAS EST IN COGNATIONE SAPIENTIÆ) Ita legendum cum Græcis & Roman. Perperam ergò Hugo & Dionyſ. imò S. Fulg. lib. 3. ad Monimum c. 6. legit, *quoniam immortalitas est in cogitatione sapientiæ*; & alii, *in cognitione sapientiæ*: quam lectionem secutus Idacius Clarus l. 3. contra Varimad. ut probet Filium esse Patri æqualem & coævum, *id clariùs affirmari* inquit à Salomone c. 8. *his verbis*: *Immortalitas est in cognitione sapientiæ, & amicitiæ illius delectatio bona: item in operibus manuum sapientiæ honestas sine defectione, & in certamine sermonum ejus immortalitas, & vita æterna in communicatione verborum ejus claritas perpetua*. Ubi pariter addit τὸ *perpetua* & τὸ *immortalitas*, quorum neutrum est in Græco, sed Vers. 17.

ipse τὸ *immortalitas* hoc v. 17. positum, in ceteris, quæ sequuntur v. 18. repetendum censuit.

Sensus est q. d. Ego Salomon studiosè considerans sapientiam esse immortalem, & eamdem immortalitatem communicare suis cognatis, id est suis filiis & sponsis, qui eam arctè associare & quasi despondere satagunt; facereq; ut sibi cognati, id est coniuncti, affines & devincti, sint immortales; hac de causa ardenter concupivi eam mihi assumere in matrem, imò in sororem & sponsam, juxta illud Proverb. 7. 4. *Dic sapientiæ, Soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam.* Græcè sunt aoristi, λογισάμενος καὶ φροντίσας, id est cùm reputassem, & sollicitè cogitassem, quòd sapientia immortales faciat eos, qui secum cognationem vel affinitatem contrahunt, qui scilicet eam sibi devincire, & despondere satagunt, juxta illud c. 15. 3. *Scire justitiam & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Repetit id, quod dixit v. 13. *Præterea habebo per hanc, immortalitatem, & memoriam æternam,* &c. Huc alludens Thalassius centuria 4. n. 56. *Lignum vitæ,* ait, *est scientia Dei, cujus purus particeps, permanet immortalis.*

Et in amicitia illius delectatio bona,
Vers. 18. et in operibus manuum illius honestas sine defectione, et in certamine loquelæ illius sapientia, et præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam quærens, ut mihi illam assumerem) Hæc quoque superiùs recensuit, sed hìc repetit per conglomerationem, ut sapientiæ dotes incolcet, & omnes ad ejus studium magis accendat.

Delectatio bona) id est honesta, non turpis; item *bona*, id est *jucunda*, ut vertit Vatabl. juxta illud: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum.*

Honestas sine defectione.) Id est opulentia inexhausta, divitiæ indeficientes, sive perennes, ut vertit Vatabl. Vide dicta v. 11. & 14. & Prov. 3. 16. ad illa: *Longitudo dierum in dextera illius, & in sinistra illius divitiæ & gloria.*

In certamine loquelæ illius sapientia) Græcè ἐν συγγυμνασίᾳ ὁμιλίας αὐτῆς φρόνησις, id est, *in coexercitatione conversationis illius prudentia:* Vatabl. *in usu colloquii* (ὁμιλία enim, id est colloquium, dicitur ab ὁμοῦ λαλεῖν, id est à simulloquendo) *illius prudentia.* q. d. ait Jansen. Per hoc, quòd quis exercetur cum ea colloquendo, disserendo & conversando, acquiritur sapientia & prudentia; sicut qui cum viris doctis in gymnasiis colloquuntur & disputant, eorum doctrinam expiscantur & hauriunt: & sicut in disputationibus scholasticis, ubi argumentans rationibus certat cum defendente, acuitur ingenium & veritas elucescit. Unde Eccl. 51. 25. dicitur: *Colluctata est anima mea in illa.* Hinc manarunt Collationes Patrum, de quibus Cassianus, Climacus & alii in Vitis Patrum, in quibus mutua collocutione, & quasi dissertatione de virtutibus, Ascetæ easdem sibi suisque discipulis validiùs & ardentiùs imprimebant. Quamquam hìc, non tam docetur quomodo acquiratur sapientia, quàm quid fructus & commodi illa acquisita præstet, nimirum illam efficere, ut nostri sermones, discursus, dialogismi, disputationes sint sapientes, ac sapientiam ubique spirent, omnibusque aspirent, uti faciebant Patres in suis Collationibus.

Præclaritas (græcè εὔκλεια, id est celebritas, nomen, laus, claritas famæ, splendor: unde εὐκλεής est inclutus, celebris, præclarus, splendidus) in communicatione sermonum ipsius) q. d. ait noster Lorinus: Bene audit ubique sapiens, ejusque verba tamquam axiomata, apophtegmata & gnomæ audiuntur, circumferuntur, laudantur. Dum communicat sermones, inde præclarè celebratur: vel enim decus lausque habetur, cum illo conferre & colloqui. Anagog. id longè verius erit apud Beatos in cælo. Huc facit illud Daniel. 12. v. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Minùs rectè Lyran. Dionys. & Hugo *præclaritatem* exponunt claritatem & elegantiam sermonis. q. d. Sapiens clarè & eleganter sermones suos eloquitur.

Circuibam) Hæc vox notat ingens & assiduum in Salomone sapientiæ desiderium: sic enim sponsus circuit, ut sponsam quam ambit nanciscatur. Porrò circuivit ipse, ait Cantacuzenus, *dum diu multumq; elaboraret, dum se in omnibus honestis actionibus exerceret, dum omnes, qui sapientia virtuteq; præditi essent, alios observaret atque suspiceret, alios etiam in magistrorum ac pædagogorum haberet loco, ac prorsus in hoc studium totus incumberet.*

Ut mihi illam assumerem) in sponsam & contubernalem, ut dixit v. 2. Confert enim sapientiam cum sponsa carnali, eamque illi præfert. Primò, quòd hæc sæpè mortem marito afferat, uti attulit Eua Adamo, & Dalila Samsoni: at sapientia immortalitatem conciliat sibi devincto & coniuncto, & quasi cognato. Secundò, in amicitia ceterarum nuptarum, sæpè est delectatio turpis: at in sapientia est honestissima. Rursum, ceteræ maritis sæpè exhibent curas, molestias, tædia, jurgia: at hæc jugem sponso præstat delectationem, eamque bonam, id est jucundam & eximiam. Tertiò, aliæ sponsæ, ait Cervantius, desidia languent, otioque torpent, ac defluunt in deliciis totæ, sæpè illis nulla cura rerum domesticarum, non filiorũ filiarumve, non famularum, non item eorum quæ ad victum, quæ ad cultum pertinent, quæ ad opes conservandas, nedum augendas; magni thesauri vix sufficere possunt earum vestibus, monilibus, cupediis: at *in operibus*, sive *ex laboribus manuum illius* (sapientiæ) *divitiæ, thesauri indeficientes*, & hos non minori virtute ipsa suis manibus, quasi aureis adamantinisque mœnibus tuetur, *honestas sine defectione*. Quartò, *in certamine loquelæ*: ceterarum enim uxorum contubernio, colloquio, usu, consuetudine & congressu, in palæstra ipsa coniugali, planè virile robur ingeniumque viri languescit: unde suscipiendi admirandique sunt illi, tametsi pauci, qui uxorati unà liberis atque libris strenuè vacaverunt; eis tamen cælibes & numero & sapientia longè fuere & sunt majores: at in *certamine loquelæ* sponsæ hujus cælestis, *sapientia* atque prudentia florent vigentque. Quintò, ex collatione sermonum cum aliis feminis coniugibus, & earumdem consortio & societate, vir velut ignis cinere obducitur & obscuratur: quid enim è femina & muliere, nisi femineum & molle? Sit exemplo Salomon ipse 3. Reg. 11. cujus opulentiæ, potentiæ & magnificentiæ splendores inaurare non valuerunt, quæ deauravit societas feminarum contubernalium, ait Cervantius. *At præclaritas est in communicatione sermonum sapientiæ*, coniugia omnium purissimæ, quam proinde sibi in sponsam assumere sategit Salomon.

Sapientia præstat aliis sponsis. *Primò.* *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.* *Quintò.*

Hæc omnia mysticè ritè adaptes B. Virgini, quæ fuit sponsa sancti Josephi, estque etiamnum quasi sponsa omnium fidelium & piorum.

Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam) Syrus, *puer eram lucidus*, vel *clarus*; Arabicus, *puer eram subtilis, solers acutus*. Ostendit se ex natura & indole bona ac ingeniosa capacem fuisse sapientiæ. q. d. Cùm essem bonæ indolis & ingenii, facilè intelligebam quanta esset dignitas sapientiæ, quanta eius commoda jam à me recensita: quare cùm illa propensiùs optarem; cognoscerem tamen me illa viribus meis non posse assequi, adii Dominum, eumque ut illa mihi largiretur deprecatus sum. Sapienter Tert. *Deus*, ait, *ita naturam disposuit, ut ea gratiæ aptissimum fundamentum existerit.* Vide S. Aug. l. 22. contra Faustum c. 70. Vers. 19.

Ingeniosus) Id est boni, magni, acuti & acris ingenii ad res intelligendas & dijudicandas. Unde Cicero lib. 5. de Finib. *Prioris generis*, ait, *est docilitas & memoria, quæ ferè omnia appellantur uno ingenii nomine; easq; virtutes qui habent, ingeniosi vocantur.* Et S. Isidor. lib. 10. Etymol. litt. I. *Ingeniosus dictus*, inquit, *quòd intus habet vim gignendi quamlibet artem.* Et S. August. lib. 10. de Trinit. cap. 11. *In his*, inquit, *memoria, intelligentia, voluntate inspici solent etiam ingenia parvulorum, cuiusmodi præferant indolem. Quantò quippe tenaciùs & faciliùs puer meminit, quantoque citiùs intelligit, & studet ardentiùs, tanto est laudabilioris ingenii.*

Sub ingenio ergo hìc judicium, memoriam & voluntatem intellige. His enim quatuor excelluit Salomon, cùm alioqui sæpè pollentes ingenio, non polleant judicio, & vice versa. ingenii enim parens est temperies calida, judicii frigida. Ingenium lumen est animi: sed hujus ipsius luminis lumen, & oculus oculi est judicium. In ingeniosum cadit subinde error mentis, & stultitia, numquam in judiciosum. Malim hebes haberi, quod vitium pugnat cum ingenio, quàm insipiens & stultus, quod adversatur judicio. Audi Maximum Tyrium dissertatione 34. *Plerumq; id evenit homini, ut quo facundior est ingenio,*

eo

eo minus valeat judicio. At Salomon ingenio excelluit æquè ac judicio, ut patet 3. Regum 3. & seq.

Pro *ingeniosus*, græcè est εὐφυής, quæ vox tria significat. Primò, eum qui industrius est ac amœni & acris ingenii, uti jam explicui; Secundò, eum qui bonæ est indole; ac natura ad virtutem propensus: εὐφυὴς enim idem est, quod bene natus, natura habilis, beneformatus, benè à natura compositus; ingeniosus, id est naturali quadam ingenii dexteritate ad omnia comparatus: nam φύσις est indoles, putà naturalis ingenii animique bonitas: φύω enim est gigno, produco, planto; in lucem edo. Unde φύσις est natura, potentia re[?]nata, ingenium, indoles, vis nativa, naturæ habitus & mores: Ingenium enim propriè à Latinis vocatur natura cuique ingenita, à gignendo; ea verò in pueris indoles dicitur; estque non solùm probitatis, sed industriæ quoque judiciique index. Unde S. Isidor. lib. 10. Etymol. cap. 11. sub finem *genium* derivat ex eo, *quòd vim habeat omnium rerum gerendarum, seu à gignendis liberis: & unde & geniales lecti dicebantur, qui novo marito sternebantur*. Et Festus: *Geniales deos*, inquit, *dixerunt aquam, terram, ignem, aerem: ea enim sunt semina rerum. Genium appellabant deum, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum: Aufustius: Genius, inquit, est deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur; & propterea genius meus nominatur quòd me genuit. Alii genium esse putarunt uniuscujusque loci deum*. Et Nonius Marcellus cap. 4. *Ingenium*, inquit, *est naturalis sapientia*: *Sallust. Catilinæ bello: Ingenium nemo sine corpore exercebat. Ingenium veteris dixerant & sua sponte, vel natura. Nævius Lycurgo: Vos, qui regalis corporis custodiam agitis, ita actutum in frondiferos luces; ingenium arbusta vincta sunt, non obscuritas. Sallust. Histor. lib. 3. Castrisque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur. Virgil. Geor. lib. 2. Nunc locus arvorum ingeniis, quæ robora, Quis color*. Hoc significatum secutus Petrus Nannius hoc locum vertit, *puer eram dexteræ indolis*; Vatabl. *dextero ingenio præditus*.

Ingenii genius quis?

Tertiò, εὐφυής, teste Hesychio, est arbor, natura aut ingenium virescens, bene germinans, copiosè succrescens. Id enim huic loco convenit: q. d. Salomonis natura instar boni soli, radiis cælestis solis, putà gratiæ Dei, calefacta, probitatis & sapientiæ semina probe concipiebat, concepta confovebat, confota explicabat, & increscentia in dies promovebat: quare majora in dies suæ bonæ indolis & ingenii documenta edebat, instar Christi, qui proficiebat ætate, sapientia & gratia apud Deum & homines, Lucæ 2. ita à Castro & Pineda libr. 1. de Rebus Salomonis, cap. 18. *Ut dii immortales*, ait Seneca epist. 95. *nullam didicere virtutem, cum omni editi: & pars naturæ eorum est, esse bonos: ita quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem in ea quæ tradi solent perveniunt sine longo magisterio, & honesta complectuntur, cùm primùm audierint*.

Denique Aristotel. 3. Ethicorum cap. 9. Is, inquit, est εὐφυής, cui est quid innatum bene, qui sit bene à natura formatus & propensus, quemadmodum enim arbor virescens, & copiose succrescens & germinans, ac coalescens dicitur εὐφυὲς δένδρον: ita ingenium amœnum & acre, quod virescit, germinat, & coalescit in virtute, & in his quæ cum virtute & sapientia conjuncta sunt, dicitur bene à natura institutum, & ad bonum proclive.

SORTITUS SUM, hoc est, inquit Pineda loco jam citato, non voluntate, non merito meo, sed Dei nutu, qui velut sors in manu nostra non est, accepi ANIMAM BONAM) *Solent*, inquit S. August. lib. 10. de Genes. ad litt. c. 18. *quæ sorte dantur, divinitus dari*. Et inferiùs: *Ad auferendam suspicionem præcedentium meritorum, sortis nomen accessit*. Vera hæc omnia, si sortis nomen pressè accipiatur: nam, si ex usu sacri sermonis, sors non sonat illud fortuitum, sed aliquid proprium & velut hereditarium. Mihi, inquit, attribuit supremus rerum arbiter Deus optimam corporis & animæ portionem, præclaram quasi hereditatem & sortem possessionis meæ.

ANIMAM BONAM) Id est bonæ indolis, ad bonum omne propensam, bonitate naturali, moderatione affectionum, & candore morum præditam. Ita Dionys. Pineda, Jansen Lorinus, à Castro & alii.

Minùs rectè Hugo ingenium naturæ, animam bonam gratiæ attribuit: sic & Bonavent. qui id probat ex voce sortis: & Lyran. qui animam bonam assignat puritati affectus, quem hausit Salomon ex institutione Nathan, qui propterea cognomen ei imposuit, *Amabilis Domino*, 2. Reg. 12. 25. Et Holcot, qui putat voce *puer* (puer enim dicitur à puritate) notari munditiem corporis: voce *ingeniosus*, peritiam intellectus: per τὸ *sortitus sum animam bonam*, innui gratiam supernaturalem. Et Hugo Ætherianus lib. de Regressu animarum c. 32. ait, Salomonem sortitum esse animam bonam, per datam sibi sapientiæ abundantiam, per quam factus sit magis bonus.

Pejus alii censentes animam esse ex traduce, id est animam filii seminari & traduci ab anima parentis, sicut lumen unius candelæ traducitur & accenditur ab alia candela, sic exponunt q. d. *Puer ingeniosus*, græcè εὐφυής, id est bonæ naturæ & indolis, quia à natura & indole bona animæ parentis mei sortitus sum, & accepi pariter animam bonam; juxta illud Lucani lib. 5.

Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis.

Horum sententiam recensens, & cum dubio sequens S. August. lib. 10. de Genes. ad litt. cap. 17. *Puer autem eram ingeniosus*, inquit, *idipsum explicans, quibus causis ingeniosus esset, continuò subjungit, Et sortitus sum animam bonam, videlicet ex paterno ingenio vel corporali temperamento. Denique cùm essem*, inquit, *magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum; quòd si mater num intelligatur, ne hoc quidem, quod dictum est Veni ad corpus, huic opinioni refragabitur, cùm ex anima & corpore paterno venisse ad maternum corpus accipitur, incoinquinatum videlicet, vel à cruore menstruo: dicuntur enim ex hoc ingenia gravari; vel à contaminatione adulterina*; quæ sæpè obest moribus filiorum, & suam prorigiitem in illos transfundit. Verùm tradux animarum ab Ecclesia jam velut error damnatus est. Docet enim illa omnes hominum animas à Deo creari infundendo, & creando infundit atque error iste hic satis refellitur ex eo quod subditur: *Et cùm esse magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*, quæ verba innuunt animam priorem fuisse corpore non tempore, sed natura, priusque habuisse suam bonitatem, de qua dixit, *Sortitus sum animam bonam*, ac deinde venisse in corpus incoinquinatum; non igitur à semine corporeo, nec per semen parentis transfusa est anima patris in corpus filii.

Præclarè Seneca libr. 4. de Benef. cap. 6. *Insita sunt nobis*, inquit, *omnium ætatum omniumque artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia*.

Mysticè S. August. ibidem c. 18. hæc omnia accipit de Christo, qui verus fuit Salomon, id est pacificus & pax nostra: *Quid ingeniosus*, inquit, *illo puero, cujus in annis duodecim seniores sapientiam mirabantur?* Et inferiùs: *Et quid incoinquinatius illo utero Virginis, cujus caro etiamsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit?* Et pluribus interjectis: *Et fortasse ideo ait, Sortitus sum animam bonam: si tamen hoc de illo oportet intelligi, quia solent, quæ sorte dantur, divinitus dari: aut quod fideliter dicendum est, ne vel illa anima aliquibus operibus præcedentibus ad tantum apicem subvecta putaretur, ut cum ea Verbum caro fieret, & habitaret in nobis: ad auferendam suspicionem præcedentium meritorum, sortis nomen accessit*. Et S. Cyprian. libr. Testim. contra Judæos c. de Nativ. Christi: *Quis*, inquit, *ante nativitatem erat bonus? & quis venit in corpus incoinquinatum & impollutum?* nisi solus Christus, utpote instar roris in Virginem illapsus, in eaque conceptus ex Spiritu sancto.

ET CUM ESSEM MAGIS BONUS, VENI AD CORPUS INCOINQUINATUM) Syrus, *propter gratiam meam veni in corpus purum*; Arabicus, *cùm essem bonus, intravi in corpus illius*, scilicet sapientiæ. Hinc Origenistæ docebant animam extitisse ante corpus, & pro meritis vel demeritis detrudi ac venire in corpus purum, vel maculatum. Verùm hic est error jam olim ab Ecclesia damnatus. Vers. 20.

Interpretes Orthodoxi hic se torquent & variè exponunt. S. Bonaventura: *Cùm essem magis bonus*, inquit, per gratiam supernaturalem, quàm essem priùs ex industria naturali. Holcot: *Cum essem magis bonus*, nempe, quàm ingeniosus, & magis in me emineret bonitas moralis, quàm bonitas naturalis ingenii (*veni ad corpus incoinquinatum*) id est proficiendo attigi perfectionem virtutum moralium, ita ut servarem corpus incoinquinatum à passionibus vitiorum. Carthusianus: *Cùm essem magis bonus*, proficiendo in virtutibus, *veni ad corpus incoinquinatum*, conservans me ab impuritate.

Verùm nihil horum satisfacit, nihil hoc loco germanum est & oppositum.

Græcè est, μᾶλλον δὲ, id est *magis verò*, vel *imò potiùs, essem bonus*, ut sit correctio; unde Vatabl. vertit, *imò bonus ipse cùm essem, corpus incontaminatum adeptus sum*; Osorius, *aut ut rectiùs dicam, cùm ipse natura bonus essem*, nimirum secundùm animam, *nactus sum corpus immaculatum*; aut μᾶλλον δὲ, id est *ampliùs*, vel *insuper*. q. d. Cùm essem bonus, scilicet quoad animam, quam sortitus sum bonam à Deo, ampliùs vel insuper veni ad corpus incoinquinatum: bonæ enim animæ, bonum corporis temperamentum proportionaliter respondet, ideoque naturaliter quasi debetur, ac reipsa à Deo datur. ita Nannius, Vatabl. & Jansenius, quem audi: μᾶλλον δὲ videtur positum hìc, uti & sæpè alibi, pro *vel potiùs*, ut sit quodammodo corrigentis quod dixerat, & sit sensus: *Aut potiùs cùm essem bonus, veni, id est deveni, ad corpus coinquinatum. Dixerat: Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Ex quibus verbis cùm intelligi posset, eum significasse se suo ingenio consecutum animam bonam, idcirca velut corrigit illum sermonem, dicens: Aut potiùs cùm essem bonus, vel quia eram bonus, perveni ad corpus incoinquinatum. Significans animæ bonitatem, quam ex Dei munere habuit, fuisse causam munditiæ corporis, non contrà corporis dotibus animæ bonitatem esse paratam, & animæ bonitatem præcessisse, non secutam esse.*

Alii, quibus favet S. August. 10. de Genesi ad litt. c. 17. vertunt, *ut essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum*. Hæc expositio satis Græco textui respondet, at non Latino Vulgato; habet enim: *Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*: quæ verba licet aliqui, ut sensui jam dato accommodent, exponant per trajectionem τῦ *magis*. q. d. *Et magis*, id est insuper, *cùm essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum*, atque dent exemplum Prov. 30. 31. *Nec est rex qui resistat ei*, hoc est, *& rex, nec est qui resistat ei*, uti hæc verba transponendo exponunt Lyran. Dionys. & Jansen. rex enim est quartum animal inter ea, quæ bene gradiuntur; tamen trajectio hæc dura videtur & violenta.

Uulgatæ ergo versioni duplex dari potest sensus magis appositus & concinnus.

Prior est, q. d. Sortitus sum animam bonam, nec tantùm animam bonam, sed & corpus bonum. Quare cùm magis essem bonus, id est cùm à Deo destinatus essem ad majorem plenamque bonitatem, ut essem magis magisque bonus, id est melior, imò completè, per omnia scilicet, tam quoad corpus, quàm quoad animam bonus, *veni ad corpus incoinquinatum*. Unde græcè est, *magis autem bonus existens, veni ad corpus incoinquinatum*, id est melior, imò perfectè bonus extitit, cùm anima in se bona, venit pariter ad corpus bonum & incoinquinatum: corpus enim bonum addidit, & perfecit animæ bonitatem: hæc enim ex corpore bono suæ bonitatis complementum accepit: nam animæ officina est corpus; per illud enim ipsa operatur omnia sua. Quocirca ego Salomon, cùm quoad animam essem bonus, ex Dei creatione & dono, ejusdem munere adeptus sum corpus optimè temperatum, & cum anima mirificè congruens, scilicet affectibus moderatum, & animæ conforme ac obediens: hoc enim vocat hic incoinquinatum; passiones enim turbant & inquinant animam. Unde aliqui vertunt, *quia consequebar majorem bonitatem, veni ad corpus incoinquinatum*.

Posterior, q. d. *Cùm essem magis bonus*, id est cùm magis magisque in bonitate crescerem, cùm indies in bonitate per actus virtutum proficerem, cùm majora in dies probitatis & præclaræ indolis indicia ederem, cùm adolescerem animo æquè ac sapientiæ studio, *veni ad corpus incoinquinatum*, id est tunc consecutus sum corporis munditiem & donum castitatis, primò virginalis, deinde conjugalis, in eaque assiduè profeci & crevi: nam cùm scirem hoc esse donum Dei, illud instanter toto corde à Deo expetii, ut sequitur, & impetravi. Hic sensus est accommodus, eumque multis probat & explicat noster à Castro, cujus verba paucis comprehensa hunc dant sensum, q. d. Ego quidem, cùm à puero bona indole præditus fuissem, bonaque mente & ad virtutem propensa, imò quo magis bene eram institutus, eo magis crevi in corpus immaculatum, illud impollutum conservans: nam bona illa indoles, qua me Deus sua miseratione donavit, me inducebat ad conservandum corpus meum incoinquinatum usque ad ætatem nubilem: ut ita aptior fierem ad postulandam impetrandamque sapientiam, quæ non habitat in corpore subdito peccatis. Id

A fecit Salomon juvenis: nam senex corpus suum & animam libidinibus inquinavit.

Mysticè: Verbum in incarnatione assumpsit animam bonam, imò optimam, ac, ut illa omni ex parte esset in bonitate completa, adaptavit ei corpus optimum, id est purissimum & perfectissimum: Verbum enim mediante anima assumpsit corpus; quare priùs natura (non priùs tempore) assumpsit animam, quàm corpus, ut docet D. Thom. 3. p. 6. art. 3.

An anima una sit per se melior altera?

Ex hac gnome multi probabiliter colligunt, animas humanas, licet omnes ejusdem sint speciei, non tamen in naturæ dignitate esse pares, sed unam alia esse meliorem & perfectiorem essentialiter: intra tamen latitudinem ejusdem speciei; atque animam Christi nobilissimam esse præ animabus omnium hominum: non autem à corpore solo meliùs organizato, hanc animæ & indolis diversitatem provenire, uti volunt Durandus, D. Soto, Soncinas, Henricus à Gandavo, Toletus, & nostri Conimbricenses in libr. 2. de Anima cap. 1. quæst. 5. ac Philippus Solitarius in Diopta cap. 2. & seq. ubi docet eam, quæ in homi-
B nibus est, functionum diversitatem, oriri non ex anima, sed ex variis corporis crisi seu temperamento: sicut imber idem, aliud operatur in olea, aliud in vite, & sic de aliis: & sicut sol idem, nunc illuminat magis, nunc minùs, si liber sit à nube vel caligine, aut iis obductus: & sicut eadem aqua per varios cuniculos, hic amara, alibi dulcis est.

Resp. affirm.

Verùm Salomon videtur hic contrarium significare. Ait enim se sortitum esse animam bonam præ ceteris, id est ceteris meliorem à Deo inditam accepisse. Rursum ingeniosum ait se fuisse ex anima bona & ingeniosa. Unde ex Græco εὐφυὴς, sic vertas, *puer eram bonæ indolis*, (*& id est quia*) *sortitus sum animam bonam*. Nec dicas hanc animæ bonitatem illi à corpore provenisse; subdit enim: *Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*. q. d. Priùs natura in me fuit bona indoles ex anima bona, deinde ea perfecta fuit per corporis bonitatem & puritatem, cùm in corpus hoc anima ingressa est.

Probatur Primò.

Ratio est Prima, quia, si in corpore humano unum alio est melius & perfectius, ergo idem longè magis dicendum
C in anima. Unde S. Thomas 1. p. quæst. 85. art. 7. in corp. *Manifestum est*, ait, *quòd quanto corpus est meliùs dispositum, tanto meliorem sortitur animam*: tum quia Deus animas attemperat corpori; ergo in nobilius corpus nobiliorem animam infundit: tum quia sic corpus habet hanc graduum latitudinem, pulchramque veritatem; ergo multò magis eamdem habet anima, quæ longè corpore est præstantior & sublimior. Secunda, quia in angelis ejusdem chori & speciei, unus, v. g. summus, angelus, est præstantior alio, v. g. ultimo: id autem provenit ex anima, ut ita dicam, angeli; non autem à corpore, utpote quo carent ergo idem dicendum de anima hominis, quæ est naturæ intellectualis & angelicæ. Licèt enim D. Thomas opinetur omnes angelos inter se specie differre, tamen alii passim aliter sentiunt, docentque in eadem specie plures esse angelos sola differentia individuali discretos. Ita censent Alensis, Albertus, Bonavent. Scotus, Gabriel, Durandus, Marsilius, Molina, Vasquez & Suarez lib. 1. de Angelis c. 15. Tertia, quia in geminis, v. g. in Esau & Jacob, ubi idem est semen, sæpe est diversissima indoles: ergo illa pro-
D venit ex anima dispare. Quarta, quia animas feminarum dispares esse ab animabus virorum, imò initio dispares fuisse in creatione Adami & Evæ, nemo negarit. Et quis dicere audeat Judam habuisse animam tam nobilem, quàm habuit Christus. Quinta, id ipsum arguere videtur tanta ingeniorum, indolis, studiorum, inclinationum varietas & propensio. Videmus enim alios ad studium philosophicum & theologicum, alios ad medicinam, alios ad eloquentiam, alios ad mathesin esse propensos & aptos; ad alias verò scientias ineptos, imò aversos: alios ad speculationem ferri, alios ad praxim: alios ad misericordiam proclives, alios ad severitatem & rigorem: alios ad castitatem, alios ad libidinem: in aliis summam esse memoriam, sed parum acuminis & ingenii; aliis magnum esse acumen ingenii, sed parum judicii & memoriæ: quæ omnia non videntur à solo corpore provenire. Denique si aurum auro præstat, bos bovi, aqua aquæ, terra terræ, lapis lapidi, cur non & anima una præstantior sit altera; præsertim cùm anima spiritalis sit, ideoque elevatior & magis illuminata. Accedit articulus Academiæ

Secundò. *Tertiò.* *Quartò.* *Quintò.* *Sextò.*

Pari-

Parisiensis, quem recitat Henricus Gandaven. quodlib. 3. q. 5. & Durand. in 2. d. 32. q. 5. qui sic habet: *Si quis dicit omnes animas ab origine esse æquales errat; quoniam alias anima Christi non esset perfectior, quàm anima Judæ*. Ita docent Magister Sententiarum in 2. distinct. 32. & ibidem S. Bonav. Albertus, Richard. Joannes Major, Capreolus, Ægidius, Ferrar. l. 1. contra Gentes c. 3. Cajetan. 1. p. q. 85. a. 7. Abulens. in cap. 15. Matth. q. 656 ac Petrus Nannius, Jansen. & Vatabl. hic, atque favet S. August. l. 4. contra Julian. c. 3. dum ait: *Cujus* (Dei) *occulto judicio, nec injusto, alii fatui, alii tardissimi ingenii & ad intelligendum quodammodo plumbei, alii obliviosi, alii acuti memoresve nascuntur, alii utroque munere præditi*, &c.

Corpus incoinquinatum tripliciter. CORPUS INCOINQUINATUM) Id est Primò, castum & purum; Secundò, carens labe, vitio & imperfectione, quæ nocere ingenio aut indoli posset; sed perfectum, bene constitutum, bonæ habitudinis, idoneum frugibus sapientiæ virtutisq; secundùm aptam symmetriam & proportionem, ut regi aptariq; facilè posset ab anima. Tertiò, per catachresim & metalepsin, *corpus incoinquinatu* est corpus integrum, perfectum, pulchrum elegans, formosum æquè ac vegetum, validum, nervosum, robustum, ideoque pulchra validaque sponsa, putà sapientia, dignum. Nam

gratior est pulchro veniens de corpore virtus.

Castitas facit formosos. Castitas enim, quæ sapientiæ est soror, valdè promovet speciem, decus & formam, æquè ac robur corporis. Hinc similis est amianto (quæ vox hìc est in Græco) lapidi, qui igne non læditur, illique resistit, & integer in igne perdurat, teste Plinio lib. 36. c. 19.

Huc facit illud Boetii l. 4. de Consol. prosa 6. *Sacri hominis corpus*, inquit, *virtutes ædificarunt*. Et nonnullis interjectis: *Est alius cunctis virtutibus absolutus sanctusq; ac Deo proximus: hunc contingi quibuslibet adversis, nefas providentia judicat; adeò ut ne corporis quidem morbis agitari sinat*. Hinc & Plato dialog. 6. initio, & uberiùs in fine dial. 3. Heroas vocat diis genitos, eorumque conflandis corporibus materiam non nostratem, sed humana nobiliorem, & quasi lapsam è cœlo assignat: iisque non inquinatam communi fæce mortalium, sed fictum ex purissimo divinitatis auro mentem afflat. Ut enim idem in Opificio mundi philosophatur: Ex anima lectissima, simul & corpore præstantissimo, raritatis excellentia paribus, oritur in homine primùm admirabilis ille concentus & harmonia valetudinis optimè temperatæ, & pulchritudinis augustæ, quæ separari non possunt: tum exquisita solertia sensuum, & affectionũ moderata tranquillitas: tum etiam ad intelligenda divina, & ad humana tractanda, miræ celeritatis & capacitatis ingenium: & ex his ingenuus ac castus philosophiæ & Musarũ amor, sine quo nec aliquis potest esse pulcher, nec bonus. His autem si proba educatio & doctrinæ lumen accesserit, extolli ait altius humana dignitate fastigium, hominemque divinæ musicæ participem, ad commune generis humani bonum bonarum artium choros in terris, & virtutum omnium choreas instituere. hæc Plato. Corpus ergo integerrimum est vivum Dei templum, divina fundens oracula.

VERS. 21. ET UT SCIVI (ex inspiratione sapientiæ, ut sequitur, putà Dei) QUONIAM ALITER NON POSSEM ESSE (græcè, *aliter non ero*) CONTINENS, NISI DEUS DET, ET HOC IPSUM ERAT SAPIENTIÆ, SCIRE CUJUS ESSET HOC DONUM: ADII DOMINUM, ET DEPRECATUS SUM ILLUM EX TOTIS PRÆCORDIIS MEIS) Pro *continens* græcè est, *ἐγκρατὴς*, quod tria significat, Primò, voti compotem; Secundò, castum; Tertiò, continentem: quæ tria huic loco congruunt.

Continens tria significat.

Primò. Primò ergo & genuinè, sensus est, q. d. Ut cognovi, quòd non possem esse continens, id est compos voti, potens, & in potestate habens sapientiam, ut scilicet obtinerem illam adeò desideratam; nisi Deus eamdem mihi daret, ipsum adii & pro ea deprecatus sum. Totum enim Salomonis votum erat de sapientia consequenda, ut patet ex dictis. Unde & c. seq. orans & hoc votum suum explicans, non nisi sapientiam à Deo postulat. Ita Nannius, Vatabl. Jansen. Cantacuz. Osorius, a Castro, Eman. Sà, Lorin. & ceteri. *Continens* enim idem, est, quod tenens, compos, possidens. q. d. Cùm scirem me meis viribus non posse obtinere sapientiam, nec obtentam retinere, nec retentâ bene uti, nisi per Dei gratiam, hanc imploravi. Sic Eccl. 6. 28. dicitur: *Et continens factus ejus*, id est tenens vel possidens sapientiam, *ne derelinquas eam*. Et c. 15. v. 1. *Et qui continens est justitiæ*, hoc est compos justitiæ, vel qui adeptus fuerit justitiam, *apprehendet illam*, sapientiam. Et c. 27. 33. *Ira & furor, utraque execrabilia sunt, & vir peccator continens erit illorum*, id est compos aut particeps illorum erit, vel illis obnoxius. Hinc Arabicus hoc loco vertit, *& cùm cognovissem non alio modo tenerem illam, si Deus non dedisset mihi*.

Secundò. Secundò, *continens*, idem est, quod castus, qui se continet & refrænat à libidine, cujus stimuli sunt vehementissimi. Salomon enim postulare videtur castitatem, quasi individuam sapientiæ comitem, metuens ne per libidinem, ad quam natura propendebat, perderet sapientiam, uti in senio eam perdidit: quod hic præsagire videtur. Pertinet ergo *continens* ad id, quod præcessit, *Veni ad corpus incoinquinatum*: illud enim in puritate sua continere & conservare satagebat. *Continens* igitur idem est, quod in potestate tenens, frænans & coercens venereas corporis voluptates, earumque domitor, victor & dominus (hoc enim est *ἐγκρατὴς*) quod fit virtute castitatis. ita Glossa, Dionys. Holcot, Hugo Æther. de Regressu animarum cap. 32. ac Tertull. de Veland. virginib. c. 13. & S. August. lib. 6. Confess. c. 11. & epist. 89. q. 2. ubi ex hoc loco docet, continentiã non esse virium liberi arbitrii, sed gratiæ Dei: *Cùm scirem*, inquit, *quòd nemo esse potest continens, nisi Deus det. Jubet ergo Deus continentiam, & dat continentiam. Jubet per lege dat per gratiam: jubet per literam, dat per spiritum*. Ex epist. 143 ad Julianam matrem Demetriadis, cui virginitatis propositum gratulatur, sed monet hoc esse insigne donum Dei, ideoque ab eo intimis precibus lachrymisque postulandum. Idem docet Prosper contra Collat. c. 36. Continentis ergo hìc significat castitatem, non solùm virginalem, sed & vidualem & coniugalem. Triplex enim hæc castitas est donum Dei, imò coniugalis sæpè majus est donum, quàm virginalis. Experientia enim libidinis in coniugio, vehemẽs est stimulus ac tentatio ad eam extra coniugium ex speciosioribus corporibus captandam. Salomon enim cùm postulavit hanc continentiam & sapientiam, jam erat maritus, adeoque jam genuerat Roboam, uti superiùs ostendi. Ita Bellarm. lib. 2. de Monachis cap. 31. & lib. 5. de Gratia & lib. arb. c. 7.

Rursum loquitur hìc Salomon, non solum de actu continentiæ sive castitatis, sed etiam de habitu, sive ille sit acquisitus, sive infusus: omnes enim habitus, licèt acquisiti sunt dona Dei, qui est auctor omnium bonorum naturaliũ. Minùs rectè ergo Scholastici nonnulli, ex hoc loco probant præter virtutes acquisitas, dari virtutes morales à Deo infusas. Etsi enim id verius sit; tamen non satis solidè ex hoc loco & similibus probatur. Ita Gabriel Vasquez 1. 2. disp. 86. n. 12. Magis tamen loquitur hìc Sapiens de actu continentiæ, qui quotidie homini exercendus est, inter tot tamque graves libidinis occasiones & tentationes: ad quas superandas non sufficit natura, nec habitus naturalis, sed opus est peculiari gratia Dei, eaque frequenti & potenti, uti docet S. Aug. locis jam citatis, qui ex hoc loco idipsũ probat.

Superbia mater libidinis, humilitas castitatis. Gnomæ. Moraliter hìc disce, quòd humilitatis humilisq; orationis præmium est castitas, sicut superbiæ condigna castigatio est luxuria, uti docet S. Gregor. 26. Moral. 13. *Nam multis*, inquit, *sæpè luxuriæ seminarium superbia fuit; quia dum eos spiritus quasi in altum erexit, caro in intimis mersit. Hi enim secretò priùs elevantur, sed postmodum publicè corruunt: quia dum occultis intumescunt motibus cordis, apertis cadunt lapsibus corporis*. Humilitas ergo & custos pudicitiæ. Quocirca S. Ignatius epist. ad Philipp. *Qui castus est, vel continens*, inquit, *non extollatur, ne perdat mercedem suã*. S. Hier. epist. ad Demetriadem: *Non solùm putes tuum esse, quod tuli est, sed earum, quæ suam in te expressere pudicitiam* (matris atque aviæ) *& honorabiliũ nuptiarũ, cubilisq; immaculati pretiosissimũ germinavere te florem, qui perfectos afferet fructus si humiliaveris te sub potenti manu Dei*. S. August. serm. 53. de Verbis Domini: *Audeo dicere: superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur*. S. Fulgent. epist. 3. ad Probam, de virgin. cap. 18. *Ut integra permaneat Deo dicata Virginitas, sicut custoditur integritas corporis, multò amplius custodienda est humilitas cordis. Si qua enim verè virgo est Christi, non potest Christo nisi humilitate coniungi*, &c. S. Bernard. hom. 1. super Missus est: *Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis; nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem*. Et paulò post: *Ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit. Quid dicis virgo superba? Maria virginem se oblita gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virgini-*

nita-

gnitate? Respexit humilitatem ancillæ, &c. Expedit tibi vir- A *ginem non esse, quàm de virginitate insolescere.* Rorsum Cassianus libr. 2. de institut. ren. c. 18. *Sicut*, ait, *sine humilitate castitas obtineri non potest, ita sine castitate scientia obtineri nequit*; utriusque ergo, imò omnis virtutis, omnisque boni centrum est humilitas, humilisq; oratio. Unde S. Chrysost. apud Antonium in Melissa p. 1. c. 46. *Oratione*, inquit, *acquiritur conversatio Dei, seiungitur autem à Deo, qui non se coniunxerit ei per orationem: Qui verò separatur à Deo, illum prorsus necesse est adversario coniungi. Oratio custodia est temperantiæ, virginitatis sigillum, iræ castigatio, superbiæ moderatio, minime memoris iniuriarum expiatio, invidiæ demolitio, pacis confirmatio.*

Exempla. Vis exempla? Accipe. Abbas Serenus apud Cassian. collat. 7. c. 2. cum pro perfecta castitate impetranda *iugi supplicationi ac lacrymis indefessus insisteret, adveniens ad eum angelus in visione nocturna, eiusq; velut aperiens uterum, quandam ignitam carnis strumam de eius visceribus avellens, ac proiiciens, suisq; omnia ut fuerant locis intestina restituens: Ecce, inquit, incentiva carnis tuæ abscissa sunt, & obtinuisse te* B *noveris hodierna die perpetuam corporis puritatem, quam fideliter poposcisti.*

S. Thomas Aquinas iuvenis tentatus à scorto, à fratribus submisso, titione illud fugavit, moxque orans pro dono castitatis, vidit angelum zona sibi renes stringentem, dicentemque: *Accipe cingulum castitatis*, ac deinceps per omnem vitam sensu libidinis caruit, uti habet ejus Vita.

S. Cæcilia cilicio armata, cum gemitu orans cum Psalte ps. 118. *Fiat Domine cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar*, castitatem angelicam, eiusq; custodem angelum meruit obtinere; quin & eamdem Valeriano sponso, Tiburtio ejus fratri, multisq; aliis aspiravit, ac velut apis argumentosa virginum mella favosque cótexuit.

Simile exemplum de Abbate Mose recenset Palladius in Lausiaca cap. 22. de Pacone cap. 29. Vide S. August. de S. Virg. c. 39.

Illustre recensque exemplum extat in Vita S. Elzearii Comitis Arriani c. 36. Hic enim cum sponsa sua Dalphina in flore ætatis, ipso festo S. Magdalenæ post Synaxim flexis C genibus, iunctisque super Missale manibus, perpetuam Deo vovit virginitatem, hac forma: *Domine Jesu Christe, à quo omne bonum & donum proficiscitur, ego peccator fragilis & infirmus, sine tuo speciali dono non possum castè & continenter vivere: sed de tuo singulari adiutorio confidens, voveo, & promitto tibi, & sanctissimæ matri tuæ, atque omnibus Sanctis; toto tempore vitæ meæ me castè victurum, & virginitatè servaturum, quam huc usque tua benignitate in me custodiuisti. Atque huius promissionis exequendæ causa paratus sum quascumque afflictiones & pœnas, atque etiam mortem ipsam perpeti.* Denique S. Virgo Dalphina consimili modo virginitatis votum, quod iam antè secreto fecerat, publicè repetivit. Subiunxit D. Garsenda eius nutrix, illud S. Urbani Pontif. de sancta Cæcilia: *Domine Jesu Christe seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Dalphina virgine seminasti.*

Porrò mirè ad castitatem iuvat implorare opem B. Virginis: hanc enim statuit virginum reginam & castitatis præsidem: unde Ecclesia eam invocans supplicat: *Nos culpis solutos, mites fac & castos: vitam præsta puram.*

Tertiò. Tertiò, *continens* hic non solùm castum, sed & à quolibet alio vitio continentem & abstinentem significat. Unde Syrus vertit, *agnovi autem, quòd non possem domare animam meam.* Continentia enim generalis est virtus, quæ, ut docet Arist. toto l. 7. Ethic. iram, gulam, superbiam, avaritiam, acidiam, omnemq; aliam pravam mentis affectionem, sive concupiscentiam, coercet & refrænat, facitque ut homo in suis actionibus sit moderatus, modumque debitum in omnibus teneat. Hujusmodi autem moderatio est vera sapientia, quã sequenti petit oratione. Unde dicit de sapientia: *Deducet me in operibus meis sobriè*, id est temperatè & moderatè, ita scilicet, ut in omnibus modum teneam. Hinc Lyran. benè exponit: *Non possem esse continens à vitiis.* Et S. Aug. lib. 10. Confess. c. 29 locum hunc tractans, *continentiam* interpretatur abstinentiam ab omnibus vitiis: sic enim Deum alloquitur & obsecrat: *Et tota spes mea non nisi in magna valdè misericordia tua. Da quod jubes, & jube quod vis. Imperas nobis continentiam. Et cùm scirem, ait quidam, quia ne-* A *mo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum: Per continentiam quippe colligimur & redigimur in unum, à quo in multa defluximus. Minùs enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes & numquam extingueris, charitas Deus meus, accende me. Continentiam jubes, da quod jubes, & jube quod vis. Jubes certè, ut contineam à concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitione sæculi; iussisti à concubitu, & de ipso coniugio melius aliquid quam concessisti, monuisti.* Similia habet lib. 4. contra Julian. c. 3. & lib. de Peccat. merit. cap. 5. & l. de Continentia c. 1. Porrò Aristot. l. 7. Ethic. distinguit continentiam à temperantia, quod hæc plena & perfecta sit virtus; illa verò inchoata duntaxat, eò quòd adhuc versetur in lucta & pugna vitii contrarii, ac cum rebellione, & quasi seditione passionum confligat. Verùm Salomon hæc duo non distinguit, sed continentem vocat temperantem & moderatum in omnibus.

ET HOC IPSUM ERAT SAPIENTIÆ, SCIRE CU-B JUS ESSET HOC DONUM) Ita lege cum Roman. & Græcis: quare minus rectè alii legunt, *& hoc ipsum erat summa sapientia*; alii, *sapientiæ*. Pro *sapientia*, græcè est, *φρόνησις*, id est prudentia, intelligentia, sapientia. Pro *donum* græcè est *χάρις*, id est *gratia*; castitas enim est donum gratiæ Dei, idque unum è maximis, ob ejus difficultatem, & tentationes carnis assiduas & periculosissimas. Quàm hoc verum sit docet S. August. qui in concubinatu & hæresi existens, putabat continentiam à concubitu sibi esse impossibilem, eo quòd illam quæreret in viribus liberi arbitrii. Sic enim ait lib. 6. Confess. c. 1. *Propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius, cum tam stultus essem, ut nescirem, sicut scriptum est, neminem posse esse continentem, nisi tu dederis. Utique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te iactarem curã meã.* Unde idem conversus jam sapientor factus, epist. 143 *Non tantùm*, inquit, *in hoc nos adiuvat Deus sua gratia, ut amando agamus, quod discendo jam scimus; sed ut sciamus, quid agendum sit. Ita ut nemo possit esse continens, nisi Deus det, &* C *neque hoc ipsum sciens.* Quin & Cassian. collat. 12. c. 4. *Sciens*, inquit, *impurissimæ colluvionis aspergine se protinus maculandum, si vel paululum quid ab eo protectio divina discesserit, ac proinde pro perpetuitate ejus, cum omni contritione & humilitate cordis indefessis est orationibus excubandum.*

Hinc & S. August. eadem epist. 143. docet, non tantùm in fidelibus, sed etiam in Gentilibus, continentiam esse donum gratiæ Dei, affertque exemplum Polemonis, qui audiens Xenocratem de abstinentia disserentem, ex ebrioso factus est sobrius.

EX TOTIS PRÆCORDIIS MEIS) Græcè, *ex toto corde meo*, id est ex toto cordis mentisq; affectu, gemitu, desiderio & suspirio, additis quoque jejuniis, vigiliis, chameunia, id est humi cubatione (hæc enim carnem macerãt, orationem accendunt, & ad castitatem disponunt) ait Cantacuzenus. Qui sic seriò, ardenter, & quasi toto corde petunt à Deo donum castitatis, impetrant: qui verò frigidè, dubiè & dimidio duntaxat corde petunt, non impetrant, quia impetrare nolunt. Talis ante conversionem erat S. August. quem audi lib. 8. Confess. cap. 7. *At ego adolescens* D *miser valdè, miser in exordio ipsius adolescentiæ, etiam petieram à te castitatem, & dixeram: Da mihi castitatem, & continentiam; sed noli modò* (en cor non integrum, duplicē animum, inconstantem in viis suis, non directum à Deo) *timebam enim, ne me citò exaudires, & citò sanares à morbo concupiscentiæ, quam malebam expleri, quàm extingui.*

Hæc oratio Salomonis est illa de qua 3. Reg. 3. Ex hoc loco discimus, eum multis antè diebus in desiderio habuisse ac in votis sapientiam, eamque à Deo postulasse: unde in nocte dormienti in Gabaon, volens Deus votis eius satisfacere, jussit ut peteret quod vellet: & postulavit sapientiam, ut sæpè aliàs postulaverat, ac data est illi tam eximia, ut præiret omne genus hominum, ut ait S. Hieron. in 12. Eccles. (etsi in cap. 2. eiusdem libri dicat. Salomonem non fuisse sapientiorem Abraham, Mose & cæteris Sanctis, sed iis qui fuerant ante se in Jerusalem (quia *postulavit in fide, nihil hæsitans, & postulavit à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat*, ut dixit c. 1. suæ Canonicæ S. Iacobus. ita à Castro.

C A-

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ORatio Salomonis pro impetranda sapientia, cuilibet religioso & sapientię studioso, pręsertim Pręlato & principi, usurpanda. Est enim oratio hæc piis affectibus, ęquè ac rationibus efficacissimis plena; docens sapientiam esse necessariam, tam ad se, quam ad populum sapienter regendum, eo quòd ipsa norit omnia, ac sine ea homo ignorans & imbecillus nihil efficiat, quod feliciter succedat. Videtur hęc esse illa oratio qua Salomon impetravit sapientiam, de qua 3. Regum 3.9. Ex hac oratione D. Henricus Suso sub annum Domini 1350. confecit Horas de ęterna Sapientia, eius studiosis perutiles ęquè ac pias. Extant inter opera eius, & in Hortulo animę.

1. DEus patrum meorum, & Domine misericordię, qui fecisti omnia verbo tuo, 2. & sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturę, quę à te facta est, 3. ut disponat orbem terrarum in ęquitate & justitia, & in directione cordis judicium judicet: 4. da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis; 5. quoniam servus tuus sum ego, & filius ancillę tuę, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii & legum. 6. Nam & si quis erat consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. 7. Tu elegisti me regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum, & filiarum; 8. & dixisti me ędificare templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuę altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio; 9. & tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quę & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. 10. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuę, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te; 11. scit enim illa omnia & intelligit, & deducet in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia, 12. Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum justè, & ero dignus sedium patris mei. 13. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? 14. Cogitationes enim mortalium timidę, & incertę providentiæ nostrę. 15. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. 16. Et difficilè ęstimamus quę in terra sunt; & quę in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quę autem in cœlis sunt quis investigabit? 17. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis; 18. & sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines? 19. Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi Domine à principio,

VERS. 1. DEUS PATRUM MEORUM, ET DOMINE MISERICORDIÆ, QUI FECISTI OMNIA VERBO TUO) τῶ *meorum* non est in Græco: Holcot legit, *nostrorum*, putà Davidis & Patriarcharum, præsertim Abrahæ, Isaac & Jacob, qui totius Israelis, id est populi fidelis & religiosi, fuere patres, eumque optimè & sapientissimè rexerunt; qua in re ipse illos imitari cùm velit, jure idem sapientiæ donum ab eodem auctore Deo postulat. Rursum hi ob fidem & sanctitatem Deo fuere charissimi, adeò ut Deus eorum nomine glorietur, eoque vocari & invocari voluerit, dicens ad Mosen & Hebræos Exodi 3. 15. *Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob misit me ad vos; hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriæ meum in generationem & generationem.* Atque sic Deus humano generi suum nomen elargitus est, auctore Philone in libro de Abrahamo, ut habentes refugium ad preces & supplicationes, à spe bona non excluderentur, tribus illis patribus ob Dei oculos præmissis, quod meliùs facit nunc nomen Jesu Christi Domini nostri, quo nostras omnes preces claudimus & obsignamus. Nam majorum merita, & præcipuè Sanctorum, Deo proponere ad postulandum quidpiam, consuevere probi in primis viri. Ita Cantacuzenus, à Castro, Pinada & alii: Deus enim patrum, est pariter Deus filiorum, quos ipse patribus dedit, ut filius propter patrum merita, se æquè ac patribus Deum propitium exhibeat; præsertim quia id olim ipse promiserat patribus, ut cùm dixit Abrahæ. *Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, & seminis tui post te*, Genes. 17.7. Et: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli*, &c. *& benedicentur in semine tuo omnes gentes*, Genes. 22.17.

DOMINE MISERICORDIÆ) Vatabl. *beneficentiæ*, Pagnin. *pietatis*, id est summè beneficus, pius, misericors & miserator, qui peccatum homicidii & adulterii patri meo Davidi, & matri meæ Bethsabee misericorditer remisisti, ait Lyran. Unde Lucifer Calar. legit, *Domine misericordiarum*. Hoc titulo gaudet Deus, eoque invocatus postulata audit & exaudit. Misericordiæ enim proprium opus est, miserorum misereri, eisque opem ferre; atque omnes indigent Dei misericordia, ut eam velut sibi patrocinantem coram Deo allegare possint & debeant. Sic pauperes, ut stipem emendicent à divitibus, solent eorum misericordiam & liberalitatem allegare & dilaudare. Emphasim habet τὸ *Domine*. q. d. Tu es Dominus, ac dominaris infinitæ tuæ misericordiæ, æquè ac immensæ miseriæ nostræ: illam ergo velut ditissimus & liberalissimus Dominus in nos eroga, ut miseriæ tantæ succurras: abyssus enim miseriæ nostræ. Tu enim es primus & summus omnium eleemosynarius, imò *tu es pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, 2. Cor. 1.3.

Rursum, Deus propriè dicitur *Dominus misericordiæ*, quia dominium suum ostendit miserendo potiùs, quàm puniendo, vel aliud quid agendo, juxta id quod orat Ecclesia: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas*; patiens enim & clemens est potens iræ, animique sui & rerum omnium, uti ostendi Proverb. 16.32. ad illa: *Melior est patiens viro forti*.

QUI FECISTI) Conciliat sibi hoc versu Dei benevolentiam tribus Dei attributis, scilicet Primò, allegando Dei amorem & fidelitatem, quòd scilicet, sit Deus patrum suorum, eisque promiserit se eorum posteris benedicturum, id est benefacturum: rogat ergo, ut idipsum nunc fideliter, ac reipsa posteris egentibus & invocantibus præstet, ac amorem, quo prosequitur patres, testetur & extendat in filios. Secundò, allegando Dei misericordiam, ut eam sibi misero, eam poscenti more suo exhibeat. Tertiò, allegando Dei potentiam, quòd scilicet omnia verbo suo fecerit & crearit, ac proinde ei perfacile sit, rem hanc petenti annuere. Docet ergo nos hisce tribus titulis stringere, & quasi cogere Deum ad præstandum id, quod petimus: vult enim efficaci ardentique oratione & desiderio stringi & quasi cogi Deus à nobis.

VERBO TUO) Solo jussu tuo, putà in mente dicendo: Fiat lux, fiant luminaria, &c. Genes. 1. Mysticè, Verbo, id est Filio, tuo: per hunc enim Deus Pater fecit omnia. Itaque *verbum* notat tum facilitatem, tum sapientiam, qua Deus cuncta creavit. Vide dicta Genes. 1. Verbum denique, id est Filium Dei, tacitè doctorem sibi poscit Salomon, qui per incarnationem futurus erat doctor Israelis, & gentium omnium. Unde 3. Reg. 3. 9. cùm apparuit Deus Salomoni, non Patrem, sed Filium apparuisse cen-

set

ſet Pineda & alii. Imò Concil. Sirmienſe, docet in omnibus Dei apparitionibus veteris Teſtamenti, Filium duntaxat apparuiſſe, ut ſuæ incarnationi, qua viſibilis hominibus appariturus erat, præluderet.

Præclarè S. Baſilius lib. 1. contra Eunomium: *Nonne*, inquit, *cùm de Deo audimus, quòd in ſapientia omnia fecit, conditricem tunc ejus artem docemur? cùm verò quòd aperuit manum ſuam, & implet omne animal benedictione pſal. 144. providentiam ejus, quæ per omnia tranſit? cùm verò quòd poſuit tenebras latibulum ſuum pſal. 17. 12. inviſibilis naturæ ejus admonemur? Cùm rurſus è perſona ipſius Dei dicitur Malach. 3. 6. Ego ſum, & alteratus non ſum, identitatem æternam, incommutabilitatemque divinæ ſubſtantiæ diſcimus?* Quin & Plato: Bonus, inquit, eſt Deus: omnia ergo ſibi ſimillima fieri voluit: nam bonus nullius umquam rei invidia tangitur. Et Seneca lib. 4. de Beneſ. *Non mentiar, ſi dixero neminem non amare beneficia ſua, cui non cauſa ſit iterum dandi beneficii, ſemel dediſſe. Cui initio non fuiſſet ratio præſtandi, aliquid ei præſtamus, quia præſtitimus.*

Vers. 2. ET SAPIENTIA TUA CONSTITUISTI HOMINEM, UT DOMINARETUR CREATURÆ, QUÆ À TE FACTA EST) Græcè, *creaturis à te factis*. Incipit jam urgere Deum rationibus ad ſapientiam ſibi communicandam, ut officio regnandi ſibi à Deo impoſito, rectè perfungatur. Unde ablativus *ſapientia tua* poteſt referri, tum ad Deum, qui ſapienter hominem creavit velut mundi regem & dominum, ut illum regeret: tum potiùs ad hominem, quem Deus ſapientia imbuit, ut ſapienter mundum gubernaret: id enim magis ſervit Salomonis propoſito, quo Deum ſtimulat ad ſapientiam ſibi dandam, velut ſibi debitam ad ſapienter regendum. Unde pro *conſtituiſti*, græcè eſt κατεσκεύασας, id eſt reformaſti, adornaſti, concinnaſti, docuiſti, inſtruxiſti rebus neceſſariis, ſicut vas (hoc enim græcè dicitur σκεῦος) aliquod plenè per omnia formatur, concionatur, adornatur, ut ſit elaboratum, perfectum & expolitum ad ſuos uſus. Sic enim Deus in hominis corpus ex limo plaſmatum, infudit animam rationalem, eique ſapientiam indidit, ut homo eſſet perfectus, & idoneus ad regendum orbem.

Prima ergo eſt hæc ratio, q. d. Domine, qui ineffabili tua ſapientia Adamum creaſti velut regem mundi, ut dominaretur ceteris creaturis, ne illæ ratione æquè ac rectore deſtitutæ, inter ſe confligerent, aut carerent debita ſubordinatione, diſpoſitione & gubernatione, ideoque Adamum, ut idipſum præſtaret, ſapientia tua ipſi indita adornaſti & inſtruxiſti: quæſo te, ut eamdem mihi quoque indas & communices: me enim conſtituiſti regem Iſraelis, id eſt populi fidelis & Eccleſiæ tuæ: ut ergo munus regium mihi à te impoſitum ritè obeam, ſapientiam ad hoc debitam & neceſſariam mihi elargire: ego enim ſum filius hæres Adæ; ac non ſolùm urbis tuæ ſanctæ, putà Hieroſolymæ, ſed & quodammodo orbis totius à te conſtitutus ſum rector; tum quia me deſtinaſti orbis magiſtrum, ut rerum omnium naturas perſcruter & hominibus explicem: tum quia me urbis tuæ ſapientis & ſanctæ regem deſignaſti, ut ex me orbis totus veri regis ideam, verumque regendi exemplar hauriat & capiat. Quocirca Salomon Adæ in ſapientia, æquè ac jure regnandi fuit par vel ſuppar. Faciliùs enim fuit Adæ in juſtitia originali, regere creaturas ratione carentes ad nutum obedientes, quàm Salomoni poſt lapſum regere Hebræos duræ cervicis, & concupiſcentiis ſuis addictos. Unde apud interpretes problema eſt, utrius ſapientia fuerit major, Adæ, an Salomonis? & adhuc ſub judice lis eſt, aliis Adæ, aliis Salomoni primas ſapientiæ aſſignantibus.

Vers. 3. UT DISPONAT ORBEM TERRARUM IN ÆQUITATE (græcè, ἐν ὁσιότητι, id eſt *in ſanctitate*) ET IN JUSTITIA, ET IN DIRECTIONE CORDIS JUDICIUM JUDICET) *Diſponat*, id eſt gubernet: gubernatoris enim eſt omnia ſuis locis, ordinibus, gradibus, temporibus, modis & conditionibus ordinare & diſponere. Simile eſt v. 12. Unde græcè eſt διέπῃ, id eſt diſpenſet, adminiſtret, curet, præſit, moderetur, regat: hinc Deus ab Ariſtotele (ſi tamen is eſt auctor) lib. de Mundo, vocatur ὁ τὰ σύμπαντα διέπων, id eſt omnia adminiſtrans, diſponens, gubernans. Talis fuit Adam velut Dei vicarius in terra, juxta illud Geneſ. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & dominetur* ſeu *præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Hoc eſt, faciamus hominem præditum libero arbitrio, ratione & ſapientia, in quo ſit nobis ſimilis, ut gubernet mundum in ſanctitate & juſtitia, hoc eſt in cultu & religione veri Dei, & in conſervatione juſtitiæ erga alios homines.

ET IN DIRECTIONE CORDIS JUDICIUM JUDICET) Græcè, ἐν εὐθύτητι ψυχῆς id eſt *in rectitudine animæ*, vel, ut Lucifer pro S. Athanaſ. legit, *animi*; per quam S. Bonavent. & Hugo intelligunt rectam intentionem, Holcot clementiam, Lyran. dictamen rectæ rationis. Maliùs Oſorius animi æquitatem & rectitudinem accipit, q. d. Adam conſtitutus eſt à Deo rector mundi, ut animo æquo & recto, ac ab omni ſiniſtro affectu, paſſione, perſonarum acceptione libero, in neutram partem propendendo, juſtum ſuum judicium exerceret, & jus ſuum cuique diceret ac tribueret: rectitudo enim hæc adverſatur obliquitati, quâ quis ob metum vel favorem deflectit à recta juſtitiæ norma & regula, cujus fons & origo eſt lex æterna in mente Dei: qui proinde judici in mente aſſiduè cogitandus eſt, ut rectè judicet, juxta conſilium Joſaphat regis 2. Paral. 19. 6. Unde Job c. 34. 14. *Si dixerit*, inquit, *ad eum cor ſuum, ſpiritum illius & flatum ad ſe trahet*. Addit noſter Lorinus, rectitudinem vel directionem cordis, poſſe ſignificare promptitudinem, facilitatem, ac quaſi explanationem & levitatem aſperitati, hæſitationi & obſcuritati contrariam. Multi enim in judicando ſunt obſcuri, implexi, hæſitantes, tardi, aſperi, cùm judex debeat eſſe clarus, reſolutus, expeditus, planus, æquus & facilis.

Hinc Tropolog. infert Cantacuzenus: Ille, inquit, erit perfectus rex, qui ex prima mundi adminiſtratione & regno homini à Deo commendato, rationem addiſcit gubernandi *in æquitate*, id eſt ſanctè quoad ſe *in juſtitia*, quoad cognoſcendas aliorum naturas & neceſſitates, ad reddendum unicuique quod ſuum eſt, inſtar Adami cognoſcentis ſingula, & dominantis in omnia & *in directione cordis*, ſe omniaque ſua conferentis in veri Dei religionem & cultum: hoc enim affert *cor rectum*. Rectus enim illud totum, quantum quantum eſt, dirigit in Deum.

Vers. 4. DA MIHI SEDIUM TUARUM ASSISTRICEM SAPIENTIAM) Syrus, *da mihi ſapientiam à conſpectu ſedis tuæ*, Arabicus *da mihi ſapientiam eorum qui frequentant te*; græcè δός μοι τὴν τῶν σῶν θρόνων πάρεδρον σοφίαν, id eſt, *da mihi tuorum thronorum paredram*, id eſt *aſſidentem*, *ſapientiam*. Cantacuzenus per *thronos* accipit tertium ordinem angelorum primæ hierarchiæ, qui vocantur Throni: his enim inſidet Deus poſt Seraphim & Cherubim, juxta illud pſal. 79. 2. *Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim*. Magis ad litteram per *thronos* accipias ſedes regales: reges enim ſedent in thronis regiis: unde iiſdem metaphoricè ſedere dicitur Deus, qui eſt Rex regum & Dominus dominantium. quo ſignificatur ſumma & eminentiſſima Dei poteſtas & dominium in omnes reges & principes, imò in omnes angelos, totumque orbem.

ASSISTRICEM) Græcè, πάρεδρον. Alludit ad aſſeſſores Juriſperitos, qui ex veteri more dantur judicibus junioribus vel imperitioribus, ut ex eorum admonitu ſententiam rectam dicant: hi enim vocabantur πάρεδροι, deinde συγκάθεδροι, teſte Ulpiano ff. de excuſ. lib. 10. & Modeſtino ff. de offic. Aſſeſſ. l. 1. niſi malis alludi ad angelos vel genios paredros: ſic enim reges habent ſuos Archangelos paredros, qui eos in regendo dirigant. Unde Michael Archangelus erat paredrus Hebræorum, alius Archangelus erat paredrus Græcorum, alius Perſarum, Daniel 10. Sic & Socrati ſuus fuit genius paredrus, id eſt angelus vel dæmon, cujus conſilio omnia agebat, teſte Platone, & Laertio in ejus Vita. Sic magi habent paredros dæmones, qui eis arcana revelant. Sic S. Irenæus lib. 1. cap. 9. & 20. docet, Simonem Magum & Marcum habuiſſe genios paredros, qui utique non alii erant, quàm dæmones familiares: qualem et jam ſe habuiſſe aſſeruit Lutherus lib. de Miſſa angulari, & Zuinglius libr. de Supplemento Euchariſtiæ, & Calvinus epiſt. ad Bucerum. A Bucero enim monitus ipſe, ut convitiis abſtineret, reſpondit, hunc ſui non ingenii, ſed genii eſſe morbum. Vide Fevardentium in Irenæum loco jam citato, ubi variis ex antiquitate exemplis docet, quòd, ſicut Eccleſiæ paredrus adeſt Spiritus ſanctus & ſapientia, ſic hæreſiarchis paredrus aſſideat dæmon.

Paredri judices qui?

Eſt proſopopœia. Sapientiæ enim hic datur perſona, quaſi angeli vel conſiliarii, qui Deo aſſiſtat, ut ſapienter

omnia

omnia disponat, ac ab eo mittatur in terram, præsertim ad reges & principes, ut eos dirigat doceatque sapienter munus suum obire, ac subditos regere, Proverb. 1. 20. Job 28. 12.

Sic Poetæ fingunt Jovi assidere *ὁμόθρονον Δίκην*, id est æquitatem & justitiam, quam velut virginem integram, asserunt esse deam judiciorum præsidem, quòd lites dirimat & decidat. Unde Aristot. lib. de Mundo: Deus, ait, è vestigio comitem habet justitiæ præsidem, quam *Δίκην* nominant, divinæ legis vindicem, simul ac quidquam sanctionum ejus prætermissum est.

Orat ergo Salomon dicitque: Da Domine, ut sapientia, quæ tibi quasi summo omnium gubernatori assistit, mihi quoque regi consilii indigo assistat, tam in regendo, quàm in jure dicendo: nam sine sapientiæ consilio, reges nihil agere, nihil decernere debent. Da igitur mihi illam velut *πάρεδρον*, imò *πρόεδρον*, id est præsidem & antistitem, quæ mecum in solio regali sedeat, imò sola illud occupet: lubens enim omne illud ipsi cedam, ut juxta eam considentem: ego velut discipulus astem. Continuè ergo mihi adsit, adsideat & præsideat, nec unquam à meo latere discedat, ut ejus magisterio erudiat, & discam quid dicere, quid discernere, quid judicare debeam: illi enim velut magistræ in disciplinam me dedo, ipsi ut reginæ me subdo: illa ergo ceu regina à dextris mihi assistat, meque in omnibus regat & dirigat, necubi errem aut cespitem.

ET NOLI ME REPROBARE A PUERIS TUIS) *Puer* in Scriptura vel filium, vel servum significat, electum & dilectum. Sensus ergo est q. d. Noli me reiicere ex numero filiorum & famulorum tuorum, quos velut tibi dilectos, tua sapientia donasti & dotasti. nam ego sum tibi filius familias, natus ex ancilla tua, ut sequitur. Jam

Pueri triplices. Primò. Primò, Cantacuzenus per pueros accipit angelos, præsertim supremos Deo assistentes, putà Cherubinos (qui à scientia & sapientia nomen acceperunt) & Seraphinos, qui à Deo lumen accipiunt, quo alios inferiores illuminent. Hi enim sunt proximi Deo, quasi primi ejus familiæ pueri, id est filii vel famuli. Simili enim modo optat Salomon pro tanto regis munere, instar angeli Cherubini & Seraphini Deo familiarissimus esse, & lumen ab illo accipere, quod in sibi subditos & populares refundat.

Secundò. Secundò, & magis ad litteram, per pueros accipias patres & patriarchas divinorum scientia præstantes, putà Abraham, Isaac, Jacob, Davidem, &c. cum quibus etiam ut annumeretur velut filius & heres, ac sapientiæ dono insigniatur, Salomon obsecrat.

Tertiò. Tertiò, alii appositè per pueros accipiunt reges, judices & principes, qui familiares Dei esse videntur, & quasi à secretis, à consiliis, quibuscum providentiæ suæ arcana communicat, juxta illud psal. 81. 1. *Deus stetit in synagoga deorum* (hebr. *elohim*, id est principium & judicium) *in medio autem deos dijudicat*. Principes ergo & judices sunt pueri è famil ia *elohim*, id est Dei omnia judicantis & gubernantis: ut sensus sit q. d. Soles, ò Domine Deus, regibus assistricem tuam communicare sapientiam, uti Davidi patri meo communicasti: noli ergo mihi ejus filio & heredi pariterque regi eam denegare, ne ineptus sim qui Israelem regam, ac regio munere & nomine indignus inveniar. Noli ergo me gradu hoc, ordine & potestate movere: noli me eiicere, abdicare, ac veluti censura notare, præterire, & inter ejectos præteritosque censere: hoc enim est *ἀποδοκιμάζειν*. unde Senatores, qui ob insipientiam culpamve senatu submovebantur, vocabantur *ἀποδεδοκιμασμένοι*, teste Festo & Budæo in Comment. linguæ Græcæ part. 68. Orat ergo, ne ex regum sapientum albo reprobetur & eradatur ob imperitiam, ignorantiam vel insipientiam, velut indignus & rejectaneus, juxta illud Isaiæ 32. 5. *Non vocabitur ultrà is, qui insipiens est, Princeps; neque fraudulentus appellabitur, Major: stultus enim fatua loquetur*, &c.

Tropol. *Noli me reprobare à pueris tuis*, id est ne finas me labi in peccatum, ut privet tua gratia ac statu graduque filiorum Dei, fiamque servus & mancipium diaboli, ac fomes mortis & gehennæ. Ita noster Alvarez de Paz, de Vita spirituali li. 1. p. 1. c. 7. Quid est, inquit, Noli me reprobare à pueris; nisi noli permittere, ut à sapientia derelictus, quæ omnis bonitatis est fons, servi & amici tui, ò Domine, dignitatem amittam? Nam sine sapientia, id est sine luce divinitus indita, nec peccatum agnosco, unde nec detestor; nec virtutis decorem video, unde nec amo, nec assequor, nec amplector. Non est autem aliquis servus tuus & amicus tuus, sine odio peccatorum, & sine amore virtutum.

Vers. 5. QUONIAM SERVUS TUUS SUM EGO, ET FILIUS ANCILLÆ TUÆ) Putà Bethsabee, quæ post adulterium cum Davide pœnitens probam vitam duxit, nec tantùm sapientiæ, sed & prophetiæ spiritu à Deo dotata fuit, uti ostendi Proverb. 31. 1. Usurpat verba patris sui Davidis psal. 115. 6. Rursum & potiùs per τὸ *ancillæ* insinuat suam infirmitatem, & sapientiæ necessitatem. q. d. Ego sum filius *ancillæ tuæ*, id est mulieris miseræ, ex qua tamquam ex fonte quidquid infirmitatis, aut imbecillitatis, vel ignorantiæ est in me, profectum est. Nam ut dixit Job c. 14. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*. Unde statim subditur: *Homo infirmus, & exigui temporis*.

Secunda est hæc ratio, qua Salomon urget, & jure servitutis obstringit Deum ad dandam sibi sapientiam. q. d. Ego in familia tua dego, & inter domesticos tuos censeor, imò quasi verna in tui obsequio & servitute natus sum, quasi fidelium parentum te colentium fidelis filius, vetusque tui cultor, sed ancillæ miseræ miser filius. Tua ergo interest, ut ego servus tuus sapiam, & sapienter negotia mihi à te commissa administrem. Heri enim honor, utilitas & lucrum, pendet ex servi sapientia & industria, si scilicet solerter res ejus obeat, administret & peragat. Unde Officium servi allegans David orat: *Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua*, psal. 118 125. Heri enim est servo de necessariis providere: provide ergo mihi de sapientia necessaria ad regendum.

Porrò Salomon in hac oratione ita se amatorem sapientiæ cupidum prodit, ut eam tamen jam magna ex parte videatur consecutus (hæ enim rationes ejus sapientissimæ sunt) perinde ac is, qui amorem Dei à Deo ardentissimis votis efflagitat, amoris divini jam compos est. Is enim in eo inhabitans, ipsum ad tam ardentem postulationem exstimulat, summè desiderans, ut indies magnis incrementis augeatur & inardescat.

Tropolog. rex & princeps, qui servit Deo, subditorum quoque se servum agnoscat, ut eorum commodis serviat: qui enim serviunt Deo, serviunt & proximo propter Deum. Hinc Pontifex vocat se servum servorum Dei.

Allegor. Christus quatenus homo, est servus Dei, Isaiæ 49. 5. & filius B. Virginis, quæ se vocat ancillam Dei, Lucæ 1. ita Glossa Interlin.

HOMO INFIRMUS, ET EXIGUI TEMPORIS, ET MINOR AD INTELLECTUM JUDICII ET LEGUM] *Infirmus*, græcè *ἀσθενής*, id est debilis viribus, tum corporis, tum animi, præsertim judicii, ingenii, fortitudinis & constantiæ ad resistendum potentibus pauperes opprimentibus, ac ad ferendum tot tantaque regni onera.

ET EXIGUI TEMPORIS] Tum quia Salomon juvenis, sub annum ætatis vicesimum iniit regnum, cùm sapientiam à Deo postulavit, uti hic postulat. Unde ipse pro ea orans ait 3. Reg. 3. 7. *Ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum & introitum meum*, hoc est, quid agam, quomodo rem ordiar, quomodo finiam nescio; modicam enim & pauci temporis habeo experientiam, & consequenter modicum prudentiæ & sapientiæ; hanc enim parit experientia: tum quia vita mea brevis est, ideoque non sufficit ad addiscendam sapientiam tam variam & multiplicem, quæ requiritur ad gubernandum, juxta illud Hippocratis: *Ars longa, vita brevis*. Unde Tigurina vertit, *brevique tempore duraturus, & minor ad intellectum judicii & legum*; Vatabl. *adeoque junior, quàm ut justitiam legesque possim intelligere*. Rursum & potiùs *minor*, græcè *ἐλάττων*, id est *minùs sufficiens, & succumbens intelligentiis judicii & legum*, id est imbecillior, quàm ut judicia & leges possim intelligere, quibus regem instructum esse oportet. Regem enim Israel oportebat nosse omnes leges Dei, morales, cæremoniales, & præsertim judiciales (juxta has enim judicare debebat) uti jubet Deus Deuter. 17. 18. & Josue 1. 8. Adde his leges municipales, & jus consuetudinum, ac similia, quorum rex & judex peritus esse debet. Porrò leges à Deo Judæis in Pentateucho sancitas, dividunt Hebræi in affirmativas, easque numerant 248. & negativas, easque numerant 365. teste R. Mose in Duce dubiorum c. 56. & 57.

Est hæc tertia ratio urgens Deum ad dandam sapientiam, petita ex humili confessione propriæ infirmitatis, indigen-

digentiæ & necessitatis. Confitetur enim suam ignoran- A tiam, ut sapientiam nanciscatur. Nam *oratio humiliantis se penetrat nubes*, Eccli. 35. 21.

Moraliter Cantacuzenus censet, dici hominem infirmum, & minorem ad intellectum judicii & legum; quoniam ex quo semel legem transgressus est, tum ad servandam legem, tum ad exigendam legis observationem imbecillus & inefficax est: ergo sapientia, quæ legem servare docet, eadem ipsa bene imperare docet; quæ à subditis legem exigit, prius illam exigi ab ipso exactore, cui prius imperat facienda, quàm subditis.

Vers. 6. ET SI QVIS ERIT CONSUMMATUS INTER FILIOS HOMINUM, SI AB ILLO ABFUERIT SAPIENTIA TUA, IN NIHILUM COMPUTABITUR) Est hæc quarta ratio petita à necessitate sapientiæ, q. d. Sapientia adeò homini, præsertim principi, necessaria est, ut, licet sit vir; imò senex omnibus corporis animique dotibus instructus; si tamen careat sapientia, nullius sit pretii, & nihili æstimandus; quantò magis ergo mihi, qui juvenis sum infirmus, inexpertus, omniumque indigus, opus est sapientia? Huic affinis est gnome cap. 13. 1. *Vani sunt omnes* B *homines, in quibus non subest scientia Dei*. Qui enim Deum practicè novit, hic verè sapiens est, verè magnus, verè beatus, licet cetera nesciat: qui verò Deum practicè nescit, nihil scit, etiamsi cetera sciat. Unde illud:

Qui Jesum nescit, sapit, etsi cetera nescit:
Qui Jesum nescit, nil scit, si cetera noscit.

Vers. 7. TU ELEGISTI ME REGEM POPULO TUO, ET JUDICEM FILIORUM TUORUM, ET FILIARUM) Quinta & potissima est hæc ratio, quòd Salomon à Deo electus sit rex non Gentilium, sed Israelis, id est populi sapientis, fidelis & religiosi: quare regem populo longè sapientiorem, fideliorem & religiosiorem esse oportebat, ut populum in sapientia, fide & religione promoveret; alioqui grave scandalum illi daturus, & grave supplicium in Dei judicio subiturus. Hinc patet Salomonem à Deo electum esse in regem, ut Davidi in regno succederet, idque satis insinuatur 1. Paral. 29. 1. quare licet ætate esset minor, prælatum tamen fuisse Adoniæ ceterisque fratribus natu majoribus, ideoque unum ipsum è populo Dei electo fuisse electissimum: unus enim ex omnibus electus fuit in regem C populi à Deo selecti & dilecti, quem proinde Deus hic vocat suos filios & filias: quo significat eum ipsos regere debere non ut tyrannum, nec tam ut regem, quàm ut patrem, & patrem filiorum Dei, hoc est magno amore, cura & reverentia. Quocirca ex hac electione Salomon Deum urget ad dandam sibi sapientiam. q. d. Tu Domine me elegisti in regem Israelis, tuum ergo est dare mihi sapientiam ad hoc regimen non tantùm necessariam, sed & utilem commodamque. Hinc rursum patet hunc librum esse Salomonis, eo modo & sensu, quo in proœmio exposui.

Moral. hic disce, fidelis & Christiani esse regere Israelem, id est populum Dei, ut in Dei lege, cultu, obsequio eum contineat & promoveat, dirigatque ad veram salutem, & felicitatem æternam. Hujus rei causa voluit Deus Salomonem ædificare sibi templum, ut in eo coleretur, ut sequitur, adeoque templi fabrica præcipuum fuit Salomonis opus; ob quod Deus eum videtur regem creasse. Regum ergo fidelium est primò religionem, deinde justitiam & rempubl. curare & stabilire. Hujus enim basis & columen D est religio & pietas. Ita fecere Constantinus Magnus, Theodosius, Carolus Magnus, &c. qui proinde felicissimè & gloriosissimè valuere.

Regum Angliæ prisca pietas. Exempla. Ut alios taceam; hac in re enituit olim Angliæ regum devotio qui Regnum Angliæ Ecclesiæ & Pontifici Romano subjecerunt, ac tributarium effecerunt. Ita ad Leonem IV. Pont. sanctitate illustrem, qui vita functus est anno Domini 855. ex Anglia venit Agelolphus rex cum filio, regnumque suum Romanæ Ecclesiæ, singulis familiis nummo aureo in singulos annos imposito, tributarium fecit. Ita Platina, Baron. & alii.

S. Richardus Angliæ rex, dimisso regno, ac filiis apud S. Bonifacium Moguntiæ relictis, vili vestitu incognitus peregrinatus est, Romamque contendit; sed in itinere morbo correptus, Lucæ vita functus, ad cæleste regnum migravit anno Domini 771. ac miraculis claruit. Ita rex patriæ exul factus, mundi spretor, & sui contemptor, regiam coronam pro æterna vita deposuit, ac purpuram cum sacco commutavit. Filii ejus fuere S. Willibaldus, qui deinde creatus est Episcopus Eistatensis, & alter Winibaldus electus Abbas Heidenhemensis: filia verò Walpurga facta monialis, creata est Abbatissa, atque omnes ob præclarè gesta Sanctorum catalogo ascripti sunt. Ita habet ejus Vita, & Arnoldus Wion in Ligno vitæ li. 4. Philip. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, & alii.

Edouardus III. Angliæ rex, adeò in Deum & Ecclesiam Rom. pius extitit, ut cœlestè à Deo privilegium acceperit, illudque velut hereditarium ad posteros Angliæ reges transmiserit, nimirum ut manuum tactu sanent strumas, annulisque certo ritu consecratis, membrorum stupori medeantur, teste Polydoro Virgilio lib. 8.

Denique Anglia pios reges in Sanctorum catalogum ascriptos, numerat duos Eduardos, Edmundum Martyrem, duos Ethelbertos, Olvaldum, Chenelmum & Richardum jam recensitum. Qui præsens Angliæ schisma spectat, an non jure exclamet: *O domus antiqua, quàm dispari dominaris domino?* Considerent hæc Angli, & postliminio ad avitam patrum fidem, pietatem, felicitatem, & gloriam revertantur. Legant ampla duodecim privilegia, olim Angliæ regibus Catholicis à Deo concessa, quibus jam per hæresim privati sunt, apud Thomam Bozium de Signis Ecclesiæ signo 92. lib. 21.

ET DIXISTI ME ÆDIFICARE TEMPLUM IN MONTE SANCTO TUO, ET IN CIVITATE HABITATIONIS TUÆ ALTARE, SIMILITUDINEM TABERNACULI SANCTI TUI, QUOD PRÆPARASTI AB INITIO) Sexta est hæc ratio, quòd Salomon à Deo jussus sit ædificare ipsi templum, juxta ideam à Deo Mosi in fabrica tabernaculi præscriptam: ejus ergo symmetriæ, id est proportiones & dimensiones, per omnia fuere divinæ: quare ad hoc fabricandum magna opus erat sapientia. *Montem sanctum* vocat montem Moria, quem sanctificavit Abraham, offerendo in eo filium Isaac; & postea Christus, dum in ejus colle, puta in Calvaria, seipsum Deo obtulit ad nostram redemptionem & sanctificationem. Vide dicta Genes. 22. 14. Vers. 8.

SIMILITUDINEM (græcè, μίμημα, id est imitationem) TABERNACULI SANCTI TUI, QUOD PRÆPARASTI (id est priùs parasti, & jam ante fabricasti) AB INITIO) Synagogæ institutæ, quando scilicet per Mosen populum hunc ex Ægypto reduxisti, tibique in Ecclesiam selegisti. q. d. Jussisti me ædificare templum ad instar tabernaculi, quod Moses fabricavit, juxta ideam ipsi à te in monte Sina ostensam, Exodi 25. & seq. Tabernaculi duæ erant partes, Sanctum & Sanctum sanctorum. In Sancto erat altare thymiamatis, candelabrum septem calamis & lucernis lucens, & mensa panum propositionis. In Sancto sanctorum erat arca testamenti (in qua erant tabulæ decalogi digito Dei inscriptæ, virga Aaron, & juxta eam manna) cum Cherubim, & propitiatorio. Ante Sanctum sub dio erat altare holocaustorum, in quo Deo mactabantur victimæ. Unde præ ceteris meminit hic altaris, quia illud erat præcipuum templi decus & instrumentum ad sacrificandum colendumque Deum. Porrò altare Mosi in tabernaculo habebat quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine. Verùm Salomon pro toto Israele, imò pro exteris è toto orbe religionis ergò ad templum confluentibus, majus & capacius altare erexit, servata tamen proportione altaris tabernaculi. Nam ut dicitur 2. Paral. 4. v. 1. *Fecit altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.* Vide dicta Exodi 25. & seq. Porrò templum erat domus Dei, & imago cœli, in quo Deus colebatur assiduis victimis & thure, sive thymiamate: idem erat imago regni sacri & divini; in templo enim Deus, velut in suo regno, regnabat, omniaque suis legibus & ceremoniis dirigebat ad sui cultum, & populi religionem. Quare jussit Deus Salomoni fabricare templum, ut ex eo acciperet ideam regnandi. Nam in templo omnia erant suis locis, ordinibus, gradibus concinnè & religiosè disposita; ac pontifex, velut vicerex Dei, imperabat tot millibus sacerdotum & Levitarum, atque laicis omnibus ad templum venientibus: adeò ut aspicere Levitarum & sacerdotum ordines idem esset, ac cernere militum sacrorum aciem optimè ordinatam. Hinc in templo summa erat quies, summa pax, summa unio, quæ omnia in regno imitari & procurare debet rex. Vide nostrum Vilalpandum tom. 2. de Templo pa. 2. li. 5. disp. 2. ca. 29. 30. & 31. ubi docet templum habuisse simili-

Tabernaculi partes & vasa.

similitudinem tabernaculi & castrametationis populi, idem quoque ad similitudinem mundi, cæli, & hominis extructum fuisse.

VERS. 9. ET TECUM SAPIENTIA TUA, QUÆ NOVIT OPERA TUA, QUÆ ET AFFUIT TUNC CUM ORBEM TERRARUM FACERES, ET SCIEBAT QUID ESSET PLACITUM OCULIS TUIS, & QUID DIRECTUM IN PRÆCEPTIS TUIS) Tò *tua* non est in Græco. Nonnulli hanc gnomen absolutè sine nexu, ut per se consistentem accipiunt. q. d. Ac tecum, ò Domine ab olim anis temporibus erat sapientia, quæ novit opera tua, & tibi adfuit cùm orbem creares, uti ipsa de se profitetur Proverb. 8. 27. *Quando præparabat cælos, aderam*, &c. *cum eo eram cuncta componens*; Hebr. אמון *amon*, id est eram apud Deum, quasi alumnus & nutritius creaturarum, eas alendo, fovendo, gubernando. Illam ergo mitte è cæli ad me, ut mihi pariter sit *amon*, id est nutritius & rector.

Verùm aptiùs Græcoque consonantiùs, alii hanc gnomen nectunt præcedenti, putà fabricæ tabernaculi. q. d. Tu Domine olim fabricasti tabernaculum per Moysem, & nunc templum per me Salomonem, ac tecum idipsum fabricavit sapientia tua: hæc enim tibi suggessit ideam, & exemplar pulcherrimum tabernaculi & templi, juxta quam ædificares illud. Hæc enim *novit opera tua*, id est operum tuorum rationem, formam, dispositionem, æquè ac scopum & finem. Unde eadem tibi *affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres*. Meminit fabricæ orbis, quia hæc fuit idea fabricæ templi: mundus enim est imago templi; ac templum vicissim est quasi parvus mundus: unde illud c. 18. 24. *In veste poderis*, &c. *totus erat orbis terrarum*. Hinc sicut templum, sic & mundus est domus augusta Dei, &, ut Philo ait, *Mundus est templum sanctum Domini*. Rursum, sicut sapientia primitus condiderat & disposuerat mundum quasi regnum, in quo Adam sive homo, velut rex, omnibus creaturis dominaretur sobriè, modestè, sanctè, justè & religiosè, uti dixit v. 3. Sic eadem hìc designat & disponit templum, sive Ecclesiam Israel velut regnum, in quo regnet Salomon pacificè, piè & justè. Quare eamdem sapientiam ad perficiendam templi fabricam, æquè ac de regni regimen jure sibi deposcit Salomon, præsertim cùm eamdem olim Deus indiderit Beseleel, & Ooliab architectis ad fabricandum tabernaculum, Exodi 31. 2.

ET SCIEBAT, id est olim sapientia sciebat, cùm orbem conderet, & etiamnum scit, QUID SIT PLACITUM OCULIS TUIS, & QUID DIRECTUM; græcè, *εὐθὲς*, id est rectum, IN PRÆCEPTIS TUIS) Id est, quid rectissimè velis, decernas, jubeas & præcipias. q. d. Da ergo & mihi hanc sapientiam, ut sciam quid tibi sit placitum gratumque, quidque directè voluntati tuæ, legi & præceptis concordet, & consonet, ut idipsum tum in fabricando templo, tum in administrando regno exactè sequar & exequar. Pro *placitum* græcè est *ἀρεστὸν*, unde Gallicum *arrest*, id est decretum Curiæ, sive placitum. Significat sapientiam habere absolutissimam cognitionem voluntatis divinæ, atque consiliorum & præceptorum ejus, quæ vel nobis dedit, vel rebus à se factis indidit.

VERS. 10. MITTE ILLAM DE CÆLIS SANCTIS TUIS, & A SEDE MAGNITUDINIS TUÆ) Græcè, *& à throno gloriæ tuæ mitte illam*. Tò enim *mitte* repetit, ut ardorem desiderii significet. Anthropopathῶs hæc dicuntur: Deus enim cùm sit purissimus spiritus, non eget throno, nec in eo sedere potest, cum hoc sit corporum. *Thronus gloriæ* ergo vocatur locus, putà celsitudo cæli empyrei, ubi Deus Beatis gloriam suam ostendit & communicat. Inducitur ergo hic sapientia ut persona sapientissima, quæ throno Dei assistat, illique suggerat omnia quæ agenda sunt, ac deinde eadem sapientissimè exequatur. Eamdem sibi mitti postulat Salomon, ut throno suo in terris assistat secum, seque in regendo dirigat, ut sciat quid agendum sit, ac deinde idipsum sapienter secum exequatur. Sapientiæ enim duæ sunt partes: Prima, prudenter rem mente concipere & designare: Secunda, rem sapienter conceptam sapienter exequi & peragere. His omnibus significat se obsecrare, ut Deus increata sua sapientia sibi assistat, ejusque rivulum & radium, scilicet sapientiam creatam, menti suæ aspiret & indat, ut prudenter omnia prospiciat, ordinet & perficiat, tum quæ ad templi fabricam, tum quæ ad populi gubernationem spectant: certus nihil operari sine illa, ac per illam omnia referre ad Dei gloriam, ac suam populique salutem.

Symbolicè, petit Salomon sibi mitti Filium, cui ceu Verbo attribuitur sapientia, ut eam se doceat. ita D. Th. 1. p. q. 43. a. 5. Nam *mitti personam divinam*, inquit, *ad aliquem per invisibilem gratiam, significat novum modum inhabitandi illius personæ, & originem ejus ab alia*, quòd scilicet Filius oriatur, & gignatur à Patre. Vide ibidem Scholast. & Magistrum l. 1. Sentent. dist. 14. & seq. Deus Pater enim per Filium sapientiam, gratiam, omneque bonum nobis elargitur. Hac de causa Ecclesia omnes suas orationes & Collectas ad Deum Patrem concludit hac forma: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, &c. Cujus consuetudinis origo antiquissima est, ut patet ex Canone Missæ cujus auctor perhibetur S. Petrus: in eo enim omnes orationes clauduntur hoc modo: *Per Christum Dominum nostrum*. Idem videre est in Liturgia S. Jacobi, & S. Marci, licèt non tam crebrò quàm in Canone. Initium & radix hujus formulæ, fuit illud dictum Christi: *Petite in nomine meo & accipietis*. Et: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Joan. 16. 23. & sequent. Unde Christi præceptum secutus S. Paulus ita sancit Hebr. 13. 15. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus*. Et alibi passim docet Christum esse nostrum mediatorem apud Patrem, intercedere pro nobis, &c. unde ipse crebrò & alternis sæpè versibus interponit & ingeminat nomen *Jesu Christi*. Idem fecit S. Petrus ceterique Apostoli. Postea verò, cùm Pelagius hæresiarcha tempore S. August. gratiæ Christi detraheret, Ecclesia ut illum confutaret, omnes planè orationes concludit: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, &c. itaque fecit S. Gregorius, qui plurimas Officii Ecclesiastici Collectas composuit; ut patet ex ejus Antiphonario. Plura vide apud Amalarium, Walafridum, Durandum, & ceteros qui de Officiis Eccles. scripsere.

Subtiliter S. Bonavent. *Sapientia increata*, inquit, *dicitur esse in sinu Patris, gigni ex utero, ex ore procedere: primum, propter occultationem: secundum, propter consubstantialitatem: tertium, propter manifestationem: at de cælo mitti, propter illuminationem: sedere in anima, propter tranquillitatem*.

UT MECUM SIT, ET MECUM LABORET, UT SCIAM QUID ACCEPTUM SIT APUD TE) & ubi scivero exequar. Græcè, *ἵνα συμπαροῦσα μοι κοπιάσῃ*, id est, *ut simul præsens vel assistens mihi laboret*, id est *mecum laboret*, vel *collaboret*, ut legit Cantacuzenus. Sapientia enim & gratia Dei, non sola operatur bonum opus, ut vult Calvinus, sed simul cum mente & libero arbitrio hominis, cui illa cooperatur. A gratia enim habet opus, quòd sit sanctum gratumque Deo; à libero verò arbitrio, quòd sit humanum & liberum. Unde huc alludens Paulus: *Abundantius*, ait, *omnibus laboravi, non ego autem* (solus) *sed gratia Dei mecum*, 1. Corinth. 15. 10. hoc est, ut explicat S. Aug. l. de Gratia & libero arbitrio c. 15. *Non autem ego, sed gratia Dei mecum, id est non sola, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo*.

Græcum *κοπιάσῃ*, significat laborem cum molestia & fatigatione: per hanc enim homini paranda est virtus: & servorum (qualem se esse fassus est v. 5.) est assiduè laborare pro hero. Petit ergo sapientiam, quæ secum non solùm laboret, sed & laborare doceat, ac labori præsit, illumque urgeat & exigat. Unde noster Pineda lib. 3. de Rebus Salomonis cap. 6. num. 3. censet esse metaphoram ab exactoribus, qui servis laborantibus assistunt, opus exigunt, & in laborando instant, nec sinunt servos aut dormire, aut segniter agere. Ait itaque, Nec me permittas torpescere aut dormitare in regio munere exercendo; quippe qui regnant, Dei munus & opus faciunt. Exigat igitur à me sapientia mei laboris pensum, instet; & sicut ego, quippe rex, in medio sum populi instar exactoris, & episcopi inspectantis subditos, atque urgentis ut opus peragant, itaque videor cum illis laborare: ita cùm *servus sum ego tuus*, laboranti mihi, ut opus tuum peragam, adhibe exactricem, assistricem, inspectatricem sapientiam. Sapientia ergo est velut rex aut regina apum, quæ assiduè alveare obit & circumit, ut omnes apes urgeat ad laborem assiduum, ut scilicet favos quasi domos continuè extruant, in iisque mella conficiant, & condant. Eadem facit, ut labor suum sortiatur effectum & fructum. Nam sapientia adiuvante & dirigente, quis labor non felix, aut non fructuosus fuerit? Eadem cum la- *Laboranti*
collaborat
sapientia.

borante collaborans, magnum illi præbet solatium æque A ac auxilium. Quis enim laborem subterfugiat, cui secum humerum subiicit, & quasi succollat Deus? *Magna corona est communionem habere cum Deo.* ait S. Chrysost. hom. 11. in epist. ad Rom. & S. Hieron. epist. ad Heliodorum, eum impellens ad vitam Religiosam: *Paupertatem*, inquit, *times? sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terreris? at nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa jejuniis membra colligere? sed Dominus tecum jacet.* q.d. Hæc una Dei societas, ut ceteræ absint consolationes, quidquid tibi laboriosum accidere potest, demulcebit. Et S. Ambros. lib. 2. de Abraham: *Exercitata*, inquit, *mens, non aquilarum præfert imagines, nec dracones, sed in cruce Christi, & in Jesu nomine progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis.*

VERS. 11. SCIT ENIM ILLA OMNIA, ET INTELLIGIT, ET DEDUCET ME IN OPERIBUS MEIS SOBRIE, ET CUSTODIET ME IN SUA POTENTIA) Græcè, *in sua gloria*, id est gloriosa potentia: nam ut ait Sallust. proœmio in Catilinam: *In maximo imperio, maxima est gloria.* q. B d. Sapientia me custodiet per suam potentem gloriam & majestatem, ut gloriam sibi comparet vel ex meis actionibus, vel ex mei gubernatione & custodia, ut scilicet Deus gloriosus appareat in suo ministro.

Tria officia sapientiæ. Tria hic munia sapientiæ notat, eaque sibi dari deposcit. Primum est, scientia & intelligentia rerum agendarum, sive per virtutem, sive per artem, putà architectonicæ & fabricæ templi. Secundum, in exequendo & operando, prudentia, discretio, regula, norma & modus: quem significat τὸ *sobriè*, græce σωφρόνως, id est moderatè, discretè, sapienter, prudenter; postulat ergo auream mediocritatem, quæ omnium actionum nostrarum debet esse norma: hæc enim modum præscribit operationi, ne remissiùs aut ardentiùs quis operi incumbat, quàm recta ratio flagitat. Tertium est, actionis & operis custodia, ne ab hoste vel alia causa impediatur: hanc enim præstat pervigil sapientiæ providentia, indeque potentia, quæ omnia impedimenta solerter prævidet, & potenter discutit.

VERS. 12. ET ERUNT ACCEPTA (Deo & hominibus) OPERA MEA, ET DISPONAM (moderabor, administrabo, gu- C bernabo, ut dixi v. 3. græcè, διακρινῶ, id est dijudicabo, hoc est, jus suum cuique tribuam: est enim hoc verbum forense & judiciale) POPULUM TUUM JUSTE, ET ERO DIGNUS SEDIUM (græcè, *thronorum*) PATRIS MEI) Sedes sive throni in plurali, notant multas provincias & judiciorum tribunalia, quibus per suos judices & præfectos præsidebat Salomon. Optat ergo illa omnia à sapientia dirigi, quia omnium ei cura ex officio incumbebat, ut imiletur Davidem patrem suum, qui sapienter & sanctè Israelem totum gubernarat. *Principũ filii degeneres.* Nam sæpe filii à parentum, præsertim principum, virtute & moribus degenerant, cujus rei causam dedi in Proverbiis. Unde illud: *Heroum filii noxæ.* Et illud Homeri Odyssea 2.

Pauci enim filii similes patri sunt.
Plures peiores, pauci autem patre meliores.

Augustus Cæsar, Juliæ filiæ & neptis dedecora; quasi vomicas perosus, teste Sueton, exclamabat:

O utinam cælebs vixissem, orbusque periissem!

Plutarch. in Apophth. Lacon. narrat Damatriam filium, qui in bello inerter se gesserat, occidisse cum diceret: Ne- D quaquam convenire, *ut ex fortissimis parentibus natus filius ignavus, superstes esset.* Idem fecit simili filio altera Lacæna, de qua hoc apud eumdem extat epigramma:

Germen iners abeas ad tartara, teque perosus
Eurotas, cervis nec det aquam timidis.
Ignavus catulus, mala sors hinc vade sub orcum:
I Sparta indignus, quem nec ego peperi.

VERS. 13. QUIS ENIM HOMINUM POTERIT SCIRE CONSILIUM DEI? AUT QUIS POTERIT COGITARE QUID VELIT DEUS?) Septima est hæc ratio petita à celsitudine Dei. q.d. Rex à Deo constitutus est ejus in terris vicarius & interpres: quare ex Dei voluntate & mente populum regat oportet. At quomodo illam adeò arcanam expiscabitur & reiciet, nisi internuncia ejus sapientia? Illam ergo ò Domine mitte ad me. Ad hanc gnomen allusit, imò eam quasi citavit S. Paulus Rom. 11. 34. dicens: *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* Et 1. Corinth. 2. 16. *Quis enim cognovit sensum Domini?* Hinc Moses in omnibus dubiis populi regimen concernentibus, confugiebat ad tabernaculum, ibique Deum consulebat, & ab eo responsa accipiebat. Idem à Deo jubetur facere Josue per pontificem Eleazarum, Numer. 27. v. 21. Utrumque imitentur Principes & Prælati, ut in rebus perplexis Deum per orationem consulant.

Pulchrè hunc locum perurget S. Cyprian. de Singular. cleric. docetque Dei consilium & voluntatem, unicam esse justitiæ normam, justique regiminis formam. Sic enim ait; *Cujus (Dei) ita sunt mandata servanda; ut, si aliquid jusserit, quod secundum homines injustum esse videatur, justum credatur & fiat; & si justum jusserit, justum reputetur & fiat, cum sine justitia non potest esse, quod mandat, qui potens est injustitiam justificando vocare justitiam, & justitiam reprobando injustitiam probare transversam, cujus voluntas est sola & vera justitia.* *Dei voluntas norma justitiæ.* Rationem subdit: *Si enim totum quod gerimus, ad hoc tantummodo gerimus, ut Domino placeamus; profectò hoc solum erit justum, quidquid voluerit, & jusserit, & probaverit Deus, cui placere gestimus. Nam cum servi non possint à semetipsis scire quid suis dominis placeat, nisi dominorum sequantur imperia: & utique homines hominum similium sibi non valeant utilitates agnoscere, nisi acceperint quod observent. Multò magis mortales nesciunt immortalis Dei justitiam comprehendere, nisi ipse justitiarum suarum dignetur judicia demonstrare, sicut Salomon approbat, dicens: Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ; & incertæ providentiæ nostræ.*

COGITATIONES ENIM MORTALIUM TIMIDÆ, ET INCERTÆ PROVIDENTIÆ NOSTRÆ) Syrus, VERS. 14. *cogitationes enim mortalium imbecillæ, neque firmæ sunt conceptiones eorum*; Arabicus, *cogitationes mortalium sunt timores, & conceptiones*, vel *visiones, eorum periculosæ*. Probat homines præsertim reges, debere niti consilio sapientiæ & providentiæ Dei, eamque assiduè implorare, ex eo quòd hominum cogitationes; græcè λογισμοὶ, id est ratiocinationes, discursus & consilia sint timida; græce δειλοὶ, id est misera, timida, debilia, ignava, ut metuant de rei successu, ideoque tarde & segniter eam aggrediantur & prosequantur, imò non audeant ardua tentare & moliri, præsertim quia nesciunt, an Deus id velit & gratum habeat, ut conatus nostros secundet & prosperet.

ET INCERTÆ PROVIDENTIÆ NOSTRÆ) Putamus enim nostris ratiunculis & consiliis invenire media ad rem conficiendam apposita, & in executione invenimus ea debilia, infirma, defectuosa, fallacia, ac in infelicem exitum desinere: quare consulere debemus Dei providentiam, utpote securam & certam, ab eaque toti pendere. Græcè ἐπισφαλεῖς αἱ ἐπίνοιαι ἡμῶν, id est *fallaces nostræ opiniones*, ut vertit Vatabl. quia nil ferè certo scimus, sed tantùm opinamur; alii, *periculosæ adinventiones nostræ*, alii, *instabiles conceptiones nostræ*; alii, *periculo subjacent excogitata à nobis consilia*: tum quia pendent à circumstantiis plurimis & sæpè ignotis; tum quia mille casibus & modis impediri evertique possunt; tum quia in discursu sæpè hallucinamur, & paralogizamus ex mentis debilitate & cæcitate. Hinc interpres S. Chrysost. in psal. 143. vertit, *rationes hominum timidæ, & labiles inventiones eorum.* Octava est hæc ratio, petita ab infirmitate, ignorantia & improvidentia hominis: hæc enim directione sapientiæ & providentiæ Dei indiget. Unde prudenter Josaphat rex, *Cùm ignoremus*, ait, *quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*, 2. Paral. 20. 12.

CORPUS ENIM, QUOD CORRUMPITUR, AGGRAVAT ANIMAM, ET TERRENA INHABITATIO DEPRIMIT SENSUM MULTA COGITANTEM) VERS. 15. Syrus, *corpus enim corruptionis gravius est anima*, vel *grave est adversus animam*; Arabicus, *corpus corruptibile onerat animam, & terrenum habitaculum valdè aggravat intellectum multiplicis sollicitudinis*, vel *anxietatis*; græcè, *corpus enim corruptibile degravat animam* (incorruptibilem) *& terrenum habitaculum, deprimit mentem* πολυφρόντιδα, id est *multarum curarum*, *multa curantem*, ut legit S. August. lib. 2. contra Julian. Pelag. & multis curis æstuantem. Dat causam, cur cogitationes hominum sint timidæ, & incertæ providentiæ, quia scilicet corpus degravat mentem, ut non videat verum spirituale, sed tantùm umbras corporeas, quæ sæpè fallaces sunt, oculumque intuentis fallunt & decipiunt. Audi S. Bernard. sermon. de Septuages. *Sanè non simpliciter corpus, sed corpus quod corrumpitur, aggravat, immunem ab hoc gravamine primi parentis animam*

mam noveris extitisse, donec adhuc corpus gereret incorru- A *ptum. Nimirum in libertate posuit eum Deus, ut inter summa & infima versans, & in illa excederet sine difficultate & ad hæc sine illecebra aut necessitate descenderet; illa penetrans naturali vivacitate & puritate mentis: hæc auctoritate dijudicans præsidentis. Denique adducta sunt animalia ad Adam, ut videret quid vocaret ea: non ipse aliqua curiositate ductus est, ut videres ea. Non sic in nobis libera ratio, sed undique ei luctandum est. Sic enim & ab infimis visco quodam captiva tenetur, & à summis indigna repellitur: ut nec ab his sine dolore possit avelli, nec ad illa sine magno gemitu, vel rarò queat admitti.*

Corpus obnubilat mentem: cur?

Pro *deprimit* græcè est βρίθει (quasi βορίζει, à βορὰ, id est cibus) id est præ gravedine cibi vel potus, quasi dormitat corpus, & mentem pariter dormitare facit, ut cæcutiat, & quasi somnians phantasmata confundat, ut unum pro alio, falsum pro vero, dubium pro certo, fucatum pro sincero imaginetur, eligat & amplectatur. Sic enim prorsus experimur mentem, dum speculari vult verum, præsertim cæleste & divinum, degravari gravitate & pondere corporis, ac velut in somno variis phantasiis falsis & erroneis agitari, quibus offuscata dum credit & fidem adhibet, quasi nesciens & sopita decipitur, & in errorem inducitur, uti videmus fieri in phreneticis, & ebriis ac dormientibus: hi enim quod imaginantur & somniant, licèt insulsum & stultum, verum tamen & prudens putant. Idem prorsus accidit homini vigilanti, præsertim curis & cupiditatibus æstuanti. Cupiditates enim phantasiam ita afficiunt & imbuunt, ut quod illæ cupiunt, hoc phantasiæ pulchrum, verum & eligendum videatur. Hinc sæpè bonus dormitat Homerus, mens scilicet alioqui sapiens obnubilatur, confunditur, hallucinatur & errat: videt enim rem quasi per nebulam & fumum vaporum, qui è stomacho ascendunt ad cerebrum, illudque miris phantasmatibus imbuunt, quibus res prosus alia videtur, quàm in seipsa sit: nam pro vera rei specie phantasiæ, indeque menti (quæ tota pendet à phantasia) obtruditur fictum falsumque phantasma, pro vera ratione sophisma, pro vero syllogismo paralogismus, pro certa scientia opinio apparens, sed fallax: quo fit ut homines subinde, dum maximè sibi sapere videntur, tum maximè decipiant.

TERRENA INHABITATIO; græcè γεῶδες σκῆνος, id est terreum tabernaculum. ita vocat corpus: in eo enim, quasi in tabernaculo modico tempore habitat anima, quia in eo peregrina est tenditque ad cœlum, unde originem accepit. corpus verò, quia terreum, & ex terra factum, animam cælestem ad terrena DEPRIMIT) *Sensum*, id est mentem, πολυφρόντιδα, id est multarum curarum vocat, multasque res meditantem, & multis curis agitatam, anxiam & sollicitam, qualis est regum & principum, quæ proinde hinc curis pressa, inde corporis pondere degravata, ponderi & errori succumbat oportet, ni sapientiæ & gratiæ divinæ præsidio eligatur & fulciatur; quam proinde assiduè implorandam docet Salomon. Huc alludens S. Paulus 2. Cor. 5. 1. *Scimus*, ait, *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis: nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes*. Vide ibi dicta. Hinc & Plato in Cratylo censet corpus dici σῶμα, quasi σῆμα, id est sepulchrum, tamquam in eo anima, ejusque vis quasi in tumulo sepulta jaceat. Unde philosophus ille miseram animæ suæ sortem miserans, *Animula*, inquit, *sensitivum cadaver gestat*. Porrò multiplex est analogia corporis & tabernaculi: nam instar tabernaculi corpus nostrum pelle tegitur, contra externas injurias cæli: nervis ceu funiculis distenditur: ossa velut malus aliave armamenta sustentant illud: clavorum instar, quibus figatur firmeturque, videntur pedes: avellitur morte hoc tabernaculum: corrugatur cutis, laxantur nervi, nutant pedes. Ita Pineda in Job cap. 18, v. 14.

Ratio Prima.

Corpus ergo aggravat animam & mentem, quia eam uni rei, putà veritati & Deo, intentam, deorsum abstrahit ad res corporeas & sensibiles, eamque distrahit per varias imaginationes & phantasmata, quibus phantasia instar equi vagi in campo pabulum carpentis assiduè oberrat. Unde S. August. 10. Confess. c. 40. ad uniendam cum Deo mentem suspirans: *Neque in his omnibus*, ait *quæ percurro, consulens te, invenio tutum locum animæ meæ, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec à te quidquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multùm inusitatum introrsus, at nescio quam dulcedinem; quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degravat. Hìc esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo. Miser utrobique*. Et Nazianz. in Carm. 9.

Nunc, ait, cùm collecta est ratio, jamque ipse senecta
Ad metam accessi, miser heu, velut ebrius erro,
Ac sæva obliquus pugna me deprimit anguis,
Et rectè consulto rapit furtimque palamque;
Interdum mea mens ad regem fertur olympi:
Interdum in mundum devexo corpore vergit,
A quo animæ graviter læsa est pars maxima nostræ.

Vide Cassian. collat. 13. c. 7.

Secundò, quia corpus mentis aciem sua gravitate hebetat & obtundit, eamque sibi quasi similem, crassam, gravem & onerosam efficit, juxta illud Virg. 6. Æneid. *Secunda.*

Noxia corpora tardant.
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

B Tertio, quia eam fatigat & delassat, ut diu non possit continuare speculationem, orationem, meditationem: sicut lorica & arma Saulis degravabant & lassabant Davidem, ut non posset progredi. *Tertia.*

Quartò, quia eam suis phantasmatibus obnubilat, illudit & decipit, uti initio dixi. Ad hæc corpus animæ quasi vincula & compedes iniicit, ne sursum avolare possit. *Quarta.*

Quintò, quia cum mente appetitum & voluntatem ad bona spiritualia anhelantem, deprimit ad amanda sectandaque bona corporea, terrena & caduca. Unde Apost. gemens suspirat: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. 23. Et sponsa amore sponsi languens, ad eum suspirat, *donec aspiret dies* beatæ æternitatis, *& inclinentur umbræ* corporis & miseræ mortalitatis, Cant. 2. 17. Et Job c. 7. 20. *Factus sum*, inquit, *mihimetipsi gravis*. Vide S. Prosperum epist. ad Demetriad. non longè à fine, ubi docet, tentationes homini oboriri à corpore, ejusque concupiscentia degravante, sed eas vinci à C charitate mentem ad Deum sublevante. Hinc videmus longè majorem partem hominum, per omnem penè vitam occupari circa corpus, ut illi de victu, vestitu, ceterisque commodis & voluptatibus provideant, ita ut parum & rarò de anima, ejusque æterna salute cogitent. Quocirca ex hac gnome S. Cyprian. de Singular. Cleric. probat cavenda esse feminarum consortia, ne iis Clerici cohabitent: *Tunc ergo*, inquit, *cavenda sunt feminæ partecipia, quando geritur carnalium curarum continua unanimiter frequentia: quoniam inter curas suas caro semper incitamenta cupidinis provocat, & illic parit fomenta peccandi, ubi pertractans commoda sua, temporalis vitæ cogitationibus senserit paululum relaxari, sicut Salomon asserit dicens: Deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem*. Nam ut solerter advertit S. Bernard. serm. 81. in Cant. *Peccato factum est, ut corpus quod corrumpitur aggravet animam, sed amore, non mole. Nam quòd surgere anima per se jam non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens & jacens, amorem ju-* D *stitiæ pariter non admittit*. Deinde quomodo voluntas hæc fiat necessitas, pulchrè declarat: *Ita nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit: ut nec necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas, cum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Est favorabilis vis quædam premendo blandiens, ac blandiendo premens: unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox, veluti gementis sub onere necessitatis hujus: Domine, inquit, vim patior, responde pro me.* *Gnome.*

Hac de causa apposite S. Gregor. Nazienz. corpus vocat echeneidem, sive Remoram: sicut enim hic piscis exiguus affigens se navibus, earum cursum remoratur & sistit: ita & corpus animam. Sic enim canit in Præceptis ad Virgines:

Nec vitæ ipsa tuæ immittas echeneida carnem,
Quæ velut injecta properantem compede puppim
Detinet, ac tantam cogit subsistere molem.

Unde suadet arctandam esse mentem & amorem: sicut enim arctata aqua in exiguo canali sursum exilit,

ita arctata mens exilit ad Christum :

Non secus, inquit, *ipse tuum qui sic arctatur, amorem*
Te iubeo ad Christum sublato tollere fluctu.

Porrò Remora est piscis magnitudine cubiti, fusco colore, similis anguillæ, ait Oppianus lib. 1. de Piscibus. Addit Plutarch. in Sympos. decade 2. cap. 7. Remoram retardare navim, quia auget ejus humiditatem : sic corpus animam facit humidam, ideoque gravem & cæcam : nam anima sicca est sapientissima. Anima ergo in corpore velut in ergastulo inclusa tenetur, membris ejus quasi compedibus prægravatur. Est animæ corpus pro nebula, quæ illam cælestia clarè videre non sinit. Est ei pro illecebra, quæ ad malum & vetitum pertrahit. Est ei pro catena, quæ affectuum pennis vix ad sublimia volare permittit. Unde suspirat Psaltes; *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*

Denique audi S. Bernard. serm. 3. de Ascens. *Nos autem in regione ista sumus, ubi plurimum est malitiæ, sapientiæ parum, quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Per sensum hic arbitror intellectum designari, qui tunc verè deprimitur, cum multa cogitat, cum non colligit se circa illam unam & unicam meditationem, quæ concipitur de civitate illa, cujus participatio ejus in idipsum. Hujusmodi intellectum oportet deprimi, & distrahi per multa multis & multiplicibus modis. Animam verò hic æstimo dici affectiones, quæ corrupto corpore diversis passionibus afficiuntur, quæ mitigari numquam possunt, ne dicam sanari, donec voluntas unum quærat, & tendat ad unum. Duo ergo sunt, quæ in nobis purganda sunt, intellectus ut noverit; affectus, ut velit.* Subiicit deinde exempla Eliæ & Henoch: *Felices & verè felices illi duo viri, Elias & Henoch, quibus omnes materiæ & occasiones ablatæ sunt, quæ eorum intellectum impediant aut affectum, quia soli Deo viventes, nec noverunt nisi Deum, nec cupiunt nisi Deum. Denique & de Henoch legitur, Quia raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus: intellectus noster turbatus erat, ne dicam cæcatus, affectus inquinatus erat, & multum inquinatus; sed Christus intellectum illuminat, Spiritus sanctus affectum purgat.*

Ratio à Textu. QVOD CORRUMPITUR) Dat causam, cur corpus aggravet animam, quia scilicet est corruptibile. Nam *Prima.* Primò, quod est corruptibile, hoc est materiale & terrestre res enim immateriales & cælestes sunt incorruptibiles) ideoque grave & ponderosum, sicut terra est gravis & ponderosa. *Secunda.* Secundò, quia corpus corruptibile & terrestre in dies corrumpitur, & in terram, ex qua formatum est, devergit, & in eam ceu matrem & originem suam redire gestit: unde secum animam deprimit, ut in terrena devergat & propendeat. *Tertia.* Tertiò, quia corpus corruptibile hominem occupat, ut corruptioni ejus continuò occurrat, itaque à cælestibus avocat. Corpus enim dum famet, cogit hominem cibum sumere, ut fami succurrat; dum sitit, cogit hominem bibere; dum fatigatur, cogit hominem quiescere; dum friget, cogit calefacere; dum dormitat, cogit dormire, &c. Hæ sunt necessitates corporis, quibus anima invita servire cogitur. Unde pro iis orandum cum Psalte: *De necessitatibus meis eripe me*, psalm. 24. 17. Clarum hoc est in ægrotis, qui toti sunt in corpore curando, ejusque valetudine recuperanda, ut nec studere, nec meditari, nec laborare, nec quid aliud agere valeant. Imò & in sanis: hi enim tertiam ferè diei itaque partem adormiendo transigunt: duas reliquias diei partes sæpè labori manuali, prandio, cænæ, recreationi confabulationi, &c. impendunt, ut vix dimidiam horam inveniant, quam dent orationi & Deo. Hinc Origenistæ & Pythagorici censuerunt, animam à Deo creatam perfectam ante corpus, sed ob peccata à se admissa detrusam in corpus quasi in carcerem, ut scelerum pœnas lueret. Manichæi verò, inquit S. August. lib. de Hæresibus, in 46. *etsi utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque devitant, ne divina substantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carnei ligetur in prole.* Verùm hæ sunt Manis maniæ & vesaniæ.

ET DIFFICILE ÆSTIMAMUS (græcè, εἰκάζομεν, id est imaginamur, conjectamus) QVÆ IN TERRA SUNT: ET QVÆ IN PROSPECTU [græcè, *quæ in manibus*) SUNT INVENIMVS CVM LABORE. QVÆ AVTEM IN CÆLIS SVNT, QVIS INVESTIGABIT?] Vers. 16.
Græcè ἐξιχνίασε, id est *investigavit*. q. d. Nemo investigavit, nemo etiam investigabit per se, sine duce sapientia. Cantacuzenus per εἰκάζομεν, id est *imaginamur*, censet notari sensus, tum externos, tum internos, per quos à rebus sensibilibus hauriuntur imagines, id est species, quæ menti imprimuntur, ut res cognoscat, non uti sunt in se suaque essentia, sed per species quasi per colores, quibus res vestiuntur, depinguntur & quasi colorantur: quare naturas & substantias rerum non cognoscimus, sed tantùm externas earum formas & picturas. Omnia hæc ostendunt, quomodo corpus degravet animam & mentem.

SENSUM AUTEM TUUM QVIS SCIET, NISI TU DEDERIS SAPIENTIAM, ET MISERIS SPIRITUM SANCTUM TVVM DE ALTISSIMIS?) Pro *sciet*, Vers. 17.
græcè est præteritum *scivit*; S. Cyprian. de Singular. Cleric. legit, *scit*: per præteritum enim cetera tempora denotat, putà præsens & futurum. Hinc & S. Hieron. in c. 12. Zachar. pro *dederis* & *miseris* legit, *dedisti* & *misisti*. Pro *sensum*, græcè est βουλὴν, id est consilium, mentem, voluntatem. Spiritus sanctus, tum creatum hic sumi potest, putà gratia & charitas; tum increatus, putà tertia persona Sanctæ Trinitatis. Huic enim appropriatur illuminatio & sanctificatio: unde Ecclesia eum invocans ait:

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

ET SIC (malè Lyran. & Dionis. legunt, *si*) CORRECTÆ SINT SEMITÆ EORUM QUI SUNT IN TERRIS, Vers. 18.
ET QVÆ TIBI PLACENT DIDICERINT HOMINES?) Notat duplicem effectum sapientiæ & Spiritus sancti. Primus est, quòd doceat ea, quæ sunt grata Deo. Secundus, quòd ad ea opere explendum, gratiam roburque suggerat, per quam mentes reformat, & mores corrigit. Pro *correctæ*, S. Cyprianus de Singular. Cleric. legit, *directæ*.

NAM PER SAPIENTIAM SANATI SUNT QVI- Vers. 19
CUMQVE TIBI PLACVERUNT A PRINCIPIO) Hæc ultima verba desunt in Græco. Pro *sanati sunt*, græcè est, ἐσώθησαν id est servati vel salvati sunt, hoc est, liberati sunt à periculis mortis, tum corporis, tum animæ. Unde horum exempla deinceps recenset usque ad finem libri. Quocirca ab hoc versu caput decimum inchoant nonnulli. Simili modo Sapientem imitatus S. Paulus Hebr. 11. toto capite probat omnes, qui ab origine mundi saluati sunt, per fidem fuisse salvatos.

TERTIA PARS LIBRI.

In qua ſapientiæ, ejuſque fructuum exempla, è patrum hiſtoria recenſet, quibus ſapientiæ præſtantiam ac dotes hactenus recenſitas confirmat.

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

SAlutem, quam per ſapientiam adepti ſunt Adam, Noe, Abraham, Lot, Iacob, Ioſeph, Moſes, Hebræi tranſeuntes mare rubrum, merſis in eo Ægyptiis commemorat.

1 HÆc illum, qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, 2. & eduxiſti illum à delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia. 3. Ab hac ut receſſit injuſtus in ira ſua, per iram homicidii fraterni deperiit. 4. Propter quem, cùm aqua deleret terram, ſanavit iterùm ſapientia, per contemptibile lignum juſtum gubernans. 5. Hæc in conſenſu nequitiæ cum ſe nationes contuliſſent, ſcivit, juſtum, & conſervavit ſine querela Deo, & in filii miſericordiam fortem cuſtodivit. 6. Hæc juſtum à percuntibus impiis liberavit fugientem, deſcendente igne in pentapolim: 7. quibus in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis. 8. Sapientiam enim prætereuntes, non tantùm in hoc lapſi ſunt ut ignorarent bona, ſed & inſipientiæ ſuæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuiſſent: 9. Sapientia autem hos, qui ſe obſervant, à doloribus liberavit. 10. Hæc profugum iræ fratris juſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam ſanctorum: honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius. 11. In fraude circumvenientium illum affuit illi, & honeſtum fecit illum. 12. Cuſtodivit illum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi ut vinceret, & ſciret quoniam omnium potentior eſt ſapientia. 13. Hæc venditum juſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberavit eum: deſcenditque cum illo in foveam. 14. & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi ſceptrum regni, & potentiam adverſus eos, qui eum deprimebant: & mendaces oſtendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam. 15. Hæc populum juſtum, & ſemen ſine querela, liberavit à nationibus, quæ illum deprimebant. 16. Intravit in animam ſervi Dei, & ſtetit contra reges horrendos in portentis & ſignis. 17. Et reddidit juſtis mercedem laborum ſuorum, & deduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum per noctem: 18. tranſtulit illos per mare rubrum, & tranſvexit illos per aquam nimiam. 19. Inimicos autem illorum demerſit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideò juſti tulerunt ſpolia impiorum, 20. & decantaverunt Domine nomen ſanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter: 21. quoniam ſapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit deſertas.

HÆC ILLUM, QVI PRIMUS FORMATUS EST A DEO PATER ORBIS TERRARUM, CUM SOLUS ESSET CREATUS, CUSTODIVIT) *Hæc*, ſcilicet ſapientia, de qua hic omnis eſt ſermo; græcè, *hæc protoplaſtum mundi patrem, ſolumque creatum conſervavit*. Sapientia Adamum, qui primo ſolus à Deo fuit creatus & plaſmatus, ut eſſet pater omnium hominum totius mundi, cuſtodivit, ne quo caſu læderetur aut interiret, præſertim ne à feris, ſerpentibus, venenatis herbis, fulminibus & procellis, vel à dæmonibus occideretur, itaque tota hominum ſtirpes extingueretur, ſed ut viveret vegetus, ſanuſque perſeverat ad annum ætatis 930. itaque genus humanum per multos filios & filias, ac nepotes & neptes propagaret. Adam vocatur *protoplaſtus*, quia corpus ejus à Deo ex luto plaſmatum & efformatum eſt, ſicut à figulo finguntur & formantur vaſa & ſimulachra ex luto & creta: ac deinde Deus in plaſma, ſive corpus hoc, animam inſpiravit & infudit, itaque factus eſt homo in animam viventem, id eſt animal vivens, homoque rationalis. Vide dicta Geneſ. 1. & 2. Unde homines Deo fictori & factori ſuo obmurmurantes, quòd alios ſe non formarit, nec alio meliore modo & conditione eos finxerit, ut aliam ſortem, ſtatum & gradum eis daret, redarguens Iſaias cap. 29. 16. *Perverſa*, ait, *eſt* A *hæc cogitatio: quaſi ſi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori ſuo, Non me feciſti me; & figmentum dicat fictori ſuo, intelligis.* Quò alludens S. Paulus Rom. 9. 20. *O homo*, inquit, *tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Clarè verò & fusè Jeremias c. 18. 6. *Ait Dominus: Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea domus Iſrael.* Et v. 11. *Ecce ego fingo contra vos malum.* Deus ergo eſt noſtri corporis, conditionis & ſortis plaſtes, ſive figulus; lutum eſt terra & limus; plaſma ſive figmentum eſt corpus noſtrum. Vide dicta locis jam citatis. Idem à Moſe didicere Plato & Philoſophi. unde Ariſtophanes: *πλάσμα*, inquit, *πηλοῦ ἄνθρωπος*, hoc eſt, *plaſma, ſive figmentum luti eſt homo*. Et Lucianus in Prometheo ait, Minervam, quæ eſt dea ſapientiæ, finxiſſe hominem implendo ſpiritu lutum, & plaſmata, hoc eſt ſimulachra, ſua è luto efficta a- B nimando. & Cicero pro Murena de Catone juniore ait: *Finxit te ipſa natura ad honeſtatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, juſtitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem & excelſum.*

A DEO) Concurrentibus tamen ad materiam præparandã angelis, uti dixi Geneſ. 1. & 2. *τὸ à Deo* jam deeſt in Græco.

PATER ORBIS TERRARUM) Id eſt, pater omnium terrigenarum, hoc eſt omnium hominum, qui ex terra for-

formati, terræ destinati sunt incolæ & domini, ideoque propter eos terra, totusque hic mundus corporeus à Deo productus est. Denique tam Adam, quàm quisque homo ex eo prognatus, est mundi imago, imò microcosmus, id est parvus mundus. Porrò hæretici Paterniani, inquit S. August. lib. de Hæresibus in 85. inferiores partes humani corporis, non à Deo, sed à diabolo factas opinantur, & omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes, impurissimè vivunt. Hos etiam Venustianos quidam vocant. Verùm hæc est hæresis venerea.

Ad litteram ergo *pater orbis terrarum* fuit Adam, à quo omnes terrigenæ prognati sunt. Mysticè est Christus, à quo omnes terrigenæ redempti & regenerati sunt. Rursum, patres tales sunt Apostoli & viri Apostolici, qui orbem ad Christum converterunt. Ab uno exemplo disce omnes. Inter eos in Pentapoli Italiæ, urbeque Fanensi (ita dicta à prisco Fortunæ fano) eminuit S. Paternianus anno Domini 300. sub Diocletiano Imperat. qui patre Ovinio Paterno Consule Romano genitus, Diocletiani sævitiam fugiens, angeli Raphaelis ductu, velut alter Tobias, in silvam semotam concessit, ibique cum multis asseclis monasticen exercuit, summque ductorem æmulatus, vixit purissimè instar angeli, ac creatus Abbas miram virtutum fragrantiam per totam illam Italiæ oram sparsit: atque inter alia fortitudinis facinora, diabolum specie puellæ profugæ se ad nefas sollicitantem, manum igni ardenti imponens, velut fulgur in diabolum intorquens, eum fudit fugavitque. Insuper, dum rerum inopia cum monachis laboraret, patritius Senogalliensis ab angelo monitus, jumenta cibis onusta ad eosdem misit, quæ, cum locus esset incognitus, angelo duce rectà ad ipsum deducta sunt. Miraculis perpluribus claruit, claudis gressum, cæcis visum, energumenis libertatem sanitatemque restituit. Creatus Fanensis Episcopus, quà verbo, quà exemplo, ac præsertim incensa in omnes charitate, velut pater omnium, solari singulos, hortari, instruere & ad salutem traducere satagit. Erat enim fide eximius, spe magnanimus, charitate flagrans, sapientia plenus, in eleemosynis largus, humilitate mitis, justitia severus, sanctitate singularis. Hinc factum ut omnes ei acclamarent: *Pater noster es tu*, juxta illud Elisei ad Eliam: *Pater mi, currus Israel, & auriga ejus*, 4. Reg. 2. Quibus in laboribus pietatisque officiis cùm 42. annos sanctissimè exegisset, ab angelo mortis tempus modumque edoctus, magno omnibus relicto sui desiderio, gloriosus ad Deum migravit die 13. Novembris, corpore suavem exhalante odorem. Quocirca è cælo paternum in suos Fanenses conservans affectum, persæpe factiones civium dissipavit, inimicitias sustulit, pacem redintegravit, cædes impedivit, pestem famemque depulit: quin & hostes profligavit, ac nominatim cùm Urbinates Fanum obsidione cinxissent anno Domini 1517. habitu pontificali vultuque augusto, spectandum se exhibens, civibus animos addidit, hostesque terrore perculit & in fugam egit; perinde ac S. Jacobus sæpiùs Hispaniam, S. Ambrosius Mediolanum à Conrado Imp. obsessum, S. Benedictus Nursiam, S. Faustinus & Jovita Brixiam, ab hostium incursu defenderunt & propugnarunt. Sacrum ejus corpus sepulchro ejus reserato anno Domini 1551. sub Julio III. Pont. post mille ducentos annos, repertum est integrum, vultu hilari & angelico; perinde ac si recenter sepulturæ fuisset traditum, miram undique fragrantiam spargens, cujus odore multi ægri sanitati restituti sunt. Quocirca Fanenses imagini ejus hoc epigramma supplices posuere:

S. Paternianus pater urbis & orbis.

O Pater, ô custos, nostris qui raptus ab oris,
Invitus visus cedere, manè redis.

Cùm enim sacrum ejus corpus Forosempronienses pio furto sustulissent, illudque tota nocte curru Forum Sempronii versus vexissent, mane tamen eodem loco unde sublatum fuerat, inventum est. Ejus templum auxit & decoravit Justinianus Imp. ad quod cum more suo devotionis ergò contendit agricola, Argillam flumen sicco pede pertransiit. Hæc ex publicis Fanensium tabulis accepi, ac ingenti imagine expressa, Romæque excusa & approbata conspexi. Basilica Sancti peramplis, tum prædiis, tum privilegiis, dotata fuit à Zacharia aliisque summis Pontificibus, ac à Frederico Imper. diruta, restituta ab Innocentio IV. Pontif. Jure ergo S. Paternianus Italiæ, imò orbis terrarum, pater spiritalis & cælestis nuncupari potest.

CUM SOLUS ESSET) Adam enim primò solus à Deo formatus est, deinde ex costa ejus fabricata est Eva, ut ex ea filios procrearet & genus humanum propagaret, quæ proinde dicta est mater viventium; præsertim quis ex ea nascitura erat B. Virgo, quæ Christum auctorem vitæ erat paritura: Christum enim ex femina, putà ex B. Virgine, Evæ filia, natus est sine opera viri, ex virtute Spiritus sancti.

CUSTODIVIT) Adamum custodem paradisi, tum quoad corpus, ne quo casu læderetur aut moreretur, uti dixi; tum quoad animam, ne peccaret in statu innocentiæ, antequam deciperetur ab uxore; ac, postquam ab ea deceptus peccavit, & innocentiam ac justitiam originalem deperdidit, custodivit eum ne plane interiret & damnaretur, sed gratiam & pœnitentiam ei suggessit, qua a peccato resurgeret & salvaretur. Unde sequitur.

VERS. 2.

ET EDUXIT ILLUM A DELICTO SUO) Complut. legunt, ἐξείλετο, id est exemit, extulit, alii, ἐξέτεινεν, id est extendit vel extraxit, asseruit, aut vindicavit eum à delicto & lapsu suo; Syrus, *liberavit eum à casu animæ illius*; Arabicus, *& redemit eum à seductione ejus*. Hinc patet Adam pœnituisse de suo inobedientiæ, qua pomum à Deo vetitum comedit, peccato, ideoque illud ipsi fuisse remissum. imò veteres ex communi Ecclesiæ traditione & consensu tradunt, Adamum esse salvatum: quare temerarium est id negare, & favet hic Sapientiæ locus. Hæc omnia docet S. August. epist. 99. ad Evodium, ubi sic ait: *De illo primo homine patre generis humani, quòd Christus, cùm descendit ad inferos, inde, eum liberavit, Ecclesia ferè tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecumque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum Scripturarum hic expressa non proferatur auctoritas*. Idem tradit S. Irenæus lib. 3. c. 34. Epiphan. hæresi 46. S. Hilar. in psal. 119. & Canone 8. in Mat. S. Hier. in psal. 98. & in c. 20. Mat. Nazianz. orat. in S. Cyprian. S. Athanas. serm. de cruce, S. Basil. Exhortat. ad baptismum, Origen. in c. 5. ad Roman. S. Thom. lib. 4. contra Gentes cap. 52. & 53. Hugo Victor. in Genes. cap. 3. qui id probat ex illis Dei verbis: *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, &c. Genes. 3.15. ac ceteri unico excepto Ruperto in c. 3. Genes. cap. 31. cui assentiuntur veteres hæretici, ut Tatianus, Saturninus, Severus, Marcion, Valentinus, qui dixerunt Adamum esse damnatum, teste S. Epiphan. hæresi 46. & aliis. Addit S. August. lib. 2. de Peccat. merit. c. 34. (& refertur de Pœnitent. dist. 1. capit. 83. *Sicut primi homines*) quem sequitur S. Anselm. lib. *cur Deus homo* cap. 16. de utroque parente, hoc est de Eva æque ac Adamo, meritò id credi. Probat idipsum Iren. lib. 3. capit. 37. & Tertul. lib. de Pœnitentia in fine, ex eo quod confessi sint peccatum, quodque induerint se perizomatis & foliis ficulneis, quasi sacco & cilicio in signum pœnitentiæ. Et S. Ambros. asserit Adam post culpam statim ejectum de paradiso, separatum à deliciis, & ut ageret pœnitentiam, vestitum tunicam pelliceam, non sericam. S. Chrysostomus idipsum probat ex singulari amore, quo Deus ipse convenit lapsum & erexit. S. Gregorius lib. 6. epist. 31. ad Eulogium, scribit Adæ animam in peccato mortuam, non à substantia vivendi, sed à qualitate vivendi; tamen postmodum per pœnitentiam ad vitam rediisse. Leo IX. cap. *Hi duo*, de consecr. dist. 1. reddit rationem, cur *Gloria in excelsis & halleluja* in Septuagesima intermittantur? Quia, inquit, peccavit primus homo: cur in Paschate repetantur? Quoniam Christo resurgente resurrexit ille lapsus protoplastus. S. Epiphanius quoque hæresi 46. *Castigatione*, ait, *non vulgari plexus est, & è regione paradisi in exilium actus, quò memor esset bonæ vitæ per pœnitentiam in memoriam revocatæ*. Quin & Hebræorum sententia est, in suo diuturnissimo exilio Adam se consolatum psal. 92. *Dominus regnavit, decorem indutus est*, &c. à se composito.

Adam est salvatus.

Hæc est traditio Ecclesiæ.

& Eva.

Rationes.

Denique communis est Patrum sententia, Adamum in monte Calvariæ esse sepultum, ut qui primus peccati fuerat auctor, primus vim sanguinis Christi in eodem crucifixi sentiens salvaretur. Ita censet S. Athanas. Orig. Basil. Chrysost. Epiphan. Tertul. Cyprian. August. Ambros. Hieron. & alii, quos citat noster Pererius lib. 7. in Genes. cap. 46. Porrò quod obiicit Ruper. Adamum opponi Christo Roman. 5. & alibi, quòd Adam peccati, mortis & damnationis fuerit auctor; Christus verò gratiæ, vitæ & felicitatis æternæ, verum est quoad initia Adæ quando peccavit, non quoad sequentia, & præsertim

Adam sepultus in Calvariæ monte.

exi-

exitum vitæ, quando per gratiam Christi illi promissi & ex illo nasciturі, pœnitens veniam & salutem consecutus est. Decebat enim Deum, qui eum crearet, non sinere opus suum, putà protoplastum, perdi, sed eum à lapsu elevare, renovare & quasi recreare. Decebat quoque Christum, qui genus humanum redimere venerat, ut generis humani caput & patriarcham, ideoque suum quoque patrem, redimeret & salvaret: *Ut cum salvatur homo*, inquit S. Irenæus lib. 3. c. 34. *oporteat eum, qui prior formatus est homo*. Unde Adamum à Christo descendente in limbum ex eo fuisse eductum, ac cum Christo resurrexisse, docent Origen. tract. 35. in Matth. S. Athanas. orat. de Passione, S. August. q. 161. in Genes. S. Macarius hom. 11. Vide Bellarm. lib. 3. de Amissione gratiæ & statu peccati cap. ult. & Pererium l. 7. in Genes. Narratur in historia Passionis Christi, sub nomine Nicodemi, Christum in inferno, id est in limbo, manum Adam tenuisse & dixisse: *Pax tibi cu omnibus filiis tuis justis meis*; Adamum verò respondisse Christi genibus advolutum cum lacrymis & voce magna (tamen nondum receperat corpus, imò non certò constat adhuc, an receperit) *Exaltabo te Domine, quoniā suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus, clamavi ad te, & sanasti me: eduxisti ab inferis animam meam, salvasti me à descendentibus in lacum*, ps. 29. 1. & seq. Verùm hic Nicodemi liber est apocryphus. Complut. & Regil. nec non Hugo, Lyran. Dionys. hic addunt: *Et eduxit illum de limo terræ*. Verùm idipsum delent Græci & Roman. Probabiliter suspicatur Franc. Lucas in Notis hìc, verba hæc hoc modo irrepsisse. Quispiam, inquit, pro illis verbis, *Et eduxit illum à delicto suo*, supposuit, *& eduxit illum de limo terræ*: conveniunt enim litteris *delicto & de limo*. & in aliquibus libris legitur tantùm: *Et eduxit illum de limo terræ*: Postea retulit alius utrumque in textum, nempe id quod jam dixi, & illud: *Et eduxit illum à delicto suo*.

Resurrexit cum Christo.

Et dedit illi virtutem continendi) Syrus & Arabicus, *tenendi*) omnia (scilicet suo dominio & imperio: nam græcè est κρατῆσαι πάντων, id est *dominandi omnibus*, sicut rex dominans omnibus omnia continet arbitrio: Deus enim Adæ dedit potestatem in omnia animalia ceteraque terrena, juxta illud Genes. 1. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*. quæ potestas homini post peccatum reddita & renovata est, licet non ea plenitudine, & perfectione, qua data fuerat primitus Adæ, dum Deus post diluvium dixit Noe & filiis ejus: *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum universis quæ moventur super terram; omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt*.

Tropol. Deus dedit Adæ robur & vires κρατῆσαι, id est superandi omnia vitæ pericula, adversa & tentamenta; quæ post peccatum eum undique invaserunt & quasi circumvallarunt, ad illa enim vincenda, Deus illi gratiam & fortitudinem suggessit.

Quare immerito Rupertus loco jam citato, auctorem hujus libri errasse dicit, eò quòd Adæ tribuat virtutem continendi omnia, quæ soli Christo competit, ideoque librum hunc esse apocryphum. Iam enim ex decreto Concilii Trid. constat, hunc librum esse Canonicum.

Vers. 3. Ab hac ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraterni (malè aliqui legunt, *fraternitatis*; & alii, *fraternitas*) deperiit) Græce, *ab hac* (sapientia) *apostatans injustus* (Cain) ἀδελφοκτόνοις συναπώλετο θυμοῖς, id est *fratricidalibus simul deperiit furoribus*, indignationibus & furiis, quia scilicet ira & furor Cain duos perdidit, nimirum Abelum cæde, & ipsum Cainum scelere, inquit Nannius: dum enim Cain Abeli corpus transfodit, suam ipsius animam confodit. Hinc Philo lib. *quòd deterius potiori insidietur: Insurrexit*, ait, *Cain in Abelem fratrem suum, & interfecit ipsum: Prima quidem specie Abelem occisum subindicat; siu autem diligentiùs rem expendas, ipsum Cain, à seipso; proinde sic legendum: Insurrexit Cain, & occidit seipsum*, &c. Ita ipse more suo symbolice, non genuinè ad litteram. Nam Cain mox à cæde Abel cœpit cum jugi tremore & pavore, velut furiis agitatus, huc illucque vagari, omnibusque fuit abominabilis & execrabilis, ut tradunt Hebræi. Unde videtur Cain in scelere perseverasse impœnitens, ac ex uno in aliud corruisse, ideoque periisse, esseque damnatus. Addunt Paulus Burgensis, Dionys. & Oleaster in Genes. cap. 4. Cainum mersum esse diluvio tempore Noe. Verùm hoc est improbabile. Sic enim Cain vivere debuisset plus mille & sexcentis annis: tot enim fluxere ab Adam & Cain usque ad diluvium. Illud tamen verum est posteros Cain patris sui homicidium imitantes, omnes periisse diluvio, ac proinde Cainum pariter eo periisse, quia eo tota ipsius prosapia periit & extincta est: imò Cain suo scelere totum orbem perdidit diluvio, uti dicetur v. 4. Sensus ergo est q. d. Cain recedens à sapientia per iram, ex invidia in Abelum fratrem concitatam; quia scilicet respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus ad Cain autem & ad munera ejus non respexit; furore quo fratrem interfecit & ipse periit, dum fraternæ charitatis jura violavit, & prior ipse mortem peccato in orbem inductam intulit fratri, quàm ipsa natura. Itaque destitutus à sapientia fratrem interfecit, & ipse in gravissimum barathrum decidit fratricidii.

Ostendit sapientiæ necessitatem & dignitatem à contrario, putà ex damnis insipientiæ: impii enim destituti sapientia, velut luce & duce, in gravissima scelera corruerunt: cujus rei exemplum est Cain primogenitus Adæ, qui per summam stultitiam fratrem suum Abel, non alia de causa occidit, quàm quòd Deus ejus innocentiæ & sacrificio fuerit delectatus, & ut ait Joannes sua epist. 1. c. 3. 12. *Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa*. Unde Paulus ad Hebr. 11. 4. *Fide*, ait, *plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus testimonium perhibente muneribus ejus Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur*. Refertur hæc historia fratricidii Cain Genesis 4. cap. Sicut ergo Romulus Romæ conditor, Remum occidens fratricida fuit: sic & primus Adæ filius, & primus urbis Henoch in orbe conditor, perempto Abele fratricida extitit. Addit Cantacuzenus, Cainum simili nece punitum; occisum enim esse eum casu à Lamech nepote suo in venatione, cùm Lamech cæcutienti Tubalcain filius Cainum sub herbis latitantem pro fera ostendisset, ideoque & ipsum Tubalcain à patre Lamech indignante interfectum. Verùm hæc habent parum probabilitatis, uti ostendi Genes. 4. 23. Vide de scelerata vita Cain Josephum 1. Antiq. cap. 3. de infelici verò morte S. Ambros. lib. 2. de Cain, c. 9. & 10. & S. Aug. serm. 104. de Temp.

Propter quem (Cain.) cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans) Græcè, *propter quem dimersam diluvio terram sapientia iterum servavit, cum justum exiguo ligno gubernasset*; Origen. tom. 20. in Joannem, *vili ligno justum gubernans*, alii, *per vile lignum justo gubernatio*. Græcè enim est εὐτελοῦς, id est simplex, vile, tenue lignum, quod tanto diluvio, & aquarum vi molique per se resistere non poterat, ideoque *contemptibile*, ut vertit Noster, præsertim quia homines illius ævi contemnebant arcæ fabricam, ac Noe ejus fabricatorem velut delirum deridebant. Ita S. Bonavent. & Lyran. Græca hic variant: nonnulla enim legunt, δι' ὅν, id est *propter quem*, scilicet Cain; alia δι' ὅ, id est *propter quod*; scilicet scelus parricidii sive fratricidii Cain. Eodem ergo redit utraq; lectio. Sensus est q. d. Impius homicida, imo fratricida Cain, suo exemplo posteros ad idem scelus, ceteraque quælibet impulit: quo factum est, ut Deus tot tantaque eorum scelera perosus, impiam gentem totumque orbem diluvio merserit. Verùm sapientiam justum piumque Noe tunc servavit in arca, ut ipse esset seminarium humanæ posteritatis, ne illa diluvio tota interiret, sed per ejus filios & nepotes servaretur & propagaretur. vide dicta Genes. 6. & seq. Hinc Origen. in Joannem tomo 20. paulò post initium: *Quòd verò*, inquit, *diluvium seminis Cain delendi causa factum fuerit, Sapientiæ liber Salomoni inscriptus his verbis docet: Recedens autem ab ipsa (sapientia) injustus in ira sua periit, cum animis fratricidis, per quam mundatam terram rursus servavit sapientia, vili ligno justum gubernans*. Est hoc tertium exemplum, idque geminum. Per antithesin enim bifariam ostendit quanta sit utilitas sapientiæ: nam orbem perdidit insipientia & impietas Caini & posterorum ejus gigantum, inducendo diluvium; hunc servavit & restauravit sapientia & justitia Noe per arcam: unde nonnulli cum Jansenio, illud Genes. 4. 15. de Caino dictum, *Septuplum punietur*, sic intelligunt, q. d. Deus differet Caini punitionem usque in septimam generationem: tunc enim Caini posteri mensuram peccatorum ejus implebunt, qua impleta Deus toti

Vers. 4.

orbi

orbi inducet diluvium, ut eo impios cum impietate submer- A gat. Cain ergo fuit dux, pater & princeps impiorum, ob quos Deus immisit diluvium. Audi Joseph. l. 1. Antiq. ca. 3. *Ceterùm tantum abfuit, ut hac castigatione in melius vitam mutaverit, ut peior etiam sit factus, suis voluptatibus vel cum aliorum injuria indulgens, & facultates domesticas per vim ac rapinas accumulans, accitis undecumque latrociniorum & nequitiæ sociis, magister illis ad facinorosam vitam est effectus. Ad hæc simplicem hactenus vivendi rationem, excogitatis mensuris & ponderibus immutavit, pristinamque sinceritatem & generositatem ignaram talium artium, in novam quandam versutiam depravavit.* Et post pauca: *Superstite etiam tum Adamo Caini soboles sceleratissima evasit, dum posterior quisq; sit deterior, nec solùm imitatur priorum vitia, sed & superat.*

Nota τὸ *sanavit*, q. d. Cain cum posteris, per diluvium uulnus pene lethale & irreparabile inflixit toti orbi, totique humano generi; sed sapientia huic vulneri manum medicam adhibuit, illudque sanavit servando Noe per contemptibile lignum, id est per vilem & exilem arcæ fabricam, ut ille esset pater novi mundi & sæculi, ac orbem penè deletum obrutumque suis ruinis & cineribus, velut phœni- B cem redivivum suscitaret. Hoc est, quod de Noe inter ejus elogia recenset Ecclesiast. c. 44. 17. *Noe inventus est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluvio omnis caro.* Et Paulus ad Hebr. 11. 7. *Fide Noe, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, & justitiæ, quæ per fidem est, heres est institutus.* vide ibi dicta.

Porro S. Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 25. Noe à quatuor virtutibus cardinalibus celebrat: *Noe*, inquit, *quàm sapiens, qui tantam fabricavit arcam? quàm justus, qui ad semen omnium reservatus solus ex omnibus, & præteritæ generationis superstes est factus, & auctor futuræ, mundo potiùs & universis quàm sibi natus è quàm fortis, ut diluvium vinceret? quàm temperatus ut diluvium toleraret? quando introiret, qua moderatione degeret, quando corvum, quando columbam dimitteret: quando reciperet, revertentes, quando excundi oportunitatem agnosceret.*

Nota Secundò, τὸ *gubernans*. Noe enim arcæ undique tectæ erat inclusus, totusque pendebat à Dei providentia & C gubernatione: quare non alius potuit esse arcæ nauclerus & gubernator, quàm Deus. Audi S. Chrysost. hom. 21. in Genes. *An non*, inquit, *arcam hinc & illinc moveri, & non submergi à tanta aquarum, vi, cùm nullus esset gubernator, supernæ erat gratiæ? Non enim dicere potes, quòd fuerit ad modum navis, ut arte quædam illius iter dirigi potuerit* (velis vel remis,) *Arca erat undæque clausa & munita, & propter præceptum conditoris, non solùm eam lædere non potuit aquarum impetus, sed sublimior illis facta inhabitantes admodum securas fecit.* Similia habet S. August. lib. 15. de Civit. cap. 27. & S. Ambros. lib. de Arca & Noe cap. 21. Simile exemplum senis naufragi, quem in navi fluctibus in varias oras jactatum, mira providentia gubernavit Christus, narrat S. Paulinus epist. ad Macarium.

Tropol. simili cura Christus justum & electum quemlibet gubernat, ut per tot hujus vitæ procellas salvus enatet, vel enaviget ad portum salutis. Quare justus dicat cum Poeta:

Per tot discrimina rerum.
Tendimus in cælum, sedes ubi fata quietas
Ostendunt nobis.

Denique Nota τὸ *iterum*, q. d. Adam primò perdidit orbem, dum peccavit, ac peccatum in omnes posteros transmisit: merebatur enim ipse cum omnibus posteris à Deo perdidi & occidi, sed sapientiæ divinæ bonitas eum à peccato eduxit, ac posteris de Christo salvatore providit. Secundò, Cain cum posteris orbem perdidit diluvio, sed iterum cum salvavit sapientia, per Noe diluvium superans, & orbem restaurans.

Vers. 5. Hæc et in consensu nequitiæ (aliqui legunt, *superbiæ*) cum se nationes contulissent (alii legunt, *extulissent*; aliqui, *confudissent*) scivit justum, et conservavit sine querela Deo, et in filii misericordia fortem custodivit) Pro ἔγνω, id est scivit, aliqui legunt εὗρε, id est invenit. Pro *sine querela* græcè est, ἄμεμπτον, id est *inculpatum*, idque *Deo*, qui scilicet adeò erat integer vitæ scelerisque purus, ut ne Deus quidem in eo aliquod crimen notare & culpare posset. Pro *cum se nationes contulissent*, græcè est, ἐθνῶν συγχυθέντων, id est *cùm se gentes confudissent*, id est commiscuissent, conjunxissent, conspirassent, scilicet ad ædificandam turrim Babel duce & instigatore Nemrod, primo orbis rege & tyranno, ut scilicet hac turri altissima à diluvio, si quando rursus ingrueret, se defenderent, ut uult Josephus; aut potiùs, ut Nemrod superbus ibi regni & tyrannidis suæ arcem locaret, ex qua in omnes dominari, omnesque sibi subiectos continere & coercere posset, ait Hugo Victor. in Genes. imo ex qua ipse in cælum conscindere, ac contra Deum se defendere posset, uti indicat S. August. lib. 16. de Civit. c. 4. Unde Poetæ, fabulati sunt, Titanes cum Jove pugnantes montes montibus imposuisse, ut in cælum conscenderent, juxta illud Virgilii 1. Georg.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam:
Ter pater extructos disiecit fulmine montes.

Tunc Deus *scivit*, id est cognovit, amavit & conservavit, *justum sine querela*, ut superbiæ, atheismo & tyrannidi Nemrod & fabrorum turris Babel, non consentiret, sed in Dei fide & cultu fidelis persisteret: unde Deus illum unum sibi delegit, cùm reliquos omnes aversatus, illorum linguas confudit, itaque fabricam Babel impedivit, fabrosque per totum orbem dispersit; lingua ergo puniti sunt, quia lingua peccarunt. Nam ut ait S. August. lib. 16. de Civit. cap. 4. *Quoniam dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere, ut obediret Deo. Sic illa conspiratio dissoluta est.*

Quæres, quis fuit hic justus. Nonnulli putant fuisse Heber: illius enim ævo facta est fabrica turris Babel: unde ipse filium tunc natum vocavit *Phaleg*, id est *divisio*, eò quòd tunc à Deo fabrorum Babel confusæ & divisæ sint linguæ. Hinc S. August. li. 11. de Civit. c. 11. docet Heber immunem fuisse ab impietate fabrorum horum, & consequenter à confusione linguarum, ideoque ipsum cum vera Dei fide & pietate pristinam linguam retinuisse, quæ proinde ab Heber dicta sit Hebræa.

Verum quod sequitur, *Et filii misericordiæ fortem custodivit*, clarè notat Abraham, non Heber. Quare nonnulli putant hic notari bellum Abrahæ, quod gessit contra quatuor reges totidem gentium, cùm iis cæsis liberavit Lot, Genes. 14.

Meliùs alii referunt ad vocationem Abrahæ, quando omnibus Gentibus ad idololatriam deflectentibus, Deus eum evocavit Ur Chaldæum in Chanaan, ut ibi sibi soli serviret. Hæc Gentium à Deo apostasia, & defectio ad idola, cœpit in fabrica turris Babel, quæ facta est sub annum centesimum, vel potiùs centesimum septuagesimum, à diluvio, ac deinde in dies crevit & propagata est usque ad Abraham, qui natus est anno 292. à diluvio: quare alludit hic ad fabricam Babel, sed per eam designat ævum idololatriæ, quæ tunc cœpit & duravit per multa sæcula, à qua Deus Abraham ejusque posteros evocavit, & sibi in populum fidelem, suamque Ecclesiam & Synagogam separavit. Alludit enim ad illud Genes. 15. 7. *Ego sum Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum.* Vide Judith c. 5. v. 7. Unde colligas, Abrahamum numquam coluisse idola, licèt id opinetur S. Chrysost. sed semper Deum verum, uti pluribus ostendi Genes. 11. v. 26.

Addunt Hebræi in *Seder olam*, fabricam turris Babel factam esse ultimo anno vitæ Phaleg. qui fuit annus à diluvio D trecentesimus & quadragesimus (vixit enim Phaleg 239. annis, Genes. 11. 18.) quo anno Abraham, utpote natus anno 292. à diluvio, jam erat 48. annorum: quare ajunt Abraham æquè ac Noe, qui tum adhuc vivebat, interfuisse fabricæ turris Babel: Heber enim indidisse filio nomen Phaleg spiritu prophetico, quo prævidebat sub finem vitæ ejus fabricandam turrim Babel, ideoque dividendas linguas. hæc Hebræi. Verùm verius est turrim Babel fabricatam anno centesimo, ut uult S. August. vel potiùs anno centesimo septuagesimo, à diluvio, ob rationes quas attuli Genes. 10. 25. quare fabrica hæc 122. annis præcessit nativitatem Abrahæ.

Et in filii misericordia fortem custodivit) Ita legendum cum Roman. & Græcis. Quare minùs rectè Complut. legunt, *& in filiis misericordiam fortem custodivit*; alii, *& in filiis misericordiæ fortem custodivit*. q. d. Deus postquam confusione linguarum punivisset impios fabros Babel, ascivit sibi Abraham, suamque gratiam & misericordiam in ejus posteros firmam stabilemque conservavit, ita Lyran. Hugo, Holcot, & Dionys.

Sapientia roboravit Abrahamum.

Ve-

Verùm legendum est cum Romanis, *in filii misericordia*; græcè, *ἐν τοῖς σπλάγχνοις*, id est *in filii visceribus*, quod nonnulli sic exponunt q. d. Deus Abrahamum eo affectu complexus est, quo pater solet filium prosequi: Deus ob intimum & visceralem erga Abraham, quasi filium suum, amorem fecit eum resistere peccatoribus undequaque circumfusis, eumque ad sceleris communionem tentatibus: unde Vatabl. vertit, *& ut erga filium animam, conservavit constantem*. Sic Apost. ait Philip. 1. 8. *Testis mihi est Deus quomodo cupiam vos in visceribus Jesu Christi*, quòd scilicet vos diligam eo affectu, quo Christus vos *in visceribus*, id est intimè, diligit.

Secundo & genuinè, q. d. Deus Deique sapientia effecit, ut Abraham fortiter vinceret visceralem amorem & commiserationem erga filium suum Isaac, quando Deo jubente eum immolare voluit, Genes. 22. vide ibi dicta. Abraham enim ex intimis visceribus diligebat Isaac: unde summa commiseratione commota sunt ejus viscera, cùm jussus est eum mactare: sed fortitudo obedientiæ & amoris divini vicit omnem amorem & miserationem humanam, etiam filii unigeniti, qualis erat Isaac. Magno enim animi robore opus fuit Abrahæ, ut immolaret filium unicum per miraculum natum, totamque suam spem posteritatis. Deus enim promiserat Abrahæ propagandam ejus posteritatem per Isaac, ex eoque nasciturum Christum. Quare Abraham *contra spem* naturæ *in spem* gratiæ & promissionis divinæ *credidit*, scilicet ex Isaac à se immolato nasciturам sibi prolem à Deo promissam: credebat enim Deum Isaac à morte suscitaturum, Rom. 4. 18. Hebr. 11. 19. An non hæc fuit magna fortitudo fidei & obedientiæ? Hinc Abraham à S. Ambrosio vocatur *pater fidei, pater omnium credentium, princeps familiæ gentium & generationis Domini, pater electionis & piæ confessionis*. Unde Philo libr. de Abraham, ejus virtutem & robur longè extollit super omnes Gentiles, qui se aut suos amore parentum vel patriæ morti obtulerunt, aut devoverunt, uti fecere Codrus rex Athenarum, Menœceus, Aristogiton, Iphigenia, Leonidas, Epaminondas, Junius Brutus, & Decii, Hi enim, partim ex vanæ gloriæ studio, partim inviti & coacti, ad graviora mala cavenda id fecerunt. At Abraham non coactus, sed sponte & ultrò, unius Dei amore, ut ejus voluntati satisfaceret, suum Isaac propria manu jugulare, mactare & concremare Deo destinabat. Quocirca vere de Bruto primo Romæ consule, filios, eò quòd cum Tarquiniis contra rempubl. conspirassent, ad mortem condemnante cecinit Virgil. 6. Æneid.

Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido.
Infelix, utcumque ferent ea fata minores.

Secùs fuit in Abraham, qui vicit amorem filii robore amoris divini. Unde mira ejus ex misericordia & fortitudine harmonia digna est, quæ magnis laudibus celebretur: nam filium sine misericordia jugulare, tyrannicum esset, imo & belluinum: sine obedientia illæsum custodire impium esset & penitus injustum: utrumque verò conjungere, & cum misericordia erga filium, obedientiam erga Deum conciliare, fortis ac generosi animi indicium singulare. Qua de causa Deus hanc Abrahæ in obediendo fortitudinem quasi admiratus, cum juramentu ei promisit, Genes. 22. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me*. Quocirca S. Ambros. lib. 2. de Cain & Abel c. 1. de hac oblationis Abrahæ fortitudine sic scribit: *Quem* (Isaac) *sacrificii modo obtulit pater nullius motu passionis inflexus humanæ, mundam offerens Deo hostiam, vacuamque fortitudinis, & corporeæ cupiditatis immunem, cùm ipsa pietas patris devotioni cederet immolantis*: q. d. Devotio Abrahæ erga Deum vicit pietatem erga filium Isaac, ut eum pro Deo immolare destinaret. Idem lib. 1. Offic. c. 25. *Adverte*, ait, *hic omnes virtutes in uno facto. Fuit sapientiæ, Deo credere, nec filii gratiam anteferre auctoris præcepto: fuit justitiæ, acceptum reddere: fuit fortitudinis, appetitum ratione cohibere. Ducebat hostiam pater, interrogabat filius: tentabatur affectus patrius, sed non vincebatur. Repetebat filius appellationem paternam, compungebat paterna viscera, sed non minuebat devotionem. Accedit & quarta virtus temperantia. Tenebat justus & pietatis modum, & executionis ordinem. Denique dum sacrificio necessaria vehit, dum ignem adolet, dum filium ligat, dum gladium educit, hoc immolandi ordine meruit ut filium reservaret*. Et S. August. serm. 73. de Tempor. *Hilariùs*, inquit, *accingebatur, qui nec timorem facinoris formidavit, nec implere quod jussus est degener animus dubitavit: spes illa futura tot gentium, jubetur occidi paterna manu. Devotus pater eo voto suscepit parricidium, quo susceperas filium: nec refers utrùm impendat, aut perdat, dum quoquo modo quod acceperat reddat. O Domine piissime, quem scis patri dilectum, quid imperas victimandum?* Et post nonnulla: *Videte fratres Abraham patientia fortem, devotione constantem, non cum aliqua fera luctantem, sed cum natura pugnantem. Devotio dicebat, Percute: pietas clamabat, Parce. Illa revocabat, ista provocabat. Filius tunc moriturus jacebat, erigit dexteram feriturus*.

Paulò aliter vertit Syrus, *& Abraham filium misericordiarum* (id est summè misericordem) *custodivit*. Deus enim misericordes tuetur & custodit. Unde Arabicus, *& custodivit eum in clementia*, vel *pietate, illius in filium suum*. q. d. Deus Abraham ob pietatem in filium, quem tenerrimè amabat, custodivit, ut, dum jussu Dei vellet eum immolare, cùm tamen actu non immolaret, sicque & filium patri, & patrem filio à morte servavit & custodivit, dum per angelum stitit ejus manum & gladium, ac præceptum de immolando filio revocavit.

Allegor. *in visceribus filii*, id est per viscera Christi Abrahæ filii: ejus enim meritis, ejusque misericordia viscerali præstitum est Abrahæ, ut suum Isaac Christi antitypum, Deo fortiter immolare vellet. ita à Castro. Est hoc quartum sapientiæ exemplum editum in Abraham, sequitur quintum editum in Lot & Pentapolitis.

HÆC JUSTUM (LOT) A PEREUNTIBUS IMPIIS LIBERAVIT FUGIENTEM, DESCENDENTE IGNE IN PENTAPOLIM) Celebrat liberationem Lot, qua, dum igne sulphureo, & quasi fulmineo siderata conflagraret Pentapolis ob ejus scelera, præsertim libidinis contra naturam, ipse castus justusque, per angelos hoc incendio eductus & liberatus est. Pentapolis vocabatur illa regio, quia erant in ea quinque civitates, scilicet Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim & Segor, licet ultimæ Segor parcitum sit à Deo, ob preces Lot in eam confugientis. Jam tota Pentapolis versa est in mare salsum sive mortuum, quod à bituminis copia vocatur lacus Asphaltites. Vide dicta Genes. 19. *Pentapolis* ergo græcè idem est, quod latinè *quinque urbes*, sive regio complectens quinque urbes. Porrò Pentapoles in variis orbis partibus fuere variæ. Prima hæc fuit in Palæstina, cujus quinque urbes infanda libidine infames, ideoque cælesti igne crematæ, fuere jam nominatæ. Secunda fuit in Africa, de qua Plinius lib. 5. cap. 5. in qua celebrarunt Concilium anno Domini 411. Episcopi quinque urbium, scilicet Berenices, Arsinoes, Ptolemaidis, Apolloniæ & Cyrenes. Tertio, Ptolemæus lib. 5. aliam Pentapolim ponit cujus quinque urbes recenset, Laodiceam, Antiochiam, Amaseam, Ptolemaidem, Palmiram. Quartò, in Concilio Ephesino invenitur Zenobius Episcopus Barræ civitatis in Pentapoli. Quintò, Italiæ Pentapolis fuit in Umbria, putà in Gallia Senonum, sive agro Gallico ad mare Adriaticum, testibus Reginone, Paulo Diacono, Nicephoro ac Sigonio libro de Regno Italiæ, cujus quinque urbes sunt, Ancona, Senogallia, Fanum, Pisaurum, Ariminum. Et quia Fanum erat meditullium ceterarum quatuor; hinc ea in urbe erat supremum tribunal hujus Pentapolis, quæ proinde dicta est *Urbis juris*, pro quo corruptè nonnulli legunt *viris*, cujus Episcopi sanctitate celebres, ideoque tutelares fuere S. Paternianus anno Domini 300. S. Eusebius anno Domini 500. sub Symmacho Pontif. S. Fortunatus anno Domini 592. S. Ursua anno Domini 625. cujus festum Fanenses celebrant 15. Maii: quod dum spernit agricola nomine Leo, monitusque superbè obstreperet: *Si ille est Ursus, ego sum Leo* (vel, ut alii veriùs, *ego sum canis*) terra dehiscente, vivus cum bobus & aratro absorptus est: voraginis vestigium in hodiernum diem extat in villa dicta *de Bellochi*.

DESCENDENTE IGNE] Ut Pentapolitæ, qui arserant libidine, ardentes igne, utque terra adeò nequam crematur, ne quod malum semen in ea restaret, quod fructum perversum germinaret. Unde Origen. in Joann. tom. 20. citans hunc locum. Sodomæ conflagrationem magis tribuit bonitati, quàm iræ Dei: *At certè*, ait, *Dei boni officium fuit Sodomorum terram delere, & quidquid relictum fuisset ex ea humiditatis, arefaciendo, ne imposterum orireatur vitis Sodomorum, neque malleolus Gomorrhæ, neque*

Vers. 6.

Pentapoles variæ.

que uva iræ, neque botrus amaritudinis, ac ne vinum quidem, furor draconum, & venenum aspidum insanabile. Simile quiddam dices etiam de Ægyptiis, de quibus dictum est: Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina. Boni enim Dei esse interficere vineas Ægyptiorum, & moros impiorum.

VERS. 19. QUIBUS IN TESTIMONIUM NEQUITIÆ FUMIGABUNDA CONSTAT DESERTA TERRA, ET INCERTO TEMPORE FRUCTUS HABENTES ARBORES, ET INCREDIBILIS ANIMÆ MEMORIA STANS FIGMENTUM SALIS) Tria profert impiorum Pentapolitanorum nequitiæ, æquè ac divinæ in eos vindictæ testimonia, quæ permanserunt & permanent usque in hodiernum diem, ut divinam in impios iram mortalibus testentur, eosque à sceleribus absterreant. Primum est: *terra deserta* fumigans: hic enim fumus judicii Dei in se acti, putà incendii, quo conflagravit Pentapolis, index est, ac symbolum incendii infernalis, quo ardent Sodomitæ ceterique impii. Sensus ergo est q. d. In Pentapolitanorum sceleris vindictam & testimonium *constat*, id est, extat terra eorum in solitudinem redacta, quæ etiamnum fumigat, quasi ignis e cælo pluvit, quo deflagravit, reliquias adhuc servans. Exhalat enim continuum fumum & sulphur, ut ait Philo libr. de Abraham: Exhalat, inquam, tum mare Mortuum, sive lacus Asphaltites, tum terra illi adiacens & vicina, uti mox ostendam. Unde Borchardus lib. 1. Histor. c. 5. & 6. *Mare Mortuum*, ait, *semper est fumans & tenebrosum, quasi os inferni, sicut oculis meis aspexi, ob tetrum vaporem inde fumantem, qui quocumque deferente vento pertingit, cuncta sterile facit.* Pentapolis ergo est umbra & imago gehennæ. Spectate eam pæderastæ, ac in ea, quod vos manet supplicium intuemini. Discite munditiam moniti, ac horrere Tonantem.

Secundum est, *incerto tempore fructus habentes arbores*; græcè, ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτὰ, id est *imperfectis tempestatibus fructus ferentes plantæ*. ὧραι ἀτελεῖς dicuntur tempora frugum inchoata, numquam perfecta. Plantæ ergo Pentapoleos ita semper se habent, ac si numquam esset certum tempestivumque maturis frugibus tempus, id est ferunt fructus, qui numquam ad maturitatem perveniunt. Terra enim à Deo maledicta vim maturandi non habet: unde aliqui vertunt, *imperfecta maturitate fructus ferentes planta*: ὥρα enim significat tempestivitatem maturitatis, sive tempus maturandis frugibus à natura destinatum, quod in Pentapoli semper est imperfectum, id est intempestivum & immaturum, ideoque semper producit fructus immaturos, imperfectos, ac necdum plenè formatos. Unde Origen. tomo 20. in Joannem habet, *& plantæ intempestivum fructum ferentes*. Sic & Vatabl. Noster vertit, *incerto tempore*, quia nullum certum tempus est, quo in Pentapoli fructus maturescant, uti fit in aliis regionibus, quia semper sunt immaturi: fructus ergo incerti temporis, sunt intempestivi, & immaturi. Nam fructus, qui certo & à natura statuto tempore, v. g. in autunno, non maturescunt, numquam maturescunt. Ad maturationem enim requiritur calor, sed temperatus; calore caret hiems, temperie æstas: quare hiems fructus maturare nequit: æstas verò eos non maturat, sed adurit. Unde Arabicus, *& plantæ ejus fructificabunt in temporibus fructus imperfectus* Syrus, *& arbores quæ sunt intra eas civitates fructus non faciunt*. Nota, Pentapolim, quæ olim erat amœnissima & fertilissima, ut vocaretur paradisus Dei, post scelera & ultionem Dei versam esse, partim in lacum Asphaltitem sive mare Mortuum, partim in terram exustam, in qua, ut ait Joseph. l. 5. de Bello c. 5. *Adhuc divini ignis reliquias, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renascentes in fructibus cineres, qui colore quidem sunt edulibus similes, carpentium verò manibus in fumum dissolvuntur & cinerem*. Idem tradit Solinus Polyhist. c. 37. & Tacitus lib. 5. Hist. ac Tertull. in Carmine de Sodoma, & S. Aug. 21. Civit. c. 8. Denique Jansenius ex Græco clarè vertit, *& imperfecta* vel *inconsummata pulchritudine & maturitate fructificantes arbores*: ὥρα enim hic, inquit, non tam tempus significat, quàm pulchritudinem & maturitatem; unde ὡραῖος, id est pulcher vel maturus.

Tertium est, *incredibilis* (græcè ἀπιστούσης, id est *incredulæ*) *animæ memoria*; græcè μνημεῖον, id est monumentum, *stans figmentum salis*; græcè στήλη, id est *columna salis*, vel simulacrum salis, aut titulus salis, uti sunt lapides titulares, qui in memoriam personæ vel rei alicujus eriguntur. Designat uxorem Lot, quæ cum eo fugiens è Sodoma, ac contra præceptum angeli curiosè respiciens retrò, ut conflagrantem Sodomam aspiceret, ob incredulitatem & inobedientiam versa est in statuam salis, metallici scilicet, quod imbribus resistit, & soliditate sua ędificiis est utile, teste Plinio. Vocatur *incredula*, quia non credidit quidquam referre ad incolumitatem & salutem suam, si respiceret retro, nec ne. Jusserat autem Deus per angelum, ne retrò respiceret, tum ad obedientiam ejus exercendam, tum ut citiùs fugeret à Sodoma, tum ut omnem misericordiam, communionem & memoriam impiissimorum Sodomitarum ei adimeret. Hinc liquet, statuam hanc superfuisse tempore Salomonis, imo Josephus eam se vidisse docet lib. 1. Antiqu. quin & etiamnum eam extare inter Engaddi & mare Mortuum docent oculati testes Borchardus, Bredenbachius, Saligniacus, & ex iis Adrichomius in Descriptione terræ sanctæ. Addit Tertul. in Carmine de Sodoma, duo de statua hac rara & inaudita:

1. *Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,*
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
2. *Dicitur & vivens alia jam corpore sexus,*
Munificos solito dispungere sanguine menses.

q. d. Patitur menstrua more mulierum. Sapienter S. Prosp. lib. 1. de Prædict. & promiss. c. 16. *Hæc salis statua*, inquit, *suo exemplo fatuos condivit, in proposita sancta, quò tendunt proficientes, noxia curiositate retro non debere respicere*. Eamdem causam cur in sal potiùs, quàm in quid aliud sit versa, dat Rupert. Et S. August. serm. 29. de Verbis Domini secundùm Lucam: *Nihil ergo*, inquit, *tam inimicum spei quàm retro respicere, id est, in eis rebus quæ præterlabuntur & transeunt, spem ponere; sed in his quæ nondum datæ sunt, sed dandæ quandoque, quæ numquam transibunt, nos sperare. Quando autem scatet tentationibus mundus velut pluvia Sodomæ sulphurea, metuendum est exemplum uxoris Lot. Retrò enim respexit, ibi remansit. In salem conversa est, ut prudentes condiret exemplo.* Deinde spem comparans ovo, ex quo speratur pullus, qui nondum est: *Ovo tua*, inquit, *scorpium time: vide, quia de cauda percutit, quam retrò habet. Non ergo perimat scorpius ovum tuum, mundus iste spem tuam*, &c. *ut retrò respicias, id est, ut in rebus præsentibus spem ponas, & ab eo quod promisit Christus, & nondum dedit, sed, quia fidelis est, dabit, avertas animum tuum*. Plura de Pentapolis strage dixi Genes. 19.

SAPIENTIAM ENIM PRÆTEREUNTES, NON TANTUM IN HOC LAPSI SUNT UT IGNORARENT BONA, SED ET INSIPIENTIÆ SUÆ RELIQUERUNT HOMINIBUS MEMORIAM, UT IN HIS QUÆ PECCAVERUNT, NEC LATERE POTUISSENT) id est possent. Pro *prætereuntes* græcè est, παροδεύσαντες, id est extra viam excedentes, exorbitantes, scilicet à sapientia. Pro *lapsi sunt* græcè est, ἐβλάβησαν, id est læsi sunt, damnum incurrerunt, in detrimentum lapsi sunt. *Ut ignorarent bona*, græcè καλά, id est honesta, item utilia & jucunda honestis annexa. Sensus est q. d. Impii Pentapolitæ ceterique eis similes, sua insipientia duplex sibi damnum accersiverunt. Prius, quòd vera bona virtutis, ac consequentis ex ea felicitatis & glorię, ignorarint, ideoque in scelera Deique vindictam acerrimam inciderint. Posterius est, publicum dedecus & infamia, quòd scilicet eorum scelera latere non possint, sed statuta sint in publicum toti mundo paradigma & exemplum, per monumenta vindictæ, quæ Deus superesse totique orbi ostentare voluit ut eorum exemplo ceteri sapiant, ac Deum timeant, & ab ejus offensa se coerceant.

SAPIENTIA AUTEM HOS, QUI SE OBSERVANT, A DOLORIBUS (græcè, *à laboribus*, sed labores post lapsum hominis sunt dolorosi, æquè ac dolores laboriosi) LIBERAVIT) Pro *qui se observant* græcè est, θεραπεύοντας αὐτήν, id est religiosè illam colentes & venerantes. Unde à S. Dionys. de Eccles. hierarc. Religiosi & monachi vocantur θεραπευταί, quasi religiosi Dei unius cultores, totique ejus obsequiu addicti. Sapientia enim sacra est, utpote divina, imò idem cum Deo sacrum ergo & divinum cultum sibi deposcit. Est antithesis, q. d. Sapientia suos desertores, v. g. Sodomitas, castigavit; ac suos cultores, ut Lot, ab ærumnis malisque liberavit.

Huc usque protulit exempla Cainitarum, qui suis sceleribus diluvii causa extitere; & Pentapolitarum, qui suis libidinibus incendium è cælis se provocarunt, quæ sunt exēpla vindictæ, quam exercuit sapientia in sui contemptores. Deinceps vero profert exempla proborum, qui sapientiæ

ubie-

obſequentes & devoti, per eam à malis liberati ſunt, ac bonis ditati. Primus eorum eſt Jacob, de quo ſubdit:

VERS. 27. HÆC PROFUGUM IRÆ (ab ira, ob iram) FRATRIS JUSTUM DEDUXIT PER VIAS RECTAS, ET OSTENDIT ILLI REGNUM DEI, ET DEDIT ILLI SCIENTIAM SANCTORUM: HONESTAVIT ILLUM IN LABORIBUS, & COMPLEVIT LABORES ILLIUS) q. d. Sapientia Jacobum fugientem iram fratris, dum ſcilicet fugeret fratrem Eſau, ſibi ob præceptam patris Iſaac benedictionem infenſum & iratum, rectè deduxit ad pacem & felicitatem. Deduxit enim eum ad domum Laban avunculi ſui, ubi & opibus, & uxoribus, & prolibus locupletatus eſt. Quare fecit ut Jacob tantum iter, quantum eſt ex Chanaam in Meſopotamiam, ubi habitabat Laban, per tot pericula, anfractus, difficultates & inſidias, quas illi parabat Eſau, illæſus & ſecurus peageret: nam *ſemitis*, ut habent Græca, *rectis*, id eſt ſecuris, tutis, facilibus, expeditis, deduxit eum ad ſuos amicos & cognatos, juxta id quod ei pollicitus erat Deus: *Et ero cuſtos tuus quocumq; perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam niſi complevero univerſa quæ dixi*, Geneſ. 28. 15. Vox ergo *deduxit per vias rectas*, ſignificat ſingularem & continuam Dei curam & providentiam, quæ Jacobum per vias omnes tam difficiles & periculoſas, nec ubi laberetur, caperetur, &c. ſalvum, vegetum & lætum perduxit ad ſuos; perinde ac mater deducit infantem, & pædagogus diſcipulum, per vias lutoſas & ſalebroſas tutum & incolumem.

Quocirca S. Ambroſ. l. 2. Offic. c. 25. Jacobum ab omnibus quatuor virtutibus cardinalibus dilaudat: *Quid*, inquit, *ſapientius ſancto Jacobo, qui Deum vidit facie ad faciem, & meruit benedictionem? Quid juſtius, qui ea quæ acquiſierat, oblatis muneribus cum fratre diviſit? Quid fortius, qui cum Deo luctatus eſt? Quid modeſtius, qui modeſtiam ita & locis & temporibus deferebat, ut filiæ injuriam mallet prætexere conjugio, quàm vindicare; eò quòd inter alienos poſitus amori potius conſulendum, quàm odia colligenda cenſebat?*

Tropolog. S. Bernard. ſerm. in hæc Sapient. verba: *Juſtum deduxit Dominus*, inquit, *& non alius, quia ipſius eſt de via iniquitatis ad viam veritatis reducere, & deducere per eam. Per vias inquit, rectas. Viæ Domini, viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ. Rectæ ſine errore, quia ducunt ad vitam. Pulchræ ſine ſorde, quia docet munditiam. Plenæ multitudine, quia totus jam mundus eſt intra Chriſti ſagenam. Planæ ſine difficultate, quia donant ſuavitatem: jugum enim eius ſuave eſt, & onus eius leve.*

ET OSTENDIT ILLI REGNUM DEI) Cùm ſcilicet Jacob, ut dicitur Geneſ. 28. 12. *vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: angelos quoque aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi, &c. Benedicentur in te & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ, & ero cuſtos tuus quocumque perrexeris.* Qua viſione ſignificabatur Deum curare res Jacob, eumque ſingulari ſua providentia per angelos ducturum in Meſopotamiam, indeque ſalvum reducturum in Chanaam. *Regnum Dei* ergo vocat cœlum, in quo ſcalæ innixus conſiſtebat Deus: Deus enim in cælo regnat, regitq; omnia cælo ſubjecta per angelos. Scala ergo hæc erat ſymbolum regnantis & regentis omnia Dei. Unde rurſum *oſtendit illi regnum*, id eſt regimen Dei. q. d. Oſtendit ei modum regendi Dei, quo ſcilicet Deus è cælo ſua providentia, per angelos euntes & redeuntes, ſubiectum hunc mundum regit & adminiſtrat. Hinc Jacob ait: *Quàm terribilis eſt locus iſte! non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli.* Unde & locum vocavit *Bethel*, id eſt domus Dei. Quocirca nonnulli putant tunc Jacobo à Deo revelatam fuiſſe ſuam prædeſtinationem, & electionem ad cæleſtem gloriam. Vide dicta Geneſ. 28. Hinc Arabicus vertit, *fecit illum hereditare regnum Dei.*

Allegor. S. Auguſt. ſerm. 79. de Temp. *Scala*, inquit, *ad cœlos attingens, crucis figuram habuit. Dominus innixus ſcalæ, Chriſtus crucifixus oſtenditur. Angeli aſcendentes & deſcendentes per eam, Apoſtoli & Apoſtolici viri, & omnes doctores Eccleſiarum intelliguntur: aſcendentes, quando perfectis perfecta prædicant; deſcendentes, quando parvulis & imperitis ſimplicia quæ intelligere poſſint, inſinuant.*

Tropolog. S. Bernard. loco jam citato: *Et oſtendit illi regnum Dei. Regnum*, ait, *Dei conceditur, promittitur, oſtenditur, percipitur. Conceditur in prædeſtinatione, promittitur in vocatione, oſtenditur in juſtificatione, in glorificatione percipitur. Unde eſt illud: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei. Sic enim ait Apoſtolus: Quos prædeſtinavit; hos & vocavit; & quos vocavit, illos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & magnificavit. In prædeſtinatione eſt gratia, in vocatione potentia, in juſtificatione lætitia, in magnificatione eſt gloria.*

ET DEDIT ILLI SCIENTIAM (græcè *γνῶσιν*, id eſt cognitionem) SANCTORUM) in neutro genere, id eſt rerum ſanctarum; vel *ſanctorum*, ſcilicet myſteriorum Dei: Jacob enim in illa viſione ſcalæ, quaſi in raptu mentis illuminatus à Deo, multa cognovit divina myſteria, præſertim Dei providentiam, quam habet erga ſuos, concernentia. Unde tunc ei, id eſt poſteris ejus, à Deo promiſſa eſt poſſeſſio terræ Chanaam, filiorum ac nepotum propagatio, imò Chriſtus ex ſemine eius naſciturus, qui benedicturus erat omnes gentes, ut patet Geneſ. 28. 13. Quare Jacob hac revelatione excitatus fuit ad pietatem, ſanctitatem, atque ad Deũ toto corde amandum & colendum. Unde ibidem altare Deo erexit, illique votum decimarum nuncupavit, ac locum ungendo oleo Deo conſecravit, vocavitque *Bethel*, id eſt domus Dei, ubi proinde poſteri Deum magna veneratione coluerunt. Hinc Syrus vertit, *dedit illi ſcientiam veritatis*, id eſt veræ juſtitiæ, religionis & ſanctitatis.

Moral. diſce *ſcientiam ſanctorum* eſſe ſcientiam practicã, qua quis ſtudet Deo per omnia ſervire & placere. Hæc enim eſt ſcientia, non mundanorum, non politicorum, non etiam philoſophorum, nec Theologorum, ſed *ſanctorum*, quam primitus docuit Joannes Baptiſta, qui à Deo miſſus *Scientia*
eſt, *ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad pru- ſanctorum,*
dentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam, Lucæ *quæ?*
1. 17. Audi S. Bernard. loco jam citato: *Scientia ſanctorum eſt, hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum. Et in contrarium ſcientia malorum relabitur. Alia eſt ſcientia mundi, quæ docet vanitatem, & alia ſcientia carnis, quæ docet voluptatem. Illa tamquam pater, iſta tamquam mater nobis eſt. Sicut enim mater filio ſuo ſemper optat quietem, & omnem prorſus laborem claudit à filio ſuo: ſic caro incraſſata, impinguata, dilatata recalcitrat, nec minimis ſaltem digitis patitur ſe contingi. Et ſicut pater vult filium ſuum huc illucq; diſcurrere, ut addiſcat unde aliquando magnificetur: ſic & mundus vult hominem multis laboribus intricari, ut habeat unde ſuperbiat, unde infletur, & deſipiat de vanitate in idipſum.*

HONESTAVIT ILLUM IN LABORIBUS) Græcè, *εὐπόρησεν αὐτὸν ἐν μόχθοις*, id eſt, *ditavit eum in ærumnis*, vel *per ærumnas*, & moleſtos labores, quos Jacob per quatuordecim annos ſubivit paſcẽdo greges Labam, ut Rachele uxore potiretur: ſed per hos labores valdè ditatus eſt ovibus æquè ac prolibus, uberemque proventum honoris æquè ac ſobolis adeptus eſt. Sic ſæpe *honeſtas* in Script. ſumitur pro opulentia. *Honeſtas* enim dicitur, quaſi *honoris ſtatus*, ut ajunt Juriſconſulti; honorem autem conciliant opes: divites enim ab omnibus coluntur & honorantur.

ET COMPLEVIT LABORES ILLIUS] Græcè, *ἐπλήθυνε*, id eſt, *multiplicavit*, hoc eſt, multiplici mercede & fructu compenſavit labores illius, dum ſcilicet greges Jacob præ gregibus Laban, copioſa fœtura & proventu adauxit & multiplicavit. Sic igitur Deus labores Jacobi, qui primis annis ſteriles & fructu vacui videbantur, poſteriori tempore magnis ovium opumque incrementis cumulavit, Geneſ. 30. 43. & c. 31. 9.

Tropolog. & myſticè, Eccleſia in officio Eccleſ. hæc adaptat ſanctis Confeſſoribus & Martyribus, Unde S. *Sex dona*
Bonavent. cenſet hic notari inſignia ſex beneficia, quæ *juſtorum.*
Deus juſtis & Sanctis confert. Primum eſt, juſtificare; id notat vox *juſtum*: Secundum, deducere in profectu converſationis: Tertium, oſtendere regnum in gratia vel ſecreto contemplationis: Quartum, dare ſcientiam Sanctorum, inſtruendo in agnitione divinæ voluntatis: Quintum, honeſtatem laboribus, ditando meritis: Sextum, complere labores, tribuendo præmium cum perſeverantia.

Accedit S. Bernardo loco jam citato: *Et complevit*, inquit, *labores illius, vel illic in perſeverantia, ut uſque ad finem juſtitiam non relinquat; vel illic in gloria, ut gaudeat in æternum. Felix utraque completio, cùm & hic moritur juſtus plenus dierum, & illic oritur in plenitudine dierum: utrobiq; plenus, & hic gratia, & illic gloria, quia gratiam & gloriam dabit Dominus.* Beatus ergo eſt is, cui Deus multiplicat labores & dolores; ſic enim & multiplicat eorum fructus ac coronas.

IN

Vers. 11. In fraude circumvenientium illum affuit illi) Græcè, *ἐν πλεονεξίᾳ κατισχυόντων αὐτὸν παρέστη*, id est, *in avaritia iniqua & fraudulenta* (Complut. *in superioritate*) *invalescentium*, vel *prævalentium, illi astitit*. *πλεονεξία* enim est plus habendi acquirendique cupiditas immodica, avaritia, quæ sibi partem justo majorem præcidit, improba alieni cupiditas, & vitium ejus, qui in omni re præcipuum quippiam habere uult, ita dicta à *πλεῖον ἔχειν*, id est à plus habendo, quàm jus postulet aut permittat, cum scilicet quis fraudatis aliis, plus sibi usurpat, quàm par est. Unde à Cicerone vocatur *fraudatio & circumscriptio*. Sic Laban hic fuit fraudator & circumscriptor Jacobi. Sensus enim est q. d. Cùm Jacob à Laban socero, & filiis servisque ejus per avaritiam & fraudem opprimeretur, sapientia & Deus affuit Jacobo, fecitque ut fraus hæc in ejus bonum cederet, eumque locupletaret. Unde sequitur, *Et honestum fecit* (græcè, *ἐπλούτισεν*, id est ditavit) *illum*. Historia narratur Genes. 31. v. 6. & seq. Vide ibi dicta.

Vers. 12. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus (græcè, *ἐνεδρευόντων*, id est insidia- B toribus (tutavit illum) Scilicet à Laban socero, qui Jacob fugientem cum uxoribus ac filiis insecutus est: dixit enim illi Deus in somniis, *Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius*. Ab Esau quoque, qui illi insidiebatur; tum etiam à Chananæis, à quibus in magno periculo fuit, ne penitus cum universa familia deleretur, cùm Simeon & Levi filii ejus furore perciti, ob sororem Dinam à Sichem violatam, Sichimitas omnes crudelissimè occiderunt, Genes. 34. à quibus periculis sapientia eum tutata est.

Et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia) Syrus, *& in forti certamine justificavit eum*; Arabicus, *& gubernavit illum ingruente ei forti certamine, ut sciat quòd bonus cultus* (id est pietas & devotio) *factus est fortior omnibus rebus*; græcè, *ἀγῶνα ἰσχυρὸν ἐβράβευσεν αὐτῷ*, id est, *agonem durum subire & vincere dedit illi*; Vatabl. *obeundum ei arduum certamen constituit*. Ubi nota *τὸ ἐβράβευσεν*, q.d. Sapientia & Deus, quasi brabeuta, instituit, & proposuit Jacobo, quasi agonistæ & certatori duram luctam & certamen, æquè ac con- C digna certaminis victoriæque præmia & bravia; dum scilicet eum objecit avaritiæ Laban, atque iræ & persecutioni Esau, ac Chananæorum, ceterorumque hostium, dum objecit ei angelum, cum quo luctans & vincens, ab eo benedictionem omnium bonorum fertilem accepit, ac gloriosum nomen adeptus est: nam colluctatur ejus angelus, sinens se ab eo vinci, nuncupavit eum *Israel*, id est *prævalens* vel *dominans Deo*. Genes. 32. 28. vide ibi dicta. Deus ergo Jacobo ceterisque suis athletis, ac præsertim Martyribus, durum objicit agonem & certamen, hoc fine, ut vincant, & victores coronentur, qua de causa idem ipse vires ei suggerit ad vincendum. Hoc enim significat *τὸ vinceret*. q. d. Ideò Deus fortia & dura suis objicit certamina, ut quo durior est lucta, eo gloriosior sit eorum victoria, ac illustriores coronæ & trophæa. Audi S. Bernard. serm. de S. Martino, celebrantem hanc ejus vocem: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, Non recuso laborem, fiat voluntas tua*: illa enim admirans exclamat: *O verè sanctissimam animam, ò inæstimabilem charitatem, ò obedientiam singularem! Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem* D *servasti, de reliquo superest tibi corona justitiæ, quam reddet tibi Dominus hodie justus judex: & adhuc dicis, Non recuso laborem, fiat voluntas tua*. Deinde ipsum comparat cum Abraham: *Obtulisti planè Isaac, unicum illum, quem diligis; quod in te est jugulasti, immolasti singulare gaudium tuum pia devotione, paratus iterum redire in pericula, innovare certamina, denuo subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde differri adhuc ab illa tanta felicitate, & diu desiderata societate spirituum beatorum, atque in hujus mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ revocari: postremò (quod maximum est) à Christo tuo peregrinari diutiùs, si modò ipse voluisset*.

Idem serm. de S. Clemente, qui proximè sequitur sic ait: *Beato Clementi certamen forte dedit, ut vinceret, & disceret quoniam omnium potentior est sapienta. Vestrum autem certamen quale est, fratres mei? Quotidie vobis suggeritur in cordibus vestris: Frange Ordinem tuum, murmura, detrahe, age remissiùs, infirmitatem simula, responde ei qui fortè duriùs locutus est, ut satisfacias desiderio tuo: nec dicitur cuiquam: Nisi hæc feceris, morieris: sed ut multum, cum difficultate & labore resistes animo tuo: & quis sustineret tanta? Hæc enim intus audire, hæc respondere consuevimus exhortantibus nos, aut foris homini aut intus Spiritui sancto. Si ergo in hujusmodi certamine periclitamur, si vix resistimus, si interdum etiam succumbimus, quid in illo tam gravi certamine faceremus? si juncis fragilibus cedit infirmitas nostra, quomodo telis resisteret? Videtis quomodo ad nihilum redacti sumus, & sicut solent mulieres aut parvuli pugnantes laudamus alios pugnare ipsi non possumus*. Considera, quàm forte certamen objerit S. Laurentius in craticula, S. Vincentius in eculeo, S. Sebastianus in scopo, S. Agnes in rogo.

Mysticè, certamen forte est, quo homo vitia debellat, concupiscentiam subjugat, imò suos affectus ac seipsum superat, itaque virtutem ipsam, quin & Deum quasi vincit, sibique devincit. Magnum est hoc certamen, quo homo Deum insuperabilem superat, ideo tamen superat, quia ipse uult superari, atque à luctante & laborante possideri.

Et sciret quoniam omnium potentior est sapientia) Pro *sapientia* græcè est *εὐσέβεια*, id est pietas, religio, Dei cultus, devotio, ut vertit Arabicus. q. d. Deus forte certamen dedit Jacobo, ut ipse ex eo disceret, quod omnibus certaminibus, luctis & hostibus fortior sit Dei cultus & religio: hæc enim Deum sibi devincit & obligat, ut religiosum sui cultorem faciat in omni certamine superiorem, victorem & triumphatorem. Hinc liquet, quid toto hoc libro per *sapientiam* intelligatur, nimirum *εὐσέβεια*, id est verus Dei cultus, per vera officia hominis fidelis Deum timentis, amantis & colentis, qui omnia, quæ Deus jubet, vel sibi grata fore significat, illico magno ardore amplectitur & exequitur, uti dixi initio libri, ac sæpè aliàs toto operis decursu. Intellige hæc de sapientia creata, quæ homini tribuitur. Nam increata in Deo est ipsa ejus immensa sapientia & sanctitas, à nobis summa reverentia & pietate colenda & veneranda, quæ idea est & artifex rerum omnium, tum naturalium, tum moralium, tum supernaturalium, uti dixi cap. 7.

Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam) Vers. 13.
Transit à Jacobo patre ad filium Joseph, quem à fratribus venditum sapientia custodivit & evexit ad principatum Ægypti. *Peccatores* vocat fratres ejus, qui ex invidia eum occidere cogitabant, sed ad preces Judæ eum vendiderunt Ismaelitis. Græcè est *ἐξ ἁμαρτίας*, id est *à peccato*, scilicet adulterii, liberavit sapientia Josephum: ad hoc enim illecta ejus pulcbritudine sollicitabat eum hera, uxor Putipharis; sed sapientia tantam illi dedit castitatem & constantiam, ut responderet: *Quomodo ego possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Genes. 39. 9. Hinc S. Ambros. lib. de Joseph c. 1. *Jure*, inquit, *miraadus* (Joseph) *qui hoc fecit ante Euangelium, ut læsus parcere, appetitus ignosceret, venditus non referret injuriam, sed gratiam pro contumelia solveret: quod post Euangelium omnes didicimus, & servare non possumus*. Et c. 5. *Ille dominus, qui amantis non excepit faces, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterruit; qui maluit liber criminis mori, quàm potentiæ criminosæ eligere consortium. Ille liber, qui turpe credidit vicem gratiæ non referre*. Et post nonnulla: *Itaque vestem exuit, crimen excussit, & relictis quibus tenebatur exuviis, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris*. Suspicatur noster Lorinus, notari hic peccatum pæderastiæ, ad quod fratres Josephum, ob insignem ejus formam, sollicitarint: unde ipse eos apud patrem accusavit de crimine pessimo, Genes. 37. 2. vide ibi dicta. Verè S. Aug. serm. 83. de Temp. *Magnus*, inquit, *planè vir* (Joseph) *qui venditus servire tunc nescis, ingenuam adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, apprehensus aufugit*.

Descenditque cum illo in foveam) Græcè, *in lacum*, id est in cisternam, in quam fratres eum projecerant, inquit Hugo. Rursus *in lacum*, id est in carcerem, in quem herus Putiphar eum, ab uxore accusatum de adulterio, conjecit: unde per epexegesin mox explicans subdit: *Et in vinculis non dereliquit illum*. Ita passim interpretes. Sic Ieremias à Iudæis in lacum conjectus est, quasi in carcerem, Ierem. 37. 15. & cap. 38. v. 6. & seq. Disce hic non

time-

timere carceres, cruces, ærumnas quaslibet pro Deo, quia Deus ad illas tecum, descendit, illas tecum subit & superat, juxta illud: *Cum ipso sum in tribulatione*, psal. 90. Et, *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*, psalm. 22. Et illud: *Deus in medio ejus, non commovebitur*, psal. 45. 6. ubi S. Augst. *Sæviat*, inquit, *mare, conturbentur montes, Deus in medio ejus, non commovebitur*. Vide S. Bernard. epist. 42. ubi inter alia ait: *Ipsum denique si necesse est intrare gehennam, securus medias penetrans flammas læta decantes conscientia; Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es.*

Vers. 14. Et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos qui eum deprimebant: et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam] Vide hic potentiam & beneficentiam sapientiæ, quæ Josepho vincula convertit in sceptra, compedes in stolam byssinam, catenas in torquem aureum, carcerem in solium regium. Pro *sceptrum* græcè est *sceptra*, quæ vox notat multiplex & omnigenum Josephi imperium in Ægypto: Pharao enim eum evexit, ut esset omnium quoad omnia in tota sua ditione gubernator & princeps, adeoque regis quasi rector & rex: quare etsi non regio nomine, regia tamen dignitate & potestate eum ornavit. Nam, ut dicitur Genes. 41. 42. *tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti.*

Labor est via ad gloriam. Moraliter, disce ex Iosepho labores & cruces, easdem esse viam ad gloriam & regnum. dum ergo in iis versaris, eosque superas, certus esto de victoria, triumpho & gloria, quem tibi adornat Christus, qui in te, & pro te certat & vincit. Audi S. Bernard. serm. 47. in Cant. *Utrumque es mihi Domine Jesu, & speculum patiendi, & præmium patientis*, seu, ut paulo ante dixerat: *Pugnantis forma, & gloria triumphantis. Tu doces manus meas ad prælium, exemplo virtutis tuæ: tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentia majestatis: sive quia pugnantem: te specto, sive quia te expecto non solum coronantem, sed etiam coronam. in utroque mirabiliter tibi me allicis, uterque funis vehementissimus ad trahendam.* Et S. Ambros. lib. de Joseph c. 5. *Non turbentur*, inquit, *innocentes, cùm falsis criminibus appetuntur, cùm oppressa justitia traduntur in carcerem. Visitat Deus & in carcere suos, & ideo ibi est plus auxilii, ubi est plus periculi. Sed quid mirum, si visitat Deus in carcere positos, qui seipsum in suis in carcere inclusum memoravit? In carcere, inquit, eram, & non venistis ad me*, Matth. 25. v. 43. Et Philo de Joseph: *Jam locus*, inquit, *non tam carcer erat, quàm disciplinæ meditatorium.* Unde S. Cyprian. lib. 4. epistol. 1. ad Martyres ex veteri editione: *O beatum*, inquit, *carcerem quem illustravit vestra præsentia! O tenebræ sole ipso lucidiores, ubi constituta sunt Dei templa?* Quin & Seneca Consol. ad Albinam *Carcerem*, ait, *intravit Socrates, ignominiam ipsi loco detracturus: neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat.*

Et potentiam adversus eos qui eum deprimebant) Græcè καὶ ἐξουσίαν τυραννούντων αὐτοῦ, id est, *& potentiam eorum*, id est, in eos, *qui eam tyrannicè exercebant contra ipsum*. Τὸ enim τυραννούντων duo significat: Primum, *qui dominabantur ei*; Secundum, *qui tyrannizabant eum*, id est qui tyrannidem in eum exercebant, qui tyrannicè eum opprimebant: Joseph enim factus Ægypti princeps à fratribus, qui eum tyrannice vendiderant, adoratus est. Idem heram suam & heram Putipharem (si adhuc in vivis erant) ejusque famulos & administros, qui eum de adulterio accusarant & in carcerem compegerant, sibi subjectos habuit.

Et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum) Græcè, τοὺς μωμησαμένους αὐτὸν, id est qui eum accusarant, criminati erant, falsoque adulterii insimularant. Horum enim falsitatem & mendacium ostendit. Primò, per insignem castitatem & sanctimoniam Josephi, quæ adeò in vultu, gestibus & actibus omnibus elucebat, ut videretur angelus quidam terrestris. Secundò, per donum prophetiæ, ob quod à Pharaone evectus est ad principatum: hoc enim donum non nisi castis datur. Tertiò, aliis indiciis & signis, quæ tacet Script. Putiphar cognovit uxoris mendacem accusationem, & Josephi innocentiam. Forè etiam ipsa uxor virtutem Josephi admirata, vel coacta à Deo, facti pœnitens crimen & criminationem suam falsam confessa est, uti aliàs sæpè accidit, Deo cogente falsos accusatores, præsertim in crimine fornicationis, falsitatem suam aperire & confiteri, cujus rei passim extant exempla in Vita S. Marinæ, S. Eugeniæ, S. Irenes Lusitanæ, &c.

Et dedit illi claritatem (græcè, δόξαν, id est gloriam (æternam) Joseph enim in Ægypto ac per totum orbem tantum nomen obtinuit, ut vocaretur Salvator mundi, Genes. 41. v. 45. Ejusdem virtus & gloria etiamnum perennat, & perennabit in omne ævum. Anagog. gloriam felicitatis æterni in cœlo adeptus est Joseph. Ita S. Bonavent. qui & Tropol. in sex justis huc usque recensitis, notat sex tentationum species & modos, à quibus eripit sapientia, juxta illud Job 5. 19. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Adam vel Eva sunt à diabolo liberati: Noe à fomite, quo corrupta erat omnis caro: Abraham ab interna superbia, cujus exemplum turris ædificatores præbebant: Lot ab externo pravo exemplo, & improba sollicitatione Sodomitarum: Jacob à dolis ac inimicitiis: Joseph ab adversitatibus mundi. Rursum notat inimicum triplicem, diabolum, carnem, mundum, quos adumbrabant tres hostes Salomonis, variis nos modis adoriri. Nam diabolus aggressus est primos parentes visibiliter; Abraham invisibiliter. Carnis tentatio secundùm naturalem usum objecta est Noe; Lot contra naturam. Mundus fraudibus egit cum Jacob; vi atque sævitia cum Joseph.

Hucusque exempla sapientiæ recensuit ex Genesi, quod sequitur petitum est ex Exodo.

Hæc populum justum, et semen sine querela (græcè, ἄμεμπτον id est irreprehensibile, inculpatum) liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant Græcè, θλιβόντων id est *affligebant*, tribulabant, stringebant, elidebant. q.d. Sapientia liberavit Israel, puta Hebræos ex Aegypto duce Mose, cùm Aegyptii eumdem opprimerent. Lege Exodi cap. 1. & seq. Hebræos vocat *populum justum*; græcè ὅσιον, id est *sanctum* & inculpatum: Primò, ob Dei vocationem & electionem; quia Deus Hebræos ex omnibus gentibus selegerat sibi in populum, id est in Synagogam & Ecclesiam, ut ab eo sacrificiis & legibus à se sancitis coleretur. *Sanctum* ergo, id est fidelem & Dei cultui deputatum: item *sanctum*, id est sanctorum patriarcharum stirpem & posteritatem. Nam *si delibatio sancta est & massa; & radix sancta, & rami*, inquit Apost. Rom. 11. 16. Sic Apostolus initio Epistol. Romanos, Corinthios, Ephesios, &c. vocat sanctos, quia vocati erant ad Dei fidem, cultum & sanctitatem. Unde & Ecclesia dicitur sancta. Secundò, quia inter priscos primosque Hebræos multi erant sancti, ut Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses, Josue, & ceteri, qui à Pharaone opprimebantur. Oppressio enim facit sanctos, cogitque ad Deum confugere: unde non leguntur Hebræi in Genesi & Exodo coluisse idola, usque ad exitum ex Aegypto, cùm in Sina absente Mose fabricarunt, & adorarunt vitulum aureum, Exodi 32. Sic Ecclesia dicitur sancta, quia multi in ea sunt sancti, etsi plures sint impii. A potiori enim & digniori parte res denominatur.

Vers. 16. Intravit in animam servi Dei (Moysis) et stetit contra reges horrendos in portentis et signis) Græcè, *restitit regibus terribilibus per miracula & signa*. *Reges* vocat regem Pharaonem, qui unus licet, suo tamen fastu, tyrannide, dolo & fraude multiplici, erat instar multorum. Sic de David unum Goliath necante cecinerunt: *Percussit Saul mille, & David decem millia*. 1. Reg. 18. 7. Et Nicetas in orat. 40. Nazianz. *Adversus spiritualem Goliath strenuè ac fortiter pugna*, inquit, *atque multiplices illius vires & machinas, velut chiliadas quasdam & myriadas in partem redige*. Est evallage frequens Hebræis, præsertim poetis. Notat decem plagas Pharaoni & Ægypto inflictas à Deo per Moysen, quibus eum coegit dimittere Hebræos. vide dicta Exodi 7. & seq. Deus enim animam Moysi possidebat, per eumque omnia loquebatur, jubebat & operabatur tam mira & portentosa.

Et reddidit justis (Hebræis, fidelibus Dei cultoribus) mercedem laborum suorum] Servierant Hebræi Ægyptiis in operibus agriculturæ & fabricis, sed debita mercede eos defraudarant Ægyptii: hanc ergo

jubente Deo sibi recompensarunt Hebræi, spoliando Ægyptios: quare hoc spolium, non tam spolium fuit, quàm justa debitaque laborum & iniuriarum merces. Acceperunt enim mutuo vasa aurea & argentea, vestes aliasque res pretiosas ab Ægyptiis, quas numquam reddiderunt, sed exeuntes ex Ægypto secum ea detulerunt. vide dicta Exodi 12. 36.

ET DEDUXIT ILLOS IN VIA MIRABILI, & FUIT ILLIS IN VELAMENTO DIEI, ET IN LUCE (græcè, ἐν φλόγα, id est *in flammam*) STELLARUM PER NOCTEM) Syrus, *& deduxit eos per mare rubrum terribile, & deambulare eos fecit per aquas fortes, & fuit illis in tabernaculum per diem, & pro luce stellarum in nocte*; Arabicus, *& deduxit eos per viam mirabilem, & facta est illis in die lux, & noctu pro ortu stellarum splendor.* Notat iter Hebræorum per desertum in Chanaan, quod sanè fuit mirabile multis titulis. Deus enim omnes Hebræos, quorum numerus ascendebat ad tres milliones, sive tricies centena millia hominum, per 40. annos aluit in deserto arido & sterili cibo cælesti, putà manna, ac aqua è petra scaturiente potavit, atque vestes omnium servavit incorruptas, imò fecit, ut vestes cum pueris crescerent; conservavit eos ab omni injuria aeris, & incursu hostium; dedit eis columnam ignis & nubis, quæ velut dux iter præiret, ducente eam angelo, putà S. Michaele, qui olim Synagogæ, nunc Ecclesiæ est custos & præses. Unde quocumque movebatur columna, eò iter intendebant castra Hebræorum: ubicumque verò consistebat columna, ibi castra figebant & ipsi. Porrò hæc columna per diem opaca erat ut nubes, ut Hebræos protegeret à radiis & æstu solis; per noctem verò splendida ut lux, ut in tenebris lumen eis præberet. Fuit ergo eis *in velamento diei*; græcè, *in velamentum per diem*, quia columna hæc, cùm iter agerent, per diem expandebat se, ut ait Nyssenus, & quasi aliam nubem, quæ tota Hebræorum castra obumbraret, & contra radios solis obvelaret, ex se spargebat: noctu verò contrahebat se, lucebat ut stella, imò ut stellarum congeries & multitudo. Unde fuit eis *in luce*, id est pro luce, & splendore, *stellarum*, vel, ut græcè est, *in flammam siderum*: coruscabat ergo hæc flamma in columna, sicut lux flammea Hesperi, aut sicut fax flammea in Pharo, ut à totis Hebræorum castris eminus videri posset quod difficile fuisset in igne; ignis enim obscuriùs & hebetiùs lucet. vide dicta Exodi 13. v. 21. & Num. 9. 15. & seq.

Miracula Dei in deserto.

Miracula columnæ.

Mysticè, mira est Dei via, modus & ratio, qua electos suos in hujus vitæ deserto, per tot casus, insidias, pericula, hostes, ærumnas, labores tentationes, cruces, martyria deducit ad terram viventium eis promissam in cælis. Hujus itineris dux est columna ignis & nubis, id est Spiritus sanctus, qui Sanctos in dubiis illuminat, ut lux; in adversis & ardore tentationis obumbrat, refrigerat & protegit, ut nubes; in tempore & frigore pusillanimitatis accendit & inflammat, ut ignis & flamma. Consideret quisque justus & religiosus modos & vias, quibus per omnem vitam Dei sapientia & providentia eum in via justitiæ deduxit, servavit, promovit; & miras agnoscet, ad mirabitur & obstupescet, immensasque Deo gratias aget. Id faciunt Beati in cælo, ubi clarè vident pericula plurima salutis in quæ incurrerunt, quæque Dei providentia salvi & incolumes evaserunt, ideoque perennes Deo laudes canunt.

VERS. 18. TRANSTULIT (græcè διεβίβασεν, id est traiecit, transmisit, traduxit) ILLOS PER MARE RUBRUM, & TRANSVEXIT ILLOS PER AQUAM NIMIAM) Loquitur de transitu Hebræorum per mare rubrum, non quod ipsi supra aquas maris ambularint, ut vult R. Samuel Marochianus libr. de Adventu Messiæ c. 55. sed quòd Deus per Moysem virga percutiens mare rubrum illud diviserit; ita ut per siccum ejus alueum illæsi transirent. Historia narratur Exodi cap. 14. Unde Vatabl. vertit, *dedit eis transitum per mare rubrum, & per aquas plurimas traduxit eos.*

VERS. 19. INIMICOS AUTEM ILLORUM DEMERSIT IN MARE) Dum, postquam mare sicco pede transiissent Hebræi, Deus aquas maris in suum alueum revoluit, iisque insequentes Ægyptios cum Pharaone obruit & submersit, Exod. 14.

ET AB ALTITUDINE INFERORUM EDUXIT ILLOS) Vatabl. vertit, *undis autem obruit hostes eorum, & imas profundi scatebras in eos emisit*; meliùs alii, *ex profunditate abyssi ebullire*, id est æstu maris impellente ascendere, *fecit illos.* quod Hugo, Lyran. Dionys. & alii intelligunt de Hebræis. q. d. Deus Hebræos descendentes in alueum siccum maris rubri quasi in abyssum, inde eos incolumes ascendere fecit & eduxit. Simili enim modo ait Ecclesiast. c. 51. 7. se eductum à Deo *de altitudine ventris inferi*. Meliùs Cantacuzenus, Jansen. & alii exponunt de Ægyptiis. q. d. Deus Pharaonem & Ægyptios in mare rubrum quasi in abyssum & voraginem profundissimam jam demersos & suffocatos, rursum æstu maris in superficiem ejus egurgitavit, & velut despumavit in littus, ut ibi eorum arma & spolia diriperent Hebræi, uti dixi Exodi 14. 31. & hic sequitur. Hoc enim significat Græcum ἀνέβλυσεν, id est effervuit, exæstuavit, æstuando expulit, æstu & agitatione ejecit, egurgitavit: unde ἀναβρύσεις vocantur æstuaria, hoc est fossæ, sive concavitates marinis aquis ex inundatione pelagi refertæ, per quas in mediterranea instar fluviorum navigantes ascendunt ad vicina, præsertim oppida. Idem accidisse testatur Josephus lib. 2. Antiquit. c. ult. & Philo l. de Vita Moysis, nimirum Ægyptios mari rubro mersos, vi ventorum & fluctuum ejectos in littus, ut de eorum cæde victores exultarent Hebræi, eorumque spolia diriperent. Hoc est quod subdit:

IDEO JUSTI (fideles Hebræi) TULERUNT SPOLIA IMPIORUM] Ægyptiorum jam mari rubro mersorum, & vi fluctuum in littus ejectorum. Unde Josephus l. 2. cap. ult. asserit. altera post submersionem die, cùm æstus & ventus arma Ægyptiorum in littus expulisset, Moysen ea collegisse, & in Hebræos viritim distribuisse. Hic impletum est illud Proverb. 13. 22. *Custoditur justo substantia peccatoris.* Ex hoc loco probat S. Augustinus epist. 48. ad Bonifacium, hæreticos justè posse puniri privatione bonorum, eaque transcribi ad fideles Orthodoxos.

VERS. 20. ET DECANTAVERUNT DOMINE NOMEN SANCTUM TUUM, ET VICTRICEM MANUM TUAM LAUDAVERUNT PARITER) Græcè est ὕμνησαν, id est hymnum cecinerunt. Pro *victricem*, græcè est ὑπέρμαχον, id est superpugnacem, id est pugnacissimam, fortissimam, bellicosissimam. Pro *pariter*, græcè est ὁμοθυμαδὸν, id est uno animo, uno ore, communi omnium consensu, unanimi omnium voce & consonantia; unanimiter concinentibus omnibus, viris, mulieribus & pueris. Cecinerunt enim Deo carmen eucharisticum, quo triumphantes Deum victoriæ tantæ de Pharaone merso auctorem, omnes unanimiter collaudarunt, viri quidem omnes præeunte & præcinente Moyse, feminæ verò præcinente Maria sorore Moysis: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem dejecit in mare*, &c. Exodi 15. 1. & seq.

VERS. 21. QUONIAM SAPIENTIA APERUIT OS MUTORUM, ET LINGUAS INFANTIUM FECIT (græcè, ἔθηκε, id est *posuit*) DISERTAS) q. d. Sapientia Hebræorum, qui priùs obsessi à Pharaone præ metu videbantur muti, & infantes elingues, ac hiscere non audebant, mersis Ægyptiis, animos laxavit, oraq; resolvit, ut epinicion jam liberè, disertè & alacriter Deo canerent. Rursum nihil obstat, inquit noster à Castro, verba *mutorum* & *infantium* propriè accipere, ac affirmare pueros balbutientes & adhuc infantes, simul cum parentibus & ceteris viris ac feminis, laudes quoque cecinisse gratulatorias, cùm infantium maximè loquelis delectetur Deus: nam *ex ore infantium & lactentium perfecit laudes, propter inimicos suos & ultores*, ps. 8. Sic & Dionys. Carthus. opinatur forsitan aliquos naturaliter mutos, tunc supernaturaliter loquendi canendique usum recepisse, ac in nonnullis infantibus anticipatum fuisse linguæ usum.

Mysticè, Ecclesia in officio Ecclesiast. totum hoc caput adaptat Confessoribus & Martyribus, ac apposito sensu de iisdem illud explicat Dionys. Carthus. & interpolatè Hugo.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur sapientia paternam providentiam erga Hebræos post exitum ex Aegypto, ac eamdem per antithesin comparat cum vindicta, quam eadem sapientia inflixit Aegyptiis: Unde Primo, celebrat miraculum aquarum è petra jussu Dei scaturientium, ad levandam sitim Hebræorum, illudque opponit miraculo, quo Deus aquas Aegypti vertit in sanguinem, ad potandum puniendumque Aegyptios qui pueros Hebræorum occiderant. Secundò, v. 19. docet Deum punivisse Aegyptios per viles bestias, ut ranas, muscas, serpentes, quos antea ipsi coluerunt quasi deos, ut eorum superbiam castigaret, & suam potentiam ostenderet. Denique v. 1. ostendit miram Dei clementiam, qui cùm sua omnipotentia potuisset solo nutu afflare & annihilare Aegyptios, modicè tamen per exilia & vilia animalia eos castigaret, ut converterentur ad pœnitentiam, & veniam impetrarent? Omnia enim, *inquit*, in mensura, & numero, & pondere disposuisti.

1 Direxit opera eorum in manibus prophetæ sancti. 2. Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur: & in locis desertis fixerunt casas. 3. Steterunt contra hostes, & de inimicis se vindicaverunt.
4. Sitierunt, & invocaverunt te, & data est illis aqua de petra altissima, & requies sitis de lapide duro.
5. Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum, à defectione potus sui, & in eis, cùm abundarent filii
Israel, lætati sunt; 6. Per hæc, cùm illis deessent, benè cum illis actum est. 7. Nam pro fonte quidem
sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti injustis. 8. Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperatè, 9. Ostendens per sitim, quæ tunc fuit, quemmadmodum tuos exaltares, & adversarios illorum necares. 10. Cum enim tentati sunt, & quidem cum
misericordia disciplinam accipientes, scierunt quemadmodum cum ira judicati impii tormenta paterentur. 11. Hos quidem tamquam pater monens probasti, illos autem tamquam durus rex interrogans condemnasti. 12. Absentes enim & præsentes similiter torquebantur. 13. Duplex enim illos acceperat tædium
& gemitus cum memoria præteritorum. 14. Cùm enim audirent per sua tormenta benè secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus. 15. Quem enim in expositione prava projectum
deriserunt, in finem eventus mirati sunt, non similiter justis sitientes. 6. pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quòd quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias supervacuas immisisti
illis multitudinem mutorum animalium in vindictam: 17. Vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc
& torquetur. 18. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex
materia invisa, immittere illis multitudinem ursorum; aut audaces leones. 19. Aut novi generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis
scintillas emittentes: 20. Quarum non solùm læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem
occidere. 21. Sed & sine his uno spiritu poterant occidi persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi
per spiritum virtutis tuæ, sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. 22. Multum enim
valere, tibi soli supererat semper, & virtuti brachii tui quis resistet? Quoniam tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. 24. Sed
misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. 25. Diligis
enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.
26. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conservaretur? 27. parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.

VERS. 1. DIREXIT OPERA EORUM IN MANIBUS PROPHETÆ SANCTI] Mosis. Pro *direxit* græcè *εὐόδωσεν*, id est bene direxit, bona via duxit, prosperavit fecit ut felices exitus haberent opera & itinera Hebræorum in deserto, per spatium quadraginta annorum. *In manibus*, id est per ductum, actionem, directionem, & gubernationem Mosis, ac, ut verbo dicam, per Mosen velut Dei ministrum & instrumentum. Manus enim est instrumentum instrumentorum, unde in Script. causam instrumentalem designat. Sic in Prophetis sæpè dicitur: *Factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, Isaiæ, Zaccariæ, &c.* id est, per Aggæum, Isaiam, Zachariam, qui erant manus, id est instrumentum putà os, Dei. Prophetia enim propriè fit ore, non manu. *In manu* ergo, hoc est opera & ministerio Mosis Deus Hebræos feliciter gubernavit, & deducit per vastas Arabiæ solitudines, ut in deserto arido abundarent cibo, potu, veste, ceterisque rebus necessariis. Sic in manu Iudæ Machabæi *directa est salus*, id est opera & ductu Iudæ parta est Hebræis victoria, 1. Machab. 3. 6. Salus enim populi pendet à duce, rege, principe bono & sapiente. Sic salus Hebræorum consistebat in Mose, utpote Propheta, eoque sancto. Felices respubl. & regna, quæ reges habent sanctos & sapientes, quales plures hoc ævo habemus, per quos proindè Deus populos eis subditos benedicit, hæreses profligat, fidem orthodoxam restituit, Ecclesiæ jura & fines propagat. Illi sit laus & gloria. Porrò, quomodo sapientia direxit opera Hebræorum, explicat dum subdit:

ITER FECERUNT PER DESERTA QUÆ NON HABITABANTUR, ET IN LOCIS DESERTIS FIXERUNT (malè multi legunt, *fecerunt*) CASAS] Græcè, *ἐν ἀβάτοις ἔπηξαν σκηνάς*, id est *inviis fixerunt tentoria*, putà in Arabia deserta, cujus proinde incolæ, eò quòd non in domibus, sed in tentoriis habitant, dicti sunt Scenitæ, teste Plinio l. 6. 18. & Nomades, eò quod pascant greges, indeque victitent. VERS. 2.

Alludit ad Deuter. 32. 10. *Invenit eam in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis*. Ubi Septuag. vertunt, *αὐτάρκειαν*, id est *sufficientia*, vel *necessaria tribuit ei in deserto, in siti æstus, in terra inaquosa*, id est aquis carente & arida, *in siti æstus*, id est siti æstuosa, siticulosa, & calore solis æstuante & exusta; Aquila, [illegible], id est *in terra inculta, inhabitabili, horroris plena*.

STETERUNT CONTRA HOSTES, ET VERS. 3.

DE INIMICIS SE VINDICAVERUNT) Hebræi enim in deserto, duce Deo, hostes permultos iter suum impedientes repulerunt & prostraverunt, quales fuere Amalecitæ, Exodi 17. Arad. rex Chananæus, Numer. 21.1. Moabitæ, Numer. 25. Madianitæ, Numer. 31. 2. Sehon rex Hesebon, & Og rex Basan, Deuter. 2. 32. & cap. 3. v. 1. & similes.

Vers. 4. SITIERUNT, ET INVOCAVERUNT TE, ET DATA EST ILLIS AQUA DE PETRA ALTISSIMA, ET REQUIES SITIS DE LAPIDE DURO) Pro *altissima* græcè est ἀκροτόμου, id est *abrupta*, q. d. *ab alto secta*, ideoque *dura*, ut alii vertunt. Alludit ad Deuter. 8. 15. ubi Noster vertit, *de petra durissima*; Septuag. verò, quos more suo sequitur Sapiens, vertunt, ἀκροτόμου: erat enim hæc petra sita in alto monte Oreb, qui est jugum montis Sinai, Exodi 17. v. 6. Quare non est necessum direre, Nostrum pro ἀκροτόμου legisse, ἀκροτάτου, idest *altissima*, licèt id opinetur Jansen. *Requies sitis*; græcè ἴαμα δίψης, idest, *remedium* vel *curatio sitis* (nam sicut cibus famis, sic aqua sitis remedium & levamen est) *de lapide duro*. Notat miraculum petræ, quæ per Mosen percussa, Hebræis in deserto sitientibus largissimas fudit aquas, easque lympididissimas & dulcissimas, ait Josephus idque bis; semel in Raphidim & Oreb, Exodi 17. altera vice in Cades, Numer. 20. 11. Tradunt Hebræi, & ex eis Cantacuzenus, petram hanc currui impositam vectamque, comitatam fuisse Hebræos per desertum quocumque pergerent, ac ubique jugi suæ aquæ profluvio eos potasse, idque videtur innuere Apost. 1. Corinth. 10. 4. *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra*; idque ibidem dicere videtur S. Chrysost. Ambrosiaster, Photius apud Oecumen. & S. Thom. qui vel petram ipsam, vel certè rivum aquarum ex petra scaturientem Hebræos secutum innuunt. Verùm id fabulosum videtur, & alius est Apostoli sensus, ut ibidem ostendi. Æquè fabulosum est, quod iidem tradunt, Hebræis datas aquas propter merita Mariæ sororis Mosis; columnam nubis quæ præiret castra, propter merita Aaronis; manna verò propter merita Mosis: quare post mortem Aaronis evanuisse columnam; post mortem Mosis defecisse manna: id enim falsum esse liquet ex historia Mosis in Pentateucho, uti ibidem ostendi.

Vers. 5. PER QUAE ENIM POENAS PASSI SUNT INIMICI ILLORUM, A DEFECTIONE POTUS SUI, ET IN EIS, CUM ABUNDARENT FILII ISRAEL,

Vers. 6. LAETATI SUNT; PER HAEC, CUM ILLIS DEESSENT, BENE CUM ILLIS ACTUM EST) Sensus est q. d. Sicut in Ægypto Ægyptii per aquas omnes à Mose versas in sanguinem, siti cruciati sunt; Hebræi verò aquas habentes putas, easque bibentes, lætati sunt: ita & post exitum ex Ægypto, cùm iisdem Hebræis deessent aquæ in deserto, bene cum illis actum est, dum petra à Mose percussa largissimas eis profudit aquas. quare per quæ puniti sunt Ægyptii, per hæc Hebræi beneficio affecti sunt: aquæ enim sanguineæ cruciantes Ægyptios, cùm puræ & largæ datæ sunt Hebræis, eosdem mirè recrearunt in deserto, uti eosdem antè recrearant in Ægypto. Hunc esse sensum liquet ex sequent. & ex Græco, qui sic habet, *per quæ enim cruciati sunt inimici illorum per hæc ipsi indigentes beneficium acceperunt*. Noster verò, ut prius hemistichium pleniùs explicaret, addidit: *A defectione potus sui, & in eis, cùm abundarent filii Israel, lætati sunt*. vide historiam exodi 7. Igitur Tò *cùm abundarent*, intellige, Hebræi in Ægypto aquis puris & potabilibus, quibus carebant Ægyptii, utpote aquis versis in sanguinem. Licet noster à Castro id intelligat de Hebræis aqua è petra elicita à Mose potatis, non in Ægypto, sed in deserto. Sed priùs aptius est magisque respondet Græcis, qui totum priorem versum accipiunt de plaga aquarum versarum in sanguinem, quæ contigit in Ægypto, non in deserto, juxta sensum jam assignatum.

Ægypti sanguinolenti sanguine potati.

Vers. 7. NAM PRO FONTE QUIDEM SEMPITERNI (græcè, ἀενάου, id est perennis, jugiter fluentis) FLUMINIS (Nili) HUMANUM SANGUINEM DEDISTI INJUSTIS) q. d. Pro aquis Nili dedisti Aegyptiis bibere humanum sanguinem, dum aquas Nili vertisti in sanguinem, Exodi 7. 20. Græcè est, αἵματι λυθρώδει, id est *sanguine cruento*, sanioso, tabido, turbati, scilicet Aegyptii. Malè Isidor. Clarius legens, λυθρώδει, vertit A *redemptorio sanguine*, explicatque de sanguine agni paschalis, qui illitus postibus domorum Hebræorum, eas servavit intactas ab angelo percutiente primogenita Aegyptiorum; aut de aquis Nili versis in sanguinem: hic enim sanguis signum erat, Deum velle ulcisci innocentem sanguinem infantium Hebræorum occisorum ab Aegyptiis, ideoque velle eos ex Aegypto liberare, & educere.

QVI CVM MINUERENTVR IN TRADVCTIONE INFANTIVM OCCISORUM, DEDISTI ILLIS ABVNDANTEM AQVAM INSPERATE) q. d. Cùm Aegyptii ob aquas versas in sanguinem, indeque consequentem sitim, viribus, vita & numero minuerentur (multos enim necabat, vel sitis, vel potus aquæ sanguine corruptæ, teste Philone & Josepho) idque justè, utpote *in traductione*, græcè εἰς ἔλεγχον, id est ob correptionem & ultionem infanticidii Hebraici. Aquis enim sanguineis meritò puniti sunt Aegyptii, qui eas sanguine, & morte infantium Hebræorum macularant. Tunc *dedisti illis*, scilicet Hebræis in deserto siti laborantibus, *abundantem aquam*, scaturientem ex B petra. Vers. 8.

Græca significantiùs habent, εἰς ἔλεγχον νηπιοκτόνου διατάγματος, id est *ad redargutionem* vel *exprobrationem infanticidalis edicti*. Aquæ enim sanguineæ reipsa exprobrabant Aegyptiis infanticidia Hebræorum. Unde Vatabl. vertit, *ad exprobrandum illis de occidendis infantibus edictum*. Hinc patet nonnullos perperam Tò *qui cùm minuerentur*, referre ad Hebræos. q. d. Cùm Hebræi ob infanticidia suarum prolium minuerentur numero. Ex Græco enim liquet referendum esse ad Aegyptios eo sensu, quem dedi. Ita Cantacuzenus, Osorius. Vatabl. Jansen. Clarius à Castro & alii. vide dicta Exodi 7. 20.

Porrò Interpres noster Græca non ad verbum, sed ad sensum fideliter & clarè reddidit: Græca enim ad verbum sic habent, *pro quidem fonte perenni fluminis sanguine cruento perturbati, in correptionem infanticidalis præcepti, dedisti illis abundantem aquam insperato*. Ubi Tò ταραχθέντες, id est *perturbati*, per hebraismum (Hebræi enim carent casibus: unde uno casu & terminatione exprimunt omnes) idem est, quod *perturbatis*, vel, cùm perturbarentur & consternarentur Aegyptii, quod Noster C vertit, *cùm minuerentur*, animo scilicet, æquè ac viribus, vita & numero.

OSTENDENS PER SITIM, QVAE TVNC FVIT, QVEMADMODVM TVOS EXALTARES, ET ADVERSARIOS ILLORVM NECARES] Græcè ἐκόλασας, id est *castigasti*, dum scilicet eos morte mulctasti. q. d. Fecisti ut Hebræi in deserto sentientes sitim, ex eaque cognoscentes quantum malum sit sitis, inde discerent quàm in eos beneficus fueris, ò Domine, dum eos aqua è petra miraculosè potasti & exaltasti; hostes verò eorum, putà Ægyptios, siti & aquis sanguineis necasti. Aegyptii enim carent pluvia, quia Aegypus fœcundatur exundatione & oblimatione Nili. Quocirca Aegyptii Nilum pro deo suo habebant, teste S. Athanas. orat. contra idola, & Plinio lib. 8. cap. 46. Vnde illa vetus Nili salutatio: *Jupiter Ægypti Nile*, de qua Rhodiginus lib. 27. cap. 6. quare ingens Aegyptiis fuit pœna, cùm Nilus, qui priùs eis dabat messem, & vitam, jam sanguine vitiatus eis afferret sterilitatem, & mortem. Vers. 9.

Porrò Tò *necares* idem est, quod *necasses*, & si opus D fuisset deinceps necaturus fuisset: nex enim Aegyptiorum per sitim, annum & ampliùs antecessit scaturiginem aquæ è petra datæ Hebræis in deserto. Sapiens enim pulchra antithesis ostendit providentiam Dei benignam in pios, & ultricem in impios, per eamdem aquam, licet diverso tempore exhibitam.

CVM ENIM TENTATI SVNT: ET QVIDEM CVM MISERICORDIA DISCIPLINAM ACCIPIENTES, SCIERVNT QVEMADMODVM CVM IRA JVDICATI IMPII TORMENTA PATERENTVR] Exaggerat quod dixit. q. d. Cùm Hebræi tentati & afflicti sunt per modici temporis sitim, per eamque misericorditer à Deo castigati in deserto, ex ea didicerunt quanta ira Deus in Aegyptios exarserit, utpote quos longa siti afflixit, & tandem enecavit, quasi dicat. Ideò Deus piis cruces immittit modicas & breves, ut ipsi discant illas æquo animo ferre, cùm eas comparant Vers. 10

rant cum crucibus longè majoribus, quibus Deus impios torquet, eisque animam & vitam extorquet: quare de sua sorte non querantur, sed ea contenti Deo gratias agant, nec impiis invideant, sed potiùs condoleant. unde explicans subdit:

Vers. 11. Hos quidem (pios Hebræos) tamquam pater monens probasti: illos autem (impios Ægyptios) tamquam durus rex interrogans, idest examinans per quæstionem & torturam sitis, condemnasti] Græca invertunt, *condemnans interrogasti*, vel ad damnationem examinasti, & in quæstione exagitasti: hoc est, de Aegyptiis quæstionem habuisti, eos sitis cruciatu, quasi tormento adhibito torsisti vel examinasti: aqua enim sanguinea & sitis fuit quasi tortura, qua Aegyptios torsit, & examinavit Deus. q. d. Quare vos, infantes Hebræorum in aquas projecistis? cur eos aqua mersistis & necastis? cur sanguine innocenti aquas fœdastis? Fœdastis illas, fœdatas nunc bibite; cruciastis eos aquis, nunc eisdem cruciamini & vos; aquis illos necastis, nunc & aquæ vos necent, & innocentum necem vindicent.

Vers. 12. Absentes enim et præsentes similiter torquebantur] quasi dicat, Aegyptii sive absentes ab Hebræis, sive iis mixti, & præsentes, eadem siti torquebantur. Ex eodem enim Nilo, vel fonte, aquas sanguineas & impotabiles hauriebant Aegyptii, ex quo Hebræi puras & lympidas, ait Joseph. 2. Antiq. cap. 13. ita Cantacuzenus. Aut potiùs q. d. Aegyptii ab Hebræis jam Aegypto egressis, & in deserto aquam è petra bibentibus absentes, æquè ac illis in Aegypto adhuc degentibus præsentes cruciati sunt. Modum cruciatus explicat in sequentibus. Hunc verum esse sensum patebit ex eo quod sequitur: *Et gemitus cum memoria præteritorum*. Et: *Non similiter iustis sitientes*. ita Jansen. Lorinus, à Castro. Quartò, minùs appositè Lyran. exponit q. d. Aegyptii, sive præsentes Pharaoni, sive ab eo absentes. Et Holcot, sive præsentes essent aquis, sive absentes, siti torquebantur. Et Hugo, qui hæc accipit de Chananæis & Amalecitis.

Vers. 13. Duplex enim illos acceperat tædium, et gemitus cum memoria præteritorum.) Primus enim dolor Aegyptiorum erat sitis quòd non possent bibere aquas cruentas & saniosas. Secundus erat dolor invidiæ, quo cruciabantur videntes Hebræos ex eodem fonte haurire aquas lympidas, ex quo ipsi hauriebant tabidas. Accedebat *memoriam præteritorum*, qua Aegyptii memores præteritarum plagarum à Mose sibi immissarum, à quibus intacti fuerant Hebræi, hac memoria per plagam sitis renovata cruciabantur. Ita Cantacuzenus & Osorius.

Aut potiùs conformiter ad sensum secundo loco versu præcedenti assignatum, primus dolor Aegyptiorum erat, quo ipsi ex invidia, aliena, Hebræorum hostium suorum scilicet, felicitate, audita miraculosa aquæ è petra eis scaturientis copia, cruciabantur. Secundus dolor erat ex malis propriis scilicet sitis, & aliarum plagarum, quas propter Hebræos passi erant: quæ licèt jam transiissent, illarum tamen effectus, & memoria eos adhuc torquebat: multi enim per sitim macie, & morbis confecti ægrè trahebant animam, alii per sitim afflictos vel extinctos lugebant suos fratres, filios, parentes, uxores, amicos, &c.

Minus rectè Lyran. hæc de Hebræis accipit, q. d. Hebræi duplici dolore cruciabantur; Primò, ex tolerantia præsentis calamitatis sub Pharaone; Secundò, ex memoria præteritæ felicitatis sub Josepho. Nam ut ait Boetius: *Infelicissimum infortunii genus est fuisse felicem*.

Et gemitus cum memoria præteritorum) Ita legunt codices Latini, Græcique Romæ correcti; Complut. legunt, καὶ στεναγμὸς μνειῶν τῶν παρελθόντων, id est *& gemitus memoriarum præteritorum*; Vaticanus, μνειῶν τῶν παρελθόντων, idest *memoriarum præteritarum*; Jansenius verò mallet legi, μνειῶν cum accentu acuto, indeque verti, *& gemitus memor præteritorum*. Verùm omnia eodem redeunt, dantque sensum, quem paulò ante assignavi.

Vers. 14. Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum) Id est *cum illis* (hoc enim significat Græcum αὐτοῖς) unde Græca sic habent, *cùm enim audirent* A *per propria tormenta illos* (Hebræos) *beneficio affectos, senserant Dominum*. Sic sæpè alibi pronomen reciprocum sumitur pro absoluto, & vice versa, ut Lucæ 1. 51. *Dispersit superbos mente cordis sui*, idest *eorum*, ut patet ex Græco. Sensus est. q. d. Cùm Aegyptii intelligerent suas plagas & calamitates verti & cedere in bonum & felicitatem Hebræorum, quos persequebantur, scilicet se aquarum penuria cruciatos; hebræos verò aquarum copia donatos, *commemorati sunt Dominum*, id est compulsi & coacti agnoverunt Deum Hebræorum, ejusque vires & potentiam confessi sunt: unde græcè, *senserunt Dominum mirantes in finem exitus*, idest *eventus*, ut sequitur. q. d. Aegyptii admirati sunt tragicum suæ pertinaciæ finem & exitum, putà suam suorumque cladem & stragem: indeque agnoverunt omnipotentem Dei manum & vindictam; sed serò: agnoverunt enim easdem res, v.g. aquas, sibi esse noxias & exitiales; hebræis verò commodas & vitales; quare Deum pugnare pro hebræis, ac propter eos se oppugnare, imò expugnare senserunt.

Quem enim in expositione prava pro- Vers. 15.
B jectum deriserunt, in finem eventus mirati sunt, non similiter justis sitientes Ita Græca & Roman. Perperam ergo Complut. Regii & alii pro *sitientes* legunt, *faciens*, q.d. Deus non similiter fecit Aegyptiis & hebræis, quia illos siti enecavit, hos aqua è petra potavit. Verùm corrigendum est *sitientes*. Sensus est q. d. Aegyptii *Dominum*, putà Deum, quem anteà, cùm servorum ejus, scilicet hebræorum, infantes in Nilo exponi & submergi cogerent, projecerant, id est abjecerant, nihili æstimarant, imo deriserant; græcè ἀπεῖπον χλευάζοντες, id est *negaverant subsannantes*; hunc *in finem eventus*, idest, ut græcè, *in fine* vel *exitum eventuum*, cùm scilicet tandem acrem ejus per tot plagas vindictam experirentur, admirati sunt, *non similiter iustis sitientes*, q. d. Eò quòd alium in sua siti experti sint Deum, quàm hebræi: nam hi aquam divinitus acceperunt; illi pro aqua sanguinem impotabilem hauserunt. ita Jansen.

Secundò, pressiùs Τὸ *quem* referas ad Mosen, q. d. Aegypti Mosen, quem infantem exponi coegerant, & ut abjectum riserant; hunc tandem mirati sunt in exi-
C tu, quo hebræos eduxit ex Aegypto: tunc enim ejus plagas, quas Deo auctore ipsis inflixit, senserunt, ac præsertim cùm ab eo aquis sanguineis & siti percussi sunt; hebræi verò minimè. Videtur notare insidias Aegyptiorum, quibus coactus est Moses aulam regiam Pharaonis deserere, & fugere in Madian ne interficeretur, ut referunt Josephus lib. 2. Antiq. cap. 5. & Philo lib. de Profugis, & lib. 1. de Vita Mosis, & Paulus ad hebr. 11. 24. *Fide*, inquit, *Moses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi*. Quo verbo indicat improperatum fuisse Mosi, ac risu & sannis exceptum ex Aegypto profligatum. ita Lyran. Dionys. Lorinus, à Castro & alii.

Minus rectè Lyran. exponit de hebræis, q. d. hebræi Mosen, quem initio ut imbecillem riserant, postea plagas inferentem Aegypto mirati sunt. Huc usque de plaga sitis; sequuntur aliæ per bestiolas Ægyptiis immissæ.

Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quòd quidam Vers. 16.
D errantes colebant multos serpentes, et bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem multorum animalium in vindictam] q. d. Quia Ægyptii fuere superstitiosissimi, ideoque pro diis coluere bestias varias: hinc Deus ad castigandam hanc eorum superstitionem & idololatriam, per Mosen immisit in eos bestiolas varii generis, quæ eos cruciarent. Secunda enim plaga Ægypti fuit innumera multitudo ranarum, Exodi 8. 2. Tertia fuit sciniphum, Exodi 8. 16. Quarta fuit muscarum, Exodi 8. 21. Octava fuit locustarum, Exodi 10. 4. vide ibi dicta.

Pro *iniquitatis*, perperam aliqui legunt, *iniquitates*, adduntq; *prodeunt*. ita Glossa Interlin. vel *secuta sunt*. ita Hugo pro *mutos*, græcè est ἄλογα, idest expertes sermonis, idest mutos; vel expertes rationis, idest irrationales: λόγος enim, & sermonem, & rationem significat: atque

animalia, quæ carent ratione, carent & sermone: sermone: sermo enim est index rationis & mentis.

Pro *bestias supervacuas*, græcè est κνώδαλα ἄχρηστα, idest bestiolas viles: κνώδαλα enim significat animalia omnis generis, tam terrestria, quàm aquatica & aerea: dicta sunt κνώδαλα à κυσὶν ἁλίσκεσθαι, idest quod canibus capiantur, ait Aristophanes in Vespis. unde Homerus Odyss. ρ.

Κνώδαλα ὅσσα περ ἤπειρος τρέφει, ἠδὲ θάλασσα.

hoc est, *bestias quas terra nutrit vel mare*. Significat Ægyptios omnis generis animalia coluisse. Nam, ut ait S. Bonavent. sub specie serpentis colebant Aesculapium. Jovem sub arietis, Mercurium sub canis, Apim sub bovis. Propriè tamen κνώδαλα, ait Nannius hic in c. 16. t. sunt marina sive aquatilia animalia, ita dicta à κινεῖσθαι ἐν ἁλί, idest quòd moveantur in mari. Sub quibus Sapiens intelligit ranas, muscas, scarabæos, aliaque finitimæ naturæ. Nicander in Theriacis κνώδαλα pro insectis & reptilibus usurpat: Oppianus verò certum serpentum genus facit, sub quo has species constituit, αἱμοῤῥοΐδας, quibus à sanguinis fluxu nomen est: κεράστας, quorum corniculata capita: τριχοῤῥόους, à defluvio capillorum dictos: & τοιχωρύχας, quòd parietem perfodiant.

Ægyptii coluerunt serpentes. Porrò Aegyptios pro diis coluisse ex terrestribus animantibus leones, cynocephalos, canes, feles, lupos, serpentes & aspides, tradunt Philo in lib. de Decalogo, Tertull. in Apolog. c. 24. Cyprian. lib. ad Demetrian. n. 5. & Athenagoras in Apolog. pro Christianis; ex aquaticis crocodilos & pisces alios; è volucribus ibides & accipitres, eodem Philone authore liquet. Hinc illud Virgilii lib. 8. Aeneid. de Aegypto:

Omnigenumque Deum monstra, & latrator Anubis.

Hac de causa Christus infans fugiens Herodem, delatus fuit in Aegyptum, ut ejus deos everteret, ac de eis triumpharet: unde eo ingrediente idola Aegypti corruerunt, uti prædixerat Isaias c. 19. 1. *Ingredietur Aegyptum*, inquit, *& commovebuntur simulacra Aegypti*. vide ibi dicta. At verò nusquam legimus Aegyptios adorasse ranas, sciniphes, muscas, locustas, quas Deus per Mosen eis immisit. Cùm ergo ait Sapiens, eos per mutas bestias punitos, quia mutas bestias adoraverunt, intellige bestias easdem in genere, non in specie. Denique Aegyptios non tantùm canem, arietem, vulturem, sed & scarabæum coluisse quasi numen, docet Eu- C seb. lib. 3. de Præparatione c. 2.

VERS. 17. UT SCIRENT, QUIA PER QUAE PECCAT QUIS, PER HAEC ET TORQUETUR] Syrus, *retribuetur*; Arabicus, *ut sciant quod iis rebus, quibus homo peccat, cruciatur*. q.d. Quia Aegyptii bestias coluerunt, hinc per viles bestias, non ejusdem, sed alterius speciei puniti sunt. Causam subdit Sapiens v. sequenti. Huic gnomæ succenturiantur leges talionis latæ, tum à Deo, tum à principibus. Notum est illud Dei mox à diluvio: *Quicumq; effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius*, Genes. 9. 6. Et illud Christi: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, Matth. 26. 52. & illud Isaiæ c. 33. 1. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Et illud Habacuc c. 2. 8. *Quia tu* (ò Babylon) *spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis*. Deniq; *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, Lucæ 6.

Culpa fit pœna. Gnoma.

Moraliter hic disce, quodlibet vitium sibiipsi esse supplicium, suumque sibi afferre tormentum. Sic gula parit crapulam, vigiliam, dolores capitis, & stomachi, quibus ipsa punitur. Hinc dives Epulo lingua in igne D gehennæ punitus est, quia lingua peccarat. Libido parit luem veneream, pluresque morbos, quibus ipsa plectitur. Avaritia parit mille curas, sollicitudines, ærumnas, dolores quibus ipsa mulctatur. Superbia parit innumeros angores animi, quòd honoribus quos ambit non potiatur, sed potiùs ubique humilietur & deprimatur. Ira parit mille animi tumultus & fremitus, qui iratum assiduè lancinant & lacerant. Acedia parit inopiam, famem, nuditatem, quibus ipsa castigatur. Invidia invidum magis torquet, quàm æmulum: nam instar viperæ invidi viscera dolore, & angore rodit, & corrodit. Quare verè rectèque S. August. *Jussisti Domine & ita est, ut sibi pœna sit omnis inordinatus animus*. Et S. Chrysost. in psal. 3. *Vnde est fons peccati*, inquit, *illinc est plaga supplicii*.

Rabbini viros quinque recensent, qui iis in rebus A quibus excelluerunt, & fortè superbierunt; puniti sunt. Primus est Samson, qui in suo robore; Secundus Saul, qui in collo altiori; Tertius Absalon, qui in coma densa & venusta, unde ex ea suspensus interiit; Quartus Sedecias rex, qui in oculis bellis, ideoque excæcatus est; Quintus Asa rex, qui in pedibus, unde pedum languore percussus est, 3. Regum 15. 23. ita ipsi. *Plerumque ea in quibus peccamus, fiunt flagella peccantium*, ait Rupert. in c. 2. Joannis, ac vitia justè fiunt supplicia. Pulchro emblemate idipsum repræsentant nonnulli, qui pingunt equum, stimulat insidens Cupido, fugere, sed alligatum caudæ suæ lapidem molarem post se reptare, de quo carmen.

Vt fugit, & semper sequitur sua damna caballus,
Qui trahit heu scabræ pondera dura molæ:
Sic fugiet, semperque miser sua damna sequetur,
Qui fugit ultorem post sua terga Deum.

NON ENIM IMPOSSIBILIS ERAT OMNIPOTENS MANVS TVA, QUAE CREAVIT ORBEM TERRARVM EX MATERIA INVISA, IMMITTERE ILLIS MVLTITVDINEM VRSORVM, VERS. 18.
B AVT AVDACES LEONES] *Impossibilis*, idest *impotens*; οὐ γὰρ ἠπόρει, idest *non aporiabatur*, idest non angustabatur, non arctabatur.

Mundus factus ex materia invisa: quæ? Resp. Primò. Pro *materia invisa*, græcè est ἀμόρφου, idest *informi*, uti legit S. August. de Fide & symbolo c. 2. Syrus, *ignota*. Alludit ad Gen. 1. 2. *Terra autem erat inanis & vacua*; ubi Septuag. vertunt, *invisibilis & incomposita*; Aquila & Theodotion, *inane & nihil*. Vnde Primò, Eugubinus ibidem ait, mundum creatum esse ex materia invisa, idest ex nihilo; nihil enim est invisum, quia quod non est, videri nequit.

Secundò. Secundò, Seleuciani & Hermiani hæretici, teste S. August. & Epiphanio lib. de Hæresibus, hinc opinati sunt materiam primam ab æterno Deo coextitisse, ex qua ipse in tempore mundum formarit indendo materiæ formam, vel potiùs formas, quas jam habet. Verùm hæc est hæresis.

Tertiò. Tertiò, Philo libr. de Mundi opificio, per *materiam invisam* accipit ideam ex qua factus est mundus: hæc enim invisibilis præextitit in mundo intelligibili, putà in mente Dei. Verum hoc symbolicum est & mysticum.

Quartò. C Quartò, alii dicunt præpositionem *ex* significare ordinem non temporis, sed naturæ. Materia enim priùs natura creata est à Deo, quàm forma: materia enim est subiectum, cui inhæret forma q. d. Manus tua, Domine, creavit orbem terrarum constantem ex informi materia, quam eadem manus tua priùs natura condidit, ut ex ea totum orbem formaret. Verùm hoc subtilius est, & extra propositum: Deus enim non eduxit formam mundi ex ejus materia, sed simul tam tempore, quàm natura materiam & formam ex nihilo creavit, univitq. Adde, etsi materia in genere causæ materialis prior sit forma, tamen vicissim forma in genere causæ formalis prior est materia: forma enim dat esse rei, ac proinde materiæ dat certam naturam & speciem.

Quintò. genuinè. Dico ergo Deum creasse κόσμον, id est mundum, non quoad substantiam, sed quoad ejus ornatum (hunc enim significat κόσμος) & species *ex materia invisa*, id est informi. Assignat enim Sapiens hic causam materialem non creationis mundi, sed rerum, & specierum creatarum. Nam primo mundi die, Deus ex nihilo creavit hæc tria, cælum, terram & abyssum, idest copiam immen- D sam aquarum, sed rudia & informia; deinde sequentibus sex diebus ex iis velut ex materia invisa, idest rudi & informi chaos, omnes mundi res species formavit, ornavit & figuravit. Græcum enim κτίζω, quod Noster vertit, *creare*, significat generatim fabricare, condere, formare. Quare, per *materiam invisam*, non intelligit Sapiens materiam primam omni omnino forma carentem (hujus enim nec in Genesi, nec alibi ulla fit mentio) sed corpora simplicia, quæ invisa erant propter tenebras, quæ erant super faciem abyssi, ac ob carentiam decoris & ornatus sui. Unde eadem dicuntur informia, quòd carerent forma non substantiali, sed accidentali.

Primo ergo mundi die cælum, & terra creata sunt rudia & informia, idest inornata, ac deinde suis formis accidentalibus, putà luce, motu, sole, luna, stellis, omnique alio ornatu, reliquis diebus decorata, pulchra facta sũt, & spectabilia. Sic Apost. ad Hebr. 11. 3. ait nõ creata, sed *aptata*

esse

esse facula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent, quia primo mundi die, antequam lux fieret, terra non erat aspectabilis, omni etiam ornatu carebat, nec enim eam vestiebant herbæ & plantæ, non homines & animalia incolebant, aquis quoque cooperta erat, quare nec videri poterat, nec videri digna erat. Ita passim Patres & interpretes in Genes. 1. v. 2.

AUDACES LEONES) Interpres Origenis 4. Periarch. c. penult. vertit, *feroces leones*. Ferocia enim fecit eos audaces.

Vers. 19. AUT NOVI GENERIS IRA PLENAS (græcè, νεοκτίστου θυμοῦ, id est recenti, vel recens creato furore plenas: non enim erat opus Deo ad hanc vindictam novas creare bestias, sed sufficisset jam creatis novam indere sævitiam & furorem) IGNOTAS BESTIAS, AUT VAPOREM IGNIUM SPIRANTES, AUT FUMI ODOREM PROFERENTES, AUT HORRENDAS AB OCULIS SCINTILLAS

Vers. 20. EMITTENTES: QUARUM NON SOLUM LÆSURA POTERAT ILLOS EXTERMINARE, SED ET ASPECTUS PER TIMOREM OCCIDERE) Pro *vaporem ignium spirantes*, græcè, πυρπνόον φυσῶντας ἆσθμα, id est *ignivomum*, vel *flammivomum*, *spirantes anhelitum*, uti spirantur serpentes igniti flatuque ardentes, à Deo immissi in Hebræos murmurantes, Numer. 21. 6. Deuter. 8, 15. Hinc pisces dicti Physeteres quasi flatores, quos Strabo lib. 15. scribit, fluctum maximum & accumulatum, ac caliginem reflationibus excitare, ut navigantes ea, quæ præ oculis habent, cernere nequeant.

FUMI ODOREM PROFERENTES) Græcè, βρόμον λικμωμένους (alii legunt λικμωμένους) καπνόν, id est *sonitus ventilati fumi*, id est spirantes cum sonitu, fremitu & stridore fumum, reciprocatu anhelitus ventilatum. Ita Nannius & Iansen. juxta illud Ovidii 7. Metamorph.

Aeripides tauri vulcanum naribus efflant.

Et de Leviathan sive balena ait Job ca. 41. 9. & seq. *Sternutatio ejus splendor ignis, & oculi ejus ut palpebræ diluculi.* Tales esse balenas in Norvvegia scribit Olaus Magnus l. 21. c. 5. Tales ergo bestiæ fremunt, & cum fremitu fumum expirant, utroque terribiles, ut audientes & intuentes percellant & penè exaniment.

HORRENDAS AB OCULIS SCINTILLAS EMITTENTES] Græcè στράπτοντας, id est fulgurantes, quasi fulgura & fulgetra vibrantes, nam ex oculis emicans ardor indicat internum furorem, à quo promanat.

SED ET SINE HIS UNO SPIRITU POTERANT OCCI-

Vers. 21. DI, PERSECUTIONEM PASSI AB IPSIS FACTIS SUIS, ET DISPERSI PER SPIRITUM VIRTUTIS TUÆ; SED OMNIA IN MENSURA, ET NUMERO, ET PONDERE DISPOSUISTI) q. d. Quinimò poterat Deus sine ursis, leonibus aliisque bestiis, uno spiritu, id est uno flatu, imò uno verbo soloque jussu & nutu suo, afflare & occidere Ægyptios; sed iram tuam moderatus es Domine, quia omnia certa quadam ratione, moderatione & æquitate moderaris, temperas & mensuras.

Pulchrè pieque Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 34. *Grande*, inquit, *spectaculum Deus universo orbi præstitit, enim superbiam Aegyptiorum, non de leonibus & ursis, sed de ranis domuit & muscis.* Et rursus cap. 38. *Ecce*, inquit, *quales instruxit acies, quibus ex ordinibus sua castra implevit Dominus pugnando pro Israel: ranæ, cyniphes, muscæ atque locustæ fuerunt castrorum ejus acies, & ex ejusmodi cohortibus totas contra fortes Aegyptios composuit legiones, singuli milites secundum se breves quidem & infirmi, verùm pro exercitibus Pharaonis satis valentes, duce imperio Dei. Nempe quod multus hominum exercitus facere non potuisset, ista phalanges locustarum strenua peregere militia.*

UNO SPIRITU) Cantacuzenus, per *spiritum* accipit ventum validum, verbi gratia presterem vel ecnephiam, qui domos, arbores, turres sternit, imò evellit & aliò transfert. Alii angelum, hic enim in castris Sennacherib una nocte cecidit 185. millia Assyriorum, 4. Reg. 19. 35. Simplicius accipias flatum vel anhelitum, hic enim magis significat Dei vim & potentiam, qua tam facilè poterat Ægyptios omnes necare, quàm facilè homo respirat. Sic enim ait Job cap 4. 8. *Vide eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo periisse, & spiritu iræ ejus esse consumptos.*

PERSECUTIONE PASSI AB IPSIS FACTIS SUIS) Græcè, ὑπὸ τῆς δίκης διωχθέντες, id est *à judicio*, vel *à causa criminali* (qua eorum scelera à judice cognoscuntur, damnantur & plectuntur. Unde Noster vertit, *ab ipsis factis suis*) *impulsi* vel *propulsati*, quasi dicat. Poterant Ægyptii occidi à Deo solo halitu, sola voce, sola sententia, sicut judex persequitur, condemnat & occidit reum sua sententia, qua eum ob malefacta morti addicit; sed judex hanc sententiam physicè inefficacem ad occidendum exequitur per carnificem, qui reum plectit: Dei verò sententia non eget executore vel carnifice; quia per seipsam efficax est, & ultionem reipsa peragit. Nam Dei dicere, est facere. Unde *verbo Dei cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Sic Sanct. Augustin. lib. 2. contra epist. Petiliani cap. 19. illi conquirenti, quòd Catholici persequerentur Donatistas respondet, non Catholicos, sed male facta & scelera Donatistarum persequi ipsos velut auctores.

ET DISPERSI PER SPIRITUM VIRTUTIS TUÆ) λικμηθέντες, id est agitati quasi ventilabro, quasi dicat. Poterat Deus solo flatu suæ potentiæ, velut vanno vel ventilabro, Ægyptius dispergere, id est dispellere, disjicere, perdere, sicut disjiciuntur paleæ cùm eventilantur, ut tenues vanescant in auras. Simili tropo ait Ieremias cap. 15. 7. *Et dispergam eos*, ait Deus, *ventilabro in portis terræ, interfeci & disperdidi populum meum.* Et Isaia capit. 41. 16. *Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos.* Et Zachar. cap. 1. 19. *Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam & Israel.* Et Daniel. capit. 8. 4. *Vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem.*

SED OMNIA IN MENSURA, ET NUMERO, ET PONDERE DISPOSUISTI) Loquitur propriè de pœnis Ægyptiis à Deo inflictis, earumque congrua moderatione. Unde Syrus vertit, *omnia in mensura noxia, & in ordine, & in pondere induxisti in eos*; Arabicus, *quoniam omnia ordinasti cum numero, & potentia & mensura*, vel *pondere*, id est summa æquitate & ratione disposuisti omnia, ac admensus es pœnas. Ægyptiis juxta tuam non potentiam, sed sapientiam & æquitatem. Est metaphora ab humanis negotiationibus, in quibus æquitas & justitia servatur in mensurando, numerando & ponderando. Sensus ergo est, quasi dicat. Ideò Deus Ægyptiis immisit non leones & ursos, qui eos laniarent, sed muscas & ranas, quæ eos dumtaxat vexarent; quia non volebat eos occidere, sed moderatè castigare & emendare, juxta illud Isaiæ 28. 17. *Ponam judicium in pondere, & justitiam in mensura.* Punite in mensura, ait S. Bonavent. hic, est punire non plus, quàm exigat culpæ quantitas: in numero non plus, quàm multiplicitas, in pondere, non plus quàm peccati ferat conditio sive qualitas. Huc pertinet sententia in Baltassarem lata: *Mane, tekel, phares*, Daniel. 5. 25. vide ibi dicta. Hinc Sanct. Michael judicii divini circa animas administer, pingitur cum gladio & statera, quasi meritorum & demeritorum, præmiorum & suppliciorum libripēs, qui omnia ad amussim librat & adæquat.

Huc facit exemplum blasphemi, qui, ut narrat Nicephorus lib. 1. cap 20. armatus Deum provocabat ad duellum: immisit ei Deus exilem muscam, quæ per galeæ foramen ita assiduè eum exagitavit, ut cum ea luctando fessus victusque, suam amentiam confiteretur. Nam, ut ait Philo lib. 1. de Vita Mosis: *Homines cum bella gerere volunt auxilia sibi consciscunt potentissima, quibus infirmitatem suppleant: Deus verò omnipotens & nullius egens, si quando vult tanquam instrumentis quibusdam uti ad exigenda supplicia non valida eligit, sed vilia parvaque atque ita noxios plectit: quod tunc etiam Aegyptiis accidit.*

Verùm hæc sententia generalis, non solùm in pœnis & præmiis, sed in omni omnino re locum habet, ac verissima est, at quomodo & sensu?

Primò S. August. lib. 4. de Genesi ad litteram c. 3. 4. 5. hæc tria applicat ipsi Deo. per eaque accipit ideas divinas, juxta quas omnia justè apteque fecit & disposuit. Deus enim est prima & increata mensura omnia mensurans, & numerus omnia numerans, et pondus omnia ponderans, unde ab eo omnes creaturæ suam mensuram numerum & pondus mutuantur & hauriunt. Hæc enim est cujuscumque rei mensura, numerus, & pondus, quæ ideæ suæ in mente Dei respondet, quam-

Omnia in mensura, numero & pondere. Primò.

quamque illi Deus sua sapientia, & providentia admentiri decrevit. Audi Sanct. August. Dialogo quæst. ad Orosium quæst. 39. *Numerus, & mensura, & pondus ipse Deus est: ipse est numerus sine numero, a quo est omnis numerus: ipse est mensura sine mensura, a quo est omnis mensura: ipse est pondus sine pondere, a quo est omne pondus. Omnia ergo in numero, & mensura, & pondere disposuit tamquam si diceret: Omnia in se disposuit.*

Idem S. August. (vel quisquis est auctor) lib. Sententiarum unius, & viginti c. 18. mensuram attribuit Patri, numerum Filio (qui est numero secunda persona) pondus Spiritui sancto, qui & Amor dicitur. S. Bonaven. per mensuram sumit clementiam Spiritus sancti omnia conservantis, per numerum sapientiam Filii ordinantis, per pondus potentiam Patris operantis.

Huc accedit S. Bernard. serm. 1. de Septuag. ubi asserit Deum in hac vita omnia disposuisse io mensura, numero & pondere; in futura verò, putà in cælesti beatitudine, sine mensura, numero & pondere: quia ibi omne bonum nostrum erit Deus, qui quaquaversum est immensus, etsi idem ipse, ibi quoque iusta & certa mensura meritis cuiusque commensa, singulis Beatis se suamq; gloriam communicabit. Quocirca S. Bernard ibidem, cælestem Patrem alloquens, ait: *In te nec pondus usque, nec mensura, sed satietas est & affluentia summa, sed nec habet numerum*, scilicet qualem habent res terrenæ, sed alium cælestem dignum Deo & Beatis.

Secundo. Secundò, idem S. Bernard. serm. 51. inter parves, mensuram attribuit loco & tempori) cuique rei attributo & admenso; numerum, partibus rei corporeæ, aut varietati & mutabilitati rei incorporeæ; pondus, dignitati rei.

Tertiò. Tertiò, auctor Hypognosticon (apud S. Augustin. tom. 7.) lib. 6. cap. 4. per mensuram accipit rei qualitatem, per numerum quantitatem, per pondus rationem peræquatem.

Quarto. Quartò, magis appositè S. August. lib. 4. de Genesi ad litteram c. 3. *Mensura, ait, omni rei modum præfigit, & numerus omni rei speciem præbet, & pondus omnem rem ad quietem & stabilitatem trahit.* Igitur Deus disposuit omnia in mensura, numero & pondere, id est in modo, specie & ordine. Idem August. lib. de Natura boni cap. 3. *Hæc tria, ait, modus, species & ordo, tamquam generalia bona sunt in rebus à Deo factis: & ita hæc tria ubi magna sũt, magna bona sunt: ubi parva, parva bona sunt: ubi nulla nullum bonum est.* S. August. sequitur S. Thomas 1. p. qu. 5. art. 5. ubi docet omnem rem, sive omne bonum habere mensuram, quæ cuilibet rei certum modum ex determinatione suorum principiorum, sive causarum, tam efficientium, quàm materialium, præscribit & præstat: habere numerum, qui cuique rei suam formam & speciem præbeat: habere pondus, id est inclinationem ad suos actus suumque finem, ac proinde hoc pondus rem ipsam ad suam quietem & stabilitatem trahere. Idem quæst 43. art. 7. *Mensura*, ait, *refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, & pondus ad ordinem*, indeque evincit in qualibet re esse vestigium, sive repræsentationem S. Trinitatis. Nam *secundum quod res est quædam substantia creata*, inquit, *repræsentat causam & principium, & sic demonstrat personam Patris, qui est principium, non de principio. Secundum autem quod habet quamdam formam & speciem, repræsentat Verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis. Secundum autem, quod habet ordinem, repræsentat Spiritum sanctum, in quantum est amor, quia ordo effectus ad aliquid alterum, est ex voluntate creantis.*

Ratio à priori. Rationem à priori dat Plato dialog. de natura, quod fas non erat, nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus, pulchritudo autem consistit in iusta ratione & proportione, putà in mensura, numero & ordine.

Gnoma. Huic gnomæ antistropha est illa 4. Esdræ 4. 36. *In statera ponderavit sæculum, & mensura mensuravit tempora, & numero numeravit tempora.* Omnia ergo planè suis constant numeris, appenduntur ponderibus, mensuris discreta subsistunt. Pythagoras omnia quæ fiunt, numeris constare asseruit, ex eorumque harmonia & concentu universa generari. Est autem numerus, ait, extensio atque actus seminalium rationum in unitate regnantium, numerus præterea est in divina mente consistens, à quo & ex quo omnia componuntur & permanent, ordine quodam indissolubili invicem distributa. Pythagoram magistrum secuti Pythagoricè censuerunt, omnia fieri per numeros: hosce enim rebus omnibus dare harmoniam & concentum pulcherrimum: Deum ergo mundum hunc numerosa & summè concinna proportione administrare instar citharœdi, qui citharam ad numeros scitissimè pulset, ac suavissimum efficiat harmoniam & melodiam. Et Plato in Timæo docet mundum factum esse per cubum ternarii, id est per 27. in quo numero omnis harmonia & consonantia consistit: nam ter tria faciunt novem, ter novem faciunt 27. ex quo Valentinus hæreticus suos triginta Æones quasi numina accepisse videtur, de quibus Tertull. lib. contra Valentinum. Virgil. verò lib. 12. Æneid. de bilance fatorum Æneæ & Turni, ita canit:

Iuppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, & fata imponit diversa duorum,
Quem damnet labor, & quo vergat pondere letum.

Igitur, ut rem in summam genuinè, clarè & metho-
B dicè colligam: Deus primò disposuit omnia *in mensura*, dum fecit ut res quælibet habeat suam quantitatem & mensuram, in longitudine, latitudine & crassitie, v. g. ut homo habeat mensuram sex pedum in altitudine, sesquipedem in latitudine, pedem in crassitie; ut hæc arbor tantam habeat mensuram altitudinis, alia aliam; ut cæli sint tam magni, non maiores, nec minores &c.

IN NUMERO] ut verbi gratia, cæli sint undecim, non plures: elementa sint quatuor, non plura, nec pauciora, tot sint species animalium, piscium, avium, serpentium, totq; singularum individua, non plura, nec pauciora; tot angeli, tot homines; tot electi, tot reprobi, tot metalla, tot arbores, tot flores, tot arenæ, non plures.

IN PONDERE] ut quodque habeat suam gravitatem, locum & ordinem, v. g. ut terra sit ponderosissima, ideoque ima, deinde super eam sit aqua, super aquam sit aer, super aerem sint cæli suo quippe ordine & gradu. Rursum ut quodque habeat suum pondus, id est inclinationem, & propensionem, impulsum, impetum.
C Vide Valel. S. Philos. c. 70.

Secundò, dum fecit, ut res quælibet in entitate, sive genere entis & rerum, suam habeat entitatis mensuram, numerum & pondus.

Tertiò, dum fecit ut eadem habeat in suis potentiis, qualitatibus, accidentibus, dotibus, actibus. Creavit enim Deus substantias, non nudas, sed vestitas accidentibus sibi propriis, & congruis ad suas operationes, atque omnes inter se velut chordas discordes in cithara ita coordinavit, ut concordem harmoniam efficiant. Vide quã aurum sit fulvum, quàm gemmæ coruscent, quam lilia albicent, quàm rosæ purpurascant, quàm aves suis coloribus & plumis sint distinctæ. Hinc Hugo Cardinalis hoc loco ex Rabano interpretatur de veritate, iudicio, iustitia; quoniam Deus rebus dedit verum esse, distinctionem sine confusione, debitam cuique perfectionem. Holcot hæc tria exponit, limitatam perfectionem, tam in essentia, quàm in potentia; distantiam certam à Deo, quomodo numeri ab unitate distant: sunt enim effectiæ sicut numeri, naturalem appetitum ad id, in quo natura
D perficitur, quod est rei cuiusque pondus.

Denique huc facit illud S. Bernardi serm. 3. in Pentecoste: *Tria in magna hujus mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in esse quidem, verũ inæstimabilis potentia commendatur, quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in modo ipso sapiẽtia singularis elucet, quòd hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò ad quid factus sit mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiã ingratissimos quosque multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè utilia sunt creata.*

Moraliter, disce à Deo Deique providentia ordinem, modum & modestiam. Deus enim tam appositè singula inter se ordinavit, ut inter ea summus sit ordo, decor, concordia, harmonia, quies & modestia, iuxta illud: **Moral. de ordine & modestia.** *Concentum cæli quis dormire faciet?* Iob. 38. 37. Inter aves vide pavonem caudam suam ocellatam explicantem, & tot gemmis, quot oculis distinctuos, unde simul

tocel.

incessum pavonis, qui lentus est, maturus & modestus: hic docet te in tua sapientia & dotibus non exultare, sed modestiam præ te ferrè. Verè quidam dixit: Religiosus sit turtur in cella, accipiter in schola, in mensa passer, ut communia comedat; in ambulacro pavo, ut quietè incedat, ne quem turbet vel excitet. Universum ergo est speculum & typus modestiæ, adeoque modestia originem habet à Deo, qui per essentiam modestissimus & quietissimus est. Unde S. Ambros. 1. Offic. c. 18. *Decet*, ait, *est modestia, quia portio Dei est*. Mundus ergo totus quietus, silens & modestus inclamat nobis studium quietis, silentii & modestiæ. Rursum hic ordo & quies est sepes & munimentum singularum creaturarum, ut everti aut lædi nequeant. Sic modestia est sepes, munimentum, custodia & tutela omnium virtutum internarum. Insuper hic ordo & compositio est decor creaturarum. Vide ut aves suis plumis decorè vestiantur & muniantur; poma, pyra, nuces, &c. suis corticibus, animalia sua pelle & pilis: tua vestis, tuus color, tuus decor, tuus custos & tutor est modestia.

Porrò, sicut creaturæ omnes & singulæ, non in una parte & actione dumtaxat, sed in omnibus & singulis sunt ritè ordinatæ & compositæ; ita & tua modestia extendere se debet ad totum corpus, ut omnes ejus partes, motus, actiones, gestus ad modestiam fingat & componat, juxta monitum S. Petri epist. 1. ca. 1. 15. *Secundum eum, qui vocavit vos sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis*. Et illud sponsi de sponsa: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis*. Cant. 7. 1. Intuere reginam in publicum procedentem: vide quàm sit composita, quàm ornata, quàm modesta: nihil in ea invenies incompositum: ita & corpus tuum per modestiam compone. In Vita S. Mechtildis legimus, eam ita modestam & silentem fuisse, ut videretur esse muta; & si cum ea loquereris, putares te cum angelo loqui.

Hoc est quod ait Ecclesiast. 27. 12. *Sanctus in sapientia sua manet sicut sol, stultus sicut luna mutatur*. Sicut ergo sol quaquaversum per suos radios suum decorem ostendit, ac per nubem transparet, & in ea parelium quasi alium solem efficit, ita quisquis es fidelis, præsertim Religiosus vel sacerdos, animam sapientiæ & virtutis sole illustra, ut ille in omnibus tuis moribus & actibus, quasi parelius transpareat & resplendeat. Esto quasi quidam in terra obambulans sol, imò Deus, & quasi sanctus in carne angelus. Tale fuit Verbum incarnatum, quod radios divinitatis per humanitatem evibravit. Unde S. Hieron. in cap. 9. 9. Matthæi, agens de ejus vocatione & sequela Christi, *Certè*, inquit, *fulgor ipse & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana Christi facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu*. Et in cap. 21. dans causam, cur nemo restiterit Christo, cum flagello ejecit vendentes è templo, mensas evertit, aliaque fecit quæ infinitus non fecisset exercitus: *Igneum enim quiddam* inquit, *atque sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie*. Tu, ò sacerdos, tu, ò fidelis, habes Christum in anima tua per gratiam habitantē, tu sæpè, imò quotidie, Christum in Eucharistia recipis: ostende ergo Christum habitare in anima tua, sicut habitavit in humanitate à se assumpta: fulgor virtutis ejus in tuo vultu, in tuis verbis, in tuis moribus, in tua modestia resplendeat: *An nescitis*, inquit Apostolus, *quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti*, &c. *& non estis vestri? Empti estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro*, 1. Corinth. 6. Esto ergo templum Dei; tua mens sit Sanctum sanctorum, tuum corpus sit Sanctum spiritus sancti, ut in eo sit altare thymiamatis, putà devotionis & divinæ laudis, candelabrum scientiæ & doctrinæ, mensa benignitatis & beneficentiæ. Ita tulit Christum in suo utero B. Virgo Deipara, ac proinde in ejus oculis, voce, membris, totoque corpore effulgurabat ejus majestas, sanctitas, puritas, modestia, devotio, *ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis*, ait S. Ambros. lib. 2. de Virgin. Narrat Dionys. Carthus. in ca. 3. de Divin. nomin. sancti Dionysii Areopagitæ, hunc è Græcia in Judæam venisse; ibique B. Virginem convenisse, ac tanta claritate fulgentem ejus vultum conspexisse, ut præ nimio stupore deficiens in terram ceciderit, dixeritque, *Nisi ratione naturali & fide cognovissem unicum esse Deum hanc ipsam Virginem pro dea haberem*.

Hac de causa jusserat olim Deus pontifici ingressuro in templum sub pœna mortis, ut vestiret se tunica hyacinthina, ex qua infernè circumquaq; dependerent tintinnabula 72. *Ut audiatur sonitus*, inquit, *quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur*, Exodi 28. 35. Causam dat S. Hieron. de Vestibus pontif. *Ut gressus*, inquit, *pontificis, & motus, & universa vocalia sint, Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet & ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum*. Omnia ergo sua membra, omnes actiones & sermones, gestus & motus, in mensura, numero & ordine disponat, ut in suo microcosmo referat & referat & repræsentet microcosmum, imò auctorem macrocosmi Deum æternum & Sanctum sanctorum.

VERS. 22. MULTUM ENIM VALERE TIBI SOLI SUPERERAT (minùs rectè Complut. legunt, *superat*, id est superest & restat, licèt eodem redeat sensus) SEMPER: ET VIRTUTI BRACHII TUI QUIS RESISTET? Græcè, *multum viribus pollere tibi adest semper, & roboris brachii tui quis contra stabit?* Vatabl. *etenim ampla* (alii, *magnifica*) *penes te potestas semper est*, &c. Brachium datum Deo anthropopathōs, ac symbolum est Dei potentiæ, fortitudinis & roboris invicti, imò omnia vincentis & sternentis.

VERS. 23. QUONIAM TAMQUAM MOMENTUM STATERÆ, SIC EST ANTE TE ORBIS TERRARUM (græcè non est *Totum terrarum*, sed tantùm *totus mundus*) ET TAMQUAM GUTTA RORIS ANTELUCANI (gr. ὀρθρινῆ, id est matutini, quæ manè ante lucem ex frigore nocturno condensata constrictaque, radiis solis refractis repescens, liquatur, ac rotulenta delabitur in terram) QUÆ DESCENDIT IN TERRAM] Vatabl. *humi delapsa*. Sic & Syrus: Arabicus verò, *& omnis orbis terrarum coram te, tamquam depressio lingulæ bilancis*, *&c. Momentum* ergo est minima inclinatio, depressio, nutus aut devergentia bilancis ad imum vergentis. Græcè enim est ῥοπὴ ἐκ πλαστίγγων, id est vergentia vel inclinatio ex lancibus vel trutinis, quæ scilicet cùm semper agitentur, semper hinc una pars præ alia magis minusve est pendula, una enim elevata, altera inclinatur, dependet & deprimitur. Probat Deum multum valere, id est esse robustum & potentem, ex eo quòd totum orbem, omnesque ejus vires manu contineat velut stateram. Sensus ergo est q. d. Sicut propensio & inclinatio lancis res minima est & minimi momenti, sic etiam minimus est mundus universus respectu Dei. Secundò, sicut instabilis & transiens est lancis inclinatio, sic & mundus transit & præterit coram Deo. Tertiò, sicut lans & jugo sive librili suspensa, minimo motu & quasi atomo tenentis eam potest agitari, & in adversam partem inclinari: sic & mundus totus est in manu Dei per omnia, ut quocumque Deus vult, eò mundus illico inclinetur, vergat & propendeat. Sicut ergo libripens regit dirigitque lances; sic Deus librat regitque mundum, omnesq; homines, angelos, ceteraque quæ in mundo sunt. Simile est de gutta roris, quæ ante lucem descendit, & statim ortu solis siccatur, sorbetur enim vel à terra, vel à sole, & evanescit: talis planè est orbis coram Deo. Si enim Deus ab orbe retraheret suum concursum, quo eum sustentat, illico orbis in nihilum suum relaberetur. vide dicta Isaiæ 40. v. 12. 15. 17. ubi ait: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt*. Addit S. Ambrosius in psal. 1. stateram hanc notare, Deum omnia cum justitia condidisse, atque in nobis divinæ justitiæ tantùm esse momentum.

Orbis coram Deo est quasi gutta.

Ite nunc reges & principes ad hoc stateræ momentum ite & in sceptris vestris si lubet superbite, regna regnis adjicite, imperium Asiæ & Europæ ambite. Heu quid agitis? pro momento belligeratis, in puncto luditis, guttam immensa cupiditate sititis. Ite mortales, terræ & terrenis velut talpæ inhiate, prædia ampla concupiscite, palatia æternitati figite, opes opibus, honores honoribus accumulate. Quid tantis viræ totius impendiis molimini? Ut punctum hoc terræ in millies millena puncta partiamini, ut puncti centies millesimam partem occupetis. Quin Dei favorem & gratiam ambitis? ille digito claudit & librat totum hunc terræ cælique globum; ille mille mundos; imò milliones mundorum longe hoc perfectiores in instanti condere potest. Ille in se continet opes, honores, voluptates infinities majores,

quàm

quàm totus hic mundus ostentet. Ille in se iperaotes facit omnipotentes, ait Sanctus Bernard. Ille se amantes efficit felices, & beat æterna gloria. Ille vastissimum cæli empyrei ambitum imò totius orbis dominium vobis promittit; cur ergo momentum immensitati, guttam mari, instans æternitati antefertis? O quàm magnus es,

Deus immensus. Domine, in cujus conspectu totus orbis est iostar momenti & guttæ? *Domine, Dominus noster, quàm admirabile est*

Psal. 8. *nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est ma-*

Psal. 18. *gnificentia tua super cælos. Cæli enarrant gloriam Dei, &*

Psal. 144 *opera manuum ejus annunciat firmamentum. Magnus Do-*

Baruch. 3 *minus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis. Magnus est, & non habet finem, excelsus & immen-*

Gnome. *sus*. Nam, ut ait S. Greg. Nazianz. orat. in Natalitia, loquens de Deo: *Universum esse in seipso, numquam inceptū, numquam desiturum complexus continet, tamquam infinitum quoddam et interminatum essentiæ pelagus*. Et io Car. *In te omnia permanent, ad te consertim festinant omnia.* Et S. Dionysius de Divin. nomin. c. 5. *Deus*, ait, *non quovis modo est ens, sed simpliciter & incircumscriptè totum esse in se pariter complexus & anticipans*. Et S. Cyprian. li. quòd idola non sunt dii: *Mundi unus est rector, qui universa, quæ* B *sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu maior est: & ideo sic eum digni æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.*

Vidit, imò à Salomone didicit, idipsum Plato, & ex eo Seneca, qui Præfat. l. 1. Natur. quæst. *Cum se*, inquit, *in illa verè magna sustulerit, quoties videbit exercitus subrectis vexillis, & quasi magnum aliquid agatur, equitem modo altiora explorantem, modo à lateribus affusum, libebit dicere: It nigrum campis agmen. Formicarum iste discursus est in angusto laborantium. Quid illis & nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? Punctum est illud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis, minima etiam, cum illis utrimq; oceanus occurrit. Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur: at ita si minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, & expeditus levisque ac contentus modico emicuit.* Et nonnullis interjectis: *Quid est Deus? Mens universi. Quid est Deus? quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil majus excogitari potest. Si solus est omnia, opus suum & extra & intra tenet.*

SED MISERERIS OMNIUM (hominum græcè enim est πάντων, quod est masculinum, non neutrum)

VERS. 14. QUIA OMNIA POTES, ET DISSIMULAS PECCATA HOMINUM PROPTER POENITENTIAM) q. d. Cùm posses perdere Aegyptios ceterosque peccatores, ex eo quòd totum orbem velut momentum stateræ manu contineas; tamen iis pepercisti & parcis, quia misericors es, & misereris omnium: tua enim misericordia æquatur tuæ omnipotentiæ, imò ea vestitur & armatur, quare per eam fit immensa & omnipotens: quocirca per eam dissimulas peccata hominum, hoc fine, ut ipsi pœnitentiam agant, itaque eos in gratiam recipias, ac viscera misericordiæ in eos effundas.

Omnipotentia est causa summa misericordiæ. Nota illationem, non dicit, *misereris omnium* quia misericors es, sed, *quia omnia potes*, idest quia omnipotens es. Ratio est

Primo. Prima, quia Deus ex eo quòd omnipotens est, omnia quasi nihilum, ideoque indigna sua ira & indignatione reputat, juxta illud Poetæ.

Dignum te Cæsaris ira

Nullus honor faciet.

Sic leo latratus canis non æstimat dignos ira sua. Secun-

Secundo. da, quia iram posse cohibere, & peccantibus posse parcere, excelsi & generosi est animi, & qui non impotens, sit sui, sed potens maximè ad sibi, quidquid tandem acciderit, imperandum: quo fit ut hæc in Deo excellens natura, ejus animi magnitudinem & omnipotentiam declaret. Unde S. Fulgent. epist. 7. ad Venantium cap 4. *Deus*, ait, *multus est ad ignoscendum: in hoc multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors: tanta est autem benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil sit quod nolit, aut non possit, relaxare converso.* Denique idem canit Ecclesia cùm dicit: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.* vide & Senecam libro de Ira, & in Sapiente: *Sapiens*, inquit, *iniuria superior est*. Hinc Cato alapa percussus negavit ad se iniuriam pervenisse. Idem Seneca lib. 1. de Clementia cap. 3. *Nullum*, ait, *ex omnibus clementia magis, quam regem, & principem decet. Ista enim virtutes magnis viris decori gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est, pestifera vis est valere ad nocendum*,

Tertiò, *misereris*, idest condonas peccatori pœnam, & culpam propter pœnitentiam, ut sequitur, *Tertiò.*
quia potes omnia: quia condonare peccata opus est summæ poteotiæ, ac majoris, quàm sit creare cælum, & terram, ob rationes, quas cum Sanctus Chrysost. & S. August. affert Sanctus Tomas 1. 2. pag. 114. art. 9. Sic Iudex potest, imò tenetur punire reum, sed non potest ei culpam indulgere. hoc enim est regis aut summi principis. Ergo majoris potentiæ est misereri, quàm punire: hoc enim rex inferioribus committit, illud quasi opus regium sibi reservat. Huc facit illud Sancti Fulgentii epist. 7. cap. 13. Si misericors est Deus, universa potest peccata dimittere. Non est perfecta bonitas, à qua non omnis malitia vincitur. Quartò, & optimè, *misereris omnium*, scilicet creaturarum dando ea quibus indigent, *quia omnia potes*. q. d. Quia tu, qui ditissimus es, & potentissimus, potes supplere & ditare omnium creaturarum indigentiam & miseriam: tu enim in omnibus potes omnia; aut potiùs, quasi dicat. Licèt possis perdere orbem terrarum solo nutu, ut præcessit; tamen id non facis; sed misereris, idest eum, & peccatores in eo conservas, quia potes omnia, uti creare, ita, & in suo esse misericorditer conservare. Nam ut ait vers. 27. *Parcis omnibus, quoniam tua sunt Domine*. Hoc est quod ait c. 12. 16. *Et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis*. ita à Castro. Dei enim misericordia est omnipotens, tam in miserendo, quàm in operando. nulla enim tanta est miseria, quam curare non valeat velitque Dei misericordia. Quare sicut miseriæ hominum sunt infinitæ: sic pariter misericordia Dei est infinita. Quocirca abyssus miseriæ nostræ invocat abyssum divinæ misericordiæ. Ideo enim Deus permittit, vel immittit tot tantasque miserias hominibus, ut habeat obiectum, in quod exerat divitias misericordiæ suæ. Hæc enim omnes omnium hominum & creaturarum miserias, in immensum superat & transscendit. Unde illud Psaltis: *Misericordia Domini plena est terra*: Et, *Miserationes eius super omnia opera eius*.

C ET DISSIMULAS PECCATA HOMINUM PROPTER POENITENTIAM) Græcè *in*, vel *ad*, *pœnitentiam*, quasi dicat. Deus dissimulat, & punire differt peccata hominum hoc fine, ut ipsi culpam agnoscant, & pœnitentiam agant, juxta illud Rom. 2. 4. *An divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis: ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit* idest adducere cupit & conatur. Et illud Isaiæ 30. 18. *Expectat Dominus ut misereatur vestri*. ita Cantacuzeous, Vatabl. Osorius & Iansen.

Quarè minùs genuinè multi sic explicaot, q. d. *Dissimulas*, idest condonas peccata hominum propter pœnitentiam, quam ipsi egerunt vel agunt.

Hinc S. Thomas 3. p. q. 86. art. 1. docet erroneam esse opinionem illorum, qui sentiunt aliquem in hac vita pœnitentiam agere, & mores suos emendare non posse.

Porrò pœnitentia non est nuda resipiscentia, & morum mutatio, ut voluot Lutherus, Beza & Erasmus in c. 3. S. Matthæi, & 1. Corinth. 7 & Calvinus libr. 3. Instit. cap. 3. §. 5. sed & dolor, cootritio, & detestatio peccatorum commissorum, eorumque punitio, castigatio & satis-

D factio. Quare iidem perperam etymon pœnitentiæ dant, *Pœnitētiæ nativa et*
ut dicatur à *pone*, idest post vel posterius, quasi *pœnitere*, *etymon.*
idem sit, quod *posterius consilium tenere*; cùm Patres, & prisci Latini *pœnitentiam* à *pœna* derivent, ut idem sit, quod *pœna tenentia*, ut ait S. August. lib. de Vera, & falsa pœnitentia c. 19. & S. Isidor. lib. 3. Etymol cap. ult. Unde Ausonius epig. 12. de occasione & pœnitentia, eam ita loquentem inducit.

Sum dea, quæ facti non factique exigo pœnas,

Ut te pœniteat, sic metanœa vocor.

Et lactant. lib. 6. c. 24. *Resipiscit*, inquit, *ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementia; & confirmat animum suum ad rectius vivendum*. vide Bellarm. lib. 1. de Pœnit. cap. 7.

DILIGIS ENIM OMNIA, QUAE SUNT (omnes VERS. 15.
res à te creatas. quæ à te suum esse acceperunt: peccatum autem Deo ita exosum, non est res à Deo creata, sed ab homi-

homine facta: unde explicans subdit) ET NIHIL ODISTI EORUM, QUÆ FECISTI: NEC ENIM ODIENS ALIQUID CONSTITUISTI AUT FECISTI) Græcè, κατεσκεύασας, id est præparasti & ordinate composuisti. Septuag. Romæ correcti habent, *neque enim odio habens aliquid constituisses*: & sic legit S. Augustinus. q.d. Misereris omnium, quia omnia diligis velut opera tua; ergo illa odio prosequi nequis: condidisti enim ea ex amore: ideo enim ea fecisti, ut tuam bonitatem eis ostenderes, tuumque esse eis communicares. Hinc Genes. 1. dicitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*. Nam ut docet S. Thomas 1. p.q. 20. a. 2. amor noster amat res, quia bonæ sunt; Deus verò amat res, non quia bonæ sunt, sed ut eas faciat bonas: amor enim ipsius est causa bonitatis rerum. Pro *odisti* græcè est βδελύττῃ, id est abominaris, aversaris, execraris. Apage ergo Calvine, qui doces Deum reprobos creasse ad damnationem & gehennam, ideoque ad peccatum, quo mererentur gehennam. Facis ergo Deum auctorem peccati, ac proinde Deus tuus, non alius quàm diabolus sit oportet. Diabolus enim est auctor omnis mali; sicut ex adverso Deus omnis boni est fons & origo. Et si Deus odit & in gehenna castigat peccatum, quomodo illud facit? *nihil* enim *odisti Domine eorum, quæ fecisti*: &, ut ait S. Fulgent. *Deus non est illorum auctor, quorum est ultor*. Quare Deus diligit omnes homines, quà homines sunt; odit verò nonnullos, quà peccatores sunt: quia scilicet peccata, quæ ipse odit, instigante diabolo perpetrarunt. Odit ergo opus nostrum, quod peccando fecimus nos, amat verò opus suum, quod ipse fecit, scilicet naturam & gratiam, ait S. August. tract. 110. in Joannem.

Ex hoc loco & similibus patet, in Deo verum & propriè dictum esse actum amoris, quo non tantùm amat seipsum, sed & omnia creata, præsertim angelos, animas & homines sanctos. Dices, Ergo actus amoris, quo Deus amat creaturas, cùm sit liber, & possit abesse à Deo, addit aliquid ad actum amoris, quo Deus amat seipsum; imò ille actus huic accedit; ergo Deo ejusque actui potest aliquid addi, quod est absurdum, cùm omnia, quæ sunt in Deo, sint idem cum Deo & Dei essentia infinita, cui nihil addi potest.

Respondetur, exteriùs tantùm addi actui Dei objectum, putà creaturam, quæ amatur; interiùs verò nihil addi actui Dei, quo amat seipsum. Hic enim cùm sit infinitus, purissimus, simplicissimus, perfectissimus, sine ulla sui mutatione, vel additione, extendit se ad amandum creaturas, cùm eas vult amare, ideoque eas creat & beat. Actus enim ille est velut pelagus immensum, quod creaturam velut guttam absorbet sine ullo sui incremento. Nam ut dixit v. 23. *Tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani*. Quocirca, uti profundè & claré præ aliis explicat Illustrissimus Dominus Augustinus Oregius, Sanctissimi Domini Nostri Urbani Octavi Eleemosynarius, æquè ac Theologus, tract. 5. de Deo uno cap. 14. q. 5. Si Deus ab æterno voluisset amare & creare, quæ de facto noluit; & vice versa noluisset, quæ voluit, in Deo nulla fuisset futura mutatio. Nam per eumdem indivisibilem suæ voluntatis actum, qui est divina substantia, æquivalens infinitis volendi aut nolendi actibus, voluisset quæ noluit, & noluisset quæ voluit. Non enim ex eo quod voluntatis divinæ mutetur objectum secundarium, ad quod liberè terminatur, sequitur mutari Deum, sed sat est mutari creaturas. Et sicut non mutatur Deus ex eo, quod coexistat per sui immensitatem iis rebus, quibus antea non coexistebat: ita pariter non intelligitur mutari Deus, si intelligatur voluisse ab æterno esse ea, quæ non sunt: vel non esse, quæ sunt. Ob infinitam enim perfectionem actus divini intellectus & voluntatis, potest Deus unico simplicissimo & indivisissimo actu, intelligere ab æterno habituras existentiam res omnes, quæ sunt eam habituræ in quacumque temporis differentia; & per eumdem etiam actum cognoscit, non habituras existentiam res, quæ non existent. Ita per eumdem simplicissimum actum vult ea existere, quibus decrevit dare existentiam, & non vult existere ea, quæ non decrevit producere, sed voluit remanere tantùm intra numerum rerum possibilium. Non intelligeretur ergo mutari Deus, si ab æterno intelligeretur voluisse, quæ noluit; & quæ voluit, noluisse: sicut uno eodemque actu vult ea, quæ vult, & non vult ea quæ reprobat, & quibus decrevit non dare existentiam.

VERS. 26. QUOMODO AUTEM POSSET ALIQUID PERMANERE, NISI TU VOLUISSES? AUT QUOD A TE VOCATUM NON ESSET, CONSERVARETUR?) *Vocatum*, id est creatum, & voce Dei ex nihilo in rerum naturam & existentiam evocatum: Dei enim dicere est facere, Dei vocare est creare. *Dixit enim, & facta sunt* omnia. ita S. Athanas. serm. 3. contra Arrianos. Simili phrasi Apostol. Rom. 4. 17. ait de Deo: *Qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*, dum ex non entibus facit entia, & ex non existentibus existentia: non entia enim ita parent Deo, sicut entia: quare si à Deo vocentur, illicò se sistunt & existunt. Probat Deum diligere opera sua, etiam homines peccatores, v.g. Aegyptios, quia illos & illa conservat. Nam sine Dei concursu illa sustentante permanere non possent, sed illico redirent in nihilum, ex quo à Deo evocata & creata sunt. Conservatio ergo hominum & creaturarum est quasi continuatio primæ creationis, & quasi continua eorum creatio. Sicut ergo Deus primitùs illa creavit ex amore, sic eadem conservat ex amore.

Porrò, ut eruditè notat noster Lessius lib. 10. de Attributis divin. cap. 3. hæc creaturarum à Deo conservatio, licèt unica sit & unius modi; quadruplici tamen modo concipi potest: Primò, per modum sustentationis, quasi creatura Deo, veluti firmissimo fundamento & fundo, sit innixa, & ipse eam infernè quasi sustineat, ne in centrum sui nihili recidat. Sic S. Dionysius de Divin. nom. cap. 10. Deum vocat sedem omnipotentem, fundum, fundamentum omnium. Et S. Gregorius 2. Moral. c. 52. ait Deum esse infra omnia, & subtus creaturam sustentare. Secundò, per modum suspensionis: Deus enim creaturam ex abysso nihili quasi trahit sursum versus seipsum ad esse, & ad speciem certam, & in ea illam quasi suspensam tenet, ne in suam abyssum, unde educta est, recidat. Tertiò, per modum influxus & subministrationis. Sic D. Augustinus lib. 4. de Genesi ad litt. cap. 12. & S. Dionysius suprà, conservationem vocant operationem, largitionem indesinentem, subministrationem esse & naturæ. Idem significatur cùm Deus dicitur omnium esse, omnium vita. Quartò, per modum connexionis & constrictionis. Sicut enim res fluxa, nisi assiduè constringatur & connectatur suis partibus, statim diffluit & dissolvitur: ita nisi Deus interiùs constringat & connectat particulas omnes minimas, aut totalitatis rei, ipsa tota in nihilum solvetur. Hoc significant Patres cùm dicunt, Deum omnia continere & constringere.

VERS. 27. PARCIS AUTEM OMNIBUS: QUONIAM TUA SUNT DOMINE, QUI AMAS ANIMAS) Syrus, *quia tua sunt Domine omnia, diligis animas*, propter quas cetera omnia creasti. Hæc est altera ratio, quare Deus Aegyptios ceterosque peccatores non illico occidat, sed moderatè castiget ut resipiscant & salventur; quia scilicet res omnes, ac præsertim animæ, sunt possessio & peculium Dei: quia enim Deus omnes creavit hinc in omnes, velut res suas plenum habet proprietatis dominium, omnesque ut sui juris ex asse possidet. Nam, ut sapienter ait Cantacuzenus, boni heri & possessoris est, ita res suas procurare, ut iis parcat, nec temerè eas perdat, aut inutiliter sine fructu prodigat & consumat. Quare si nos, in quibus viget concupiscentia & luxus, res nostra non prodigimus sine utilitate & commodo, quanto magis omnium procurator, & qui omnia providet procuratque Deus, qui omnes capillos nostros in numerato habet, curabit res nostras, non tantùm ut sint, sed & ut bene riteque constitutæ sint?

Unde Nota. Pro τῷ *Domine, qui amas animas*, græcè significantius est, δέσποτα φιλόψυχε, id est, *Domine animarum adamator*: Deus enim animas, ut ceteris omnibus creaturis nobiliores & pretiosiores, singulariter amat & diligit: ipse enim proprio ore animam homini inspiravit, eamque ad suam imaginem sibi simillimam condidit, Genes. 2. 7. ipse propter animas, putà propter homines, totum mundum, & omnia quæ in eo sunt, creavit; ac ne animæ lapsæ in peccatum perirent, Christum in carnem & in crucem misit. Vide ergo, ò homo, quàm animam tuam diligere, ejusque salutem curare debeas, ac deinde animas quoque ceterorum hominum, quas ita dilexit Deus, quasque Christus pretioso suo sanguine redemit:

nimi-

nimirum hæc fuit φιλανθρωπία, id est, eximius ille amor Dei in homines, quem adeò celebrat & inculcat Apostolus ad Titum cap. 3. v. 4. Hoc est, quod Deus per Ezechielem proclamat. c. 18. 4. *Ecce omnes animæ, meæ sunt, ut anima patris, ita & anima filii mea est.* Hinc rectè colligas, Deum cuique animæ dare auxilium sufficiens ad salutem.

Rursum, tu *Domine amas animas*, id est vitas, etiam Ægyptiorum ceterorumque impiorum, ideoque eos non statim occidis, sed moderatè castigas, ut resipiscant & mortem evadant, ac vitam assequantur, præsentem longævam, futuram verò æternam. Idipsum illustri visione Christus demonstravit Carpo, quam recenset S. Dionys. epist. 8. ad Demophilum.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRosequitur idem argumentum Dei bonitatis & clementiæ, quomodo scilicet Deus impios Chananæos illico non perdiderit, sed modicè castigarit, & ad pœnitentiam invitarit, ut hoc exemplo ceteris peccatoribus spem veniæ daret, eosq; ad pœnitentiam & morum correctionem alliceret.

1. O Quàm bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus! 2. Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones & alloqueris: ut relicta malitia, credant in te Domine. 3. Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, 4. quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, & sacrificia injusta, 5. & filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & devoratores sanguinis à medio sacramento tuo, 6. & auctores parentes animarum inauxiliatarum, perdere voluisti per manus parentum nostrorum, 7. ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra. 8. Sed & his tamquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent. 9. Non quia impotens eras in bello subjicere impios justis, aut bestiis sævis, aut verbo duro simul exterminare: 10. sed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. 11. Semen enim erat maledictum ab initio: nec timens aliquam, veniam dabas peccatis illorum. 12. Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra judicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? 13. Non enim est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas quoniam non injustè judicas judicium. 14. Neque rex neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti. 15. Cùm ergo sis justus, justè omnia disponis, ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute. 16. Virtus enim tua justitiæ initium est: & ob hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. 17. Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, & horum, qui te nesciunt, audaciam traducis. 18. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos; subest enim tibi, cùm volueris, posse. 19. Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ. 20. Si enim inimicos servorum tuorũ, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia, 21. cum quanta diligentia judicasti filios tuos, quorum parentibus juramenta & conventiones dedisti bonarum promissionum? 22. Cùm ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus judicantes; & cùm de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam. 23. Unde & illis, qui in vita sua insensatè, & injustè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta. 24. Etenim in erroris via diutiùs erraverunt deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes. 25. Propter hoc tamquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti. 26. Qui autem ludibriis & increpationibus non sunt correcti, dignum Dei judicium experti sunt. 27. In quibus enim patientes indignabantur, per hæc quos putabant deos, in ipsis cùm exterminarentur videntes, illum, quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt: propter quod & finis condemnationis eorum venit super illos.

VERS. 1. O QUAM BONUS ET SUAVIS EST DOMINE SPIRITUS TUUS IN OMNIBUS?) scilicet rebus creandis, conservandis, alendis, gubernandis; ac præsertim in hominibus, tam in decernendis pœnis, quàm in assignandis præmiis hujus vitæ, quin & futuræ: nam Deus præmiat Beatos in cælo ultra meritum, & damnatos in inferno cruciat citra demeritum: merentur enim illi ampliùs torqueri. Syrus, *quoniam spiritus tuus bonus inhabitans est in omnibus;* Arabicus, *quoniam spiritus tuus bonus est in omnibus;* græcè, *nam incorruptibilis spiritus tuus est in omnibus*, omnia scilicet conservans, etiam impios, sed ita ut ab eis non vitietur, nec polluatur. *Incorruptibilis* ergo est, tum quia ab ira, nec à vindicta a lave passione vinci & corrumpi se sinit, sed ingenitam in omnes bonitatem & suavitatem jugiter custodit, ut vertit Noster: tum quia res à se factas, etiam homines impios, non perdit, nec corrumpit, sed conservat, ac ad pœnitentiam & salutem invitat: tum quia sceleribus hominum, quos creat, alit & conservat, non maculatur, nec corrumpitur: tum quia res corruptas, ac præsertim homines peccato perditos, per pœnitentiam reficit & restaurat.

Spiritus Dei incorruptibilis quantupliciter.

Spiritum Dei accipe, communem tribus personis S. Trinitatis. q. d. O Domine, quàm in omnibus rebus etiam impiis, ostendis te suavem & benignum ex ingenito tibi suavitatis & benignitatis spiritu. Tu enim es φιλόψυχος, id est singularis animarum amator, uti paulò ante dixit. Es autem talis *in omnibus*, quia omnes afflas & impellis ad bonum, omnibus inspiras pietatem, omnes incitas ad virtutem, ad pœnitentiam & ad odium vitiorum. Potest quoque accipi spiritus notionalis, putà Spiritus sanctus: huic enim, utpote per amorem procedenti à Patre & Filio, appropriatur bonitas & suavitas. Unde ex eo quòd Spiritus hic vocatur *incorruptibilis*, probat S. Athanas. epist. ad Serapionem, Spiritum sanctum esse Deum.

Tropol. Methodius in Catena Job cap. 27. per spiritum incorruptibilem, accipit conscientiam incorruptam, quam Deus cuique indit, quæ facit, ut de Deo, etiam eùm peccata punit, rectè sentiamus, nec ejus severitatem, sed nostram malitiam accusemus.

Spiritus hic suavitatis & bonitatis connaturalis est Deo, ideoque illi commensus, infinitus & immensus, ac proinde infinito honore colendus, & infinito amore, si fieri posset, redamandus æquè ac imitandus. Præclarè S. Leo serm. 10. de Quadragesima: *Si dilectio Deus est*, ait, *nullum*

debet

debet habere terminum charitas, quia nullo potest claudi fine divinitus. B. Laurentius Justinianus serm. de S. Andrea: *Est inquieta res amor, non contenta limitibus, singularitatem non patiens, numquam dormitans, semper operans, evidentissimus per se manifestata indiciis quæ nescit medium personarum,* &c. Amor enim transformat hominem in Deum. Nam, ut ait S. Gregor. Nyssenus orat. de pueris præmaturè mortuis: *Homo à Deo factus est, ut esset divinæ virtutis animatum quoddam simulacrum.*

Dulcedo Dei mira. Has delicias suavitatis divinæ gustavit Psaltes dicens: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abscondisti timentibus te!* psalm. 30. 20. Et sponsa, cùm iis ebria exclamabat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, Cant. 2. Et S. Magdalena, cùm pœnitens & amans suavissimas funderet compunctionis lacrymas. Easdem sentiunt verè pœnitentes & compuncti. Noster S. Franciscus Xaverius in mediis persecutionis, ærumnis & laboribus Indicis, iis ita abundabat, ut cor ejus non caperet. unde hæ ejus erant voces: *Satis est Domine, satis est.*

Dei dulcedo omnia amara dulcorat. Hanc spiritus divini suavitatem senserat S. August. unde B in Soliloquiis cap. 22. ita cum eo dissuaviatur: *Renuit consolari anima mea, ut digna habeatur tuis consolationibus æternis: quia justum est ut amittat te, quicumque in aliquo alio magis consolari eligit, quàm in te. Et obsecro summa veritas ee per te, non permittas me in aliqua consolatione vana consolari quàm in te, sed peto ut omnia mihi amarescant, at tu solus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæstimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit, tua dulcedo craticulam B. Laurentio dulcem fecit, Pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc enim tua dulcedo ipsos Apostolorum principes sic replevit, ut pro ipsis crucis patibulum unus eligeret, alter quoque caput sentienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Joannes potavit. Hanc verò ut gustavit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamavit quasi ebrius, dicens: Domine bonum est nos hic esse faciamus* C *hic tria tabernacula.* Unde concludit: *Hæc est enim illa beatitudo, Domine Deus noster, quam expectamus daturum te nobis, pro qua tibi Domine continuè militamus, pro qua tibi mortificamur tota die, ut in tua vita vivamus.*

Matth. 17.

Regula discretionis spirituum. Rursum, ex hac gnome disce regulam discretionis spirituum, qua scilicet discernas spiritum tuum & cujusque alterius, an bonus sit, an malus. Vis scire quo agatis spiritu præsertim in corripiendo & castigando, vide an id quod agis facias suaviter, an durè; benignè, an rigidè; leniter, an asprè; modestè, an imperiosè. Si prius invenias, scito esse spiritum Dei: si posterius, esse spiritum mundi vel diaboli. Spiritus sanctus enim in homine suavitatem & dulcorem quemdam sibi similem efficit, tam in dicendo, monendo, imperando, quàm in agendo & operando; spiritus vero mundi, duritiem & asperitatem: nam Spiritus sanctus est suavis, benignus, lenis, modestus: spiritus vero mundi est durus, rigidus, asper, imperiosus. Unde Apost. Galat 6. 1. *Fratres*, inquit, *etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales* D *estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Et S. Petrus ep. 1. c. 3. 4. Christi spiritum ita describit, eumque in Christianis deposcit: *Qui absconditus est cordis homo*, inquit, *in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Vide utrobique dicta.

Vers. 2. IDEOQUE EOS, QUI EXERRANT, PARTIBUS (malè legit Hugo *patribus*, q. d. Qui à patrum doctrina aberrant) CORRIPIS, ET DE QUIBUS PECCANT, ADMONES ET ALLOQUERIS) Lucifer pro S. Athanas. *admones alloqueris*, leniter castigat, ut non tam castigare, quàm eos admonere, & suaviter alloqui, id est consolari, videaris (UT RELICTA MALITIA, CREDANT IN TE DOMINE) *Credant*, id est, te agnoscant, colant, ament, revereantur, & per omnia obediant. Qui enim verè credit Deum esse Deum, illumque apprehendit & æstimat pro dignitate, uti par est, hic utrique eum reveretur, amat & colit. ita S. Bonavent. Lyran. Hugo & alii.

Porrò aliter Dionis. Errantes, inquit, *corripis partibus*, id est per partes, dum non simul omnes è medio tollis, A sed tantùm illarum partem aliquam, quæ ceteris statuatur in exemplum.

Vatabl. pro δίό, id est *ideo*, per diæresin legit δι' ὅ, id est *per quem*, scilicet πνεῦμα, id est *spiritum*. q. d. Per spiritum tuum suaviter corripis & admones eos, qui errant & peccant. Spiritus tuus suavius causa est & administer moderatæ pœnæ, qua paulatim castigat impios.

Vox *alloqueris* notat internam Dei inspirationem & locutionem; qua ipse in animis peccatorum loquitur, & in memoriam reducit, quanta & quàm gravia peccata commiserint, quorum ipsi non recordantur, ideoque se posse, & ex justitia debere, eos acriter punire ac perdere pro meritis; sed ex clementia malle se moderatè castigare, ut resipiscant & salventur: quod si id facere negligant, majora, imò æterna, eos manere supplicia, aliaque his similia salubriter inspirat, quæ eos ad pœnitentiam moveant, qualia amicus amico suggereret, ut ejus bono consulat.

ILLOS ENIM ANTIQUOS INHABITATORES TERRÆ SANCTÆ TUÆ, QUOS EXHORRUISTI] Vers. 3. Græcè μισήσας, id est, *odio habens*, vel *cùm odio habuisse*. Pendent hæc & sequentia à verbo *perdere voluisti* v. d. Significat Chananæos incolas Palestinæ ob enormia eorum scelera, à Deo per Josue & Hebræos fuisse ejectos & excisos.

QUONIAM ODIBILIA OPERA TIBI FACIEBAT PER MEDICAMINA) Vers. 4. Græcè διὰ φαρμακειῶν, id est *per veneficia*, per quæ tum venena propriè dicta accipe, q. d. Chananæi veneno homines necabant, uti etiamnum faciunt nulli Barbari apud Indos; tum incantationes & maleficia, quibus sagi & magi ope dæmonis incantant, perdunt & occidunt homines, animalia, segetes, &c. q. d. Deus perdidit Chananæos, quia dedit erant veneficiis & maleficiis, erantque magi & malefici: hæc enim scelera præ ceteris exosa sunt Deo.

ET SACRIFICIA INJUSTA) Græcè, ἀνοσίους, id est non sancta, non pia, sed impia & scelesta. Talia sunt, quæ fiunt diabolo vel idolis in injuriam veri Dei. item quæ fiunt ex victimis hominum, ut sequitur; aut ex rebus obscenis & impuris, qualia erant sacrificia Veneris, Priapi, Bacchi, &c.

Pro *sacrificia* græcè est, τελετάς, quæ vox Secundò, significare potest initiationes aut sacra, quibus quis initiatus sit, aut alios initiet. q. d. Chananæi erant sacerdotes sacris impiis initiati, & alios iisdem initiantes & consecrantes.

ET FILIORUM SUORUM NECANTES SINE Vers. 5. MISERICORDIA, ET COMESTORES VISCERUM HOMINUM, ET DEVORATORES SANGUINIS A MEDIO SACRAMENTO TUO, ET AUCTORES PARENTES ANIMARUM INAUXILIATARUM PER- Vers. 6. DERE VOLUISTI PER MANUS PARENTUM NOSTRORUM) Pergit recensere scelera Chananæorum, ob quæ Deus eos disperdidit. Primum est, quòd filios suos necarent sine misericordia, præsertim dum eos immolabant idolis.

Secundum, quòd homines hominumque viscera comederent; per *viscera* non sola exta, sed & carnem omnem intellige, juxta illud Virgilii:

Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Unde visceratio priscis erat carnis crudæ distributio, quæ fieri solebat in festis solemnibus, vel in funere excellentis personæ. Hinc libr. 8. Livius refert, populo visceratione datum à M. Flavio in funere matris. Itaque Chananæi turpiùs in hoc delinquebant, quòd viscerationum dabant carnium, non aliarum animantium, sed humanarum, & fortasse filiorum, quos immolabant: quo quid immanius & horribilius? ita à Castro.

Tertium, quòd vorarent sanguinem *à medio sacramento tuo*; græcè, ἐκ μέσου μυσαθείας σου, id est *interposito juramento tuo*. q. d. Chananæi cùm fœderibus, aliisque contractibus & rebus interponerent juramentum, illud sanciebant potu sanguinis humani, uti etiamnum Barbari nonnulli faciunt; atque olim fecit Catilina in sua conjuratione contra patriam, putà Romam, uti asserit Cicero in Catilin.

Aut potiùs *à medio sacramento*, id est sacrificio, *tuo*. q. d. Chananæi cùm Deo, qui tu solus es Domine, sacrificarent homines, quin & filios, sacrificium illud consummabant epulo sive convivio, in quo carne & sanguine humano oblatis & sacrificatis vescebantur: hæc ergo tollebant de

medio sacramento, id est sacrificio, uti etiamnum faciunt Brasilii; atque olim Gentiles Saturno filios suos devoranti, humana hostia, imò filiis suis immolatis, sacrificasse notissimum est ex Plutarcho, Eusebio, Clemente Alex. Cyrillo, & aliis; uti & istud, sacrificantes scilicet de sacrificiis suis comedisse. Sanè Chananæos, & illorum exemplo Hebræos filios suos immolasse Moloch, liquet, 4. Reg. 23. 10. psalm. 105. 37. Levit. 18. 21. & 27. ubi fusè hac de re egi. Sensus ergo est q. d. Non satis erat Chananæis mactare filios per parricidium, sed & eorum mactatione voluerunt litare Deo, eumque placare & venerari per sacrilegium: quæ summa erat Dei injuria & blasphemia. Hac enim immolatione significabant Deo placere hæc parricidia, imò per ea Deum coli velle, cùm hoc diaboli sit proprium, qui non nisi sceleribus pascitur & colitur.

Posset quoque devoratio sanguinis non solius humani, sed cujusvis animalis immolati, putà bovini, ovini, caprini, accipi. Sanguinem enim quemlibet bibere, nota & causa est crudelitatis. Unde Judæis Deus vetuit esum sanguinis, jussitque sanguinem omnem sibi soli libari & effundi. Sanguis ergo Deo debitus erat & sacer, quia anima & vita sita est in sanguine. Sicut ergo anima Deo quasi sacra est, sic & sanguis. Vide dicta Genes. 9. 4. Levit. 7. 26. & Deuter. 12. 23. & seq. Quare τὸ *à medio sacramento tuo*, exponi posset, *à media sacra lege tua*. q. d. Hi voratores sanguinis, sanguinem tibi ex lege tua sacrum & sanctum, sacrilege sibi surripuerunt & potaverunt. Quocirca in Græco elegans & nervosa est antithesis, θοίνας αἵματος id est convivium vel convivas sanguinis: θοίνη enim dicitur hoc epulum à θεὸς & οἶνος, quòd in festis deorum largiis vinum bibere solerent, ait Athen. lib 2. q. d. In θοίνῃ, id est in convivio sacro, fit Dei epulum ex vino: at hoc Chananæorum fiebat ex sanguine. Erat ergo convivium non vini, sed sanguinis, ideoque cruentum, horrendum, ac Deo invisum & exosum.

Lectio varia. Prima. Nota. Codices Græci hic mirè variant. Primò enim Jansen. legit, μύστας ἐκ μέσου θιασμοῦ σου, id est mystes & sacerdotes execrandi cultus tui, quo scilicet Chananæi te colebant humana victima & sanguine. Aut ἐκ μέσου, μύστας θιάσου σου (ut habet Aldina editio) sic ut τὸ ἐκ μέσου referatur ad αἵματος. q. d. Execrandis sanguinis erant devoratores; deinde subdatur μύστας θιάσου σου, id est *& quoque erant mystæ*, id est occultatores & suppressores, veri *cultus sui*, quem ipsi acceperant à Noe, Abraham, ceterisque patribus, qui olim ibidem verum Deum vera religione coluerant.

Secunda. Secundò, Petrus Nannius legit, καὶ σπλαγχνοφάγων ἀνθρωπίνων σαρκῶν θοίναν, id est, *& intestina vorare* soliti erant, nimirum *humanarum carnium epulas*. Deinde, καὶ αἵματος ἐκ μέσου σου, id est, *& sanguinem abliguriebant*. Mox μύστας θιάσου, id est *& sacrificos* sive *flamines thiasi*. Est

Thiasus quid? autem thiasus propriè chorus bacchantium, sive Mænadum; dictus θίασος, ἀπὸ τοῦ θεῖα ᾄδειν, id est *divina cantare*; aut ἀπὸ τοῦ θέειν, id est *à currendo*: currebant enim quasi lymphatici. Hinc θιάσαι & χορεῦσαι, id est choros ducere, saltare, tripodiare. Unde Virgil. ecloga 5. in Bacchide:

Instituit Daphnis thiasos inducere Baccho.

Erat ergo thiasus saltatio, chorea & pompa, quæ Baccho in sacrificio exhibebatur: item convivium sacrum, & convivantium cœtus. Unde Clemens Alex. orat. Protrept. thiasum vocat insanum, putà thyrsum Bacchicum. Hinc & Romani in editione Græca, in Notis annotant quosdam legere hic, ἐκ μέσου μύστας θιάσου, id est *mystas è medio initiatos thiaso*, id est choro bacchantium, sicque legit Cantacuzenus.

Tertia. Tertiò, alii pro θιάσου σου legunt θειασμὸν, id est, furorem divinum, quo aguntur fanatici, quem Plato ἐνθουσιασμὸν vocat. Unde Vatablus legit, μύστας θειασμοῦ, vertitque, *& sacerdotes divini furoris*, vel *sacerdotes fanaticos*. Nam θειάζειν est numine afflari, nec compotem esse sui: unde θειασμὸς est afflatus, divinatio, convivium.

Quarta. Quartò, Vaticanus codex correxit, ἐκ μέσου μυσταθείας σου, q. d. *E medio sacramenti tui*, vel *arcani divini tui*, ut vox μυσταθείας novata (nam alibi non invenitur, & Auctor hujus libri plura alia novat) & conflata sit ex μύστης & θεία, qu. d. Arcanum divinum. Sic videtur legisse Vulgatus interpres, nisi malis ipsum legisse, ἐν μέσου μυστοθιασμοῦ σου, id est, *ex medio mystico cultu*, id est sacramento, vel sacrificio, *suo*.

Quare alienum & coactum videtur, quod Lyran. Hugo. à Castro & nonnulli alii censent, per *sacramentum* accipi terram sanctam, eamque vocari *medium*, quia sita erat in medio climate terræ habitabilis. q. d. Hos omnes idolorum cultores voluisti perdere e medio sacramenti tui, id est è medio terræ, in qua tua sacramenta constituisti, arcana tua, aut cultum tuum; nempe e medio cultorum tuorum: non enim decens erat, ut in medio tot impiorum pius populus moraretur, aut inter tot execranda sacra cultus Dei verus exerceretur. Unde Complut. & Regii verba transponunt, sicque legunt, *& devoratores sanguinis, & auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti à medio sacramento suo*, id est à media terra sancta.

Minùs quoque proposito satisfacit, quod suspicatur noster Lorinus, μυσταθείας positum videri pro μυστάδας. μυστάδας autem à Phavorino vocatur collegium, societas sive cœtus vatum, huncque à Nostro vocari *sacramentum*, quasi sacrilegi hi Chananæi fuerint, *ex medio sacramenti*, id est sodalitii sacri Deo, hoc est sacerdotum, qui ritè quondam coluissent Deum, sed ab iis defecissent ad idola, & deos Gentium, eorumque sacra sacerdotia, & fana profana.

Et auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti) *Auctores*, scilicet cædis & necis filiorum: hos enim paulò antè vocavit, *filiorum suorum necatores*, idque significat Græcum αὐθέντας, quod Gaza, Budæus, aliique vertunt αὐτόχειρα, id est eum, qui sua manu sibi aut suis manus infert, & mortem consciscit. Sic enim Euripides, Æschylus, aliique prisci hanc vocem usurpant; sed posteriore ævo vox αὐθέντης usurpata fuit pro auctore, imò ab ea derivant nomen *auctor*, licèt Servius in illud libr. 12. Æneid. *Auctor ergo audendi*, *auctor* derivet ab *augeo*. Unde αὐθεντεῖν est approbo, auctoritatem addo; & αὐθεντία est potestas, auctoritas; & αὐθεντικῶς, id est *authenticè*, idem est, quod cum auctoritate, vel auctore certo. Pro γονεῖς, id est *parentes*. Vatabl. legit φονεῖς, id est *occisores*; sed omnia exemplaria habent γονεῖς. Verum tamen est, quod apud Chananæos γονεῖς erant φονεῖς, id est parentes erant filiorum cæsores, ideoque non tam parentes, quàm perditores. Rursum, pro αὐθέντας Cantacuzenus legit, λυθέντας, id est *solutos*, quippe qui vincula naturæ, inquit, perruperint, ut genitores esse desinere viderentur, quorum erant interfectores.

Sensus est q. d. Apud Chananæos ipsimet parentes, qui filios suos inauxiliatos, id est quibus nemo alius auxiliabatur) quis enim auxiliaretur filiis, quos parentes ipsi sacrificabant, qui in eos summum jus & potestatem habebant?) jure naturæ, imò jure paterno, maximè tutari, & à nece vindicare debuerant, cùm & ursi, pardi, ceteræque bestiæ pro catulis tuendis usque ad mortem depugnent: hi, inquam, illos ipsos filios suos, sua manu mactabant & immolabant. Ita Romani in suis Notis, Jansenius, & Nannius, qui pro ἀβοηθήτων, id est *inauxiliatarum*, legit, βουθυτῶν, id est *mactatarum instar boum*, vel taurorum. Proles vocat *animas* synecdochicè & metonymicè, quia parvuli à parentibus tenerè diliguntur, quasi ipsorum forent animolæ, ideoque barbari & plusquam ferini sunt, qui eas necant, præsertim inauxiliatas & omni ope destitutas. Unus fuit S. Franciscus Xaverius, qui Bernardum Japonium hospitis sui in Japone filium à patre paupere, quòd eum alere non posset, neci destinatum eripuit, aluit, instruxit, & in Societatem Jesu admissum, Romam ad S. Ignatium transmisit: bis utique Bernardi pater, quòd vitam tam corpori, quàm animæ dederit. At quis dabit nobis plures Xaverios?

Perdere voluisti per manus parentum nostrorum) per manus Josue & Judicum, qui eum secuti sunt.

Ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra) Primò, Lyran. per modicam verborum methathesin, id est transpositionem, sic exponit q. d. Patres nostri, putà Josue & Hæbræi, expulere Chananæos, ut ipsi locum expulsorum occuparent, ac perciperent *peregrinationem*; græce ἀποικίαν, id est coloniam, *puerorum*, id est servorum & filiorum. *Dei*, putà Abrahæ, Isaac & Jacob in terra Chanaan, *quæ tibi omnium charior*, id est Vers. 7.

cha-

charissima, *est*. in illa enim peregrinati sunt Abraham, Isaac & Jacob: unde eamdem Deus ipsis, id est eorum posteris, promisit, ideoque eamdem, expulsis Chananæis, Hebræis per Josue donavit & tradidit.

Secundò, q. d. Ideo expulisti impios Chananeos, ut eorum *terra*, id est terræ & regiones, quæ tibi ceteris erant chariores, perciperent novam dignamque se peregrinationem, hoc est peregrinorum & advenarum coloniam; coloniam, inquam, filiorum Dei, id est fidelium & piorum Israelitarum. Hunc sensum exigunt Græca, quæ habent verbum singulare, *ut dignam reciperet coloniam filiorum Dei, quæ tibi omnium pretiosissima*, vel *honoratissima est terra*. Ita vocatur Judæa propter Dei electionem & benedictionem, quia Deus eam elegerat, ut in ea conderet sibi templum, in quo habitaret, æquè ac Synagogam sive cœtum populi fidelis, à quo ritibus & sacrificiis à se sancitis legitimè coleretur. Denique, quia in ea nasciturus, prædicaturus & moriturus erat Christus, itaque genus humanum redempturus, æquè ac B. Virgo, Apostoli, ceterique primi fideles, ob quæ terra ista tot sanctorum hominum, totque sacrorum mysteriorum ferax, meritò Sancta voca- B tur.

Quare impertinens est Hugonis & aliorum interpretatio qui τὸ *perciperent* interpretantur *intelligerent*. q. d. Ut intelligerent Chananæi, æquè ac Hebræi, Chananæos indignos esse hac terra, utpote impios & idololatras; Hebræos verò illa esse dignos, utpote pios & veros verique Dei cultores.

VERS. 8. SED ET HIS (Chananæis impiis) TAMQUAM HOMINIBUS PEPERCISTI, ut non statim eos perderes & occideres per Josue & Hebræos, sed priùs leniter castigasti, quasi admonens eos vocansque ad pœnitentiam; ET (idcirco) MISISTI ANTECESSORES EXERCITUS TUI VESPAS, UT ILLOS PAULATIM EXTERMINARENT (quasi dicat In Chananæos præmisisti vespras & crabrones ante adventum Josue & Hebræorum, tum ut Chananæis dares tempus pœnitentiæ; tum ut, si pœnitere nollent, eos ita attereres, ut facilè vinci & occidi possent per succedentes Josue & Hebræos. Has vespras se præmissurum Mosi promiserat C Deus exodi 23. 28. vide ibi dicta. Notat ibidem Oleaster. Hebr. צרעה *tsira*, id est vespa vel crabro, derivari à צרע *tsara*, id est leprosus fuit, quòd vespæ hæ cum lepra cognationem habuerint, vel in colore, vel in odore, vel potiùs quod molestæ essent leprosis: esseque muscas magno longoque corpore deserta colentes, vario colore, similes leprosis, jumentis infestas, atque ab apibus parum differre. Aut potiùs, ut alii, quòd acrem figant aculeum, eoque ita carnem pungant, ut eam leproso similem efficiant.

Crabronis etymon. Hinc & latinè vocantur *crabrones*, vel *cabrones*, *à cabo*, id est caballo, ait Isidor. lib 12. Etymol. c. ult. quòd ex caballi carne putida nascantur, sicut de tauris & bobus nascuntur apes, de mulis fuci, de asinis vespæ. Undæ & vespæ & crabrones carne vescuntur, teste Aristot. & Plinio. Scaliger tamen Comment. in Varronem, & ex eo Aldrovandus malunt à *cracio*, id est gracilis sum. Ennio dici *Craber & Crabro*. Sicut σωμαῖδες graciles dicuntur apud veteres Comicos: hinc crabrones græcè vocantur σφῆκες, quia gracili sunt corpore, & circa ventrem quasi in cuneum contracto. Addit Plinius lib 11. cap. 53. crabrones D comedere serpentes & viperas, ideoque morsus eorum esse venenatos. Adde, eos ira & furore fervere, eamque bombo æstuante & susurro, quasi indignante furenteque significare, ideoque maximè audaces esse, agiles, celeres, pertinaces, ac figere aculeum pestilentissimum. Hinc adagium: *Noli irritare crabrones*. Novem enim crabrones sufficiunt ut suis aculeis equum occidant. Audi Plinium libr. 11. c. 21. *Ictus eorum haud temere sine febri est. Authores sunt ter novenis punctis interfici hominem*. Denique crabrones sunt vespis similes, sed majores, alati, spiculisque armati; Galli *Frelons* vocant, Belgæ *Horselen*, Itali *Calauroni*. Hispani *Tavarros*, Germani *Horlits*; Septuag. & ex iis Sapiens hic vocat σφῆκας; Chald. Exodi 23. nuncupat parvas aviculas, quæ oculos Chananæorum impeterent: Crabrones enim majores apibus, similes sunt parvis avibus.

Porrò, crabrones Deum in Chananæos præmisisse, testatur Josue c. 24. 12. dicens: *Misique ante vos crabrones, & ejeci eos de locis suis*, &c.

Crabronū iræ exempla. Simili modo S. Jacobus Nisibites, Saporem Persarum regem abegit ab obsidione Nisibis, immissa divinitus in ejus exercitum infinita multitudine culicum & sciniphum, qui in equorum hominumque oculos, aures, nares, ora involantes, eos penè ad insaniam adigebant, itaque fugere compulerunt, uti narrat Theodoret. in Philotheo, sive in Histor. Patrum ca. 1. Vide hic rursum, ut superbiam & ferociam hominum sternat Deus per viles & exiles vespas & crabrones. In Italia, aliisque locis, nonnulli montes sunt inculti & inhabitabiles, ob copiam & insultus vesparum.

Cùm Amuretes Turcarum rex Albam Græcam oppugnaret, oppidani teste Bonfinio libr. 4. dec. 3. præter alia, etiam apum examina in Turcas mittebant, ut aculeis petiri graviter angerentur. Immò Henrici Imper. dux, obsessus à Giselberto Lotharingiæ rege (lego *Duce*) irrumpentes equitas, objectis apum alvearibus inhibuit, quarum aculeis in furorem versi equi sessores, ut ait Vitichindus lib. 1. Gest. Sax. vel excussere, vel ad pugnandum inutiles reddidere. Anno salutis 1512. auspiciis Emmanuelis Lusitaniæ regis, Lupus Barriga in Mauritaniæ oppidum Xiamaticense, quod appellant *Tornli*, impetum fecit, referente Osorio lib. 8. Rerum Emman. hostes cùm se in ultimum discrimen adductos cernerent, alvearia apum innumerabilia, quibus abundabant, incensa in mœnibus dimisere; Lusitani & alveariorum flammis ambusti, & apum aculeis stimulati, oppugnationem deserere coacti sunt.

NON QUIA IMPOTENS ERAS IN BELLO SUBJICERE IMPIOS JUSTIS, AUT BESTIIS SÆVIS, AUT VERBO (malè Dionys. legit, *bello*) DURO SIMUL EXTERMINARE] Græcè, *non impotens in institutione aciei*, vel *in acie instructa* (Vatab. *dimicatione prælii*) *impios sua manum*, vel *potestatem justorum tradere, aut feris truculentis, aut verbo severo simul abolere*. q. d. immisisti Chananæos vespas, non quòd majora in eos vibrare non posses: poteras enim prælio eos conterere, leonibus, pardis, ursis objicere, imo unico verbo id est nutu & jussu, disperdere & delere. Malè Pelicanus pro *verbo*, vertit, *peste*: licèt enim Hebr. *dabar*, id est verbum, si aliis punctis legas *deber*, significet pestem; tamen Græcum λόγος non pestem, sed verbum dumtaxat significat. Hic autem liber primitus scriptus est græcè, non hebraicè. Adde hic notari facilitatem potentiæ divinæ, qua non peste, nec bestiis, nec aciebus, sed solo verbo poterat eos annihilare. Idem dicit de Ægyptiis per ranas, sciniphes & locustas à Deo castigatis cap. præced. v. 18. VERS. 9.

SED PARTIBUS JUDICANS DABAS LOCUM PŒNITENTIÆ, NON IGNORANS QUONIAM NEQUAM EST NATIO EORUM, ET NATURALIS MALITIA IPSORUM, ET QUONIAM NON POTERAT MUTARI COGITATIO ILLORUM IN PERPETUUM. SEMEN ENIM ERAT MALEDICTUM AB INITIO: NEC TIMENS ALIQUEM, VENIAM DABAS PECCATIS ILLORUM) q. d. Potuit Deus impios Chananæos omnes simul disperdere, sed noluit, ut *partibus*, id est per partes paulatim (hoc enim est Græcum κατὰ βραχὺ) eos *judicans*, id est puniens & castigans per vespas, daret eis *locum*, occasionem & tempus *pœnitentiæ*. Porrò, tanta fuit Dei clementia, ut Chananæorum improbitate vinci se non permiserit, ut, licèt sciret eos ita ingenita sibi perversitate perversaque indole depravatos, atque à sua prima origine impios errores, velut cum lacte suxisse, nec non domesticis malis exemplis institutisque aluisse, sed & ob diuturnam peccandi consuetudinem, sic esse morbum illum in eorum animis confirmatum, ut sanari nullo modo propter contumaciam tantam posset; denique adeò dira execratione devinctum, ut omnem respuerent disciplinam: licèt, inquam, hæc omnia probè nosset; tamen tanta fuit in eos Dei benignitas, ut noluerit eos illico exterminare, sed per vespas castigare, ac per partes merita supplicia in eos immittere, non quòd aliquem timens, vel alicujus personam respiciens, eis veniam daret; sed ut ostenderet immensam suam in eos clementiam, ac ex parte sua faceret quidquid opus erat, quod eos ad pœnitentiam allicere posset. VERS. 10. VERS. 11.

NEQUAM EST NATIO EORUM) Græcè, prava γένεσις, id est generatio, origo, prosapia, natales parentes ac avi eorum; ac similis generationi educatio & institutio. Erant enim Chananæi posteri Cham, ejusque filii Chanaan, quasi corvini corvorum pulli, ac impiorum parentum impii filii. Aut generatio vel *natio*,

significat totam Chananæorum stirpem & gentem, quæ in Cham & Chanaan progenitoribus fuit corrupta, & in corruptione hac continue propagata.

ET NATURALIS (græcè, *ἔμφυτος*, id est ingenita, insita, innata) MALITIA IPSORUM) non quod aliqua natura à Deo creata sit mala, ut calumniabantur Manichæi, & nuper Illyricus Lutheranus: sed *naturalis*, tum quia in eam natura hominum, peccato originali depravata, est proclivis & prona; tum quia eam à suis parentibus imbiberant, & longa consuetudine, quasi in naturam convertant. Ita S. August. libr. 2. de Nuptiis & concup. ca. 8. qui hinc contra Pelagianos probat peccatum originale.

Hinc tales dicuntur alienari à Deo, sive peccare à vulva, & errare ab utero, psalm. 57. 4. quia vix nati dedunt se sceleribus, ex prava complexione, & ex vitiosa educatione parentum, & ex assidua consuetudine peccandi. Consuetudo enim est altera natura.

NON POTERAT MUTARI COGITATIO ILLORUM IN PERPETUUM) Id est, ut græcè, *ὅ μὴ ἀλλαγῇ*, id est *quòd nequaquam mutaretur*, nec facilè mutari posset ita radicata, & quasi ingenita improbitas; absolutè tamen mutari poterat. Cur enim alioqui dedisset eis Deus locum pœnitentiæ, ut dixit v. 10. si non poterant mutari & pœnitere?

Nil ergo habent hic hæretici contra liberum arbitrium, aut ii qui censent obduratos & obstinatos in malo carere auxilio sufficienti, ut cor suum emolliant & sensim convertantur, pro rigida hac sua sententia.

SEMEN ENIM ERAT MALEDICTUM AB INITIO) non tam in Adam per peccatum originale omnibus posteris ab eo ingeneratum, uti explicat S. August. loco jam citato: sic enim omnes homines in Adamo fuere maledicti, cùm hic soli Chananæi vocentur *semen maledictum*; quàm in parentibus suis Cham & Chanaan. His enim Noe pater ab eis irrisus, maledixit dicens Gen. 9. 25. *Maledictus Chanaam* (cum patre suo Cham, qui Noe parentem suum ex temulentia incauta nudatum illusit) *servus servorum erit fratribus suis*. Qua maledictione non soli Cham, sed filio ejus Chanaam & Chananæis ex eo nascituris, ac impietatem & scelera ejus imitaturis maledixit. vide dicta Genes. 9. 25. Hæc maledictio etiamnum durat: unde videmus Æthiopes & Mauros, quos vulgo Nigros vocant, qui ex Cham prognati sunt, magna ex parte esse mancipia, esseque obtusioris ingenii, & vilioris præ ceteris servis conditionis.

NEC TIMENS ALIQUAM, VENIAM DABAS) q.d. Solent timidi judices & principes judicia pervertere vel suspendere, ex timore ne damnatus, ejusve cognati & amici damnantem damno simili vel majore afficiant. At Deus hanc impunitatem & dilationem pœnæ non tribuit Chananæis, eo quod aliquid timeret vel revereretur, cùm ipse omnibus sit terribilis & reverendus, juxta illud Job c. 22. 4. *Numquid timens arguet te, & veniet tecum in judicium?* Deus enim non est sicut homo & tyrannus, qui, ut ait Tragicus, *Timet timentes, metus in auctorem redit*.

Rursum sic exponas q.d. Tu Domine nullius rei timore adduci potuisti, ut Chananæis veniam dares: quare licet supplicium differres, ut eos ad pœnitentiam allicere, tamen cum eos impœnitentes & obstinatos vidisti, plenè & planè illud eis irrogasti, eosque omnino disperdidisti. Hic sensus verior videtur: illum enim exigunt ea, quæ sequuntur.

VERS. 12. QUIS ENIM DICIT TIBI: QUID FECISTI? AUT QUIS STABIT CONTRA JUDICIUM TUUM? AUT QUIS IN CONSPECTU TUO VENIET VINDEX INIQUORUM HOMINUM? AUT QUIS TIBI IMPUTABIT, SI PERIERINT NATIONES, QUAS TU FECISTI?) Probat quod dixit: *Nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum*, scilicet quòd Deus nullius timore pepercerit Chananæis, sed ad tempus supplicium distulerit, ut pœniterent; quod cùm facere nollent, omnino eos delevit per Josue & Hebræos. Hac de causa quatuor rationes & modos timoris assignat, quibus judices timidi solent judicium pervertere, ac reis veniam dare, illasque omnes à Deo removet, ut ejus judicium rectum, forte & incorruptibile ostendat: quia, ut solerter advertit Holcot, declinant judices à justitiæ rigore, aut propter superiorum judicium revocationes, aut propter interpositas appellationes, aut propter futuras visitationes, aut propter sequentes persecutiones. Deus est judex supremus, ut non sit qui cognoscere valeat & revocare sententias ejus, vel ad alium appellare, vel irritare decreta, vel ob pœnas, quas de noxiis sumpserit, intentare quid molestum.

QUIS ENIM DICET TIBI: QUID FECISTI?) Quis quasi te superior rationem factorum à te reposcet? Omnes enim & omnia tu fecisti, imò ex nihilo creasti: *Numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis?* Isaiæ 45. 9. Quare omnes & omnia dicant oportet cum eodem Isaia cap. 64. 8. *Et nunc Domine, pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos*. Nullus ergo te est superior, sed omnes subditos tibi sese fateantur, planeque substernant oportet.

QUIS STABIT CONTRA JUDICIUM TUUM?) Græcè, *aut quis resistet*, vel *opponet se judicio tuo*, quod damnaveris vel deleveris Chananæos, ut ab eo ad alium judicem appellare audeat?

AUT QUIS IN CONSPECTU TUO VENIET VINDEX INIQUORUM HOMINUM?) Græca hoc membrum sequenti postponunt, sicque illud efferunt: *ἢ τίς εἰς κατά σοῦ* (malè Aldina editio habet *κατάστασιν*, id est *in constitutionem*) *σοι ἐλεύσεται ἔκδικος κατὰ ἀδίκων ἀνθρώπων*, id est, ut habet editio Roman. *aut quis ad standum contra te veniet vindex pro iniquis hominibus?* Minùs rectè Vatabl. *aut quisnam contra te vindex injustorum hominum intercedat?* Meliùs Jansen. *quis veniet tibi in oppositionem & resistentiam, ut vindictam sumat de te pro iis malis, quæ impiis intulisti?* Agitur enim hic non de mediatore vel intercessore, sed de ultore, defensore & vindice; hic enim vocatur *ἔκδικος*: unde & Latinis *Ecdici* vocabantur Tribuni plebis, qui plebis causam contra vim & injuriam optimatum tuebantur pleno jure & potestate, teste Cicerone libr. 13. epist. 56. & Budæo in Pandect. At nullus talis Ecdico, nullus Tribunus plebis Chananæis, ceterisque impiis contra Deum dari potest.

AUT QUIS TIBI IMPUTABIT, SI PERIERINT NATIONES, QUAS TU FECISTI?) Græcè *τίς δὲ ἐγκαλέσει σοι*, id est *quis verò accusabit te*, aut *in crimen vocabit*, quòd perdideris Chananæos, quorum jure creationis plenus summusque vitæ & necis es dominus; jure verò legislatoris scelerum ipsorum supremus es judex & vindex. Quare si Deus omnes angelos & homines sanctos beatosque qui in cælo sunt; vellet addicere æternis gehennæ tormentis, nullam illis aliisve faceret injuriam vel injustitiam; quia faceret creator de creaturis suis, quod figulus facit de vasis suis luteis. Sed hoc non esset conforme ejus bonitati, æquitati & clementiæ, quæ summè est *φιλάνθρωπος* & *φιλόψυχος*, ubi dixit c. præcedenti v. ult. imò tormenta illa propriè pœnæ rationem habere non possent, nec Deus diceretur punire beatos, sed cruciare dumtaxat & affligere: pœna enim esse nequit, ubi non est culpa. Pœna enim & culpa sunt correlativa. Unde pœna est culpæ pœna, sive punitio; vicissim culpa omnis pœnæ est meritoria: omnis enim culpa meretur condignè pro sua quantitate puniri & castigari, ac vice versa pœna omnis condignam & commensam sibi culpam exigit & præsupponit.

NON ENIM EST ALIUS DEUS QUAM TU, CUI CURA EST DE OMNIBUS, UT OSTENDAS QUONIAM NON INJUSTE JUDICAS JUDICIUM) VERS. 13.
q.d. Nullus enim est te superior, qui te in judicium vocet. Hic enim superior deberet esse alius Deus, isque te major: quod fieri nequit. Græcè, *non enim est Deus præter te, qui curam habes omnium, ut ostendas quòd rectè judicasti*. Nota. Cùm ait: *Cui cura est de omnibus*, probat alium nullum esse Deum, ex eo quod nullus alius curam habeat omnium. Hæc enim cura soli Deo competit: hic enim solus omnium habet providentiam. Quare providentia, sive numen, est de ratione & essentia Dei ac divinitatis. Unde qui providentiam Deo adimit, adimit ei quoque divinitatem. Hinc Vatabl. vertit, *neque enim præter te Deus est alius, qui curam agat omnium, quo te demonstras non injustè judicare*. Quia enim Deus summam omnium habet curam & providentiam, hinc impossibile est, ut injuste judicet, ut scilicet innocentem condemnet & puniat, nocentem verò absolvat & præmiet. Hinc colligendum relinquit, Deum à nemine posse reprehendi vel injustitiæ accusari, quòd Chananæos similesque impios puniat & disperdat, eò quòd ipse omnium habeat curam, ac proinde omnium sit pater & provisor, æquè ac justissimus judex & vindex.

NE-

VERS. 14. NEQUE REX NEQUE TYRANNUS IN CONSPECTU TUO INQUIRENT DE HIS QUOS PERDIDISTI) Græca significantiùs habent ἀντοφθαλμῆσαι, id est, ex adverso obtueri, vultum vultui opponere, fixè oculos in alterum intendere, ut ei se opponat vel litem moveat, velut illi iratus & indignans, uti solent in judicio litigantes se mutuo, ac judicem, facie obversa torvaque aspicere & intueri, q. d. Nullus rex, sive legitimus, sive illegitimus & tyrannus, audebit te tuumque judicium ex adverso intueri, ut contra illud se opponat ac rationem exposcat, cur Chananæos ceterosque impios perdideris & perdas. Unde Vatabl. vertit, *neque rex aut tyrannus pro iis, quos punierat* (hoc enim est ἐκόλασας) *oculos contra te attollere audeat*.

VERS. 15. CUM ERGO SIS JUSTUS, JUSTE OMNIA DISPONIS) Græcè διέπεις, id est regis, moderaris: Vatabl. *gubernas*, Notat S. Thom. 1. p. q. 21. art. 1. in Deo non esse justitiam commutativam, quia non potest commutare aliquid cum quoquam, quod prior ipse non dederit, juxta illud Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* sed distributivam. Nam ut ait S. Dionyl. c. 8. de Div. nomin. *Oportet videre in hoc veram Dei esse justitiam quòd omnibus tribuit propria, secundùm uniuscujusque existentium dignitatem, & uniuscujusque naturam in proprio salvat ordine, & virtute*. Idem S. Thom. 1. 2. q. 61. art. 5. *Fortitudo Dei*, inquit, *est ejus immutabilitas, justitia verò Dei est observatio legis æternæ in suis operationibus*.

IPSUM QUOQUE, QUI NON DEBET PUNIRI, CONDEMNARE, EXTERUM ÆSTIMAS A TUA VIRTUTE) Ita corrigendum legendumque cum Romanis & Græcis. Perperam ergo multi codices contrariè habent, *ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas, & exteram æstimas à tua virtute*, idque variè explicant. S. Greg. 3. Moral. cap. 11. mysticè explicat de Christo, q. d. Christus quæ non rapuit exolvit; & eum Pater puniendo, cuncta rectè disposuit, ac justificavit peccatores. quorum ille injustitiæ damna sustinuit. Alii ad literam exponunt q. d. Deus subinde eos, qui judicio hominum videntur justi, nec puniendi, punit & condemnat, quia occulta in eis peccata videt, quæ homines non vident. Alii q. d. Deus subinde castigat eos, qui peccatis suis id non meruerunt, ut eos majori gratia & gloria donet, uti fecit S. Job. Ita Lyran. Alii hinc probant peccatum originale, q. d. Deus parvulos, qui non debent puniri ob propria peccata, quæ nulla commiserunt, condemnat & reprobat ob peccatum originale, quod contraxerunt ex Adamo. Idem de adultis reprobis ex hoc loco & similibus censent Durand. Gregor. Marsil. & alii, quos recenset & refutat Vasq. 1. p. disp. 95. art. 7. num. 3. & 37. Hi hunc locum sic exponunt q. d. Deus ante omnem prævisionem meritorum vel demeritorum, damnandos reprobavit, id est exclusit à suo regno & gloria cælesti. Verùm hæc non solùm dura, sed & huic loco impertinentia, imò aliena & violenta sunt. Totus enim hic locus commendat æquitatem, & clementiam Dei.

Deus innocentem damnare nequit.

Longè durius, imò planè barbarum & tyrannicum est, quod ex hoc loco probare contendit Calvinus lib. 3. Instit. cap. 21. & sequent. scilicet Deum ante omnem peccatorum prævisionem, eos qui damnandi sunt, positive destinasse ad pœnas gehennæ æternas. Hoc enim non Dei foret opus, sed diaboli. Longè seciùs, Deique immensa bonitate digniùs S. Paulus 1. Timoth. 2. 4. *Deus*, inquit, *omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*. Probat id ex Deo & Christo, dum subdit: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. q. d. Christus pro omnibus hominibus redimendis natus & crucifixus est; ergo vult omnes salvos fieri, quantum est ex parte sua. Et S. Aug. ep. 106. docet Deum ante peccatum neminem reprobare vel damnare: hoc enim esse iniquum. Audi eum: *Hæc massa* (posterorum Adæ) *si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam*. Et inferiùs: *Quemquam verò, immeritum & nulli obnoxium peccato si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur*.

Quocirca S. Aug. lib. 83. quæst. q. 53. expuncto *non*, sic legit, *eum quoque qui debet puniri, condemnas*, &c. sic enim in S. August. restituerunt Doctores Lovan. cùm priùs legeretur addito *non*. Verùm cum Romanis & Græcis planè legendum est contrariè: *ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute*, id est, potentiâ, ut habent Græca, vel robore, q. d. Esto sis potentissimus, ò Domine, & robustissimus; tamen potentia tua non uteris ad plectendum innocentes, imò eos plectere exterum & alienum æstimas à tuo robore: tuum enim robur & potentia est æquissima & justissima, æquè ac benignissima adeoque omnipotentia tua in re idem est cum tua bonitate & clementia. Multi enim homines, ut videantur potentes, innoxios vexant; sed hæc potentia est tyrannis, magnaque animi impotentia: Dei autem potentia vera est potentia, quia vera est æquitas veraque justitia.

Unde Concil. Arausiacanum can. 3. *Injustitiam*, ait, *Deo dare convincitur, quæ mortem, quæ est pœna peccati, sine peccato* (Adæ & originali) *quod est meritum mortis, ad nos transire dicit*. Injustitiam intellige, posita jam lege ac pacto Dei cum Adamo, quo illi ejusque posteris, si in justitia perseveraret, promisit gratiam, gloriam & vitam perennem; alioqui absolute jure creationis poterat Deus Adamum non peccantem, & in justitia persistentem, cum posteris omnibus morti addicere, uti dixi v. 12.

Porrò, sicut alienum est à Dei potentia condemnare innocentem, sic & alienum est à Dei sapientia ignorare innocentem: quemcumque ergo ipse condemnat, ille certò nocens est. Secùs fit apud homines, ubi judices ob ignorantiam, sæpè per tormenta cogunt innocentes se confiteri nocentes, ac confessos condemnant. Quam humanæ ignorantiæ miseriam deplorans S. August. lib. 19. de Civit. cap. 19. *Cùm quæritur*, inquit, *utrùm sit nocens, cruciatur, & innocens pro incerto scelere luit certissimas pœnas: non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur; ac per hoc ignorantia judicis, plerumque est calamitas innocentis*.

VIRTUS ENIM TUA JUSTITIÆ INITIUM EST: & OB HOC QUOD OMNIUM DOMINUS ES, OMNIBUS TE PARCERE FACIS) Sic & Syrus. VERS. 16.
Arabicus verò, *& dominatio tua efficit in omnibus, ut propitieris omnibus*. Pro *virtus* græcè est ἰσχὺς, id est vis, robur, fortitudo; quare perperam Holcot, Hugo, & alii, per *virtutem* accipiunt pietatem & misericordiam. Lyran. verò explicat q. d. Deus per omnipotentiam suam justificat impium. Nam, ut ait S. August. majus opus est justificare impium, quàm creare cælum & terram. Verùm hac de re hic non agitur. Dat enim causam, cur insontem, qui non debet puniri, condemnare, exterum sit à Dei virtute & potentia; quia scilicet in hominibus & animalibus, fortitudo sæpè est initium injustitiæ & tyrannidis, ut opprimant debiles & pauperes; at in Deo fortitudo est principium, imò principatus (utrumque enim significat Græcè ἀρχὴ) justitiæ & clementiæ, ut sequitur. Ratio est, Prima, quòd in Deo potentia juncta mixtaque sit justitiæ, æquitati & clementiæ, ita ut una sine altera esse nequeat, sed ubi una est, alteræ quoque adsint oportet: unde una alterius est quasi initium, quia illam secum adducit; in hominibus verò, qui multum habent cupiditatis, & modicum roboris ac potentiæ, ideoque dominandi & fines imperii extendendi sunt avidi, potentia sæpè excludit justitiam & clementiam, ideoque ferina est & tyrannica, & idcirco impotens, invalida, & parum durans.

Secunda, quòd potentia in Deo nostro modo concipiendi, oriatur ex ipsa divinitate, quæ perfectissima est & sanctissima, ac rectæ rationi, virtuti & legi æternæ summè conformis: quare talis quoque ejus potentia sit oportet, ideoque optima, piissima & æquissima, ac omnis justitiæ initium & fundamentum. Adde, quòd in Deo potentia sit summa & immensa, ut ei nil addi possit, nisi ut eam ostendat, & communicet creaturis per æquitatem & beneficentiam: quare ejus fons est, principium & origo. Deus ergo summè beneficus est, quia summè plenus, summeque potens; sicut flumen exundat agrosque fecundat, quia summè plenum est & validum. Hanc rationem dat Sapiens v. sequenti.

Tertia, quia vera potentia est magnanima & generosa: magnanimi autem sunt æqui & clementes: quare summa potentia est summè æqua & clemens, imò est summa æquitas & clementia. Hoc est quod subdit: *Et ob hoc, quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis*. q. d. Tua potestas, summumque omnium dominium te impellit, ut omnibus parcas, & in omnes sis beneficus & clemens, quia, ut ait Glossa interlin. *qui præest po-*

tentia, mitescit natura; ut quo major est, eo fit clementior, quæ est virtus boni principis, nempe ut & dominus sit subditorum & pater, sicut Christus dixit Matth. 11. 25. *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ*; nam potentiam domini liberè opprimere potentis, patris affectus frænat ac temperat. Unde priscos Romanos quasi leoninos, tum robore, tum clementia laudat S. Aug. l. 5. de Civ. c. 12. quorum hoc erat axioma teste Virgilio 6. Æneid.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Vide Senecam libr. de Clementia, ubi vocem Neronis initio regni extollit, qua cùm subscriberet sententiæ rei capite plectendi, exclamavit: *Utinam nescirem litteras*. Vera ergo potentia debet niti justitia, ut duret, juxta illud: *Justitia firmatur solium*. Proverb. 16. 12. Potentia igitur carens justitia, impotentia est, citoque perit, uti patet in tyrannis. Vide dicta cap. præcedenti v. 24. ad illa: *Misereris omnium, quia omnia potes*.

Moraliter, discant à Deo pugnaces & duellatores, qui quod viribus & arte digladiandi pollenat, obvios quoslibet provocant ad duellum vires suas metiri æquitate, & justitia, ne leones & tigrides potiùs esse videantur, quàm B homines: tigrides enim jus suum metiuntur robore. Quocirca justo Dei judicio provocantes ad duellum, sæpe in duello succumbunt & vincuntur ab infirmioribus. Provocati verò ad duellum respondeant, quod Augustus Cæsar Antonio ad id provocanti respondit: *Antonio si perire velit, sat multas ad interitum esse vias*. ita Plutarchus in Antonio.

Vers. 17. VIRTUTEM (ἰσχὺν, id est robur, potentiam) ENIM OSTENDIS TU, QUI NON CREDERIS ESSE IN VIRTUTE (δυνάμεως, id est *potentia*) CONSUMMATUS, ET HORUM, QUI TE NESCIUNT, AUDACIAM TRADUCIS) q. d. Vires tuas & robur, ò Domine, ostendis & exeris in eos, qui non credunt te esse in potentia consummatum, esseque omnipotentem, quales fuere infideles impiique Sodomitæ, Ægyptii, Chananæi, qui tuum brachium irritare, teque quasi ad duellum provocare ausi sunt: unde eorum audacem temeritatem *traducit*, punis & castigas. Nam, ut paulò antè dixi, vera fortitudo est, *parcere subiectis, & debellare superbos*, ut illi scilicet coacti tuum robur & manum omnipotentem agnoscant, colant & reverean- C tur. Unde Syrus & Arabicus vertunt, *& tu dominator omnium virtutes demonstrasti, & non crediderunt; tantummodo virtutibus consummationis eos quos agnoscis, potenter redarguis*.

ET HORUM, QUI TE NESCIUNT, AUDACIAM TRADUCIS) Complut. Regii, aliique codices habent, *& hos, qui te nesciunt, in audacia traducis*; græcè, ἐξελέγχεις, id est arguis, punis, castigas; Lyran. Hugo, & alii legunt, *in audaciam traducis*. q. d. Infideles, qui te nesciunt, sinis audaciores fieri, & in audacia obstinatos, ut audacter ex uno scelere in aliud corruant. Verum *traducis*, idem est, quod corripis & flagellas, uti jam dixi. Græca contrariè habent, *& inscientibus audaciam redarguis*. Unde & S. August. lib. 83. quæst. 53. legit, *sed in iis, qui sciunt, audaciam traducis*; Vatabl. *& contumacia præditos redarguis*; Syrus & Arabicus, *eos quos agnoscis potenter redarguis*. Verum in Græco excidisse videtur negatio μὴ, id est *non*, quam legit Noster, ideoque vertit, *qui te non sciunt*, id est *nesciunt*. Utraque tamen lectio conciliari potest: impii enim sciunt Deum Deique potentiam speculativè, at non practicè, D quia eam non satis sunt experti, ideoque non timent, nec verentur: quare Deus eorum hanc audaciam traducit, id est acriter corripit & plectit, ut eam timere discant, uti de Philosophis, *qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, docet Apost. Rom. 1. Ubi Nota, Deum maximè solere in audaces & insolentes sævire, quales fuere Pharao, Ægyptii & Chananæi, ut eorum superbiam, insolentiam & audaciam retundat & frangat, faciatque humiles, modestos & sibi reverenter subditos. Unde aliqui quod est in Græco, *qui sciunt audaciam*, exponunt, *eos qui sunt audaces*, corripis & plectis.

Vers. 18. TU AUTEM DOMINATOR VIRTUTIS, CUM TRANQUILLITATE JUDICAS, ET CUM MAGNA REVERENTIA DISPONIS NOS, SUBEST ENIM TIBI, CUM VOLUERIS, POSSE). Deus dicitur *dominator virtutis*, hoc est Primò, qui dominator suæ potentiæ, ut vertit Vatabl. æquè ac animo, ac suæ iræ & zeli sapientissimus est moderator. Unde græcè est, δεσπόζων ἰσχύος, id est dominans roboris aut potentiæ. Secundò, A per hebraismum, q. d. Dominator potentissimè & robustissimè. S. August. loco citato legit, *tu autem Dominus virtutum*, id est exercituum, qui scilicet angelis, cælis, elementis, omnibusque creaturis dominaris, easque cùm vis in aciem contra hostes tuos educis. Tu enim sub tua potestate omnem aliorum potentiam contines, ne limites excedat cohibes, ac pro libito laxas & remittis. Sensus est q. d. Etsi quandoque potentiam tuam in eos, qui eam non credunt, exeras, ut te dominatorem virtutis, id est potentissimum, ostendas; tamen id facis non ex passione iræ, sed cum tranquillitate animi, justitiæ studiosi, ideoque cum *magna reverentia*, id est moderatione, velut reveritus nos, disponis & gubernas nos, ut omnes intelligant te non juxta potentiam & iram, sed juxta æquitatem & clementiam punire peccatores: si enim juxta potentiam plecteres, illico omnes disperderes & annihilares. *Subest* (πάρεστι, id est *adest*) *enim tibi, cùm volueris, posse*, ut quidquid velis, possis & opere perficias. Potentia enim tua adæquatur tuæ voluntati: unde tanta est, quanta est voluntas tua.

Deus dominator virtutis, dupliciter.

B CUM TRANQUILLITATE (Arabicus, *cum simplicitate*) JUDICAS) Græcè, ἐν ἐπιεικείᾳ, id est in epikia, cum mansuetudine, & æquitate, non pro potestate, vel ira; cum moderatione & temperamento, non pro rigore justitiæ; quia dum peccatores punis, non exeris omnes tuas vires, nec indulges iræ, nec scelera pro gravitate & merito castigas; sed justitiam clementia temperas, punisque citra condignum, ideoque *cùm tranquillitate judicas*, ut soletter vertit Noster. Licet ergo Deus sit zelator justitiæ, tamen zelus hic, qui in nobis perturbationem affert, in Deo summam habet pacem & tranquillitatem ob ejus eminentem, tum sanctitatem, tum omnipotentiam. *Subest enim tibi cùm volueris, posse*.

ET CUM MAGNA REVERENTIA DISPONIS NOS) Dionysius *reverentiam* non hominum, sed Dei accipit. q. d. Deus magnificè gubernat, uti decet ejus majestatem omni reverentia dignam. Secundò, Salvianus lib. 2. de Providentia, reverentiam hominum accipit. q. d. Deus respicit culmen dignitatis humanæ, illudque honore prosequitur & quasi reveretur.

Reveretur quasi Deus homines quomodo?

C Verùm dico, Græcè est μετὰ πολλῆς φειδοῦς, id est *cum multa parcitate*, parcendi studio, parsimonia, indulgentia, venia, misericordia gubernas nos, parcens culpæ & pœnæ, si non in totum certè magna ex parte, perinde ac si nos revereréris. Est catachresis. Sic parens cùm castigat filiū tenerè dilectum, reverenter id facit & coactus: unde manus ei tremunt, ac post verbera eas retrahit & cohibet. Sic pedagogus, qui regis filium regni hæredem flagellat, cum tranquillitate & reverentia id facit, ut muneri sibi à patre rege injuncto satisfaciat. Sic & tu Domine quasi reverenter nos punis, quia ut filios tuos aspicis; & *in virga virorum* (Hebr. אנשים *anascim*, id est infirmorum, debilium, id est debili & languida castigatione) arguis, atque in plagis filiorum hominum, 2. Reg. 7. 14. Et sicut, qui lavat purgatque vitrum, cautè id facit, ne vitrum rei cuipiam illidat & frangat: & sicut figulus delicatè tractat purgatque vasa lutea, ne ea rumpat. Sic & Deus cautè nos tribulationis sale fricat, ut sordes defricet, non ut corpus luteum rumpat. ita Cantacuzenus. Hinc Syrus vertit, *& cum omni pietate* vel *benignitate gubernas nos*; D Arabicus, *multa pietate moderaris nos*. Reverentia ergo, ut vertit Noster, est pietas, benignitas, moderatio, indulgentia, uti notant Romani in notis ad Græcam versionem.

SUBEST ENIM TIBI, CUM VOLUERIS, POSSE) Arabicus, *& cùm volueris, potentia apud te est*; Syrus *si volueris, parata est virtus*; Vatabl. *nempe tibi cùm vis, potentia præsto est*. q. d. Non castigas illico scelera, nec condignè pro meritis, quia id potes quando & quomodo vis: cùm enim volueris, nullus effugiet tuas vires & manus. Notat S. Bonavent. potentiam præcedere voluntatem, dici hic tamen vice versa, *subest tibi, cùm volueris, posse*: quia licet potentia præcedat in essendo: voluntas tamen præit in agendo, quia applicat potentiam ad agendum: Deo enim tam facile est posse, quàm velle. Rursum hæc omnipotentia in Deo est ratio, quare zelo vindictæ, dum scelera castigat, non perturbetur, sed cum tranquillitate judicet & puniat: *Subest enim tibi, cùm volueris, posse*. q.d. Ideo nō turbaris, si adversum te aut adversus tuos aliqui insurgant, sed quoad congruit, hominum audacias tranquillus

ex-

expectas. Cùm autem tempus est obsistendi, & medelam tuis afferendi, & iniquos puniendi, ita resistis & punis exteriùs, ut in summa pace maneas, & interiùs, nullo motu, à quo longissimè abes, indignationis efferveas. Catellus adversus leonem oblatrat, hic verò quietus transit, quia prorsus nullum malum ab eo sibi inferri timet; at cùm oportet manum levat, & quasi nihil agens illum discerpit. Sic universi hostes tui & servorum tuorum, nullius momenti catelli sunt, quos velut irridens, eos absque ulla perturbatione compescis. Respicis terram, & facis eam tremere; tangis montes, & fumigant. & per Jeremiam ais: *Numquid me ad iracundiam provocant?* quasi dicat: Non, *sed semetipsos in confusione vultus sui*, Jerem. 7. 16. ita noster Alvarez de Paz tomo 3. contemplat. 29. de pace Dei.

Rectores modestè regant.

Moraliter, discant, hic à Deo principes, judices, Superiores modum regendi, judicandi, puniendi. Si enim Deus cum tranquillitate judicat, & cum magna reverentia disponit nos, cum quanta homines, qui ejusdem naturæ & conditionis sunt, cum subditis & reis idipsum facere par est? uti subdit Sapiens. Quare graviter errant, qui ex imo in summum honoris gradum evecti insolescunt, ac superbi insolenter potestate sua ad aliorum perniciem utuntur & abutuntur: quo fit, ut omnium odia, ac non rarò ruinam, imò necem sibi adsciscant. Audiant Auson. Exhort. ad modestiam:

Fortunam reverenter habe, quicumque repente
Dives ab exilii progrediere loco.

Præclarè S. August. libr. 1. Confess. cap. 4. Deum principem, judicem & vindicem ita pingit: *Amas, nec æstuas; zelas, & securus es; pœnitet te, & non doles irasceris, & tranquillus es.* Homo ergo cùm sit imago Dei, debet esse & imitago Dei, ut ejus sanctitatem, beneficentiam & perfectionem imitetur, juxta illud: *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*, Matth. 5. 48. & illud: *Serve nequam*, &c. *nonne oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* Matth. 18 33. S. August. in psal. 102. Deum ita loquentem inducit: *Non mihi placeant peccata, sed longanimitate quæro rectè facta. Si punirem peccatores, non invenirem confessores.*

Exempla.

Hoc sapiebat Theodosius junior Imper. qui rogatus, cur eos à quibus lædebatur, supplicio capitis non mulctaret? *Utinam*, inquit, *mihi liceret & mortuos ad vitam revocare.* Rodulphus Imper. cùm post morum mutationem clementior suis fuisset, quàm ab initio imperii, objurgatus ob id: *Severum*, inquit, *& immitem fuisse me aliquando pœnituit, lenem & placabilem numquam.* ita Æneas Sylvius lib. 2. Comment. de gestis Alfonsi. Alfonsus Aragonum rex cùm argueretur aliquando, quòd nimis mitis ac lenis esset erga suos, ut qui nonnumquam etiam iis, qui vel graviter in ipsum deliquissent, ignosceret: *Malo*, inquit, *multos mea clementia servare, quàm paucos mea, severitate perdere Hominis sanè clementia est, belvarum autem feritas. Quare principem in privatis injuriis facilem ad ignoscendum, in iis autem quæ lædunt rempubl. severum esse oportet, ita tamen ut non hominem, sed crimen ipsum insectari & punire videatur.* ita Panorm. lib. 2 de Gestis Alfonsi, qui & lib. 3. has ejus cælestes voces recenset. *Per justitiam bonis gratus sum, per clementiam malis; nihil enim ita adversariorum animos flectit, quàm lenitatis & placabilitatis nomen.*

B. Franc. Borja Dux Gandiæ, & vicerex Catthaloniæ, cùm ex officio sontes plectere cogeretur, illacrymabat ac ut piè morerentur satagebat: pro plexorum animabus verò triginta Missarum sacrificia in singula capita offerri curabat. Idem factus Societatis Jesu Generalis, delinquentium pœnas magna ex parte in se recipiebat, & cruciatu corporis sui expiabat. Idem à Salomone didicere philosophi, quorum axiomata refert Anton. in Melissa, Plutarch. in Apophth. & alii, ut Demonactis: *Non esse irascendum hominibus, sed vitiis. Nam hominis est peccare, Dei verò aut hominis Deo proximi peccata emendare.*

Gnomæ.

Antigonis regis Macedon. *Clementia plus potest, quàm violentia.* Cato senior admonebat eos, qui potentes essent, ut parcè uterentur sua potestate, quò semper uti possent, sentiens clementia & comitate potentiam fieri diuturnam, ferocia brevem. Cùm Cæsar rerum potitus, Pompeii statuas dejectas honorificè reposuisset: *Cæsar*, inquit Cicero, *dum Pompeii statuas reponit, suas stabilit*, sentiens illum hoc non in Pompeii gratiam facere, sed ut sibi clementiæ simulatione favorem apud cives conciliaret, atque hoc pacto suum regnum constabiliret. Plutarch. in Roman apopht.

Trajanus Imper. cùm à suis nimiæ lenitatis argueretur, *talem se Imperatorem esse privatis* respondit, *qualem sibi esse Imperatorem privatos optaret.* Ejus successor Adrianus: *Principibus*, inquit, *in privatis offensis debet esse satis, potuisse ulcisci.* Alexander Severus Imper. cùm ejus improbrantes humanitatem & clementiam Mammæa mater, uxorque Memmia, sæpè dicerent: *Molliorem sibi potestatem & contemptibiliorem imperii fecisti*, respondit; *Sed securiorem & diuturniorem.* ita Vit. Cæsar. Thyrræum Pittaci filium Cumis faber quidam ærarius impacta securi occidit; Cumæi homicidam vinctum miserunt ad Pittacum, ut de eo supplicium sumeret. At ille cognita causa dimisit hominem, dicens, *ignoscentiam esse potiorem pœnitentia*, sentiens utilius esse condonare, quàm meminisse injuriæ & ulcisci. Sunt qui referant homicidam ab Alcæo fuisse dimissum, cum hoc elogio, *Melius est ignoscere, quàm punire.* ita Laert. libr. 1.

Magni agunt omnia pacificè.

Porrò eadem pax & tranquillitas non in sola punitione, sed in omnibus actionibus adhibenda est, præsertim ubi multæ occupationes hominis animum distrahunt & perturbant. Tunc enim viri sapientes & spirituales omnem spem in Deo defigentes, omnia ordinate, quietè & tranquillè peragunt. Audi S. Gregor. 18. Moral. cap. 25. vel juxta aliam edit. 29. Explicans enim illud Job. 28. *Et mare. Non est mecum. Cùm occupationes*, inquit, *extrinsecus perstrepunt, intrinsecus in amore pacatissima quies tenetur; atque occupationem tumultus exteriùs perstrepentes dispensat interiùs præsidens judex ratio & tranquillo moderamine ea quæ circa se sunt minùs tranquilla disponit. Sicut enim vigor mentis frænandis præest motibus carnis, sic sæpè super impositos tumultus occupationis bene regit amor, quietis: quia exteriores curæ, si perverso amore non appetuntur, non confuso, sed ordinato animo ministrari queunt.*

Qua ratione.

DOCUISTI AUTEM POPULUM TUUM PER TALIA OPERA, QUONIAM OPORTET JUSTUM ESSE ET HUMANUM, ET BONÆ SPEI FECISTI FILIOS TUOS: QUONIAM JUDICANS DAS LOCUM IN PECCATIS POENITENTIÆ) q. d. Tum hoc Domine clementiæ in Ægyptios & Chananæos, exemplo docuisti fideles tuos, justitiæ miscere humanitatem & beneficentiam: item spem eis dedisti veniæ, ut, cùm peccarent, si de peccatis verè pœniteant, iterum eos sis in gratiam recepturus: hanc enim uti Chananæis obtulisti, ita multo magis servis & filiis tuis offers; quia tu Domine es pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, 2. Corint. 1. *Vers. 19.*

OPORTET JUSTUM ESSE ET HUMANUM) τὸ & non copulat, sed auget, valetque *etiam quoque*: nam græcè est, δεῖ τὸν δίκαιον εἶναι φιλάνθρωπον, id est *decet eum, qui justus est, esse quoque humanum*, imò philanthropum: justitia enim humana est; quæ verò inhumana & sæva est, potiùs crudelitas & sævitia est, quàm justitia: hinc summum jus, summa est injuria. *Noli esse justus multùm*, ait Eccles. c. 7. 17. *Misericors & miserator, & justus Dominus*, psal. 111. 4. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*, psalm. 84. 1. Debet ergo justitia miscere benignitate, ut neque nimia severitate subditos exacerbet, neque nimia lenitate & laxitate disciplinam solvat, uti docet S. Gregor. 20. Moral. cap. 8.

BONÆ SPEI (bene sperare) FECISTI FILIOS TUOS) εὐέλπιδας ἐποίησας τοὺς υἱούς, id est *bene sperantes effecisti, quoniam das in peccatis pœnitentiam*; Vatabl. *bona spe filios tuos imbuis, qui locum concedis pœnitentiæ peccatorum. Filios* vocat Hebræos, quia fideles & veri Dei cultores, ac vocatos ad Dei hereditatem, putà ad ejus gratiam & gloriam. *Quoniam judicans*, id est puniens, *das locum in peccatis pœnitentiæ.* q. d. Ita punis, imò ideo punis, ut peccantes moveas ad pœnitentiam: qua re magnam nobis das spem veniæ, ut, si peccamus, de ea non desperemus, sed pœniteamus, & confidenter tuam indulgentiam imploremus. ita S. Bonav. Aut simpliciùs q. d. Cùm judicas, id est sententiam fers in aliquem, eumque ob peccata ad meritam pœnam condemnas, non illicò illam executioni mandas, pœnamque ei decretam infligis, sed longanimis eam differs, ut reus imò damnatus pœniteat, pœnamque pœnitens & supplex evadat. ita à Castro.

SI ENIM INIMICOS SERVORUM TUORUM, ET DEBITOS MORTI, CUM TANTA CRUCIASTI ATTENTIONE, DANS TEMPUS *Vers. 20.*

ET

Vers. 21. ET LOCUM, PER QUÆ POSSENT MUTARI A MALITIA; CUM QUANTA DILIGENTIA JUDICASTI FILIOS TUOS, QUORUM PARENTIBUS JURAMENTA ET CONVENTIONES DEDISTI BONARUM PROMISSIONUM?) Est argumentum à minori ad majus, aut potiùs à minùs verisimili ad magis verisimile. q. d. Si Chananæos hostes servorum tuorum, putà Hebræorum, *debitos morti*, id est morti obnoxios, mortis reos, morti addictos, ob suas scelerum culpas & debita, cum tanta cruciasti *attentione*; græcè προσοχῆς, id est circumspectione, cautione, moderatione, provida cura & attentione, ne modum excederes in puniendo: utque modicas ejus pœnas easque sensim infligeres, quæ non tam læderent eos, quàm provocarent ad pœnitentiam, itaque tam mentem à malitia, quàm corpus à plagis liberarent, ac sanitati restituerent; *cum quanta diligentia*; græcè, ἀκριβείας, id est sollicita, exacta, exquisita consideratione, animadversione, cautione, cura & studio; unde Vatabl. vertit, *sollicitudine*; alii vertunt, *tenacitate & parcitate* sic enim tenaces & parcos vocamus sollicitos, & attentos ad rem, *judicasti*, id est, *rexisti*, ut vertit Vatabl. *gubernasti*: item peccantes castigasti, punivisti; *filios tuos*, fideles Hebræos, *quorum parentibus*, Abrahæ, Isaac & Jacob, *juramenta & conventiones dedisti bonarum promissionum*, id est promisisti & pactus es cum juramento, te posteris eorum daturum terram promissam lacte & melle manentem, omnemque tuam benedictionem? Id fecisse Deum patet ex historia Exodi, Numer. & Deuter. unde Vatabl. vertit, *quanta sollicitudine rexisti filios tuos, quorum patribus bonas promissiones jurejurando pactionibusque firmasti?*

Ad τῷ *attentione*, Græci Vaticani addunt δεήσεως, id est *deprecatione*, &, ut nonnulli Latini codices legunt *obtestatione*, item *parsimonia & indigentiæ*, quasi Deus ex nimia clementia indigeret careretque suppliciis, quibus eos afficeret: quo figuratè significatur, Deum ultum se de Chananæis cum tanta attentione, quantam diximus; & cum tanta obtestatione, petendo ab illis, & obtestando, nisi sibi consulerent, tandem perituras; & cum tanta parsimonia, moderatione, indigentia, ac si Deus illis indigeret, ac propterea nollet eos perdere. Quod ostendit summam Dei nostri sustinentiam ac clementiam. Est catachresis & C charientismus. Hinc illud Apostoli: *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* 2. Corinth 5. 20. Vide & obstupesce dignationem, demissionem & clementiam Dei nostri, qui quasi injuriam fecerit, non acceperit, obsecrat peccatores, ut ad se salutemque suam redire velint.

Vers. 22. CUM ERGO DAS NOBIS DISCIPLINAM, INIMICOS NOSTROS MULTIPLICITER FLAGELLAS, UT BONITATEM TUAM COGITEMUS JUDICANTES: ET CUM DE NOBIS JUDICATUR, SPEREMUS MISERICORDIAM TUAM) quasi dicat Cùm tu Domine, peccantes velut puero (hoc enim est παιδεύειν) tuos virga disciplinæ castigas, ut emendes, tunc nostros inimicos, quales fuere Chananæi ceteræque gentes idololatræ, multis magnisque suppliciis flagellas, ut cogitemus, & judicantes discernamus, quanta sit bonitas tua in nos, ac sævitia tua in hostes nostros idololatras; eaque de causa cùm rursum peccantes à te judicamur, id est corripimur & castigamur, speremus similem à te clementiam & misericordiam, ideoque tibi nos humiliter corde D contritio subdamus, ac constanter adhæreamus, nec ad idola deosque Gentium declinemus: si enim id fecerimus, cum ipsis longe graviùs à te flagellabimur. Hæc enim eò spectant, ut Dei cultum, & idolorum ac gentium idololatrarum odium in Hebræis, ad idola proclivibus, stabiliat, ut patet ex sequent.

MULTIPLICITER] Græcè, ἐν μυριότητι, id est in multis millibus, in myriadibus: μύρια enim sunt decem millia. Unde myrias significat innumeram & quasi infinitam multitudinem. Dices, Quomodo ergo superiùs laudavit Dei clementiam, quòd Chananæos paucis modicisque plagis castigaret? Resp. Initio fuere illæ paucæ & modicæ, ut invitaret eos ad pœnitentiam; at, ubi illi impœnitentes in suis sceleribus se obfirmarunt, Deus plagas plagis addidit sine fine, donec eos contereret.

UT BONITATEM TUAM COGITEMUS JUDICANTES) Pro *cogitemus*, græcè est μεριμνῶμεν, id est simus solliciti, ne scilicet bonitatem tuam graviùs offendamus, & ab ea excidamus, itaque per bonitate iram & sævitiam A tuam cum impiis Chananæis incurramus; sed eam justo rationis veritatisque judicio judicantes, appendentes & æstimantes, eidem firmiter agglutinemur, ut, cùm iterùm ob delicta quæpiam à te judicati, id est puniri, fuerimus, *speremus*, græcè, *expectemus*, pristinam in nos *misericordiam tuam*, ad eamque confidenter recurramus, ut illam implorantes delictorum veniam & gratiam consequamur. Hic maximè genuinus & simplicissimus est sensus. Huc pertinet expositio Cantacuzeni, q. d. *Ut cogitemus judicantes*, id est, ut assiduè meditantes bonitatem Dei, judicemus nos ipsi, ac prudenter æstimus quot quantaque simus à Deo bona consecuti. Et Dionys. q. d. Ut prudenter discernamus correctionem nostram à reproborum perditione; quare flagella Dei in piis generant spem, in impiis desperationem.

Secundò, tamen appositè Nannius. Jansen. Vatabl. à Castro, & alii sic exponunt. q. d. Ideo nos leviter ut pueros virga disciplinæ judicas, id est punis & castigas, ut nos pariter judicantes, id est cùm judicia exercemus, aliosque judicamus & castigamus, hujus tuæ lenitatis & bonitatis B simus memores, eamque imitemur, ac severitatem lenitate temperemus, nec rigidi simus reorum censores & judices, sed benigni correctores. Sic enim vicissim à te vel ab aliis *judicati*, id est censi reprehensi, puniti, moderationem & misericordiam tuam nobis sperare poterimus, juxta illud Christi: *Nolite judicare* (severè & rigidè) *& non judicabimini in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, Matth. 7. 1. Huc accedunt S. Bonavent. Lyran. & Hugo, qui censent nos hic moneri docerique, ut, cùm alios judicamus & punimus, faciamus hoc modestè; sicut Deus modestè nos punivit, & punit, juxta illud Apostoli Ephes. 4. ult. *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis*, id est condonavit omnia peccata per merita & gratiam Christi.

UNDE ET ILLIS, QUI IN VITA SUA INSENSATE ET INJUSTE VIXERUNT, PER HÆC, QUÆ COLUERUNT, DEDISTI SUMMA TORMENTA) Græcè, *quamobrem eos, qui in insipientia vitæ vixerunt injustè, per proprias cruciasti vel torsisti, abo-* Vers. 23. C *minationes*, id est per res abominandas, quas scilicet ipsi coluerunt ut deos; Vatabl. *quocirca & injustos in stolida vita versatos homines, per suas ipsorum impuritates excruciavisti.* q. d. Chananæos impios acriter torsisti per viles bestiolas, putà vespas & crabrones, quas vel quarum similes ipsi pro diis coluerant, itaque numina reorum vertisti eis in supplicia & fulmina. Notum est in Script. *abominationes* vocari idola & idololatriam, utpote res summè abominandas & execrandas. Redit enim ad ostendendum atroces pœnas, quibus Deus idololatras afflixit ob nefas idololatriæ, quod proinde sequent. ca. exaggerat multisque insectatur. Sic cap. 11. v. 16. dixit Ægyptios punitos per serpentes quos coluerant ut deos, *ut scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Vers. 23. ETENIM IN ERRORIS VIA DIUTIUS ERRAVERUNT, DEOS ÆSTIMANTES HÆC, QUÆ IN ANIMALIBUS SUNT SUPERVACUA, INFANTIUM INSENSATORUM MORE VIVENTES] Græcè, ψευσθέντες, id est decepti, ludificati more infantium. Perperam pro *animalibus*, Complot. legunt, *animabus*; & alii, *manibus*. q. d. Chananæi lignea idola manibus D resecta, coluerunt. Græcè enim est ζώοις, id est *animalibus*. Sensus est q. d. Chananæi per idola errando & vagando, eò amentiæ progressi sunt, ut *animalia supervacua*; græcè, τὰ ἐχθρῶν ἄτιμα, id est *hostium vilia*, hoc est, apud hostes vilia & infamia, tum quia hostilia, tum quia in se vilia & spurca, velut numina adorarint, quasi infantissimi & stolidissimi pueri, qui cum araneis, vespis, apibus, bufonibus, aliisque bestiis vilibus & mortiferis ludunt, ideoque ab eis punguntur, & subinde necantur. Sic enim Chananæi coluere Beelzebub, id est Deum muscam; habebat enim caput muscæ; crocodilos feles, cynocephalos & canes, qui homines mordent, lacerant, necant, vorant, ideoque ea vocavit ἐχθρὰ, id est hostilia; & ἄτιμα, id est vilia, inhonora, fœda, infamia.

Nota Græcè est, τῶν πλάνης ὁδῶν μακρότερον ἐπλανήθησαν, id est *longiùs erraront, quàm erant erroris viæ*; hoc est, longiùs, ipsas etjam erroris vias egressi, errarunt quàm videbatur fieri posse, ut homo erraret. Est hyperbole. Sic sit Virgil. 6. Æneid.

Extra

Extrauani solisque vias, ubi cælifer Atlas
Exem humero torquet, stellus ardentibus aptum.

Sic valdè stultum vocamus stultiorem ipsa stultitia, valdè sapientem sapientiorem ipsa sapieotia, per hyperbolen. ita Jansen. à castro, & alii. Verùm Noster, æquè ac Nannius. Vatablus & alii subaudiendo præpositionem *κατὰ*, vel *ἐπὶ*, simplieiùs vertunt, *in erroris via diutiùs erraverunt*.

VERS. 25. PROPTER HOC TAMQUAM PUERIS INSENSATIS JUDICIUM IN DERISUM DEDISTI) Græcè, *propter hoc velut pueris ratione carentibus judicium, sive pœnam, in ludibrium misisti*. In Græco est pulcbra paronomasia: *παῖς* enim, id est puer, dicitur quasi *παίζων*, id est ludens: *ἐμπαίζω* est illudo, ludifico; *ἐμπαιγμὸς* (quæ vox hic in Græco est) ludificatio; *ἐμπαιγμα* ludificamentum, quo alicui illudimus. q. d. Quia Chananæi velut pueri, pueriles & bestiolas pro diis coluerunt; hinc eosdem quasi pueros per easdem, putà per vespas & crabrones, quasi puerilibus & ridiculis pœnis, sed acribus, castigasti & quasi ludificasti.

VERS. 26. QUI AUTEM LUDIBRIIS ET INCREPATIONIBUS (id est, *ludibriis increpationis*, ut habent Græca. Est B hendiadys.) NON SUNT CORRECTI (græcè, *μὴ νουθετηθέντες*, id est *non sunt admoniti*, non sunt hac admonitione emendati) DIGNUM DEI JUDICIUM EXPERTI SUNT) Græcè, *experientur*, id est experti sunt. Loquitur, enim de Chananæis præteritis. q. d. Chananæis, præteritis. q. d. Chananæi, qui ludicris vesparum pœnis non sunt emendati; hi durum judicium, id est supplicium, subierunt, cùm à Josue & Hebræis funditus sunt excisi, & ad internecionem deleti. Pro *ludibriis*, græcè est *παιγνίοις*. *παίγνιον* autem est ludicrum, lusus, ludibrium, uti sunt aviculæ, apes, muscæ, ranæ, quibus ludunt pueri: iisdem enim quasi ridiculis & puerilibus nugis, Deus castigavit Ægyptios & Chananæos. His opponit *dignum Dei judicium*, id est serium graveque supplicium mortis & extermintì totius gentis Chananæorum, quo Deus toti mundo suam in puniendo omnipotentiam, æquè ac justam iram & vindictam ostendit.

VERS. 27. IN QUIBUS ENIM PATIENTES INDIGNABANTUR (multi codices addunt, imò præponunt, *in his enim quæ patiebantur, molestè ferebant*. quæ verba videntur addita ex alia versione: unde Romani ea delent; idem enim A dicunt & repetunt) PER HÆC QUOS PUTABANT DEOS, IN IPSIS CUM EXTERMINARENTUR VIDENTES, ILLUM, QUEM OLIM NEGABANT SE NOSSE, VERUM DEUM AGNOVERUNT: PROPTER QUOD ET FINIS CONDEMNATIONIS EORUM VENIT SUPER ILLOS] q. d. Chananæi, dum paterentur acres morsus vesparum & vilium bestiolarum, indignabantur quod per illas, quas, vel quarum similes, ut deos coluerant, exterminarentur: quare *videntes* & sentieotes, id est animadvertentes, Deum Hebræorum, quem olim negabant se oosse, has plagas sibi infligere, eum ut verum Deum agnoscere coacti sunt, ut patet Judith. 5. 20. Josue 2. 9. sed sero, & invitè ac coactè, quocirca æquum fuit, ut extrema clade plecterentur, quare *finis condemnationis*, id est extrema damnatio excidium & exterminium, *venit super eos*, cùm scilicet à Josue & Hebræis per bella funditus sunt aboliti. Alii hæc referunt ad Ægyptios, qui à Mose mersi sunt in mari rubro. Sed de Ægyptiis egit c. 11. hoc verò cap. 12. agit de Chananæis. ita S. Bonavent. Dionys. & alii.

B Pro *patientes*, Complut & Regii legunt, *impatientes*. Utrumque verum, patientes enim corpore, fiebant impatientes animo, Unde ex Complut, sic clarè vertit Jansen. *nam cùm in his, in quibus patientes indigebantur, in his scilicet quos putabant esse deos, quando per ea puniebantur, sensissent eum quem olim negabant se nosse, tunc verum agnoverunt Deum*. Sigoificare vult, Pharaonem cum suis, qui priùs dicebat: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam*, priusquam ranis & muscis, quas pro diis colebant, eos Deus afflixisset non sine magna illorum indignatione, qui ægrè ferebant, se suis diis affligi, & à rebus tam levibus; tum demum agnovisse Dominum, ita ut diceret: *Peccavi Dominus justus, & ego & populus meus impii. Orate Dominum*, &c. Verum jam dixi, hic agi propriè de Chananæis. Si quis tamen per complexionem cum Cantacuzeno, hæc tam de Ægyptiis, quàm de Chananæis accipi malit, non repugnabo: nam in sequentib. de utriusque mistim loquitur.

Pro *venit*, multi legunt, *veniet*, scilicet in die judicii, *finis condemnationis* reproborum, qui damnabuntur & detrudentur in gehennam. Verùm græcè est, *ἐπῆλθε*, id est C *venit*, in præterito. Loquitur enim de transacto Chananæorum excidio.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

OCcasione Aegyptiorum & Chananæorum, quos Deus ob scelera præsertim idololatriæ excidit, incipit tractare de idololatria; hæc enim maximè primæ veritati & principio sapientiæ, quod est agnoscere, timere & colere Deum verum, quasi ex diametro repugnat. Triplicem autem idololatriæ speciem assignat: Primam, qua animalia viva colebant pro diis: Secundam, qua elementa & corpora cælestia: Tertiam, qua imagines & idola; ac de his omnibus mistim pertractat per quatuor capita. Igitur hoc cap. insectatur eos, qui ex creaturis non agnovere creatorem, sed creaturam quasi creatorem coluerunt à vers. 1. ad vers. 10. inde ad finem capitis graviùs increpat eos, qui idola lignea, lapidea, testacea ab artifice efformata ut deos adorant, invocant, de futuris consulunt, eorumque opem implorant.

1 VAni autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex: 2. Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terrarum deos putarunt. 3. Quorum si specie delectati, deos putaverunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est. speciei enim generator hæc omnia constituit. 4. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: 5. à magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri. 6. sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, & volentes invenire. 7. Etenim cùm in operibus illius conversentur, inquirunt: & persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur. 8. Iterùm autem nec his debet ignosci. 9. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare seculum: quomodo hujus Dominum non faciliùs invenerunt? 10. Infelices autem sunt & inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ. 11. Aut si quis artifex faber de silva lignum rectum secuerit; & hujus doctè eradat omnem corticem, & arte sua usus, diligenter fabricet vas utile in conversationem vitæ, 12. reliquiis autem ejus operis, ad præparationem escæ abutatur: 13. & reliquum horum, quod ad nullos usus facit, lignum curvum, & verticibus plenum, sculpat diligenter per vacuitatem suam, & per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet

illud

illud imagini hominis, 14. aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo est, perliniens: 15. & faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro, 16. ne fortè cadat, prospiciens illi, sciens quoniam non potest adjuvare se: imago enim est, & opus est illi adjutorium. 17. Et de substantia sua, & de filiis suis, & de nuptiis votum faciens inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est: 18. & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adiutorium inutilem invocat: 19. & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest & de acquirendo & de operando, & de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis,

VERS. 1. VANI AUTEM SUNT OMNES HOMINES; IN QUIBUS NON SUBEST SCIENTIA DEI: ET DE HIS QUÆ VIDENTUR BONA, NON POTUERUNT INTELLIGERE EUM QUI EST, NEQUE OPERIBUS ATTENDENTES AGNOVERUNT QUIS ESSET ARTIFEX] Hoc est thema totius capitis & trium sequentium, nimirum ostendere, tum vanitatem idololatrarum, Philosophorum ceterorumque hominum, qui creaturis fruuntur; tum oppositam veritate fidelium Dei cultorum, qui Deum agnoscere, colere & amare satagunt: hæc enim vera est sapientia, cùm prior sit vana, imò mera vanitas & insipientia. Græcè, *vani enim* vel *stulti* (utrumque enim significat *μάταιοι*, unde Italorum *matti*, id est stulti) *sunt omnes homines natura, in quibus fuit ignorantia Dei*. *Natura*, græcè *φύσει*, id est naturali indole, propensione, corruptione; item per se, sponte sua. Sicut enim omnis res creata, quatenus ex nihilo creata est à Deo, vana est, & ad sui nihilum vergens & propendens: sic & homo, præsertim post lapsum Adæ, quo natura humana corrupta est, mortique obnoxia effecta. Ex hoc enim lapsu enata est in homine concupiscentia, quæ eum ad res vanas, noxias & mortiferas inclinat, atque ignoratio Dei rerumque divinarum, quæ ad salutem & felicitatem ducunt; ex qua prognata est multitudo idolorum, hæresum, errorum & scelerum. Syrus, *vani sunt homines, qui non agnoscunt Deum*; Arabicus, *quoniam omnes homines, in quibus est defectus scientiæ, verè vani sunt*. τὸ *quoniam*, vel, ut græcè est, *μὲν γάρ*, id est *siquidem*, *etenim*, dat causam, cur Chananæi in tot tantaque scelera prolapsi sint, tamque graviter à Deo puniti: quia scilicet Deum verum non agnoverunt, nec reveriti sunt.

Vani sunt qui non norunt Deum.

Scientiam Dei intellige non tantùm speculativam, sed & practicam conjunctam cum Dei cultu, timore, obedientia, & amore. Vani ergo & stulti fuerunt idololatræ, qui Deum ignorantes, idolum coluerunt & colunt. Vaniores & stultiores fuere Philosophi, qui cùm Deum per scientiam naturalem cognovissent, eum tamen non ut Deum ea pietate & puritate, qua par erat, coluerunt & glorificaverunt, quos proinde acriter castigat Apost. Rom. 1. Vanissimi & stultissimi sunt fideles, qui cùm Deum per fidem cognoscant, certamque ex ea habeant spem æternæ felicitatis, eum tamen ejusque legem spernunt, ut illicitis suis voluptatibus perfruantur. Hi enim verbis Deum confitentur, sed factis negant: quare quo majorem habent Dei cognitionem, eo majorem malitiam, ideoque majorem damnationem sibi accersunt. Nam *servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit*, &c. *vapulabit multis*, Lucæ 12. 47. vide dicta Eccles. 1. 2. ad illa: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi soli servire*. Hoc est, quod queritur Isajas cap. 5. 13. *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*. Et Osee cap. 4. 6. *Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*. Et Baruch. cap. 3. 28. *Et quoniam non habuerunt sapientia, interierunt propter suam insipientiam*. Huc facit illud alibi à me citatum, sed huic loco proprium, ideoque iterandum:

Qui Christum noscit, sat scit si cetera nescit:
Qui Christum, nescit nil scit si cetera noscit.

Talis fuit S. Paulus qui 1. Corinth. 2.2. *Non enim*, inquit, *judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*. Et S. Gregor. Nazianz. qui in carm. de beatitudinibus ita canit:

Felix à mundo abstractus, qui vivit eremo
In rigida, & mentem tollit ad astra suam.
Felix qui multis junctus non plurima versans
Distrahitur, pectus sed dedit omne Deo.

Igitur, sicut uter vel follis vino vacuus, sed vento turgidus, vanus est, quia nil in se habet solidi; sic philosophus, orator, Theologus Dei practica cognitione, gratia & amore destitutus, & inani scientiæ vento fastuque inflatus, vanus est & stultus; bulla est vento tumida, quæ mox ab aere difflabitur; pappus est, cujus villus mox aura dispergeret: vapor est, fumus est, qui mox tenues vanescet in auras.

O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas! Tu es Deus meus, ad te suspiro die ac nocte, ait S. August. lib. 7. Confess. Et S. Bernard. moriens apparens Guilielmo de Monte Pessulano dixit, se in montem Libanum (in cælum) ascendere, addiditque: *Nulla hic scientia, nulla veri cognitio; sursum scientiæ plenitudo, sursum vera notitia veritatis*. ita habet ejus Vita.

Quin & Philo lib. de Temulentia: Sicut sol, ait, exortu suo stellas abscondit, tanto suo splendore perfusis nostris oculis; ita quoties animæ oculi sincero, puro fulgidissimoque luciferi Dei, sensibili splendore irradiantur, nihil aliud possunt inspicere. Affulgens enim ejus qui est, cognitio nihil non illustrat; ut etiam quæ sunt per se splendidissima, collatione hac obscurentur.

Denique S. Justinus initio Dialog. contra Tryph. docet, veram philosophiam & sapientiam consistere in Dei cognitione & cultu, eamque frustra se quæsivisse apud Platonicos, Stoicos, Epicureos, ceterosque Philosophos, ac tandem admonitu cujusdam Sancti invenisse in S. Script. putà in libris Apostolorum & Prophetarum.

ET DE HIS QUÆ VIDENTUR (perperam in Regiis contrariè legitur, *quæ non videntur*) BONA, NON POTUERUNT INTELLIGERE EUM QUI EST.) Græcè, *& de bonis visibilibus non valuerunt cognoscere τὸν ὄντα*, id est *existentem*. Deus enim græcè dicitur τὸ ὂν, id est *ipsum ens*, in genere neutro; vel ὁ ὢν id est *qui est*, in genere masculino: quia Deus est primum, summum, increatum, æternum, immensum ens, quod per se existit, & à seipso suum esse habet, in quo est omnium entium rerumque plenitudo & perfectio, vel formaliter, vel eminenter: denique à quo omnia & singula totum suum esse accipiunt. quare ipse est essendi oceanus, & essentiæ pelagus infinitum. Porrò sit, *Ex his quæ videntur bona*, id est ex entibus visibilibus, quæ à Deo creata sunt bona. *Vidit* enim *Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, Genes. 1. Bonum enim & ens convertuntur. Bonum enim est passio & proprietas entis: quare quantum est ens, tantum est & bonum: unde Deus, qui est summum ens, pariter est summum bonum. Sensus est q. d. Idololatræ non valuerunt ex entibus bonisque finitis cognoscere ens & bonum infinitum, à quo illa omne suum esse omnemque bonitatem hauserunt; *non valuerunt*, quia non voluerunt: *excæcavit enim illos malitia eorum*, ut dixit c. 2. 21 quia scilicet magis amarunt tenebras, quàm lucem: vanitati enim & vanis concupiscentiis addicti, noluerunt aperire oculos Soli justitiæ, putà Deo, ut eum agnoscerent sanctoque colerent. Nam eos ex creaturis potuisse & debuisse agnoscere creatorem, clarè asserit v. 5. Deus enim est suum & aliorum omnium esse: si ergo tuum & aliorum esse cognoscas, atque oculos ad ejus auctorem velis attollere, illico cognosces & Deum, à quo tuum & aliorum esse magis dependet, quàm à teipso, & à tua essentia: nisi enim Deus hanc continuè conservaret, illico ipsa in nihilum

hilum suum rueret & rediret. Quare si rogeris, *Quis es, tu?* respondeas cum S. Joanoe Baptista: *Ego sum, qui non sum*. Sicut Deus à Mose rogatus: Quis es Domine? vice versa respondit: *Ego sum qui sum*.

Nomen Dei est ens

Nota. Proprium Dei oomen est *ens*, vel *qui est*, unde illud Deo dederunt Prophetæ, Apostoli & Theologi, æquè ac Philosophi. Prophetæ, ut Moses, qui ioterrogans Deum quo nomine vocaretur, ab eo audivit: *Ego sum qui sum*, sive *Ego sum Jebova*, id est, *qui est* Exodi 3. 14. & c. 6. 3. vide ibi dicta. Job c. 14. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* David psal. 101. 28. *Tu autem idem ipse es*. Jerem. ca. 51. 19. *Qui fecit omnia, ipse est, & Israel sceptrum bereditatis ejus, Dominus exercituum nomen ejus*. S. Joannes Apoc. 1. 8. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est*. Esther. cap. 14. 11. *Ne tradat Domine sceptrum tuum*, inquit, *bis, qui non sunt*, id est idolis & idololatris, Solus enim Deus propriè plenoque est; idola verò & res ceteræ potiùs non sunt, quàm sunt; tum quia ex se non sunt, & quod suot à Deo acceperunt; tum quia peccati malitia est quodammodo infra nihil, ideoque primus ejus auctor diabolus, vocatur *is* B *qui non est*, & peccatores vocantur *socii ejus qui non est*, Job 18. 15. Unde Ezechiel c. 28. 19. loquens de superbo rege Tyri, qui erat typus diaboli: *Nibili*, ioquit, *factus es, & non eris in perpetuum*.

Gnomæ Prophetarum.

Theologorum.

Theologi, ut S. Justin. initio Dialogi contra Tryphon. qui Deum ita definit: *Quod in eodem similique babitu ac statu semper est ceterisque omnibus causa est cur sint, id Deus est*. S. Greg. Naz. jambico 15. *Quid est Deus? Est*, inquit, *ens, primum omnium & summum bonum. Quid est angelus? prima Dei creatura. Quid dæmon? devians à bono. Quid est materia? formarum basis. Quid forma? materiæ decor. Quid cælum? rerum caducarum & firmarum limes. Quid astra? flamma, circuli cursum tenens. Quid ævum? quod absque tempore assiduè fluit. Quid tempus? mensura motus, quem sol facit. Quid bomo? figmentum & imago nobilis Dei. Quid vita? nexus carnis & mentis. Quid mors? utriusque divulsio. Quid mens? visus interior nullum terminum babens. Quid voluntas? motus mentis. Quid ratio? quæ verum vestigat. Quid sermo? qui idipsum eloquitur. Quid liberum arbitrium? velle moveri quò libet*. hæc Naz. S. Ans. in Prosolog. c. 22. pleniùs & profundiùs de Dei esse & essentia philosophatur, quem audi: *Tu solus Dominus es quod es es, & tu es qui es. Nam quod aliud est in toto, & aliud in partibus: & in quo aliquid est mutabile, non omnino est quod est: & quod incepit à non esse, & potest cogitari non esse; & nisi per aliud subsistat, redit in non esse; & quod babet fuisse, quod jam non est; & futurum esse, quod nondum est, id non est propriè & absolutè. Tu verò es quod es, quia quidquid aliquando, aut aliquo modo es, boc totus & semper es? & tu es, qui propriè & simpliciter es, quia nec babes fuisse aut futurum esse, sed tantùm præsens esse, nec potes cogitari aliquando non esse*, &c.

Hinc Evagrius apud Socratem lib. 6. Tripart. cap. 21. ait Deum non posse definiri, eò quòd non habeat genus, aut differentiam, aut speciem, sed sit plenitudo entis omniumque generum, specierum, & rerum. Attalus Martyr apud Euseb. 6. Histor. cap. 3. à tyranno rogatus, *quod nomen Deus baberet? Qui plures sunt*, inquit, *nominibus discernuntur, qui autem unus est, non indiget nomine*.

Philosophorum.

Philosophi, ut Plato, qui in Timæo Deum vocat τὸ ὄν, id est ipsum ens. Aristot. libr. 8. Physic. Deum nuncupat primum ens, causam primam, primum movens, quod cetera omnia movet. Unde idem moriturus dicitur sic Deum invocasse: *Nudus in bunc mundum veni, miser vixi, dubius morior, quò venturus sim nescio: attamen tu ens entium, causa causarum, miserere mei*.

Thales Milesius rogatus, quid in rerum natura esset vetustissimum? respoodit: Deus, quia numquam esse cœpit. Idem rogatur, *quid esset Deus?* respondit: *Quod principio & fine caret*; vel, *Quod semper est*. teste Laertio lib. 1. in ejus Vita.

Apulejus lib. de Mundo: *Quid est Deus? Quod*, inquit, *in triremi est gubernator, in curru rector, præcentor in choris, dux in urbe, imperator in exercitu, boc est in mundo Deus*.

Alexander Magnus, cùm in Ammonis templo à vate dictus esset Jovis filius: *Nibil*, inquit, *mirum: nam Jupiter omnium quidem natura pater est, sed ex bis optimos quosque peculiariter suos facit*.

A Pythagoras, teste Philosopho lib. 1. de Cælo: *Ipsa tria*, ait, *omnia sunt: ipsum verò ter est ipsum*, sive *id quod omni ex parte est*. Unde aliqui suspicantur eum S. Trinitatem cognovisse, saltem per umbra & obscurè.

Orpheus Deum vocavit principium, medium, & finem universi. Principium, inquam, ut omnia producentem: medium, ut producta ad se trahentem: finem autem, ut perficientem ad seipsum redeuntia.

Trismegistus Dialog. 5. loquens de Deo: *Nibil*, ait, *est in omni natura, quod ille ipse non sit. Est ille siquidem, quæ sunt: est ea etiam, quæ minimè sunt: quæ quidem sunt, deduxit in lucem; quæ verò non sunt, occulit in seipso*. Hinc Svidas asserit Hermam, sive Mercurium, Ægyptiorum sapientissimum, qui Mosi fuit pænè coævus, dictum esse Trismegistum, quòd de sancta Trinitate divino quodam spiritu locutus sit, dicens: *Et erat lumen intellectuale, & erat semper mens luminosa, & spiritus omnia continens. Extra banc non est Deus, non angelus, non substantia ulla alia: omnium enim est dominus, & pater, & Deus, & fons; & vita, & potestas, & lumen, & mens, & spiritus, & omnia in ipso, & sub ipsum sunt*; licèt alii per hæc, ipsum dumtaxat attributa deitatis notasse velint. Verius Clemens Alex. lib. 6. Strom. eum Trismegistum, id est ter maximum, cognominatum ait, quòd maximus esset rex, philosophus & sacerdos.

NEQUE OPERIBUS ATTENDENTES AGNOVERUNT, QUIS (qualis, & quantus) ESSET ARTIFEX) *Quis* scilicet cælos, stellas, elementa, omniaque quæ in mundo sunt ex nihilo crearit, tamque artificiosè quoad omnia efformarit; quis eadem tanto ordine disposuerit, tantaque concordia consociarit, quis illa ipsa continuè conservet, foveat, augeat, propaget, uti pulchrè docet Nazianz. orat. 34. quæ est secunda de Theolog. qui & appositè Deum comparat citharœdo, in domo citharam scitè pulsanti, cujus melodiam foris audis, ejusque peritiam miraris, sed personam non vides. Sic enim Deus hunc mundum quasi citharam harmonicè movet, ac suavissimum ex omnium quæ in eo sunt consonantia concentum efficit, quem omnes stupent, ejusque auctorem admirantur, sed personam intueri nequeunt.

SED AUT IGNEM, AUT SPIRITUM, AUT CITATUM AEREM, AUT GYRUM STELLARUM, AUT NIMIAM AQUAM, AUT SOLEM ET LUNAM, RECTORES ORBIS TERRARUM DEOS PUTAVERUNT) Idololatria veterum in eo sita fuit, quòd solem, cælumque & alias creaturas coluerint pro creatore: cujus origo & ratio fuit. Prima, quòd nihil esse crederent præter visibilem hunc mundum. Quare negabant esse Deum, qui esset spiritus invisibilis. Ita Plato in Cratylo, quem citat Euseb. lib. 3. de Præpar. cap. 1. *Vetustissimos Græcorum*, inquit, *cælum, stellas, solem & lunam, quæ nunc etiam multi barbarorum colunt, deos putavisse manifestum est*. Sic & *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum*, ait S. Lucas Actor. 23. 8. Putabant enim nihil esse ultra ea, quæ oculis cernimus; ac quod non est spectabile, non esse in rerum natura, uti etiamnum putant athei, ac homines crassi & animales. Secunda causa fuit pulchritudo, utilitas, vis & efficacia creaturarum, ut solis, cæli, siderum, aquæ, ignis, terræ: hæc enim illexit rudes homines ad ea colendum & invocandum, quòd iis indigere se sentirent, earumque vim & opem experirentur. ita Euseb. libr. 3 de Præpar. c. 2. Accessit, & errorem adiuvit Philosophorum mystica Theologia, & Poetarum elegantes fabulæ, qui ignem vocavere Vulcanum, spiritum æthereum Jovem, aerem Junonem, aquam Tethym vel Neptunum, terram Cererem, solem & lunam Phœbum & Dianam. Sic & stellis nomina deorum dederunt, eisque mundi dominium assignarunt: inde ortus error, ut alii cælum, alii solem, alii aerem, alii ignem, alii terram, alii aquam, alii quid aliud mundi & rerum omnium primum principium ponerent & crederent, teste Arist. lib. 1. Physic. Inde eadem superstitioso rudique vulgo prodiis habita, & ut numina adorata fuere, uti docet S. August. lib. 4. de Civit. c. 10. & Euseb. lib. 3. de Præpar. cap. 2. quem audi: *Aegyptii Osirim & Isim solem & lunam esse ajunt, Jovem spiritum qui per omnia transeat, Vulcanum ignem, terram Cererem, Oceanum bumiditatem, ac Nilum fluvium asserunt, cui deorum generu-*

VERS. 2.

Causa idololatriæ. Prima.

Secunda.

nerationem attribuunt : aerem Minervam appellarunt : quos quandoque deos, vera dico, aquam, ignem, terram & spiritum per universum orbem transire contenduat, & in varias formas hominum atque animalium commutari, quorum cognomines apud se homines floruisse, Solem, Saturnum, Opim, præterea Jovem, Junonem, Vulcanum & Vestam. quæ omnia Manethus latiùs scripsit : compendiosiùs autem Diodorus his verbis : Osiris & Isis sol & luna secundùm Aegyptios sunt, à quibus trinis temporibus, vere, æstate ac hieme, invisibili modo circumductis mundus gubernatur, & omnia nascuntur, aluntur & augentur.

Hæc Euseb. ex Diodoro, idemque confirmat ex Plutarcho : subiicit deinde ex Porphyrio : *Aquam deinde atque ignem apprimè venerantur, & ia omnibus sacris adhibent, quia maximè salutis humanæ causa hæc elementa sunt*. Denique ita concludit : *Ita generosa Græcorum ac Aegyptiorum Theologia ad sublimiora nos perducere fabularum allegoriis pollicita, ad corpora rursus deduxit : nec aliud quàm ignem & aquam, & partes mundi colere adhortata est. Quomodo igitur Salvatoris nostri Evangelium* B *mirabile non est, quo solis & lunæ, totiusque mundi creatorem decenti fide colere ; nec elementa corporum, nec visibilia quædam, sed eum, qui per hæc invisibiliter cognoscitur, creantem intellectum solum admirari, solumque adorare didicimus? qui per omnia penetrans, cùm sit incorporalis, solo intellectu percipitur : imò verò ineffabilis, & incomprehensibilis est. Traditur autem atque perspicitur per ea, quæ facit, quæ producit gubernat, conservat, omnibus invisibiliter assistens, non cælestibus solùm, verùm etiam terrestribus, magnificentiam operum suorum per hæc ostendens, quæ illi deos putarunt.*

Elogia ergo & nimiæ laudes, ac quasi adulationes Poetarum, quibus ipsi res creatas quasi divinas ac deos celebrarunt, rude vulgus impulit, ut eas deos crederet & adoraret, uti docet Lactant. libr. 1. cap. 10. & 11.

SPIRITUM) Aerem subtiliorem, aut ventum : ventos enim quasi deos cultos fuisse docet Seneca lib. 4. Natur. quæst. c. 17. Hinc Æolus ventorum deus & rector. Denique Plato censuit Deum esse spiritum & animam mundi. C Unde Virgilius.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Et alius.

Juppiter est quodcumque vides.

Adorabant ergo solem, lunam, stellas, elementa, velut corpus & membra Dei. Audi S. August. lib. 4. de Civit. cap. 11. *Ipse in æthere sit Jupiter ipse in aere Juno, ipse in mari Neptunus : in inferioribus etiam maris ipse Salacia, in terra Pluto, in terra inferiore Proserpina ; in focis domesticis Vesta, in fabrorum fornace Vulcanus ; in sideribus sol, luna & stella ; in divinantibus Apollo, in merce Mercurius, in Jano initiator, in Termino terminator ; Saturnus in tempore, Mars & Bellona in bellis, Liber in vineis, Ceres in frumentis, Diana in sylvis, Minerva in ingeniis.*

AUT CITATUM AEREM) Græcè, *ταχινὸν αἶρα*, id est celerem mobilemque aerem, quæ dicta est Juno : nam ex *ἀὴρ*, id est aer, fit *ἥρα*, id est Juno. Unde Macrob. lib. 1. in Somm. Scipion cap 17. *Juno*, inquit, *aerea cognominata est, quòd ipsa aer putaretur, & aeris arbitra.* Ratio est, quòd Anaximenes, aliique plures censuerint omnium rerum principem esse aerem, sicut Thales censuit esse aquam, Heraclitus ignem, Democritus atomos, Pythagoras numeros, teste Aristotele l. 1 Physicorum.

Stellæ pro diis habitæ cur?

AUT GYRUM STELLARUM) Id est stellas Zodiaci, hic enim est gyrus & circulus, ac quasi zona & cingulum cæli. ita Lyran. Hugo, Dion. & alii. Hæ enim stellæ, ac præsertim sol obiens Zodiacum, fruges, fructus, omnesque res in terra producunt. unde *ζωδιακὸς*, dicitur à *ζωὴ*, id est vita, quòd motu suo vitam rebus sublunaribus conferat. Hinc constellationes Zodiaci præcipuè sunt duodecim, quæ & signa vocantur, quia animalium quamdam habent similitudinem, de quibus carmen :

Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo,
Libraque scorpius, arcitenens, caper, amphora, pisces.

Secundò, planiùs & pleniùs per *gyrum stellarum* accipe A constellationes, quæ ex multis partialibus stellis integrantur, itaque quasi gyrum stellarum conficiunt, aut potiùs orbem stelliferum, sive cælum stellarum, putà cælum octavum, scilicet firmamentum : hoc enim tot tantisque stellis, velut pyropis aut ignibus, distinctum & variegatum, multi censuerunt esse Numen & Deum. Unde in Scriptur. vocatur *militia cæli*, quam adorarunt ipsi quoque Judæi, ut patet 4. Reg. 23. 5. ita S. Bonavent. Olorius, & alii. Hinc Planetis dedere nomina deorum : summum enim Planetam vocavere Saturnum, secundum Jovem, tertium Martem, quartum Phœbum, quintum Dianam, sextum Venerem, septimum Mercurium. Ita S. August. lib. 7. de Civit. cap. 15. & 16. *Apollinem*, inquit, *quamvis divinatorem & medicum volunt, tamen ut in aliqua parte mundi statuerent, ipsum etiam solem esse dixerunt : Dianamque germanam ejus similiter lunam, & viis præsidere : unde & virginem volunt, quòd via nihil pariat : & ideo ambos sagittas habere, quòd ipsa duo sidera de cælo radios terras usque pertendant. Vulcanum volunt ignem mundi, Neptunum aquas mundi, Ditem patrem, hoc est* B *Orcum, terrenam & infimam partem mundi : Liberum & Cererem præponunt seminibus, vel illum masculinis, illam femininis : vel illum liquoris, illam verò ariditati seminum. Et hoc utique totum refertur ad mundum, id est ad Jovem, qui propterea dictus est progenitor genitrixque quòd omnia semina ex se emitteret, & in se reciperet*. Subiicit Minervam esse summum ætherem, Vestam esse ignem mundi leviorem, Cererem esse terram.

AUT NIMIAM AQUAM) Græcè, *βίαιον ὕδωρ*, id est *violentam aquam*, putà mare fluctibus agitatum, exundans omniaque obruens. Hinc Thales censuit, aquam esse rerum omnium principium, imo cælos, aves, pisces, animalia, &c. facta esse ex aquis, sive ex abysso primigenia, plurimorum est sententia, uti ostendi Gen. 1. sub initium. Hinc & *aqua* dicitur, quasi *à qua omnia*. Porrò, aquam nomine Tethyos vel Neptuni, ut deum coluere Persæ & Germani, sed maxime Ægyptii, qui Nilum suum, utpote agros exundatione sua irrigantem & fœcundantem, velut Deum coluerunt, teste S. Athanas. orat. contra Gentes. Unde Claudianus epigr. 6.

Aegyptus sine nube ferax, imbresque serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis, quas ipse vehit, Niloque redundat.

AUT SOLEM ET LUNAM) Græcæ, *φωστῆρας οὐρανοῦ*, id est *luminaria cæli*, quorum unum, scilicet sol, præest diei ; alterum, scilicet luna, nocti, Genes. 1. Horum enim præ stellis species & fulgor dementes hominum mentes rapuit, ut deos esse censerent. Hinc Persæ solem coluerunt nomine Mithræ, Ægyptii nomine Osiris, & lunam nomine Isidis ; alii nomine Phœbi & Dianæ ; alii nomine Apollinis & Lucinæ. Unde & Plinius lib. 2. cap. 6. & 7. de Deo dubitans! *Si quis*, inquit, *sit Deus, non alius erit quàm sol.*

RECTORES ORBIS TERRARUM) Græcè, *πρυτάνεις*. Ita Athenis vocabantur primi magistratus, qui civilia & sacra procurabant. *Rectores orbis* ergo vocat deos mundi gubernatores, quibus Gentiles tribuebant summam potentiam, providentiam & divinitatem, Deo uni & vero propriam.

QUORUM SI SPECIE DELECTATI, DEOS PUTA- D VERUNT ; SCIANT QUANTO HIS DOMINATOR EO- Vers. 3.
RUM SPECIOSIOR EST. SPECIEI ENIM GENERA-
TOR HÆC OMNIA CONSTITUIT. AUT SI VIRTU-
TEM ET OPERA EORUM MIRATI SUNT, INTELLI-
GANT AB ILLIS, QUONIAM QUI HÆC FECIT, FOR- Vers. 4.
TIOR EST ILLIS) Pro *speciosior*, græcè est *βελτίων*, id est *melior* ; S. Cyprian. libr. 3. Testi. cap. 59. *pretiosior*. Pro *generator*, græcè est *γενεσιάρχης*, id est *generationis auctor* vel *princeps*. Unde ad verbum vertas, *nam pulchritudinis genesiarcha creavit ea. Genesiarcha*, id est auctor, sive prima origo, vel princeps pulchritudinis generandæ.

Mundus græcè dictus est *κόσμος*, id est *ornatus*, à sui specie & pulchritudine. Unde Lactantius lib. 1. de Ira Dei cap. 10 *Opus mundi*, ait, *quo nihil potest esse, nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad utilitatem, nec ornatius ad pulchritudinem, nec majus ad molem*. Unde dicta Genes. 1. Verùm errarunt Gentiles, quòd in hac creaturarum specie defixi constiterint, nec assurrexerint ad rimandum earùm opificem & creatorem. Scire enim poterant

& de-

& debebant, quòd creaturæ seipsas producere & creare A nequiverint, ac proinde quòd creatæ sint ab alio, putà à Deo. Unde S. Athanas. lib. de Incarn. *Mirum est*, inquit, *quòd nihil ex rebus creatis errabat in Numine intelligendo, præter solum hominem: non sol, non luna, non cœlum, non astra, non aqua, non æther immutant suum ordinem, sed agnoscentes suum opificem & principem, Rationem, Verbum Dei, eo tenore permanent, quo condita sunt. Soli autem homines aversi ab illa bona statione veritatis, iisque, quæ non erant, effectis, Dei honorem, ac eius cognitionem dæmonibus, & hominibus in lapide effigiatis dedicaverunt.*

Deus pulchritudo immensa. Hinc S. Dionys. de Divin. nomin. cap. 4. ait, Deum esse pulchrum, & per omnia pulchrum, & supremè pulchrũ, & semper eodem modo pulchrum, & universi pulchri principalem pulchritudinem in seipso ante omnia habere, ac proinde ipsum esse fontem omnis pulchritudinis, & causam omnium pulchrorum quæ in mundo sunt. Et Boetius lib. 3. de Consol. metr. 9.

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans. B

Unde & Plato epist. 2. ad Dionys. regem, Deum nuncupat causam pulchrorum omnium. Platonem de more sequitur Philo lib. de Opificio mundi. Quocirca patheticè exclamat S. August. lib. 10. Confess. c. 27. *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua & tam nova: serò te amavi: & ecce intus eras, & ego foris: & ibi te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam.* Idem in Soliloquiis c. 31. *Circumibam*, inquit, *omnia quærens te, & propter omnia derelinquens me. Interrogavi terram si esset Deus meus, & dixit mihi, quòd non, & omnia quæ in ea sunt, hoc idem confessa sunt. Interrogavi mare & abyssos & reptilia, quæ in eis sunt, & responderunt: Non sumus Deus tuus, quære super nos eum. Interrogavi flabilem aerem, & inquit universus aer cum omnibus incolis suis: Fallitur Anaximenes, non sum ego Deus tuus. Interrogavi cœlum, solem, lunam & stellas: Neque nos sumus Deus tuus, inquiunt. Et dixi omnibus his, qui circumstant fores carnis meæ: Dicite mihi de Deo meo, quod vos nescitis, dicite mihi aliquid de illo. Et clamaverunt omnes voce grandi, ipse fecit nos. Interrogavi proinde mundi molem: Dic mihi si es Deus meus, an non? Et respondit voce* C *forti: Non sum, inquit, ego, sed per ipsum sum ego; quem quæris in me, ipse fecit me; super me quære eum, qui regit me, qui fecit te. Interrogatio creaturarum, profunda est consideratio ipsarum: responsio earum, attestatio ipsarum de Deo, quoniã omnia clamant, Deus nos fecit, quoniam, ut ait Apostolus: Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, à creatura mundi intellecta conspiciuntur.* Et post nonnulla: *Tu Domine principium omnium atque finis, qui es ante primordia sæculorum, & ante omnes sæculorum origines. Tu es Deus meus, & Dominus omnium bonorum, quæ creasti, & apud te omnium stabilium sunt causæ, & omnium mutabilium apud te immutabiles stant & manent origines, & omnium rationalium & irrationalium atque temporalium sempiternæ vivunt rationes.* Eadem habet lib. 10. Confess. cap 6. ubi & addit: *Domine amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, & amavi te; sed & cœlum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce mihi undique dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Altiùs autem tu misereberis, cui misertus eris; & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin cœlum & terra surdis loquuntur laudes* D *tuas.*

SI VIRTUTEM ET OPERA EORUM MIRATI SUNT] Græcè, [illegible], id est, *si potentia & efficacia perculsi sunt intelligant ab ipsis, quoniam qui hæc constituit fortia, fortior est illis.* q. d. Similiter vim agendi in sole, cœlis, stellis, igne, herbis, plantis, ventis, procellis, fulminibus, &c. idololatræ admirantur, ideoque ea colunt; multò magis mirentur & colant omnipotentiam Dei, qui has vires creaturis indidit, sed ita ut sibi longè majores reservarit, unde & alias creaturas iis quas creavit, longè efficaciores & fortiores creare potest: ac vires, quas jam creatis dedit, ad libitum revocat & adimit, uti igni ademit vim urendi tres pueros fideles in fornace Babylonica, leonibus ademit ferociam ne nocerent Danieli cap. 6. soli, lunę & cœlis ademit motum & cursum, cùm ea stetit ad imperium Josue c. 10. 13. mari ademit suam continuationem & alveum, cùm illud divisit ad imperium Mosis, ut Hebræi sicco pede transirent, Exodi 14.

Trismegistus in Pimandro Deum comparans agricolæ: *Aspice*, inquit, *agricultorem semina in terræ gremium diffundentem, alibi quidem triticum, hordeum alibi alibi verò reliqui generis semina. Aspice eumdem vites, malosque et ficus repastinantem atque amputantem. Eodem modo Deus ipse, in cœlum quidem serit immortalitatem, in terram verò mutationem, in totum denique mundum vitam ac motum.* Lactantius lib. 7. c. 3. *Si Deus*, inquit, *fecit mundum, fuit ergo sine mundo; si regit, utique sicut mens corpus regit; sed tamquam dominus domum, navimque gubernator, auriga currum; nec tamen mixti sunt iis rebus, quas regunt.*

A MAGNITUDINE ENIM SPECIEI ET CREATURÆ COGNOSCIBILITER POTERIT CREATOR HORUM VIDERI] Græca hic variant: Vaticana enim habent, *a magnitudine enim speciei*, vel *pulchritudinis creaturarum*; Complut. & Regia, *ex magnitudine enim, & pulchritudinis, & creaturis*; S. Chrysost. hom. 4. in Genes. *ex magnitudine & speciei creaturarum, universi conditor decenter consideratur*; S. Gregor. 26 Mor. c. 28. *per magnitudinem creaturæ & speciem potest intelligibiliter creator videri*. Pro *cognoscibiliter*, græcè est [illegible], id est analogicè, sive per analogiam, comparationem, proportionem, collationem, illationem. Sensus ergo est q. d. Ex magnitudine pulchritudinis & molis, virtutisq; creaturarum, analogicè cognosci potest, quanta sit magnitudo, tam pulchritudinis, quàm immensitatis, perfectionis & omnipotentiæ ipsius creatoris: tum quia ex effectu cognoscimus causam, ac *ex operibus agnoscitur opifex*, ait S. Athanas. libr. 1. contra Gentes: tum quia, si tanta est pulchritudo, quantitas, perfectio & potentia in angelis, sole, cœlis, aliisque creaturis finitis & limitatis, quanta debet esse in creatore infinito & quaquaversum illimitato, qui cœlum & terram implet sua essentia, præsentia & potentia, imò supra cœlum per spatia illa vacua sua immensitate in immensum se extendit? Hæc enim est analogia, & comparatio analogica creaturæ cum creatore. Hinc Dei magnitudo, maiestas, potentia, ceteraque attributa absolutè sunt infinita, ita ut eis nil addi possit; adeò ut totus mundus ne vel hilum Deo adiiciat, sed Deus solus tantus est, quantus est Deus cum mundo coniunctus: quia Deus est immensus planè & infinitus: infinito autem nil addi potest. Sicut ergo umbra solis soli nil addit lucis, sic nec mundus quidquam bonitatis vel perfectionis addit Deo. Mundus enim est umbra Dei. Vers. 5.

Alia similitudine idipsum declarat S. Justin. in Resp. ad Orthodox. *Sicut*, ait, *quod unum vel unitas est numeri principium, nil confert ad eius perfectionem; nam & cùm non esset numeri principium, perfectum erat, & factum principium numeri, non auctum est: sic Deus ante creationem erat perfectus, & post creationem non est auctus. Nihil ergo eorum, quæ ex creatione sunt, Deum auget.* *Mundus est umbra Dei.* *Deus est quasi unitas in numero.*

Quocirca ex hac Sapientis gnome, & ex illa Apostoli Rom. 1. 20. *Invisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, certum est viribus naturæ cognosci posse Deum esse, esseque unum. Vide rationes naturales, quibus idipsum probat Damasc. lib. 1. de Fide c. 5. Richar. de S. Victor. lib. 1. & 2. de Trinit. S. Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 43. Hoc est, quod ait S. Dionys. c. 7. Divin. nom. Deum conspici ex ordinatissima creaturarum omnium dispositione. Idem epist. ad Titum: Mundi fabrica, ait, divinarum rerum, quæ non videntur, est integumentum. Et Plato in Sympos. asserit ex pulchritudine rerum creatarum pulchritudinem quamdam admirandam divinitatis cerni. Nam *cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*, psal. 18. 1. Et: *Plena est omnis terra gloria eius*, Isaiæ 6. 3. Unde huc alludens Apostolus Rom. 1. 20. ait: *Invisibilia enim ipsius* (Dei) *a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & divinitas*, ubi plura hac de re annotavi.

Vide Theodoret. serm. 1 & 2. de Providentia, S. Prosperum lib. 2. de Vocat. Gentiur. cap. 4. S. Ambros. & Basilium in Hexamer. Vide & Job c. 38. & seq. ubi Deus ex magnitudine terræ, maris, nubium, pluviarum, tonitruorum, fulminum, Behemot, id est elephanti, ac Leviathan, id est ceti, sive balenæ, &c. suam magnificentiam arguit; imò S. Job ad oculum repræsentat.

Philosophorum de Deo unagna- Porrò S. Cyrillus lib. 1. contra Julianum, hasce de Deo uno & vero recitat Gentilium Philosophorum & Poetarum sententias. Orphei: *Unus est, per se existens, unus*

me; Orphei, *progenies omnia facta sunt. Ipse autem in illis melior est. Neque illum quisquam intuitus est ex mortalibus, ipse vero omnes videt. Et post alia iterum: Ipse enim firmatus est in aureo cælo, aureo in throno, super terram autem pedibus vadit. Manumque dexteram ad fines Oceani undequaque extendit: tremunt enim in circuitu montesque magni, & flumina, civitates, profundumque iucundi maris.*

Pythagoræ, Pythagoræ: *Deus quidem unus & ipse non, ut quidam suspicantur, extra mundi gubernationem, sed in ipso totus in toto circulo, omnes generationes cōsiderat, contemperatio existens omnium sæculorum, & lux suarum virtutum & operum, principium omnium, lumen in cælo & pater omnium, mens & animatio omnium, circulorum omnium motio.*

Platonis, Platonis: *Nam patrem & factorem universi huius invenisse, arduum opus est; & inventum omnibus enunciare, impossibile.* Rursum, inquit, sensit Plato de *uno Deo, nomen quidem illi nullum congruere, neque humanam cogitationē posse comprehendere; sed appellationes quæ de eo dicuntur, à posterioribus esse, abusiveque de ipso dici. Quod si omnino aliquid, nominibus quibus utimur, de eo dicere audendum, magis appellationem unius, & boni ei tribuendam: nam illud* B *insinuat circa ipsum simplicitatem, atque per hoc sufficientiam: nullo enim opus habet, nec partibus, nec substantia, nec virtutibus, nec efficaciis, sed est omnium bonorum auctor. Boni autem vocabulum commēdat nobis, quod ab ipso omne quod bonum est, dum alii pro viribus imitantur illius, sicuti licet dicere, proprietatem, perque illam salutem accipiunt.*

Trismegisti, Mercurii Trismegisti, sive Hermetis ter maximi: *Deū intelligere quidem difficile, eloqui autem impossibile, si cui etiam intelligere possibile. Incorporeum enim corpore significare impossibile, & perfectum imperfecto comprehendere non possibile, & sempiternum conferre cum momentaneo difficile. Nam hoc quidem semper est, illud autem prætergreditur: & hoc quidem verum est, illud sub apparentia adumbratur: quantum igitur infirmius à fortiore, & minus à meliore distat, tantum etiam à divino & immortali mortale. Proinde si quis incorporeus oculus egrediatur à corpore ad contemplationem pulchri, & subvolet ac contempletur non figuram, nō corpus, non species interni quærens, sed illud potius quod omnia facere potest, quod quietum, quod tranquillum, quod solidum, quod inconvertibile, quod ipsum omnia & solum, quod* C *unum, quod ipsum ex seipso, quod ipsum in seipso, quod sibi ipsi simile; quod neque alii simile est, neque sibi dissimile. Et iterum ille: Itaque de illo uno & solo bono intelligens, nihil impossibile dixeris. Omnis enim virtus ipse est: neq; in aliquo ipsum cogites esse, neque iterum quasi extra aliquem. Ipse enim est qui sine termino omnium est terminus; et qui à nullo comprehenditur, omnia in se comprehendit. Quoniam quod discrimen est corporum ad incorporea, & genitorum ad ingenitum, & necessitati subditorum ad liberè existens, vel terrenorum ad cælestia, & corruptibiliū ad sempiterna? non quod aliud quidem liberè existat, aliud autem necessitati subditū. Quæ autem intra imperfecta sunt, corruptibilia sunt.*

Sophoclis Sophoclis: *Unus verissime unus est Deus, qui cælum ordinavit, & terram ingentem, pontique iucundam undam, & ventorum vim. Plerique autem mortales corde errantes, extruimus in animarum iacturam deorum imagines ex lapidibus & lignis, vel ex auro fabricatis, vel elephantinis figuris, sacrificiaque illis & ferias otiosas apparantes, eos colere arbitramur.*

Xenophōtis. Xenophontis: *Igitur manifestum quod magnus sit & po-* D *tens, omniaq; concutiat & confirmet; ignotum autem qualis sit figura: neque enim videtur esse lucidissimus sol, neque hic videtur permittere, ut ipse cernatur: sed si quis imprudenter eum spectet, oculis privatur.*

Moraliter hic disce à creaturis assurgere ad creatorem, ac in singulis Deum intueri. In iis enim Deus suam pulchritudinem expressit, vel potius adumbravit, uti sol seipsum exprimit in parelio. Lege Bellarm. lib. de Ascensu mentis in Deum. Hinc mundus hic S. Antonio, S. Benedicto, S. Bernardo, ceterisque Anachoretis fuit volumen deitatis, in quo scilicet ipsi Deum Deique magnificentiā legerunt & contemplati sunt. Præclarè S. August. in psl. 26 *Circuivi*, inquit, *& immolavi in tabernaculo eius hostiam iubilationis. Immolamus hostiam iubilationis, immolamus hostiam lætitiæ, hostiam gratulationis, hostiam gratiarum actionis, quæ verbis explicari non potest. immolamus autem ubi? In ipso tabernaculo eius, in sancta Ecclesia. Quid ergo immolamus? Abundantissimum et inenarrabile gaudium, nullis verbis, voce ineffabili. Hæc est hostia iubilationis. Unde acquisita, unde inventa est? Circumeundo, inquit, circuivi & immolavi in tabernaculo eius hostiā iubilationis. Circumeat animus tuus per universam creaturam, undique tibi clamabit creatura, Deus me fecit. Quidquid te delectaveris in arte, artificem commendat, magisque si circumeas universa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cælos, magna opera Dei sunt. Vides terram, Deus fecit, semina innumera, diversitates germinum, multitudinem animalium, Circuis adhuc cælos usque ad terram, nihil relinquas. Undique tibi omnia resonant conditorem. Et ipsa species creaturarum voces sunt quædam creatorem laudantium. Quis autem explicet laudibus universam creaturam? quis illam explicet laudibus? quis dignè laudet cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt?* Et post nonnulla: *Quis dignè laudet Angelos, Sedes, Dominationes, Principatus & Potestates? quis dignè laudet hoc ipsum, quod in nobis viget vegetans corpus, movens membra, sensus exercens, & memoria tam multa complectens, intellectu tam multa discernens, quis dignè laudet? at si in istis creaturis Dei sic laborat humanus sermo, in creatore quid agit, nisi sola restat sermone deficiente iubilatio? Circuivi, & immolavi in tabernaculo eius hostiam iubilationis.* Idem serm. 143. de Tempore: *Interroga*, inquit, *pulchritudinem terræ, interrogabo pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati & diffusi aeris, interroga pulchritudinem cæli, interroga ordinem siderum, interroga solem fulgore suo diem clarificantem, interroga lunam fulgore suo sequentis noctis tenebras temperantem, interroga animalia, quæ moventur in aquis, in terris, quæ volant in aere, latentes animas, perspicua corpora, visibilia regenda, invisibiles regentes: interroga ista. Respondent tibi omnia: Ecce, vide, pulchra sumus: pulchritudo eorum confessio eorum est. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher in seipso?*

Quid ergo est *mundus? est liber divinitatis*, ait Trismegistus ac S. Basil. hom 11. in Hexam. & S Chrysost. in psal. 148. Quid est *sæculum? est speculum divinorum*, ait idem Trismegistus, imo S. Paulus 1. Corinth. 13. in quo resplendet divina maiestas. Quid est mundus? est *lyra* vel *cithara* suavem edens divinæ providentiæ concentum, cuius lyricen vel citharœdus est Deus. Ita S. Athanas. orat. con- C tra idola, & S. August. 10. Confess. c. 6. Quid est orbis? est *pictura* pulcherrimè variegata (instar campi, qui est quasi tapes floribus herbisque variè coloratus) cuius Apelles & pictor est Deus. Ita S. Athanasius & S. August locis iam citatis. Quid est orbis terræ? *est mundi totius templum*, ait Trismegistus apud S. August. lib. 8. de Civit. cap. 23. Quid est mundus? est colossus, est basilica, imò civitas pulcherrima, cuius artifex & conditor est Deus, Hebr. 11. 10. Quocirca S. Basil. orat. de S. Iulitta ait: *Nox tibi nova prestandi Numinis argumenta subiiciat. Cum cælum suspicis, & in siderum pulchritudinem intueris; rerum aspectabiliū Dominum roga, & optimum huius universitatis opificem Deum venerare* S. Paulin. epist. 4 ad Sever. *Omnia sub sole vanitas. Proinde super solem veritas. Ita qui in veritate consistunt, etsi intra mundum vivant habitatione corporea, tamen supra mundum sunt conversatione cælesti, & astrorum choros, vel cælorum polos evolantes spiritu scandunt & supervadunt, celsioresque elementis agunt*, &c. B. Laurent. Iustin. serm. de S. Martino. *Oculis aspiciebat in cælum, ubi cordis sui repositum sciebat esse thesaurum. Est enim Christus* D *Dominus humilium thesaurus, pauperumque divitiæ. O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius!* Baruch. 3. 24. Si terram & terrena calcas, punctum cælo vastissimo commutas. Quanta verò est summa illa Dei cælo præsidentis magnitudo & maiestas? Si totum cor ei dedas, totum das quod potes, sed reipsa parum das. Etiamsi Deo mille dares corda, etiamsi immensis animis & ardoribus Seraphicis illi servires, etiamsi mille millionibus annorum ad sudorem pro eo laborares: quid hæc sunt ad Deum? quid ad tantum charitatis & magnificentiæ profluvium?

Vers. 6. SED TAMEN ADHUC (*adhuc*, non est in Græco) IN HIS MINOR EST QUERELA. ET HI ENIM FORTASSE ERRANT, DEUM QUÆRENTES, ET VOLENTES INVENIRE.

Vers. 7. ETENIM CUM IN OPERIBUS ILLIUS CONVERSENTUR, INQUIRUNT: ET PERSUASUM HABENT, QUONIAM BONA SUNT QUÆ VIDENTUR] Pro *querela*, græcè est μέμψις, id est reprehensio, culpa.

A prima specie idololatriæ eorum, qui coluerunt solem,

lem, lunam, aliasque creaturas, progreditur ad secundam speciem eorum, qui coluerunt idola, id est statuas arte hominis factas, hancque illa deteriorem & graviorem ostendit, vt præ hac illa veniabilis & venia quodammodo digna, vel certè minùs indigna videatur. Seosus est, q. d. Solicolæ, cælicolę ceterique aliquam creaturam divino honore colentes, minùs culpandi videntur præ illis, qui idola fecerunt & adorarunt. Fortè enim ipsi idcirco in cultu solis alteriusve creaturæ errarunt, quòd, cùm Deum quærerent & vellent invenire, solem stellas aliasque res créatas ob eximiam pulchritudinem considerantes, illis inhæserint, nec ad Deum, quem oculis videre non poterant, mentem sustulerint: quare soli aliisque rebus eximiè pulchris, quibus nil pulchriut aspiciebant, divinitatem tribuebant.

Nota τὸ *fortasse*, non referri ad *erreant* præcisè: certum est enim eos errare in cultu & adoratione creaturarum, sed ad τὸ *errant Deum quærentes*. q. d. Fortè hi aliqua ratione à gravitate sceleris idololatriæ, si non in totum, saltem in parte excusari possunt; quod fortuitus eorum fuerit error: cùm enim quærerent Deum, fortuitò incurrerunt in speciosas creaturas, cumq; alium Deum non reperirent nec aspicerent, illas pro diis habuerunt Dionys. Iunien. Cantacuzen. & alij. Vnde ait, *Cum in operibus illius conversentur*, id est, cùm occupent se operibus Dei considerandis, *persuasum habent*; græcè, πεποίθασι τῇ ὄψει, id est *persuadentur aspectu*, credunt oculis, *quoniam bona*; græcè, *pulcra*, *sunt*, *quæ videntur*. q. d. Lenocinio oculorum decepti pulchras has creaturas coluerunt, cùm pulchrius nil cernerent, nec deum pulcherrimum oculis contueri possent.

ITERVM AVTEM NEC HIS DEBET IGNO-
Vers. 8. SCI. SI ENIM TANTVM POTVERVNT SCI-
Vers. 9. RE, VT POSSENT ÆSTIMARE SÆCVLVM;
QVOMODO HVIVS DOMINVM NON FACILIVS INVENERVNT?) Est Correctio. Nequis enim, ex quòd excusavit solicularum, &c. culpam eos culpa liberet, idcirco hic eorum errorem arguit, ac venia dignum negat. q. d. Ne hac quidem excusatione studij, & intentione quærendi Deum veniam merentur quia ex sæculo, id est ex mundo, hoc est ex mundi creaturis, facilè potuerunt & debuerunt ascendere ad opificem, & agnoscere creatorem: vnde ad eum debuerunt oculos mentis attollere. Pulchra claraque ratione & similitudine idipsum demonstrat Trismegistus Dialogo 5. *Etenim cum statuam & imaginem absque fabro et pictore fieri nullus asserere audeat, miram mundi huius constructionem sine conditore constitisse putabimus? o cæcum hominum hominis impium! o profundis obrutum ignorantia tenebris! cave, cave, o fili mi Tati, ne umquam artificiũ prives artifice.*

ÆSTIMARE SÆCVLVM) Græcè στοχάσασθαι, id est Primò, observare, consulere, & sagacitate tua penetrare naturam huius mundi; Secundò, coniectare & coniectura assequi, ac per effectus & signa cognoscere *sæculum*, id est mundum, ac res naturales, quæ sunt à Doe creatæ in mundo; Tertiò collimate, in scopum intendere, ac mundi indolem, dotes & proprietates, velut album collimatori propositum, acie menti figere. Sic enim Aristot. & Philosophi tota mentis intensione naturas elementorũ, animaliũ aliarumq; rerum physicarum scrutati, easdẽ intellexerunt & comprehenderunt; sed ibi defixi ad opificem & creatorem Deum oculos non sustulerunt, ideoq; *evanuerunt in cogitationibus suis*, vt ait Apost. Rom. 1. Idem hodie videre est in multis Philosophis, Astrologis, Mathematicis, mercatoribus, artificibus: adeoque maior pars hominum creaturæ alicui inhæret, & obliviscitur Creatoris: quæ magna & summè miseranda est mortalium vanitas & cæcitas.

Vers. 10. INFELICES (ταλαίπωροι, id est miseri, ærumnosi, calamitosi) AVTEM SVNT, ET INTER MORTVOS SPES ILLORVM EST, QVI APPELLAVERVNT DEOS OPERA MANVM HOMINVM, AVRVM ET ARGENTVM, ARTIS INVENTIONEM, ET SIMILITVDINES ANIMALIVM; AVT LAPIDEM INVTILEM OPVS MANVS ANTIQVÆ) q. d. Idololatris iis, qui colunt solem, lunam, aliasue res creatas, longè miseriores sunt infeliciores idololatræ illi qui colunt idola & simulacra ex auro, lapide, ligno, argilla ab artifice humana arte efformata: quia illi colunt opera Dei; hi verò opera hominum, puta fabrorum, figulorum, pictorum, &c. Ita S. Athanas. orat. contra idola, qui & addit, quòd fabri non possunt fabricare deos, sed fabriles dumtaxat statuas, easque inanimas, quas animare & vivificare nequeunt, multò minus deificare. Deus autem inanima potest animare, humana deificare, & ex hominibus deos efficere, juxta illud. *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes*, psal. 81. 6. imò Deus hominem uniens Verbo in Christo, illum verè Deum effecit. *Nimis enim stultum est credere, deos, quos fecerunt homines, plus valere apud eos, quos fecit Deus, quam valent ipsi homines quos idem ipse fecit Deus*, ait S. August. lib. 8. de Civit. cap. 24.

INTER MORTUOS SPES ILLORUM EST] Græcè, *in mortuis spes illorum sunt*, hoc est Primò, q. d. Hi idolatræ in idolis inanimis & mortuis spes suas defigunt, ac deos non vivos, sed insensiles invocant. Hinc Secundò, Vatabl. vertit, *mortua est spes illorum*, id est carent omni spe, quia illam defixerunt in idolis mortuis, quæ eos juvare, imò audire nequeunt; quare spes eorum est desperata, ideoque non est spes, sed desperatio. Tertiò, q. d. Adeo sunt desperati, ut quasi in numero damnatorum, qui omnem salutis spem abiecerunt, esse videantur. Aut q. d. Sicut mortui non habent spem vitæ: sic idololatrę non habent spem salutis; sed sicut illorum vita, sic horum salus est desperata, quia carent fide & cognitione Dei, à quo solo salvari possunt. Quartò, q. d. Non sperant, hoc est, non expectant nisi mortem & damnationem, ut inter mortuos & damnatos deputentur; hoc enim & nil aliud eos manet & expectat. Ex adverso de fidelibus & justis dixit c. 3. 4. *Spes illorum immortalitate plena est.* Omnes hi sensus veri sunt & appositi, sed primus planior & simplicior videtur. Hoc est quod canit Psaltes: *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis*, psal. 113.

Idololatrarũ spes inter mortuos. *Primò.* *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.*

AURUM ET ARGENTUM (puta aurea & argentea simulacra, statuas ex auro & argento fabricatas, statuas, inquam, inanimas deorum, imò hominum defunctorum) DEOS APPELLAVERUNT] Fovit juvitque errorem & superstitionem diabolus, qui, ut ex Trismegisto docet S. August. lib. 7. de Civit c. 6 & lib. 8. cap. 23. & seq. in simulacra se insinuans, per illa loquebatur, dabatque responsa & oracula; unde illa velut numina à populo consulta & culta sunt. Sed August. *At ille* (Trismegistus) *visibilia & contrectabilia simulacra velut corpora deorum esse asserit. Inesse autem his quosdam spiritus invitatos qui valeant aliquid sive ad nocendum, sive ad desideria eorum nonnulla complenda, à quibus eis divini honores & cultus obsequia deferuntur. Hos ergo spiritus invisibiles per artem quamdã, visibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut sint quasi animata corpora illis spiritibus dicata & subdita simulacra; hoc esse dicit deos facere, eamque magnam & mirabilem deos faciendi accepisse homines potestatem.*

Nota hic Gentilium sapientissimos, qualis fuit Trismegistus, censuisse idola esse corpora & membra deorum, puta dæmonum, itaque ea adorasse, sicut nos adoramus humanitatem & corpus Christi. Porrò, quis, quantus & quàm antiquus fuerit hic Trismegistus, ita declarat idem S. August. l. 18. c. 39. *Nam quod attinet ad philosophiam, qua se docere aliquid profitetur, unde fiant homines beati, circa tempora Mercurii, quem Trismegistum vocaverunt, in illis terris ejusmodi studia claruerunt longe quidem ante sapientes vel philosophos Græciæ; sed tamen post Abraham Isaac, Jacob & Joseph nimirum etiam post ipsum Moysen. Eo quippe tempore quo Moyses natus est, fuisse reperitur. Atlas ille magnus astrologus, Promethei frater, maternus avus Mercurii maioris, cuius nepos fuit Trismegistus ille Mercurius.*

Trismegisti ætas.

ARTIS INVENTIONEM] ἐνθυμήσεως, id est meditationem, excogitationem, fabricationem, hoc est, opus ingeniosa arte excogitatum & elaboratum. Refert hæc ad *aurum & argentum* per appositionem. q. d. *Aurum & argentum arte fabricatum* &c. *deos appellavere*. Sic & S. Paulus idolum vocat *sculpturam artis & cogitationis hominis*, id est simulacrũ ab homine artificiosè excogitatũ & sculptum, Actor. 17. 29. S. Aug. verò aptè idola vocat phantasmata hominum: nam libro de Vera relig. c. 37. cùm dixisset alios adorare solem, alios lunam, alios stellas, subiicit: *Sed inter hos illi sibi videntur religiosissimi qui universam simul creaturam, id est mundum totum cum omnibus quæ in eo sunt, & vitam qua spiratur & animatur, quam quidam corpoream, quidam incorpoream esse crediderunt.*

Hoc ergo totum simul vnum Deum magnum esse arbitrātur, cuius partes sint cetera. Non enim vniuersæ creaturæ auctorē conditoremque noverunt. Inde est quod in simulacra præcipitantur, & ab operibus Dei vsque in opera sua demerguntur, quæ tamen adhuc visibilia sunt. Est enim alius deterior & inferior cultus simulacrorū quo phantasmata sua colunt, & quidquid animo errante cum superbia vel tumore cogitando imaginati fuerunt, religionis nomine obseruant.

Quocirca appositè idem S. August. quæst. 29. in Iosue ait, mystica & maxima idola esse phantasmata cordis & cupiditatis nostræ, cùm quis scilicet sectatur & colit honores, opes, delicias, quas sibi imaginatur, & vt summum bonum repræsentat: quæ proinde planè demolienda & eradicanda esse asserit.

AVT LAPIDEM INVTILEM) q.d. Non tātum aurea & argentea simulacra, sed & lapidea ex inutili & vili lapide efformata, *deos appellaverunt*, vti etiamnum Romæ videmus priscorū deorum vivos in marmore vultus.

OPVS MANVS ANTIQVÆ) Simulacro enim venerationem auxit, quòd esset opus antiquum antiqui artificis: sicut etiamnum Romæ & alibi priscę, Romanorum statuę, ob vetustatem maioris sunt pretij. Accessit vetularum & vulgi superstitio, credentium simulacra post certam annorum periodum miram sortiri virtutem: de qua vide Guilhelm. Parisiens. lib. de Legibus c. 23. & Delrium in Magic.

Porrò primi ex Gentilibus Christiani in odium idololatriæ tunc grassantis, vt longissimè ab idolis pristinis se recessisse testarentur, nullis imaginibus, præsertim Dei, vtebantur in templis, vnde à Gentilibus vocabantur athei: quam calumniam refellunt S. Iustinus, Arnobius. Athanas. August. Tertull. & alij. qui apologias pro Christianis contra Gentes scripsere. At cùm per Constantinum idololatria sublata fuit, vt iam non foret recidivæ in illam periculum, fideles induxere imagines Christi, B. Virginis, & Sanctorum in templa, vti Romæ vetustissimas, tum in templis, tum in cryptis conspicimus, quarum vsum probavit Ecclesia, sanctumque definivit in Synodo VII. Generali, qui fuit Nicena II. & Trident. sess. 25. sub initium. Imagines enim sunt rudium libri, in quibus legunt gesta Christi & Sanctorum, vt illa imitentur, & illos venerentur.

Hactenus de simulacris ex auro, argento, lapide fabricatis, nunc subiicit similia ex ligno fabrefacta, quæ crebriora sunt, ac eorum vilitatem & indignitatem demonstrat, ait ergo.

VERS. 12. AVT SI QVIS ARTIFEX FABER DE SILVA LIGNVM RECTVM SECVERIT, ET HVIVS DOCTE ERADAT OMNEM CORTICEM, ET ARTE SVA VSVS, DILIGENTER FABRICET VAS VTILE ET CONVERSATIONEM VITÆ,

VERS. 13. RELIQVIIS AVTEM EIVS OPERIS, AD PRÆPARATIONEM ESCÆ ABVTATVR) *Aut si quis*, repete ex v. præced. *appellaverunt deos opera manuum hominum*, putà simulacra, vti ex auro, argento & lapide, sic & ex ligno fabricata, quorum vanitatem vanamque superstitionem graphicę hoc versu & sequenti depingit: quòd scilicet faber lignarius secans arborem, illamque decorticans, ex illa fabricet arcam, mensam, fenestram, aliudve instrumentum vtile ad communes vsus huius vitæ: ex eius vero reliquiis reiectamentis, partim accendat ignem, quo escam coquat; partim faciat idolum, hoc est effigiem hominis vel animalis, quam perpolitam in templo collocet, clauisque ferreis aræ affigat, ne labatur & corruat. Eodem planè modo idolorum fabricam depingit & subsannat Baruch toto cap. 6. Ierem. c. 10. & Isaias c. 44. 9. & seq. quos hic Sapiens imitari videtur. Quare quæ ibi dixi, hic non repetam, ideoque paucis, quæ sequuntur perstringam.

ARTIFEX FABER) Græcè, ὑλοτόμος τέκτων, id est *materia cæsor*, faber materiarius vel lignarius, qui materiam parat ad aliquod opus. At verbum ὑλοτόμος, idem est, quod silvam cædens: silva enim dat arbores quasi materiam fabris ad opera fabrilia: ὕλη enim est silva, indeq; materia: Latini enim sæpè Græcam aspirationem vertunt in litteram S: vt pro ὑπὲρ dicunt *super*, pro ὗς dicunt *sus*, pro ὕλη dicunt *silva*; vnde ὕλη significat quamlibet materiam, sed præ omnibus cæduam. Sensus est q. d. Mechanicus & vilis faber fabricavit idolum: ipse ergo præstantior est idolo, quia opifex præstat suo opere, & anima præditus præstat idolo inanimo: vnde puderet fabrum adorare idolum à se factum, quia scit idolum omnem formam & pulchritudinem à se accepisse quare cùm ipse non sit Deus, multo minus idolum esse Deum, cùm ipse deos fabricare nequeat.

LIGNVM RECTVM) Græcè, εὔτηκτον φυτὸν, id est plantam vel arborem, quæ facilè colliquescit (τήκω enim est liquo, mollio, tabefacio) resolvitur, putrescit, corrumpitur. Alij legunt εὔτυκτον, id est facilem factu, elaboratam elegantee; Vaticani legunt εὐκίνητον, id est bene mobilem, quòd facilè obediat manui artificis; non enim à quercu solet excindi simulacrum. Alij εὐγένητον, id est bene genitam, rectè natam & formatam.

Noster appositè vertit, *rectum*, quia quæ recta sunt facilius formantur, vnde dicuntur εὐκίνητα δένδρα, *arbores quarum venæ & fibra rectè fluunt*. Hinc Complut. vertunt, *rectum*; Vatab. *eximium* alij, *accommodatum aptum, tractabile*: Cantacuzenus exponit idoneum, rectum, agile.

Pro *diligenter*, græcè est εὐπρεπῶς, id est decenter, decorè, concinnè, eleganter. Pro *vtile* perperam Lyran. Hugo, Dionys. legunt, *inutile*.

IN CONVERSATIONEM VITÆ) Græcè, εἰς ὑπηρεσίαν ζωῆς, id est *in ministerium vitæ*.

Pro *reliquiis*, græcè est, ἀποβλήματα, id est reiciſsamenta, reiectamenta, residua à ligno resecta. Græca ergo sic habent, *reiectamenta vero operis in præparationem escæ expendens satiatus est*. Exaggerat vilitatem materiæ idolorum: siquidem ex eodem ligno conficitur idolum, ex cuius ramentis, seu ramis, cibus coquitur, qui recreetur & satietur.

ABVTATVR id est vtatur. Sic Cicero Action. 3. in Verrem, & lib. 9. epist. 6. ait, se tempore & vacatione, quàm sibi respub. concedebat, abuti, id est vti, ad studium. Sic Iurisconsulti dicunt, nos vti rebus, quæ vsu non consumuntur, abuti verò iis quæ vsu consumuntur, qualia hic sunt ligna, quibus ignis ad coquendum accenditur. Vnde Cato de Re rustica c. 76 ait *Donec omnem caseum cum melle abusus eris*, id est consumpseris Rursum abuti apud Ciceronem & alios classicos est abundè vel copiose vti, sicut lignis multis ad ignem culinæ copiosè vtimur, ideoque abutimur.

ET RELIQVVM HORVM, QVOD AD NVLLOS VSVS FACIT, LIGNVM CVRVVM, ET VORTICIBVS PLENVM, SCVLPAT DILIGENTER PER VACVITATEM SVAM, ET PER SCIENTIAM SVÆ ARTIS FIGVRET ILLVD, ET ASSIMILET ILLVD IMAGINI HOMINIS) VERS. 13

Pingit hic fabrum lignarium sculpentem simulacrum, siue idolum, vt ostendat illud nil habere numinis, sed merum esse figmentum cogitationis & operationis artificis, ad illius arbitrium & libitum fabrefactum. Singula pęnè verba habent emphasim, & peculiarem idoli vilitatem denotant. Vnde ait Primò: *Reliquum horum*, græcè, τὸ δὲ ἐξ αὐτῶν ἀπόβλημα, id est *eorum reiectamentum*, q. d. Id est quod ex lignis reiicitur, quasi segmentum ineptum ad formandum vas, & ad struendum ignem, hoc fecit simulacrum & idolum. Secundò, *quod ad nullus vsus facit*. q. d. Inutile ad omnia. Tertiò, *curvum*, græcè, σκολιὸν, id est tortuosum, obliquum, distortum. Quartò, *verticibus plenum*; græcè, ὄζοις συμπεφυκὸς, id est cum nodis natum, nodosum, ramosum; ὄζος enim est nodus, indeque ramus enascens. Noster nodos vocat *vortices* vel, vt Vatican. habet, *vertices*) idem enim sunt *vortex & vertex*) quòd in seipsos vertantur & contorqueantur instar rotationis & vertiginis, vti faciunt vortices aquarum, iuxta illud Ouidij lib. 4. de Ponto: *Crebro vertice tortus Halys.* Lignum enim enode planum est, pulchrum & facile elaborato; nodosum verò, asperum, deforme & difficile. Quintò, quod illud *sculpat diligēter per vacuitatem suam*; græcè, ἐν ἐπιμελείᾳ ἀργίας αὐτοῦ, id est in diligentia, cura, industria otij sui. *Vacuitas* ergo hic non lignū excavatum, vt vult Lyran. nec vacuū & inanem laborem, vt vult S. Bonavent. nec vacuū cerebro siva amentē, vt vult Dion. sed otium significat. q. d. Lignum idoli adeò rude, est, vt à fabro magno studio, cura & arte sculpi polirique debeat; sed ipse aliis rebus ad familiæ sustentationē necessariis occupatus, idipsum scalpit sculpitque tantum per otium, cùm scilicet ab aliis operibus magis vrgentibus otiatur. idolum

ergo

ergo est opus otij, ideoque neglectum, impertinens & A nullius momenti. Sextò addit, quod *per scientiam suæ artis figuret illud*, græcè, [illegible], id est *in experientia intellectûs*, hoc est, per experientiam, qua crebrò sculpendo, scientiam & artem affabrè sculpendi sibi comparavit. Igitur Idolum ignorans & carens mente, indiget scientia, mente & arte hominis sculpentis, cuiusque est opus & figmentum: hic enim dat illi suam formam & figuram, omneque decus; at divinitatem, quam non habet, ei tribuere nequit. Septimò, *assimilet illud imagini hominis*. q. d. Idolum adeò non est Deus, vt ne quidem sit homo vivens, sed imago tantùm mortua hominis vivi ab homine effecta. Ergo non verus, sed fictus pictusque est Deus. Vnde Horatius illud ridens lib. 1. Serm. satyra 8.

Cum faber incertus scamnum facerétne Priapum, Maluit esse deum.

Pleraque ergo idola habuere speciem hominis, quia deos omnes constat fuisse homines: homines enim insignes ob fortitudinem, imperium, beneficentia, aut beneficium reip. præstitum, à populo relati sunt inter deos. Audi B Tertull. l. de Idolol. c. 15. *Recogitemus omnem idolatriam in homines esse culturam, cum ipsos deos nationum homines retro fuisse apud suos constet.* Idem docet S. Aug. toto cap. 26. l. 8. de Civit. & S. Cyprian. lib. *quod idola non sunt dij*. Constat Saturnum, Iovem, Minervam Mercurium, Cererem, Venerem fuisse homines, uti fusè docet Tertull. Apolog. 11. ubi pariter ostendit, quòd iidem fuerint scelerati.

Porrò tam operosè Sapiens æquè ac Prophetæ, vanitatem idolorum vilitatemque describunt, quia primitus idolatria consistebat in adoratione deorum in templis vacuis, sine vllis eorum simulacris, tumque parcior & rarior erat postea verò cùm deorum fabrefacta sunt simulacra, eaque eleganter sculpta, depicta, & auro gemmisque ornata; tunc illa, utpote oculis conspicua, passim ab omnibus coli cœpere, itaq; valdè per idola crevit idololatria, vt docet Tertull. lib. de Idololatria c. 3. Vnde & S. Aug. l. 4 de Civit. c. 30. ait Ciceronem risisse idola & idololatras: & c. 31. asserit Varronem Romanorum doctissimum censuisse, Deum non esse idolum, sed *animam* C *motu & ratione mundum gubernantem*. ac mox de eodem subiicit: *Dicit etiam antiquos Romanos plusquam annos centum & septuaginta deos sine simulacro coluisse. Quod si adhuc inquit, mansisset, castius dij observarentur. Cuius sententiæ sua testem adhibet inter cetera etiam gentem Iudæam, nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat: Qui prima simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis & metum dempsisse, & errorem addidisse, prudenter existimans deos facile posse in simulacrorum stoliditate contemni. Quod vero non ait, errorem tradiderunt, sed, addiderant, iam vtique fuisse etiam sine simulacris intelligi vult errorem.* Idem testatur Plutarch. in Vita Numæ Pompilij secundi Romanorum regis, qui Romulo successit. *Hic*, inquit *Romanos prohibuit existimare imaginem Dei aut hominis speciem, aut animalis habere formâ. Nec fuit apud eos neque ficta Dei priùs species, sed in prioribus centum & septuaginta annis, templa quidem ædificabant, sacraq; figuris erigebant, simulacrum vero corporeum nullum dicabant. Perinde atque nefas esset deterioribus meliora assimilare, neque aliter atq; intelligentia Deum percipi posset.* Idem docet Clemens Alexandr. libr 1. Stromat. Euseb. & alij. Post Numam ergo Tarquinius Priscus, vanitate & stultitia Græcarum superstitionum Getruscarumq, domi imbatus Romanos edocuit simulacra dijs ponere: unde ipse Capitolium ædificavit, illudque Iovi dedicavit.

Imò prisci Gentiles prima simulacra deorum fecerunt absque effigie hominis vel animalis, in rudi trunco, vel informi ligno, maximè dum ea figerent ad discriminandos ditionumque terminos. Vide Lucanus lib. 3.

Simulacraque mœsta deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis.

Postea deo Termino faciem hominis dedere, sed truncam sine manibus, brachiis, pedibus, &c. vti adhuc videre est Romæ in priscis Termini imaginibus. Denique crescente arte æquè ac superstitione, deos pinxerunt & sculpserunt plena & perfecta effigie hominis, eamque coloribus, purpura, coronis aureis, sceptra ornarunt, vt eam venerabilem rudibus efficerent: atque tum idololatria adeò increvit, vt idola etiam plateas, forum, balnea, stabula & domos replerent, vti testatur Tertull. lib. de Spectac. cap. 8. vnde addit: *Totum sæculum Satanas & angeli eius repleverunt.*

AVT ALICVI EX ANIMALIBVS ILLVD COMPARET, PERLINIENS RVBRICA, ET RVBICVNDVM FACIENS FVCO COLOREM ILLIVS, ET OMNEM MACVLAM, QVÆ IN ILLO EST, PERLINIENS] Crevit superstitio idololatriæ, vt idola fingerent effigie non hominis, sed animalis cuiuspiam, eiusque vilis & abiecti (hoc enim est Græcum εὐτελοῦς) putà canis, felis, simiæ, muscæ, qualis erat Beelzabub. Vers. 14.

PERLINIENS RVBRICA] Græcè μίλτῳ, id est *minio*, sicut prisci librorum vel capitum titulos rubeo colore notabant, qui inde rubricæ sunt dicti. Prisca ergo idola tingebantur rubeo colore, velut purpureo & igneo: purpura enim est vestis regum; ignis vero index divinitatis, vt significaret deos esse reges vniversi, fulminaque & ignes vibrare. Porro hunc colorem vocat *fucum*, quia eo obducentes statuam idoli, tegebant omnes eius maculas, fœdos colores & sordes: vt subdit Sapiens, quod erat facere fucum populo. Fucus enim vocatur vnguentum, vel pigmentum. quo mulieres tinguntur & colorantur, vt pallorem luridum, ac vitia corporis obtegant quare fuco rubrum, vel roseum colorem faciei induunt. Vnde Comicus:

Nam istbæc veteres, quæ se vnguentis vnctitant
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occultant.

Denique fucus quolibet colore fieri potest. Totum hunc locū à v. 11. clarè & eleganter vertit Vat. hoc modo *Aut eū quis faber materiarius eximiæ arboris succisa, omnem circa corticem scitè destrinxit, & inde vas usui vitæ profuturū artificiose pulchreq; fabricavit: opificij vero recrementis apparando cibo consumptis satiatus, rejectum indè nullius usus ineptum sumpsit truncum ramisque nodosum, per otium sculpsit diligenter, & vacans peritè formavit, adeoque hominis figuravit effigie, aut animalis cuiuspiam vilis simulacrum effinxit. Deinde minium & fucum illinendo, conciliavit ei ruborem, & omnem in eo maculam obduxit.*

ET FACIAT EI DIGNAM HABITATIONEM, Vers. 15
C ET IN PARIETE PONENS ILLVD, ET CONFIRMANS FERRO, NE FORTE CADAT. PROSPICIENS ILLI; SCIENS QVONIAM NON POTEST ADIVVARE SE: IMAGO ENIM EST, ET OPVS EST ILLI ADIVTORIVM] q. d. Deinde idolo quasi numini extruit sacellum, altare, templum, aut potius ædiculam, tabernaculum, vel thecam, cui includatur, vti Demetrius argentarius faciebat ædiculas argenteas Dianæ, Act. 19. 24. primitùs enim non erant templa, nam primus Salomon Hebræis templum erexit, imo Xerxes Magorum consilio templa combussit; quod, vt scribit Cicero libr. 2. de Legibus, mundus totus esset templum, nec domibus includendi forent dij, sed ipsis omnia patentia deberent esse ac libera, ideoque oraturi altos montes conscendebant, idola ergo domestica in domorum cubiculis, putà in Lararijs vel Oratorijs collocabant (omnia enim hæc spectant ad vilitatem idolorum demonstrandam) ibique in pariete illa collocabant, ac clavis affigebant firmabantque, providentes illis ne caderent, quia sciebant illa non posse seipsa sustinere, sed D ope aliena indigere, eo quod idolum non aliud sit, quàm imago imbecilla, quæ opus habet alterius auxilio, & sustentaculo. Idem idolis improperat Ierem. ca. 10. 4. *Clavis*, inquit, *& malleis compegit, vt non dissolvatur*, &c. *portata tollentur, quia incedere non valeat.* Et Bar. c. 6. 26. *Si ceciderint*, ait, *a semetipsis non consurgunt: neque si quis eum statuerit rectū, per semetipsum stabit.* Verè S. Aug. ser. 29. de Verbis Domini: *Deus aureus*, ait, *et Deus ligneus ad pretiū dispares sunt: at habere oculos, & non videre pares sunt.* Vers. 16

ET DE SVBSTANTIA SVA, ET DE FILIIS SVIS, ET DE NVPTIIS VOTVM FACIENS INQVIRIT. NON ERVBESCIT LOQVI CVM ILLO, QVI SINE ANIMA EST) Græcè, *Tandem pro possessionibus, promptis suis, & pro liberis illis* προσευχόμενος, id est, *orans*, vel *vota nuncupans*, *inanimo verba facere non erubescis*, ita Vatabl. Quare τὸ *inquirit*, non est in Græco, sed subauditur & sententiæ vim adauget q. d. Quænam est illa vesania, vt idolo ligneo & stupido vota faciant ad hoc, vt felices sortiantur nuptias, liberos & possessiones, ab eoque inquirant, Vers. 17

nom eas assecuturi sunt, an non; cùm idolum inanime, nec loqui, nec audire, nec intelligere, multò minus prophetare valeat. Vide Baruch cap. 6. 33. & seq. Porrò Hebreos, Gentiles, & Christianos, cùm quid à Deo vel ab idolis, postularent, solitos precibus addere vota, ut facilius rem impetrarent, notissimum est. Audi Valer. Max. lib. 1. cap. 1. *Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur: cum aliquid commendandum est, precatione: cum exposcendum, voto: cum solvendum, gratulatione: cum inquirendum, vel extis, vel sortibus: impetrito, cum peragendum solemni ritu sacrificio: quo etiam ostentorum ac fulgurum denunciationes procurantur.*

Vers. 18. Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, et pro vita rogat mortuum, et in adiutorium inutilem invocat.

Vers. 19. Et pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest; et de acquirendo; et de operando, et de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis] *Infirmum*, non ægrum; sed invalidum & impotentem: hoc enim est ἀσθενῆ. *Mortuum*, id est, anima & vita destitutum. Est catachresis. Propriè enim *mortuus* dicitur, qui aliquando vixit, vitæque est capax: idolum autem vitæ est incapax. *Inutilem* græcè, ἀπειρότατον, id est, inexpertissimum, ignarissimum, & ignavissimum, utpote, qui nunquam potuerit experiri, & per experientiam aliquid cognoscere. Petrus Naonius legit ἀπορώτατον, id est, egeotissimum, & ope consilioque destitutissimum, ut totus fermo per Antitheses decurrat. q. d. Pro ope invocat opis indigum, & ut Vatabl. vertit, *extreme inopem*. Noster videtur legisse ἀχρεῖον, id est, *inutilem*; aut ἀνωφελῆ, id est, summè cæcum, mutilum, & mancum; aut ἀπορώτατον, id est, pera & crumena extremè destitutum, hoc est, pauperrimum.

Et pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest.] Vatabl. Pro *itinere, accendo ne gradum quidem facere valenti supplicat*. q. d. Idololatra, ut felix habeat iter, invocat dolum velut ducem itineris, qui nec pedem quidem movere potest, iuxta illud: *Pedes habent, & non ambulabunt*, Psal. 113. Sic Romani Deam itineris *Iter ducam* & *Domiducam* vocabant & invocabant; Fessi vero Deam *Fessoniam*, teste S. August. 7. de Ciuit. cap. 3.

De acquirendo] &c. Græca clarè & eleganter habent, *pro quæstu, opificij successu, manuumque dexteritate & prospero successu, ignavissimum manibus rogat gnavitatem, agendi facultatem, dexteritatem, potentiam, & efficaciam*: hæc enim omnia significat εὐοδίαν, vel, ut alij leguut, ἐνέργειαν cui pulchre opponit ἀδρανέστατον, id est, ignavissimum, imbecillimum, impotentissimum idolum. Porrò pro acquisitione opum & quæstu, Gentiles invocabant Deum Plutum (πλοῦτος enim est pecunia) sive ditem, quasi divitem. Sic pecuniæ præerat Dea Pecunia, æri Æsculanus, argento Argentinus; cur non & auro Aurinus? ait S. August. 4. de Civit. ca. 21. qui & lib. 7. cap 12. ait, Iouem ipsum vocatum Pecuniam: *Pecunia enim obediunt omnia*. Rursum Arnobius libr. 4. contra Gentes vocat Deos Lucrios lucro præpositos. Vide dicta Eccles. 10. 19. Pro opere verò, operisque successu invocabant Mercurium, Minervam, & Vulcanum.

Calvini Ex dictis patet turpissimè errare Calvinum, qui lib. 1. Instit. cap. 11. §. 9. & 10 asserit Gentiles non fuisse tam stupidos, ut lapides & ligna adorarent. Quare sapientem & Prophetas, cùm idola eorum reprehendunt, reprehendere id, quod Christiani iam faciunt, videlicet quòd Deum in ligno & lapide, id est, in lignea vel lapidea imagine carnaliter venerantur, falsissimum esse patet ex toto

Refellitur. hoc loco, & clariùs ex cap. 6. Baruch, & Isaiæ ca. 44. & Ierem. 10. & Psal. 113. Hi enim Prophetæ fusè & operosè ex vilitate materiæ, artificij, sculpturæ, &c. toti sunt in eo, ut rudi populo eximant opinionem Deitatis idoli, & persuadeant in idolo nil esse Numinis, nil divinitatis. Unde Baruch post singula argumenta, crebrò iterando infert & concludit: *Unde vobis notum sit, quia non sunt dij*. Ex quibus clarissimum est, Gentiles ipsa idola lapidea & lignea, velut deos & numina coluisse. Idem clarissimè docent omnes patres, qui contra idola scripserunt, ut Tertull. S. Iustin. S. Athanas. S. Cyprian. Athenagoras, Arnobius Felix Minutius, S. August. & alij, qui passim rident Gentiles, quòd lapides & ligna pro diis colant.

A Idem disertis verbis, quæ ex S. August. recitavi v. 10. docet Mercurius Trismegistus, summus & antiquissimus Gentilium Philosophus & Theologus.

Neque mirum homines simplices tam stupidos fuisse, ut idola adorarent, quia etiamnum tales esse scimus in Iapone & Indiis: Nam error hic tot sæculorum usu roboratus, atque oraculis, quæ dæmones per idola loquentes reddebant, aliisque eorum gestibus & ludificationibus circa idolum factis; quibus illa animata, imò divina esse populo persuadere conabantur, confirmatus quasi de manu in manum stupeda posteris: uti & alia non minùs stupeoda ipsorum infamia crimina, quæ proinde ipsi licita putabant, sicut legimus apud Laertium, Plutarch. & alios.

B Ubi Nota Gentiles sagaciores & doctiores, uti asserit Trismegistus apud S. August. libr. 8. de Civit. c. 23. existimasse, *quosdam quidem deos, scilicet idola fieri manibus hominum unde & plurima esse & eiusdem Dei v. g. Iouis*; sed idola hæc esse corpus Dei: Deum verò esse spiritum inclusum in idolo, quasi ipsius animam, quem spiritum alij putabant esse animam hominis mortui, cui idolum erigebant: alij dæmonem, sive ab idoloplaste invocatum, sive spontè se hominum superstitioni & idolis inserentem, uti loco citato ait Trismegistus; alij verò esse animam universi, aut animam solis, lunæ, terræ, &c. uti refert Euseb. lib. 3. de Præpar. cap. 3. & S. August. 7. de Civit. cap. 5. & seq. Plura vide apud Gyraldum de diis Gentium Syntagm. 1.

Porrò, quibus, quantisque artibus & actibus dæmones ludificarint Paganos, ut idolorum animæ esse crederentur, declarat S. Cyprian. lib. de Idolol. non longè à principio: *Hi ergo spiritus*, inquit, *sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt: hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt: nam & falluntur & fallunt: vitam turbant, somnos inquietant; irrepentes etiam in corporibus occulte mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium & rogis pecorum saginati remissis, quæ constrin-*

C *xerant, curasse videantur. Hæc est de illis medela, cum illorum cessat iniuria: nec aliud illis studium est quam à Deo homines avocare, & ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis avertere, cum sint ipsi pœnales quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimē suum fecerint errore participes.*

Dices: Sapientiores Gentilium agnoverunt Deum verum, eumque in idolo coluerunt, sicut Christiani eum colunt in imagine: Atqui illi reprehenduntur hic ut idololatræ, ergo & Christiani. Resp. Vix invenies aliquem, qui Deum verum coluerit in idolo: nam qui Deum verum agnoverunt, spreverunt & riserunt idola, ut Socrates, Platos, Aristoteles, Cicero, Lucretius; aliqui tamen ex metu populi, ne occiderentur, uti occisus fuit Socrates quasi deorum contemptor, ea publicè coluerunt, non spontè, sed quasi coacti, cum privatim & secretò ea aspernarentur, & unum Deum creatorem omnium colerent. *An in idolo adorarint Deũ.*

D Sed demus nonnullos in idolo Deum verum adorasse, illi errarunt in eo, quòd putarent idolum esse corpus Dei, uti jam dixi eoque Deum delectari, seseque in eo includere & occultare; aut certè Deum idolo esse similem, vel habere similia membra humana, vitulina, serpentina: ideò enim hæc membra idolo dabant; & variis varia, ac consequenter Deo vero assingebant corpus, membra, aliaque, quæ falsa sunt; sicque consequenter colebant Deum non verum, qui purus est spiritus, sed corporeum & falsum. Denique censebant idolum esse aliquid Dei, ac proinde habere aliquid virtutis divinæ, aliquid numinis, aliquid divinitatis, quidquid illud esset. Quid enim illud esset in particulari, ipsi nec exprimere, nec intelligere, nec capere poterant.

Nil tale habent Christiani: nec enim in imagine, etiam Dei, aliquid numinis, aut spiritus & vitæ, aut corporeæ similitudinis collocant, sed nudam repræsentationem Dei, eamque analogicam, quatenus scilicet res & imago corporalis spiritualem repræsentare potest, quæ propria & nuda est ratio imaginis, scilicet repræsentare suum prototypum: ac proinde rectè Theologi ex S. Basilio & Damasceno docent, honorem imaginis natura sua referri ad prototypum. Porrò imagines hominum visibilium, putà Christi & Sanctorum crebræ sunt

apud

apud Christianos; Dei verò invisibilis paucæ, ne rude A vulgus censeat Deum habere corpus imagini simile. Quocirca non est pingendus Deus, nisi eo modo & forma, qua ipse in S.Script. legitur Sanctis, ut Abrahæ, Mosi & Prophetis apparuisse, ac rudibus explicandum est, quid sibi illa forma velit; Deum enim esse incorporeum, omnique forma & figura carere, uti docet Synodus VII. Act.4. & seq.

Denique, si qui sapientum Deum verum in idolo, ut in mera imagine coluerunt, propriè hic non taxantur, nec peccarunt formali & propriè dicta idololatria; sed peccarunt, tùm peccato scandali, quod suo exemplo populum in idololatria sua confirmarint, tum peccato professionis falsæ fidei & idololatriæ: participando enim cum idololatris in communi, & publico cultu idoli profitebantur exteriùs fidem & cultum idoli, etiamsi interiùs non idolum, sed Deum in idolo; ut in imagine adorarent. Adde idolum esse imaginem non veri Dei, sed falsi: nec enim cuique licet Deo vero imaginam dare, quam ipse illi affinxit; sed quam Deus & Ecclesia approbant. Quare qui idolum colit, Deum non verum, sed falsum colit, quem scilicet idoloplastæ & idololatræ sibi finxerunt, & formarunt, neglecto Deo vero creatore cæli & terræ. Quicumque ergo idolum colit, Deum falsum colit, & idololatra est. Unde & pleraque idola tam deformia & horrida sunt, ut ipsa sui forma & specie dæmonis simulacra esse videantur. Atra enim sunt instar Æthiopum, capite bovino, vultu sævo & minaci, oculis ingentibus & scintillantibus, fronte taurina, & subinde cornuta, naso thrasonico, labris crassis & porcinis; rictus oris est diductus velut canis ringentis, os patulum, & hians instar lupi, idemque ingens & concavum instar furni, ut scilicet in eo faciliùs dæmon voces articulatas formaret, quibus responsa & oracula ederet. Qualia Romæ præsertim in Vaticano permulta conspicimus.

Mysticè, hæc omnia adaptes hæresi, & cuivis cupiditati. Idolum enim hæretico est hæresis, superbo honor, avaro aurum, guloso venter luxurioso venus, acedo somnus, iracundo vindicta, invido livor, uti docet S.August. S.Gregor. & ceteri Doctores, imò S.Paulus Philip.3. 19. & Ephesi.5.5.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SINOPSIS CAPITIS.

PRosequitur invectivam in idola, eamque inchoat ab exemplo navigantium, qui insipienter nave vilius idolum, invocant, qua occasione navis inventionem per arcam Noe Deo auctori tribuit & celebrat. Inde v. 14. idolorum initium & originem, ac propagationem, & incrementa assignat. Denique v. 23. sacrilega idololatrarum sacrificia, imò parricidia, adulteria, furta, periuria recenset, ac idololatriam omnium scelerum esse fontem, imò cloacam asseverat.

1. ITerùm alius navigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se, fragilius
lignum invocat. 2. Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, et artifex sapientia fabricavit sua.
3. Tua autem, Mater, providentia gubernat: quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam
firmissimam. 4. ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, etiam si sine arte aliquis adeat mare.
5. Sed ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas
suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt: 6. sed et ab initio cum perirent superbi gigantes spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen nativitatis, quæ manu tua erat gubernata. 7. Benedictum est enim lignum, per quod fit iustitia. 8. Per manus autem quod fit idolum maledictum est et
ipsum, et qui fecit illud: quia ille quidem operatus est: illud autem cùm esset fragile, deus cognominatus
est. 9. Similiter autem odio sunt Deo, impius et impietas eius. 10. Etenim quod factum est cum illo,
qui fecit, tormenta patietur. 11. Propter hoc et in idolis nationum non erit respectus: quoniam creaturæ
Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.
12. Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum: et adinventio illorum corruptio vitæ est. 13. neque
enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. 14. Supervacuitas enim hominum advenit in orbem terrarum: et ideò brevis illorum finis est inventus. 15. Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filii
fecit imaginem: et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere cœpit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia. 16. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta. 17. Et
hos quos in palàm homines honorare non poterant, propter hoc quòd longè essent, e longinquo figura eorum allata; evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt: ut illum, qui aberat, tamquam præsentem colerent sua sollicitudine. 18. Provexit autem ad horum culturam, et hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia. 19. Ille enim volens placere illi, qui se assumpsit: elaboravit arte sua,
ut similitudinem in melius figuraret. 20. Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum,
qui ante tempus tamquam homo honoratus fuerat, nunc deum æstimaverunt. 21. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus
et lignis imposuerunt. 22. Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, sed et in magno viventes inscientiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant. 23. Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes, 24. neque vitam, neque nuptias mundas
iam custodiunt, sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat: 25. et omnia commista
sunt, sanguis, homicidium, furtum et fictio, corruptio et infidelitas, turbatio et periurium, tumultus bonorum, 26. Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia,
inordinatio mœchiæ et impudicitiæ. 27. Infandorum enim idolorum cultura omnis mali causa est, et initium, et finis. 28. Aut enim dum lætantur, insaniunt: aut certè vaticinantur falsa, aut vivunt iniustè,
aut peierant citò. 29. Dum enim confidunt in idolis, quæ sine anima sunt, malè iurantes noceri se non sperant. 30. Utraque ergo illis evenient dignè, quoniam malè senserunt de Deo, attendentes idolis, et iuraverunt iniustè, in dolo contemnentes iustitiam. 31. Non enim iuratorum virtus, sed peccantium pœna
perambulat semper iniustorum prævaricationem.

ITE-

VERS. 1. ITERUM ALIUS NAVIGARE COGITANS, ET PER FEROS FLUCTUS ITER FACERE INCIPIENS, LIGNO PORTANTE SE, FRAGILIUS
VERS. 2. LIGNUM INVOCAT. ILLUD ENIM CUPIDITAS ACQUIRENDI EXCOGITAVIT, ET ARTIFEX SAPIENTIA FABRICAVIT SUA] Græcè, *rursus quis ad navigandum se comparans, & feros pertransiturus fluctus, navigio ipsum portante, putrius lignum inclamat. Nam illud quidem lucrorum cupiditas excogitavit, artifex autem sapientia confecit: tua verò, pater, providentia gubernat*. In Græco enim non est τὸ *sapientia sua*, sed tantum *artifex sapientia*, quæ dicitur fabricasse navim, quam in mari Dei providentia gubernat. In Latino est τὸ *sapientia sua*. q. d. Artifex, putà faber, per sapientiam suam fabricavit navim: Sensus est, q. d. Vide & disce hic novum idololatrarum dementiam. Ecce tibi nautæ navim construunt ex lignis solidis, & artificiosè compactis, ut sævis maris fluctibus, ventis, & procellis resistat: hi autem pro felici navigatione invocant idolum ex viliore ligno, uti ostendi cap. præced. v. 13. & seq. confectum: Nautarum enim Deus & idolum est Neptunus, item Castor & Pollux, Actor. 28. 11. Sicut Christianorum in mari periclitantium non dij, sed apud Deum advocati sunt B. Virgo, S. Paulus, S. Clemens, S. Nicolaus, S. Selmus, S. Franciscus Xaverius, uti dixi Actor. 28. 11. Ut quid ergo Neptunum è ligno vili & putri fabricatum colunt? cur non potiùs navim suam è ligno forti & pulchro ritè compactam invocant? illam enim cupiditas lucri per transvectionem mercium, quæ navi fit, conquirendi ingeniosè excogitavit, & artifex, putà faber lignarius per suam sapientiam, id est, ingenium, & artem industriè, affabreque fabricavit; ideoque robustiorem æquè ac elegantiorem, quàm sint idola effecit. Unde Propertius libr. 3. de Navi & Naufragio.

Navigantium patroni.

Ergo sollicitæ, inquit, *tu causa pecunia vitæ es:*
Per te immaturum mortis adimus iter.
Natura insidiam Pontum substravit avaris.

Navis inventor quis?

Gentiles navis inventionem tribuunt Iasoni & Argonautis, navigantibus Colchos ad rapiendum vellus aureum, utpote antiquissimis. Ita Plinius lib. 3. c. 26. Tertull. lib. de Corona militis ca. 8. tribuit Minervæ; Clemens Alex. 1. Strom. Atlanti, alij Danao, alij Neptuno, alij Prometheo, qui Mosi fuit coævus, uti superiùs dixi ex S. August. alij Phænicibus, alij Cretensibus; diversis enim in locis diversi ejusdem rei potuerunt esse auctores. Verùm his omnibus anterior fuit arca Noe, Genes. 6. Hæc ergo prima, quod sciamus, fuit orbis navis; etsi ante eam homines navigasse in ratibus, truncis arborum excavatis, uti etiamnum faciunt Indi, & Scaphis sit verisimile. Vide Plinium lib. 7. ca. 56. & Polydorum, Virgil. lib. 3. de Invent. cap. 15.

Præ ceteris ponit exemplum navigantium, quia hi ob assidua vitæ pericula proni sunt ad invocandos deos. Nam, ut ait Psaltes, psal. 106. 26. *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur*, &c. Unde illud vulgo tritum: *Qui nescit orare, naviget mare*. Vide Jonæ c. 1. Hinc Cato, teste Plutarch. de tribus dolebat, Primò, quòd in hac vita tam incerti & brevi, vel unus dies sine fructu illi effluxisset. Secundò quòd secretum suum credidisset mulieri. Tertiò, quod navigio fecisset iter, quò terrestri via poterat pervenire. Eadem hæc tria vota Aristoteli tribuit Antonius in Melissa part. 1. serm. 17. & Alexandro Magno Stobæus; sed loco primi ponunt, quòd unum diem intestatus mansisset.

Tres Catonis dolores.

VERS. 3. TUA AUTEM PATER PROVIDENTIA (multi addunt, *cuncta*, sed illud delent Rom. & Græci) GUBERNAT, scilicet lignum, hoc est, navim iam dictam: QUONIAM DEDISTI ET IN MARI VIAM, ET INTER FLUCTUS SEMITAM FIRMISSIMAM.
VERS. 4. OSTENDENS QUONIAM POTENS ES EX OMNIBUS SALVARE, ETIAMSI SINE ARTE ALIQUIS ADEAT MARE] Pro, *sine arte*, uti legunt Rom. & Græci, perperam alij legunt, *sine rate*, licèt eòdem redeat sensus: per *artem* enim, nauticam intelligit, in qua primæ fuere rates. Noster à Castro, providentiam hanc Dei restringit ad Hebræos, quos Deus sine navi per mare rubrum à se divisum sicco pede deduxit. Melius alij attribuunt navi, de qua sermo præcessit. q. d. Frustra nautæ invocant sua idola, puta Neptunum, & Castores: tua enim providentia, o Domine, qui es pater omnium, navim in mediis fluctibus, æquè ac cetera cuncta, gubernat & dirigit; quæ tanta tamque potens est, ut etiam Hebræis in mari rubro sine navibus patefecerit viam, ut inter ejus altissimas aquas & fluctus per semitam firmissimam, græcè ἀσφαλῆ, id est, tutam, securam, putà per siccum maris alveum illæsi transirent: quo miraculo ostendisti te posse homines ex omnibus maris periculis salvare, perque illud dare iter pervium cùm volueris, etiamsi quis sine arte & rate illud adierit. Unde S. Chrysost. hom. 11. in Genes. obstupescit Dei sapientiam & providentiam, quæ docet nautas & naucleros tempus, viam, & diverticula in vastissimo æquore, ut sciant in qua plaga mundi versentur, quam viam inire, quæ diverticula capessere debeant.

Moraliter, hic disce quanta quamque singularis sit Dei providentia, quæ singulas naves, & navigantes in medio mari gubernat, ac pari ratione singulos homines, animalia, plantas, & creaturas alias; adeoque totum mundum regit & gubernat. Mundus enim est quasi navicula, cujus nauclerus est Deus, uti docet Aristot. (vel quisquis est auctor) lib. de Mundo. Exemplum admirabile Senis cujusdam naufragi, cui nomen Valgius, vel Victor, qui in navi sociis atque carinæ retinaculis amissis, per varias regiones undis maris iactatus, mira Dei providentia servatus est, narrat S. Paulinus epist. ad Macarium. Simili modo in ceteris navigantibus vastum, cæcum, & procellosum mare in navi tam exigua & invalida singularis elucet Dei cura & providentia. Navigantes enim vix tribus palmis (quibus navis eminet mari) distant à morte. Unde Juven. satyr. 14.

I nunc, ait, *& ventis animam committe, dolato*
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima teda,

id est, pinus, ex qua fit navis. Et Ovidij libr. 2. de Ponto.

Nam propè tam lethum, quam propè cernit aquam.

Sic & Anacharsis apud Laert. ait, navigantes quatuor digitis, quibus crassa est navis, distare à morte.

Errarunt ergo Primo, Epicurus, Heraclitus, & Democritus concedentes quidem Deum, sed ei adimentes providentiam, eò quòd putarent omnia evenire ex necessitate naturæ, teste Lactantio lib. 1. de Ira Dei c. 9. & 10.

Errores circa providentiam. Primo.

Secundo, arravit Cicero, qui eandem Deo ademit, sed alio ex capite, quòd scilicet adimeret Deo cognitionem futurorum contingentium, putans illam repugnare libero hominis arbitrio, teste S. August. lib. 5. de Civit. c. 9.

Secundo.

Tertio, errarunt alij, qui singulas res tendere censuerunt à suis causis, non à Dei providentia: Deum enim movere primum mobile; cetera verò ab illa moveri, uti ait Aristot. 12. Metaphys. cap. 2. textu 37. Unde hunc errorem Aristoteli tribuunt Nazianz. orat. 1. de Theolog. Clemens VIII. Stromat. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 13. & alij: Videbatur enim Aristoteli indignum Deo curare res singulares etiam minimas, ut culices, pulices, &c.

Tertio.

Quartò, errarunt illi, qui dixerunt Deum per securare res universales, & incorruptibiles; particulares verò & corruptibiles curare per intermedios genios, sive angelos; quem errorem Platoni tribuit Nyssen. lib. 8. Philos. cap. 3. & 4. Plato tamen libr. 10. de Legibus fusè ostendit Deum curare res minimas: perfectissimus enim artifex, inquit (qualis est Deus) etiam minimorum in arte cognitionem curamque habet.

Quartò.

Hos errores recensent, & confutant S. Chrysost. libris sex, & Salvianus libris octo de Providentia, S. Ambros. 1. Offic. c. 13. S. August. libr. 5. de Civit. ca. 9. & 10. S. Thomas li. 3. contra Gentes cap. 71. & sequent. ac Sapiens hoc loco.

Porrò huic Sapientis gnomæ consonant omnium patrum, & probatorum Philosoph. sententiæ. S. Basil. in Hexam. hom. 7. *Nihil est prorsus*, ait, *quod sub providentiam Dei non cadat: nihil est omnino, quod à Deo neglectum sit: omnia explorat, omnia conspicit oculus ille pervigil: omnibus adest, facultatem salutis cuique præstat*. S. Hieron. in caput Ieremiæ 9. *Omnia*, inquit, *Dei providentia atque iustitia gubernantur*. Et in Matth. 7. *Si parva & vilia animalia absque Deo auctore non decidunt,*

Gnomæ Patrum de providentia.

& in

& in omnibus est providentia, & quæ in his peritura sunt A *sine Dei voluntate non pereunt; vos qui æterni estis non debetis timere, quod absque Dei vivatis providentia.* S. Ambr. 1. Offic. libro cap. 13. *Quidam putant,* inquit, *Dei providentiam usque ad lunam descendere. Et quis operator negligat operis sui curam? quis deserat & destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est maior iniuria fecisse? cum aliquid non fecisse nulla iniustitia sit; non curare, quod feceris, summa inclementia. Revera, si in Deo vivimus, movemur, & sumus, ipsumque per terras meare, per tractus maris, cælumque profundum aiunt; quare optimam illius dignitatem, nempe providentiam ab eo auferendam esse arbitrantur?* S. August. lib. 3. Confess. c. 11. *O tu bone omnipotens,* inquit, *qui sic curas unumquemque nostrum, tamquam solum cures, & sic omnes tamquam singulos.* Et lib. 5. de Genesi ad literam. c. ult. *Quid absurdius & insulsius sentiri potest, quidque dementius? quam putare nullum esse divinæ providentiæ iudicium de moribus hominum, qui curat etiam minutissima animalia, dracones, abyssos, grandines, nives, imbres, & tempestates, quæ faciunt verbum eius.* psal. 148. S. Chry- B sost. in psal. 124. *Deo,* inquit, *multa debemus, quod nos fecerit, quod tales creaverit, quod factos regit & continet, & quod quotidie tam privatim, quam communiter providet, nostrique curam gerit, idque clam, & apertè, nobisque scientibus & nescientibus.*

Gnoma philosophorum. Huc accedunt gnomæ philosophorum. Trismegistus: Deus, inquit, est factor & provisor omnium: unde hac de re lib. scribens eum indigitat *Pimander,* id est, Pastor hominum, qui scilicet homines regit, sicut Pastor oves. Orpheus de Deo sic ait: *Omnia intus inspicis, omnia intus audis, omniaque distribuis.* Sed quomodo fieri potest, ut Deus sit, agat verò nihil? Si enim Deus est aget aliquid præclarum, inquit Cicero, nihil autem est præclarius mundi administratione. Mundus ergo & à Deo conditus est, & Dei administratione gubernatur: unde in calce libri primi de Natura Deorum: *Si maximè talis est Deus,* inquit, *ut nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat: quoniam nihil propitius homini facere potest.* Stultè igitur dictum est a Lucretio:

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Lactant. lib. 1. cap. 2. Democritus omnia fortuitò regi, ac fato dicebat; cuius sententiæ confirmator est Epicurus, sed & antea Protagoras, qui deos in dubium vocavit, & postea Diagoras, nonnullique alij, qui non putaverunt deos, quos tamen ceteri philosophi, ac maximè Stoici retuderunt dicentes, nec fieri mundum sine divina ratione potuisse, nec constare, nisi summa ratione regeretur. Euripides in epist. ad Sophoclem, quòd tempestate non perierit, in Dei providentiam refert. Maro Æneid. 6. Elysios campos decantat. Phocylides ait: *Si tu male iudicaveris, te Deus postea iudicabit.* Hippocrates pluribus Gentium diis sacra decrevit, supplicationes varias instituit. Theophrastus in Metaphysicis, omnia divinæ providentiæ retulit: Deum divinum esse principium ait, per quod omnia sunt & permanent. Ammonius librum de Interpretatione expositurus, exoptat sibi divinitùs provideri. Aristoteles 1. Ethicor. ait felicitatem Deorum muneri acceptam referri debere. In 5. verò Ethic. precibus postulandum censuit, ut quæ simpliciter bona sunt; iis ipsis etiam, qui optant, essent bona; Iusti, quod est à lege, partem esse sacrificia facere; unde post paululum, divina decreta humanis præstantiora sanxit. In 10. Ethic. ait hominem, qui mentem excoleret, Deo esse amicissimum.

VERS. 5. SED UT NON ESSENT VACUA SAPIENTIÆ TUÆ OPERA: PROPTER HOC ETIAM ET EXIGUO LIGNO CREDUNT HOMINES ANIMAS SUAS, ET TRANSEUNTES MARE PER RATEM LIBERATI SUNT] Dat causam, cur Deus, qui sine navi poterat homines per aquas transferre, uti transtulit Hebræos, voluerit usum navis & navigandi introducere, scilicet, ut insulani cum ceteris hominibus haberent commercium familiare.

Græcè est elegans paranomasia, *ne essent Sapientiæ tuæ ἀργὰ ἔργα,* id est, *otiosa negotia* & inutilia opera, quæ scilicet in insulis & transmarinis regionibus creasti, formasti, collocasti; idcirco navis & navigandi usum hominibus inspirasti, ut quæ in insulis sunt pretiosa, ibique quasi delitescunt, per naves ad nos adveherentur, A ac vicissim nos nostra, quibus carent insulani, ad eos transveheremus, itaque esset mutua mercium & bonorum communicatio. Hoc fine, & hac de causa, exiguo ligno, id est, navigio credunt homines animas, id est, vitas suas, sperantes se per illud tua providentia duce incolumes navigaturos, ac maris pericula superaturos: unde per eamdem plerique transeuntes mare, per ratem liberati sunt ab hisce periculis, & in dies liberantur. ita Lyran. Holcot, Dionys. & alij. Secundò, Osorius, Iansen. & à Castro, veriùs & ad sequentia conformiùs explicant de arte navigandi, & naves conficiendi, in qua maximè elucet divina sapientia. q. d. Voluisti ò Domine, hoc fieri per navigationem, ne opera tua essent otiosa, hominesque inertia languerent, sed potiùs laborarent, & industriam adhiberent in fabricandis navibus, & scientia navigandi, & siderum observatione, ac marium littorum, insularum, & transmarinarum regionum lustratione. Huc facit illud Senecæ in Medea Act. 2.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;
B *Terrasque suas post terga videns,*
Animam levibus credidit auris;
Dubioque secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisque vias,
Nimium gracili limite ducto,

Gnoma de navigationis periculis. Pittacus rogatus, quid fidum esset? respondit, terram. Quid infidum? mare. Plato assiduè monebat fugiendum esse mare, perinde ac improbitatis magistrum. Laudamus ille Homericus nihil miserius esse dicebat, quàm virum fortem ponto exagitari. Anacharsis dubitabat, an navigantes inter vivos vel mortuos essent referendi, teste Laertio lib. 1. ca. 6. Callimachus dicebat iucundissimum esse mare, sed si quis è terra illud contemplaretur; quem imitatus Horatius ait,

Neptunum procul à terra spectare furentem.

Eadem mysticè dicas de mundo, qui est mare magnum mille habens tentationum, tribulationum, periculorum, calamitatum fluctus syrtes, & æstus.

TRANSEUNTES MARE] Græcè, κλύδωνα, id & C tempestatem, fluctus, procellam, hoc est mare fluctibus & procellis æstuans.

PER RATEM] Pro *ratem,* græcè est σχεδίαν, id est, navis ex tempore facta, ac tumultuario & subitario opere compacta, quales fuere primæ naves, quæ non erant aliud nisi rates, id est, arbores, sudes vel trabes colligatæ. Cantacuzenus hæc accipit de cymba, quæ naufragio facto, ex residuis navis partibus tumultuariè à naufragis compingitur, ut per illam periculum evadant, & quasi enatent.

VERS. 6. SED ET AB INITIO CUM PERIRENT SUPERBI GIGANTES, SPES ORBIS TERRARUM AD RATEM CONFUGIENS, REMISIT SÆCULO SEMEN NATIVITATIS, QUÆ MANU TUA ERAT GUBERNATA] Perperam pro *spes,* ut habent Romani & Græci, nonnulli legunt *spem.* Probat usum & utilitatem navis ex arca, per quam Noe cum tribus filiis, & totidem uxoribus, evasit diluvium immissum orbis ob scelera, præsertim ob fastum & tyrannidem gigantum, idque ductu Dei. Arcam enim gubernare non D poterat Noe, utpote arcæ undique clausæ inclusus; sed solus Deus, qui id more suo faciebat ministerio angelorum. Arca ergo fuit prima ratis, id est, navis mundi, cognita saltem & publica. Unde Joseph. libr. 1. Antiqu. ca. 3. arcam appellat navim. Noe enim longè antecessit Iasonem, Argonautas, Danaum, Neptunum, ceterosque omnes, quibus Gentiles navis & nauticæ artis inventionem tribuunt. Porrò Noe vocatur *spes orbis terrarum,* quia ceteris omnibus aquis diluvij mersis, ipse solus cum suis filiis in arca servatus est, ut post diluvium genus humanum generando propagaret, ne illud intercideret & interiret. Sic Ascanius Æneæ filius à Virgil. 12. Æneid. vocatur *spes altera Romæ.* Et pater filium unicum vocat spem baculumque senectutis suæ, Tobiæ 5. 13. Noe ergo *remisit sæculo semen nativitatis;* græcè, *reliquit mundo σπέρμα γενέσεως* id est *semen genitale,* vel *generationis.* Tres enim eius filij fuerunt quasi tria semina, ex quibus succrevit tota propago, & posteritas hominum. Fuit ergo Noe Ianus bifrons, ac novi sæculi parens, æquè ac primus navis & nauticæ artis inventor. Vide dicta Genes. 6.

BENE-

BENEDICTUM (Vatabl. *Felix*) EST ENIM LIGNUM, PER QVOD FIT IUSTITIA] Syrus, *benedictum est lignum, ex quo apparet* vel *videtur iustus*; Arabicus, *quoniam benedicta trabs per quam fit iustitia*.

Benedictum lignum, quod? Resp. Primò.

Primò aliqui apud Jaoseo. per *lignum* accipiuot furcam vel patibulum, qoo fit iustitia de sontibus: fures enim & latrones in eo suspenduntur publicè, ut quicumque eos vident, metu similis suspendij contineaot se à furtis & latrociniis, quod est magnum reipubl. boonum & benedictio.

Secundò.

Secundò, alij hæc accipiunt de navi qualibet, qua quis rectè utitur ad iusta mercimonia, & commoda reipublicæ. De navi enim est hic omnis sermo. Per oavim ergo fit iustitia, id est, exercetur iusta mercatura.

Tertiò, genuinè.

Tertiò, & genuinè, per *lignum* accipias arcam Noe. q. d. Benedicta fit arca, per quam iustè condemnati sunt scelerati gigantes, totusque mundus, ac servatus fuit iustus priusque Noe: impij enim ex arca eliminati, & quasi profligati periere diluvio, ex quo pius Noe per arcam enatavit. Opponit ligneam arcam ligneis idolis, quòd hæc neminem à diluvio aliove malo liberaverint, aut servare potuerint; à quo tamen Noe, totamque posteritatis spem, & semen liberavit arca: illa ergo fit benedicta, idola verò maledicta, ut sequitur. Unde S. Ambrosius in psal. 118. serm. 8. legit: *Benedictum lignum, quod fit per iustitiam; maledictum autem lignum, quod fit per manuum hominum*, quale est idolum. Verùm rectè Romani in editione S. Ambros. id correxerunt, ut legatur: *Benedictum lignum, per quod fit iustitia*, uti habet editio Vulgata & Græca. Ita eoim legisse S. Ambros. ex verbis, quæ subiicit, liquet.

Addunt aliqui iustitiam per arcam esse factam, eò quòd Sem fuerit idem cum Melchisedec, qui ex etymo fuit rex iustitiæ, ac ex diluvio evadens fuit publicus ductor ac doctor iustitiæ. Verùm Melchisedec alius fuit à Sem, longeque eo posterior, ut ostenditur Genes. 14.

Mysticè benedicta est crux Christi.

Mysticè, *benedictum lignum, per quod facta est iustitia*, iustaque satisfactio pro peccato Adæ, & peccatis totius mundi, est crux Christi, quam proinde repræsentavit arca Noe: hæc enim crux idola & idololatriam destruxi; unde iis hic opponitur; atque gratiam, iustitiam, & salutem omnibus in Christum crucifixum ritè credentibus, contulit. Unde S. Chrysost. Orat. de Festo crucis legit, *benedicite lignum, per quod fit iustitia*; S. German de Exaltat. Crucis legit, *benedicite lignum, per quod fit salus*; Leontius. qui floruit anno Christi 620. Orat. de cruce Christi; *At Salomon ait: Benedictum est lignum, per quod salus comparatur*; Anonymus apud Gretierum tom 2. de Cruce legit, *benedictum sit lignum, per quod facta est salus in medio terræ*. Sic & S. Bonavent. Holcot, Hugo, Dionys. hic per *lignum* accipiunt crucem Christi, æquè ac S. August. 15. de Civit. 26. Clemens Alex. 6. Strom. c. 4. Cyrillus Jerosol. Catech. 19. & plures alij, Christus ergo in cruce nostram maledictionem in se suscepit, & expiavit, ac convertit in benedictionem: iuxta illud Galat. 3. 13. *Christus nos redimit de maledictio legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno; ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem*. Vide ibi dicta. Porrò S. Ambros. loco iam citato, acutè per *iustitiam* accipit misericordiam: *Benedictum*, ait, *lignum, per quod fit iustitia*, id est, misericordia: hanc enim Christus in cruce exercuit, dum suo cruore nos abluit, nobisque veniam impetravit. Additque misericordiam vocari *iustitiam*, quia Deus *sciens secundum corporis fragilitatem corruptela patere hominem, quasi iustus, fragili lubricaque natura delicta concessit*, præsertim in posteris Adæ, qui peccatum non fecerunt, sed ex Adamo dumtaxat nascendo contraxerunt: *In illum* (Adamum) inquit, *iusta severitatis processit sententia, quia scire voluit, quod scire non profuit. Nobis autem, qui hereditario vinculo tenemur astricti, qui in hac carne sumus, quæ priorum iudicio detrita iam atque assuefacta peccatis, non poterat emergere, quasi iustus indulsit. Iuste enim ignovit heredi, qui præiudicio laborabat auctoris. Est ergo iusta misericordia*.

Denique, per ligoum crucis facta est iustitia, id est, iostum sacrificium pro peccato, quod ex æqualitate iustitiæ, ob dignitatem victimæ immolatæ, puta Christi crucifixi Filij Dei, satisfaceret offensæ Dei, ac honorem illi per peccatum ablatum restitueret, dum Christus moriendo in cruce eius rei causa, infinitam reverentiam, cultumque Deo exhibuit. Sicut enim offensa Dei facta peccato Adæ, ceterorumque hominum, ob personam, & maiestatem immensam Dei, quæ offenditur, fuit infinita; sic pariter infinita est persona Christi, que se in victimam Deo obtulit ad huic offensæ satisfaciendum. Adde, infinita humiliatio Verbi, qua se humiliavit descendens in carnem & crucem, ut peccata expiaret, ex æquo respondit infioitæ vilitati, contemptui, & iniuriæ, quam Adam superbiens peccando Deo irrogavit, imò eam longè superavit. Ex adverso idolum est lignum, per quod fit summa iniustitia, & iniuria Deo, dum divinitas Deo adimitur, & transcribitur in idolum, ac aræ, templa, religio, cultus, sacrificia uno Deo debita transferuntur ad idolum. Benedictum ergo est lignum crucis, per quod fit summa iustitia: maledictum verò lignum idoli, per quod fit summa iniuria Deo.

PER MANUS AUTEM, QVOD FIT IDOLUM, MALEDICTUM EST ET IPSUM, ET QVI FECIT ILLUD: QVIA ILLE QVIDEM OPERATUS EST, ILLUD AUTEM CUM ESSET FRAGILE DEUS COGNOMINATUS EST] S. Ambros legit: *Maledictum autem lignum, quod fit per manum hominum*. Græcè: *At manufactum* (lignum manu artificis fabrefactum, putà idolum) *maledictum ipsum, & qui fecit illud: quoniam hic quidem effecit: illud vero Deus nominatus est, cùm esset corruptibile*. Vatabl. *Felix enim lignum, per quod iustitia exercetur; manufactum autem infelix est, tam ipsum, qua eiusdem fabricator. Hic ut operis auctor illud, ut nomen Dei, cum corruptioni obnoxium sit, adeptum*. Seosus est: q. d. Benedictum sit lignum arcæ, per quod salvatus est iustus Noe: iniusti vero gigantes mersi diluvio; æquè ac lignum crucis Christi, per quod iustificatus & salvatus est mundus: quare omnes illud benedicant, laudent, venerentur. At maledictum sit ligoum idoli, æquè ac eiusdem fabricator: ut omnes utrumque detestentur & execrentur: idolū quidem ut summè Deo iniurium, ac hominibus exitiale, cùm illos alliciat ad idololatriam, quæ summum est flagitium: fabricator, quia opus tam Deo iniurium, & hominibus noxium fabricatus est. Notat S. Thom. 2. 2 q. 76. art. 2. propriè non benedici vel maledici creaturæ alicui nisi rationali, irrationali verò dumtaxat in ordine ad rationalem. Idolum ergo irrationale maledicitur, quatenus rationali homini est occasio idololatriæ. Rursus quatenus idoli maledictio refertur & cadit in dæmonem, qui idolo insidet, & præsidet. Dæmoo enim maledictionis, id est, damnationis æternæ & execrationis Dei, Angelorum & hominum ob suam malitiam est reus, illique addictus, & obnoxius. Vers. 8.

Mysticè, benedicta est crux, id est, mortificatio carnis & cupiditatis, per quam fit iustitia; quia per illam caro subditur spiritui, cui ex iustitia subiici debet. Maledictum verò lignum scientiæ boni & mali, quod Evam & Adamum illexit ad inobedientiam, gulam, summamque Dei ioiuriam, & offensam Similiter maledicta radix, & arbor concupiscentiæ, quæ iniustè se oponit rationi & spiritui, ut illi dominetur cui servire debet.

SIMILITER AUTEM ODIO SUNT DEO, IMPIUS ET IMPIETAS EIUS] Græcè: *Nam ex æquo invisi sunt Deo impius & eius item impietas*. Ita Vatabl. Dat causam, cur idoloplastes, æquè ac idolum, sit Deo invisus: quia scilicet tam exosus est Deo impius, quàm impietas. Impius autem est idoloplastes, qui idolum velut impietatem, id est, impiæ idololatriæ obiectum & causam fabricatus est. Porrò impietas formaliter & materialiter iovisa est Deo; impius vero formaliter tantùm, quatenus scilicet impius est, invisus est Deo; non vero materialiter: Nam impius quatenus Dei creatura & substantia est, putà homo, vel angelus à Deo amatur & diligitur, quia ut pulchrè ait S. Hieron. (vel quisquis est auctor) epist. 6. ad amicum ægrotum tomo 9. *Amat Deus hominem, ut artifex fabricam: sed odit mala opera, quibus fabrica urgetur in lapsum, & cogitur in labinam* (quæ est labi in lapsum & ruinam) *& qui mala opera odit, malorum operum non potest amare factorem, sicut Salomon sapientissimus protulit: Odio sunt*, inquit, *Deo impius & impietas eius*, talis enim est opifex, quale est opus: quare si opus sit piū Deoque gratum, opifex eius pariter erit pius Deoqoe gratus: sin opus sit impiū, Deoque invisū, opifex pariter, Vers. 9.

pariter, & ut Græca habent, ἐν ἴσῳ, id est in æquali, ex æquo, æqualiter erit impius, Deoque invisus. Præclarè S. Cyrill. Alex. hom. 12. *Rebus creatis*, inquit, *Conditoris sui gloriam impertiri nihil aliud est, quàm Conditorem ipsum in rerum creatarum ordinem referre.*

Vers. 10. ETENIM QVOD FACTUM EST, CUM ILLO, QVI FECIT, TORMENTA PATIETUR] Græcè, κολασθήσεται, id est, *punietur*. At quomodo idolum inanime tormenta pati potest? Resp. Primo Cantacuzenus, quia idolum, & idololatria puniuntur non in se, sed in ipso idololatra, dum is à Deo in gehenna cruciatur: sicut furtum, & homicidium punitur in fure, & homicidia, qui suspenditur. Secundo, Lyranus respondet idolum puniri, dum dæmon ejus præses, & per illud responsans in inferno punitur, & uritur. Tertio, idola Saturni, Jovis, Martis, Veneris torquentur, dum ipse Saturnus, Jupiter, Mars, Venus in gehenna cruciantur & ardent: hi enim idololatriæ & scelerum hominibus fuere auctores. Quartò, ipsum idolum punitur, dum à fidelibus conspuitur, deiicitur, frangitur, destruitur, comburitur, uti fecere primi Christiani & Martyres.

Vers. 11. PROPTER HOC ET IN IDOLIS NATIONUM NON ERIT RESPECTUS: QVONIAM CREATURÆ DEI IN ODIUM FACTÆ SUNT, ET IN TENTATIONEM ANIMABUS HOMINUM, ET IN MUSCIPULAM PEDIBUS INSIPIENTIUM) Græca iam contrariè habent: *Quapropter & in simulacra gentium* ἐπισκοπὴ *erit*, id est, *inspectio, inquisitio, visitatio, punitio erit*. Vatabl. *In simulacra inquiretur*. Noster videtur legisse negationem οὐκ, id est, *non erit inspectio vel respectus*. Sed eodem redit sensus, q. d. Deus non respiciet dignitatē idoli, quod scilicet ab idololatris colatur ut Numen: quare illi non parcet, sed illud puniet, diruet, comburet velut lignum vile, & flammis addictum. Aut q. d. Tempore Christi cùm gentes ab idolis ad Deum verum convertentur, tunc non amplius respicient nec reverebuntur, aut colent idola; sed ea vilipendent & confringent. Tunc ergo nullus respectus, nullus honor, nulla reverentia deferetur idolis. Quare alienus videtur sensus S. Bonavent. Lyran. & Dionys. qui exponunt, q. d. Deus idola, id est, dæmones puniet æternis ignibus: quocirca amplius ad eos non respiciet, ut misereatur & parcat: quia sicut culpa eorum est irremissibilis, sic & pœna interminabilis.

QVONIAM CREATURÆ DEI IN ODIUM FACTÆ SUNT] Græcè, εἰς βδελύγματα, id est, *in abominationem*. q. d. aurum, argentum, æs, lignum, quæ sunt inter creaturas Dei præcipuæ, magisque in usu hominum, ab impiis conversa sunt in abominationem, dum scilicet ex iis fabricarunt abominanda idola aurea, argentea, ærea, lapidea, quibus attribuerunt divinitatem, ac sacrificia & honores divinos cum summa Dei iniuria, & Creatoris contumelia: unde propter ea pariter idoloplastæ & idololatræ incurrerunt in odium Dei, angelorum & hominum rectè sentientium. Quocirca Græca habent: *Quoniam in creatura Dei ad abominationem facta sunt*, scilicet ipsa idola. q. d. ceteræ omnes creaturæ sunt bonæ, & à Deo benedictæ, at sola in iis idola sunt maledicta, & abominanda, tum Deo, tum Angelis & hominibus. Addit Cantacuzenus etiam sibiipsis & propriæ naturæ, eò quòd aurum, argentum, lignum per abusum idololatriæ, quæ ex eis fabricata, & culta sunt idola, degenerarint à suo fine, qui est Deo creatori suo servire, ac deinde hominibus ad salutē eorū opitulari, quo factum est, ut non tantùm Deo, sed & hominibus sint in abominatione. Unde Syrus vertit: *Et fecerunt ea in immunditiam*. Arabicus: *Quia facta in creatura contemptio*. Vatab. *Quoniam in opificio Dei ad nefas deformata sunt*.

Minùs genuinè ergo Lyran. & Dionys. per creaturas accipiunt dæmones, qui, inquiunt, secundùm bonam naturam creaturæ sunt Dei, ideoque bonæ: at per propriæ voluntatis perversitatem facti sunt in odium, quia seipsos fecerunt Deo odibiles, & eos, quos tentando superant, ac ad idololatriam pelliciunt, Deo faciunt exosos. Minùs quoque aptè Hugo per creaturas accipit homines, qui faciunt, vel colunt idola.

ET IN TENTATIONEM ANIMABUS HOMINUM] Græcè, *in scandala animabus*. Syrus: *In offendiculum vel offensam animarum hominum*. Arabicus; *Seduxerunt animas hominum*, dum idola pulchritudinem & pretioso ornatu suo, rudium animas pellexerunt in superstitionem, & idololatriam.

ET IN MUSCIPULAM PEDIBUS INSIPIENTIUM] Sicut enim mures insipientes capiūtur muscipulā, dum illecti nidore casei eam apertam subeunt, sed lignum quod illam sustinet (scandalum dicitur: unde nomen scandali translatum ad quoduis offendiculum) tactu casei incautè evertentes, à muscipula in se rivoluta concluduntur, & opprimuntur: sic pariter homines pulchritudine idolorum, æquè ac dulcedine vini; Veneris, honorum illecti, illam ambiunt illaque se inebriant; itaque mentem, & Dei gratiam, ac salutem, vitamque præsentem & æternam sibi adimunt.

Creaturæ sunt muscipula fatuis.

Pro *in muscipulam*, græcè est, *in laqueum*. Vatab. *Ad pedes insipientium illaqueandos*; Syrus, *Retia pedibus stultorum*; alij *in decipulam* vel *tendiculam* Loquitur propriè de specie auri, argenti, colorum, & ornatus idolorum, qua illecti rudes & insipientes homines ea deos esse censuerunt, & ut Numina coluerunt, indeque in fornicationem, omniaque scelera prolapsi sunt, ut patet ex ratione, quam subdit. Generatim tamen hęc sententia de qualibet creatura ad quod libet illiciente accipi potest. Ita enim videmus homines post lapsum, ab auro illici ad avaritiam & furtum, à vino delicato ad ebrietatem & crapulam, à dignitatibus ad ambitionem & fastum, à scientia ad curiositatem & superbia, à specie mulierum ad luxuriam, &c. Unde S. Antonius teste S. Athanas. vidit totum mundum plenum laqueis; cumque rogaret Dominum, *quis illos evadet?* audivit *humilitas*. Hoc est quod ait Iob c. 18. 8. *Immisit impius in rete pedes suos; & in maculis eius ambulat: tenebitur planta illius laqueo, &c. abscondita est in terra pedica eius & decipula eius super semitam*. Et S. August. in Soliloquiis ca. 16. *Inimicus*, inquit, *ut occidat, semper vigilat sine somno, & nos, ut custodiamus nos, nolumus evigilare à somno. Ecce tetendit ante pedes nostros laqueos infinitos, et omnes vias nostras variis replevit decipulis ad capiendas animas nostras. Et quis effugiet? laqueos posuit in divitiis, laqueos posuit in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno, & in vigilia; laqueos posuit in verbo, & in opere, & in omni via nostra. Sed tu Domine libera nos de laqueo venantium & à verbo aspero, ut confiteamur tibi dicentes: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Subdit deinde laqueos hostendi in tenebris; unde ut eos videat & caveat, poscit lumen à Deo: *Tu in quidem Domine lux mea, illumina oculos meos, ut videam lumen, & ambulem in lumine tuo, & non impingam in laqueos eius. Quis enim evadet laqueos istos multos, nisi videat eos? Et quis videbit eos, nisi quem illuminaveris lumine tuo? Ipse enim pater tenebrarum laqueos suos abscondit in tenebris suis, ut capiantur in eis omnes, qui sunt in tenebris suis, qui sunt filij tenebrarum harum, non videntes lumen tuum, in quo qui ambulat non timebit. qui enim ambulat in die non offendit; qui autem in nocte ambulat, offendit, quia lux non est in eo.*

Appositè S. Thomas 1. p. q. 65. art. 1. ad 3. notat creaturas natura sua ducere homines ad creatorem, quòd verò ab eo abducant, ducantque ad malum, & ruinam, id fieri non creaturarum vitio, sed culpa eorum, qui insipienter eis utuntur. Idem 1. 2. q. 79. art. 1. ad 2. Cùm dicitur: *tentationem*, τὸ *in*, inquit, *non ponitur causaliter, sed consecutive. Non enim Deus fecit creaturas ad malum hominum, sed hoc consecutum est propter insipientiam hominum. Unde subditur: & in muscipulam pedibus insipientium: qui scilicet per suam insipientiam utuntur creaturis ad aliud, quam ad quod facta sunt.*

Vers. 12. INITIUM ENIM FORNICATIONIS EST EXQUISITIO (græcè ἐπίνοια, id est, excogitatio) IDOLORUM, ET ADINVENTIO ILLORUM CORRUPTIO VITÆ EST] Dat causam, cur dixerit *creaturæ*, putà aurea argentea, & lignea idola *facta sunt in odium & in tentationem animabus hominum*, quia scilicet idola eisdem sunt initium & causa fornicationis, ac corruptionis morum totius vitæ. Idololatria enim invexit libidines, ebrietates, & omnem scelerum colluuiem. Hugo: Holcot, Dionys. & alij per fornicationem intelligunt idololatriam; hæc enim est mistica fornicatio, qua anima relicto Deo sponso, idolis & dæmonibus, quasi adul-

adulteris adorando se substernit. Hinc idola vocantur *Baalim*, id est, mariti, sed adulterini. Unde Prophetæ passim idololatriam vocant fornicationem vel adulterium, ut Ezechiel c. 16. 26. Jerem. cap. 2. 16. Osee 2. 5. Nahum. 3. 4. &c. Sic sensus est, q. d. Exquisitio & fabricatio idolorum, est cura fornicationis, id est, idololatriæ: ad hanc enim invitant, & alliciunt idola.

Verùm hic sensus tum alienus videtur, tum exilis: qui enim nescit idola allicere ad idololatriam; Malim ergo fornicationem propriè accipere, præsertim quia ei iungitur corruptio vitæ, id est, morum omnium licentia & vitiatio, quæ communiter fornicationis solet esse comes, imò proles & filia. Sensus ergo est, q. d. Idola & idololatria est initium & causa fornicationis (sub qua ceteras libidinis species accipe per Synecdochen) indeque omnes probos honestæ vitæ mores depravat & corrumpit. Fornicatio enim secum inducit commessationes, obrietates, rixas, pugnas cædes, omnemque criminum catervam.

Idololatria est causa omnis sceleris.

Causa Prima. Causa est Prima, quòd idololatria sit summa Apostasia & recessus à Deo, qui est ipsa sanctitas & puritas, ac transitus ad dæmonem, qui est quasi ipsa impuritas & pravitas. Dæmon enim obstinatus in malo ob odium, quo prosequitur Deum & homines, qui sunt Dei imagines, ac destinati ad gloriam cælestem, ex qua ipse excidit, per invidiam furit, ut homines ad omne nefas, præsertim ad libidinem, in quam scit eum ex natura corrupta summè esse proclivem, pertrahat: quare sicut Deus castitate coli vult, sic dæmon libidine, ut patet ex sacris Priapi, Veneris, &c. Hinc sicut veros fideles videmus puritatis studiosos & castos: sic idololatras & hæreticos cernimus incestos: quare cum quis labitur in luxuriam, gradum facit ad hæresim.

Secunda. Secunda, quòd nemo castus esse possit sine peculiari & continuo adiutorio gratiæ Dei. Gratia autem est comes fidei: Fide ergo destituti carent pariter & gratia castitatis: Deus enim gratiam hanc tam singularem ferè, non nisi fidelibus sanctisque impertitur.

Tertiò. Tertia, quia, ut ait Ambrosiaster in cap. 1. ad Roman. idololatræ *Deum incuriosum colentes, atque per hoc negligendum, magis hebetati sunt, & ad omnia mala admittenda facti promptiores*; quia magnum frænum scelerum hominibus est metus Numinis, putà veri Dei, ne ab eo pro meritis castigentur: quo per idololatriam ablato, laxant idololatræ fræna cupiditatibus ruuntque in omnia dedecora. Non enim timent idola lignea & muta, nec ab eis vindictam expectant. Hoc est quod ait Apost. *Desperantes* (destituti fide & spe) *tradiderunt semetipsos impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ*. Ephes. 4. 17.

Quartò. Quarta, quia idololatræ colunt Jovem, Priapum, Venerem, &c. qui fuerunt homines impurissimi, ac adulteriis & libidinibus infames: quare putant sibi non tantùm licere, sed decori esse, si adulterentur & luxurientur, ut deos suos imitentur. Unde ille Adolescens apud Comicum: *Ego*, inquit, *non faciam quod Jupiter fecit?* uti fusius narrat S. August. lib. 2. de Civit. c. 7. Hinc S. Athanas. Orat. contra Idola, docet institutam esse idololatriam *desideria eorum, qui stupris & propudiis plenis in figmentis repræsentantur*. Fabulæ enim, comœdiæ, & tragœdiæ Poetarum plenæ sunt hisce Jovis, Martis, Veneris, &c. libidinibus, qui eas, quasi Deorum facinora decantant, & celebrant, Quocirca turpissimam Deorum vitam cultores idolorum imitandam sibi proposuerunt. Addit S. Athanas. originem idolorum investigans: *Ferè omnes civitates omnibus libidinibus scatent ob immanitatem morum, quam in suis diis conspiciunt. Neque est in hoc genere Deorum, quem castum appelles. Olim certè Phœnissæ mulieres ante idola prostituebantur, dedicantes numinibus suum quæstum, persuasæ meretricatu ea propitiari, ac prosperitatem rerum inde nasci*. Idem factitarunt mulieres Babyloniæ, Persicæ, Armeniacæ & aliæ, ut dixi Baruch 6. 42. Prosequitur S. Athan. *Viri quoque abdicato sexu, nec se amplius mares esse ferentes, mulierum naturam affectaverunt, tamquam ita honorifica grataque matri Deorum facturi essent; omnes autem in turpissimis vivunt, & certamen inter se pravitatis suscipere videntur, & ut dixit S. Paulus: Mulieres eorum mutaverunt usum*. Lege S. Paulum. Roman. 1.

Notum est Isidis Sacerdotes fuisse impiissimos. Scitum est Paulinam matronam castam à Decio mundo appetitam, cùm eam pellicere non posset, per Sacerdotes Isidis ei persuasisse Deum Anubidem ea frui velle; itaque pro Anubide Decium se substituisse, eaque abusum esse. Rem narrat Ioseph. lib. 18. Antiq. 4. & Hegesip. lib. 2. cap. 4.

Hinc Balaam Moabitis hoc consilium dedit vincandi Hebræos, scilicet, ut speciosas virgines ad castra Hebræorum submitterent, quæ eos ad fornicationem simul, & cultum Beelphegor pellicerent; Itaque factum, ut patet numer. 25. uti ibidem ostendi.

Symbolicè, idolum est phantasma speciosæ virginis vel meretricis, quod hominem adigit ad fornicationem. Homines enim carnales, qui oculos iaciunt in formam feminarũ, eã velut idolũ sibi imprimunt, quod adeò versant & adamant, ut de alia recogitare nequeant; quare cum eo fornicantur mente assiduè, ac corpore, cùm fœmina potiri possunt: quocirca amasias, quasi deas quasdam suspiciunt, colunt, & venerantur. Qui ergo castus manere cupit, claudat oculos, & idola hæc à mente excludat, ut dicat S. Iob. cap. 31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*. Hinc facit, quod ait S. Isidor. lib. 2. de Summo bono cap. 39. & citatur 32. qu. 7. can. 15. *Non solum*. *Non solum*, inquit, *de commissa fornicatione peccatum regnat in homine, sed si adhuc delectetur atque animum teneat, procul dubio regnat. Fornicatio carnis, adulterium est. Fornicatio animi, idolorum est servitus. Est autem spiritualis fornicatio, de qua Dominus ait: Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendã eam, iam mœchatus est eam in corde suo*. Matth. 5. 28. Idem applices cuilibet alteri phantasmati, iræ, vindictæ, gulæ, superbiæ, avaritiæ, quod iracundus, golosus, superbus, avarus, velut, idolum colit, ut illud opere expleat, eiusque usu & voluptate fruatur. Vide S. Cyprianum. Prolog. de Cardin. operis pulchrè de his concupiscentiæ idolis disserentem.

NEQVE ENIM ERANT AB INITIO, NEQUE ERUNT IN PERPETUUM.] Probat idola esse corruptionem vitæ, quia primitùs cum Deus naturam instituit vitamque hominidedit, non erant idola; quare illa non sunt conformia, sed difformia naturæ, vitæque hominum, illamque corrumpunt: quapropter ipsa quoque non erunt in perpetuum, sed ut corruptelæ totius vitæ corrumpentur, destruentur & peribunt; præsertim prædicante contra illa Paulo, & Apostolis. Demonstrat idololatriam esse inventum hominum, non autem institutionem naturæ, vel eius auctoris Dei, quia id quod hominem detorquet à Deo, & hominis naturam corrumpit, Deo congruere, ac naturæ conforme esse nequit. Porrò idola saltem publica non fuisse ante diluvium multi sentiunt, idq; tum ob recentem creationis & creatoris mundi memoriam, tum, quia eo tempore nullus erat rex vel tyrannus, qui ad idolorum cultum plebem cogeret, sed quisque pro suo vivebat arbitratu, ita affirmat S. Clemens Roman. lib. 1. Recognit. & libr. 4. Sub finem, Epiphan. Præfat. lib. de Hæresib. & in initio Panarij, Damascen. initio lib. de Hæresib. ac ceteri, qui originem idololatriæ sæculo diluvium secuto assignant, inter quos præcipuus est, S. Cyrillus libr. 1. & 3. contra Iulian. *Vers. 14.*

An idola fuerint ante diluvium?

Intellige hoc dei idololatria, quæ sit nota ex S. Script. vel aliis historiis, uti seipsum explicat S. Cyrillus, & ceteri. Nec enim Scriptura, nec ulla historia clarè asserit, idololatriam fuisse ante diluvium. Nam ex signis & coniecturis valde probabiliter conicere licet contrarium, scilicet idololatriam fuisse ante diluvium, imò fuisse causam diluvij; idque disertè docet Tertull. libr. de Idololatria. Et probatur Primò, quia Genes. 6. dicitur *Omnis caro corruperat viam suam*. Hæc autem corruptio naturaliter inducit Atheismum & idololatriam, uti post diluvium induxit. Hinc Serenus Abbas apud Cassianum Collat. 8. c. 21. docet filios Dei, id est, filios Seth, cùm ingressi sunt ad filias hominum, id est, filias Cain addixisse se maleficiis, superstitionibus, & dæmones coluisse; qui cùm non sint visibiles, verisimile est in simulacro & idolo se hominibus videndos & colendos præbuisse, uti fecerunt apud Gentiles post diluvium; & etiamnum faciunt apud Indos. Similia narrat Serenus de Cham filio Noë. Secundò, quia Gigantes, propter quos Deus induxit diluvium, fuere impiissimi, imò Athei & Theomachi, uti de suis Titanibus, quos Gigantes fuisse non est dubium, narrant Poetę Gigantes enim cum Numen Deumque spernerent, ac suo robore, & fastu omnes opprimerent, sibique subiicerent, videntur voluisse haberi

&co-

& coli tamquam dij, uti fecit Mazentius ille dicens apud Virgilium:

Dextra mihi Deus est, & telum quod missile libro.

Porrò memoria Creatoris Dei & creationis mundi citò, diuque ante diluvium ex animis impiorum evanuit, uti jam dicta demonstrant. Adde diluvium tardè, putà post 1500. annos à creatione mundi contigisse. Hinc & Hebræi in Berescit Rabba, id est Genesi magna ad cap. 4. Genes. v. 17. tradunt tempore Enos, qui fuit nepos Adæ ex Seth filio, homines illius ævi abiurasse fidem unius Dei, tuncque idololatriam incepisse, ideoque se illi opposuisse Enos, ac cœpisse invocare nomen Domini, scilicet proprio & publico cultu: licèt alij aliter sentiant.

VERS. 14. SUPERVACUITAS (græcè κενοδοξία, id est, inanitas, vana gloria, & ambitio, *hæc*, idolorum scilicet & idololatriæ) ADINVENIT IN ORBEM TERRARUM] q. d. per vanitatem & ambitionem hominum ingressa est in orbem terrarum idololatria; ipsa enim non est aliud, quàm mera vanitas & ambitio, ideoque cito peribit & evanescet. Nam homines ambitiosi honores divinos sibi appetantes, idolum in mundum invexerunt. Prò *advenit*, ut habent Rom. & Græca, alij legunt *adinvenit*, sed eodem redit sensus. Vnde alii legentes κενοδοξίᾳ, in ablativo vertunt: *Vanagloria vel ambitione idola ingressa sunt in mundum*. Ita S. Athanas. orat. contra Idola, & Vatab. *Quippe hominum ambitione*, inquit, *in mundum introducta sunt*. Quamuis autem ambitio prima fuerit homini causa idola effingendi, eisque sacrificandi; tamen invidia diaboli, odiumque quo Deum hominesque prosequitur, ut scribit Tertull. in lib. de idololatria, hunc ignem accendit & auxit.

ET IDEO BREVIS ILLORUM FINIS EST INVENTUS] Pro *inventus*, græcè est, ἐπενοήθη, id est excogitatus, destinatus est, scilicet à Deo. Ita Clarius, Vatabl. & alij. Unde & S. Athanas. legit: *Et ideo compendiaria eorum consummatio excogitata est*. q. d. Sicut vanitas vanaque ambitio excogitavit idola, ita Deus ex adverso huic vanitati & malo coercendo statim excogitavit remedium, quo illa sensim attereret & consumeret, nimirum vocando Abraham ad sui cultum, ac in ejus familia & gente erigendo Synagogam, veramque unius Dei fidem & religionem, quæ ex diametro idololatriæ obsisteret, donec eã deleret per Christum & Apostolos. Alioqni enim constat idololatriam diu durasse scilicet usque ad Christum per tria penè millia annorum, nisi quis dicat hic esse prophetiam de re proximè futura, si spectes tempus auctoris, qui hæc scripsit, ut τὸ *inventus fit*, propheticè capiatur pro *invenietur*. q. d. Brevi finis idololatriæ invenietur aderitque: instat enim adventus Messiæ, qui eam abolebit. Hic enim liber Scriptus videtur sub tempora Ptolomæi Philadelphi & Septuag. interpretum, ducentis annis ante Christum, qui subvertit idola.

Porrò Petrus Nannius pro διὰ τοῦτο, legens διὰ τοῦτο, sic vertit & explicat, q. d. Propter brevitatem vitæ hominum, excogitata sunt idola, seu imagines mortuorum, ut scilicet brevitatem vitæ suorum longævitate memoriæ eorumdem, per imagines & idola compensarent. Verùm Codices plærique omnes habent διὰ τοῦτο, non διὰ τό.

VERS. 15. ACERBO ENIM LUCTU DOLENS PATER CITO SIBI RAPTI FILII FECIT IMAGINEM: ET ILLUM, QUI TUNC QUASI HOMO MORTUUS FUERAT, NUNC TAMQUAM DEUM COLERE COEPIT, ET CONSTITUIT INTER SERVOS SUOS SACRA ET SACRIFICIA) *Sacra* intellige festa, templa, altaria, thura aliosque sacros culturæ modos & ritus. Ita Dionys. Pro *acerbo* græcè est, ἀώρῳ: ἄωρον autem vocatur id quod in fructibus est intempestiuum, ideoque acerbum, utpote immaturum, quod calore solis non est coctum, sed adhuc acerbum manet: trãsfertur ad vitæ incommoda, & mala, & ad hominis celerẽ decessum, ut patet cap. 10. v. 7. Luctus ergo acerbus seu intempestiuus dicitur, quòd filius ante tempus raptus lugeretur. *Sacra*, græcè, *mysteria & sacrificia*, hoc est, cæremonias & ritus, & quidquid ad cultũ pertinet paravit, sacrificiaque constituit. Hinc Arabicus vertit: *Quia genitor propter dolorem suum ingemiscit gemitu infinito, propter subitam ablationem filij sui: exemplo fecit illi simulacrũ, & homines permanentes ab initio venerati sunt tamquã Deum.* Obscurius Syrus: *Sacrificium enim mæstitiæ sumpsit pater cum tremore animantium, atque filius ejus tolletur, quia fecit formam hominis, tunc mortuus est, & fecit nunc eum comparationem Dei. Et dedit iis qui sub manu sua sunt mysteria ministerij.*

Probat idola non semper fuisse, sed esse nuperrimum hominis inventum, ex eo quòd illa adinventa sint à parentibus, ad leniendum dolorem conceptum ex præpropera morte filiorum vel charorum, quòd scilicet ut eorum memoriam sibi ad aliquale solatium conservarent, fecerint eorum imagines, easque velut idola cum suis coluerint. Amor enim parentum in filios est cæcus & amens, ut filiorum aspectu, culto & laude non satientur, donec divinos honores eis tribuant: O magna generis humani calamitas? Amoris signa transtulit in incitamenta peccati, & quod primò charitati serviebat, fecit ut tantæ Dei iniuriæ deserviret. Triplex ergo nefas imprudenter & sacrilegè commisit. Primum, quòd filij imaginem valuit idolum ad doloris lenimentum asservarit, cùm eo potiùs dolorem auxerit. Nam per imaginem redeunt filij memoria, renovabatur patri dolor de ejus morte: ac quoties eam aspiciebat, toties velut ictu cultri cor ejus perforabat. Nimirum ignorabat, quòd dolorũ & miseriarum medicina sola sit oblivio. Secundum, quòd amore & honore filij excluserit amorem & honorem Dei, ac idolum filio quasi Dei æmulum, summam ejus iniuriam constituerit, atque à suis per sacra & sacrificia, coli voluerit. Tertium, quòd posteris fuerit causa idololatriæ, omniumque scelerum, quæ ex illa oriri nata sunt. Quocirca Olympias Alexandrum Magnum filium, cùm se Jove natum venditaret, festivè castigavit. *Nam cùm is*, inquit Gellius lib. 13. cap. 4. *ad matrem ita scripsisset: Rex Alexander Jovis Ammonis filius Olympiadi matri salutẽ, dicit Olympias ei rescripsit ad hanc sententiã. Amabo, inquit fili mi quiescas, neq; deferas me, neq; crimineris adversus Junonẽ. Malum mihi prorsum illa magnũ dabit, cũ tu me literis tuis pellicẽ illi esse confiteris. Ea mulieris scita atq; prudentis ergo ferocem filiũ comitas, sensim & comiter admonuisse eum visa est, deponendam esse opinionem vanam, quã ille ingentibus victoriis & adulantium blandimentis, & rebus supra fidem prosperis imbiberat, genitum esse sese de Jove.*

Gravis est hic & obscura quæstio de origine idolorum idololatriæ; à quo scilicet, quando, & quomodo inceperint? Calvin. libr. 1. Instit. cap 11. §. 8. ex hoc loco contendit librum hunc non esse Canonicum, & auctorem falsi insimulat, eò quod Rachel, inquit, legatur furata idola patris sui. Genes. 31. 19. quæ tamen non erant imagines mortuorum: illud autem contigit, antequam in consecrandis imaginibus mortuorum consuetudo invalesceret. Verùm utrumque Calvino est probãdum; utrumque enim est falsum: Priùs, quia idola Rachelis vocantur Hebr. *teraphim*, quæ simulacra sunt hominis vel hominem repræsentantia, ut patet 1. Reg. 19. 13. ubi Michol pro Davide marito suo, qui à servis Saulis quærebatur ad necem, ut eos similitudine corporis humani falleret, in lecto supposuit *theraphim*, id est, simulacrum hominis, ac proinde David simile. Posterius quoque falsum est, quia longè ante Rachelem Ninus Primus rex Assyriorum, cujus anno regni 43. natus est Abraham auus Jacobi, cujus uxor fuit Rachel; Ninus, inquam, Belo Patri Diuo vita functo posuit imaginem, & idolum ad adorandum, uti mox ostendam. Porrò Calvinum refellit S. Athanas. lib. contra idola, qui hunc de origine idolorum Sapientis sententiam disertis verbis citat & probat, æquè ac ceteri doctores & interpretes, atque tota Ecclesia, quæ hunc librum ut canonicum, & à Spiritu sancto dictatum recepit, ac in Concil. Trident. sess. 4. talem esse definivit.

Quando cœperunt idola?

Pro resolutione quæstionis, suppono idololatriam posse esse sine idolis, imò fuisse ante idola, scilicet cùm dij sine simulacris, aut solis templis, & ædibus vacuis colerentur ut disertè docet Tertull. initio lib. de idololatria, & Plutarch. in vita Numæ docet ex illius præcepto annis 170. ab Urbe condita nullam in templis Romæ imaginem, neque pictam, neque fictam fuisse conspectam. Idem habet Dion. Halicar. addens Tarquinium Priscum docuisse Romanos simulacra diis ponere. Hoc enim vult Varro apud August. 4. de Civit. 31.

Idololatria fuit ante idola.

Dico Primò, idololatria videtur statim cœpisse à diluuio, non tamen idola. Probatur Primò: quia Nem-

Idololatria cœ-

pit mox a diluuio.

rod filius Chus, filij Chã, filii Noë Gen. 10. superba tyran- A nide populum sollicitavit, ut à Deo deficeret ad se. Ita Ioseph: Antiquit. libr. 4. & S. August. 16. de Civit. 4. & passim alij consentiunt, eum auctorem fuisse, & prefectum ædificandæ turris Babel contra Deum. unde ipse cum suis punitus est à Deo, quando ut ait S. August. lib. 16. de Civit. c. 11. Solus Haber tunc cum suis, quasi Dei populus pristinam linguam, putà Hebræam æquè ac fidem & pietatem retinuit: Nemrod vero cum reliquis sibi obsequentibus vtraque fuit spoliatus. Addit Hugo de S. Victor. in Genes. cap. 10. Nemrod homines ad idololatriam induxisse, ut ignem quasi Deum colerent, quem errorem postea Chaldæi sunt secuti. Vnde Abraham liberatus dicitur do Vr, id est, de igne Chaldæorum. 2. Esdræ. 9. v. 7. Secundò, quia Cham filius Noë homo pessimus, artis Magicæ fuit auctor (Magi autem dæmonem colunt.) Ita Cassian. Col. 8. 21. & Berosus Annianus & alij, qui Berosus docet eum inde Zoroastrem dictum, eiusque pestifera dogmata secutos Ægyptios, qui illum sibi fecerunt inter deos Saturnum adolescentiorem. Favet ratio, nam videmus pessimos mores, quales fuerunt B Cham & posterorum, ferè infidelitatem, hæresim, aut atheismum degenerare.

Ninus Primus idolum patri erexit.

Dico Secundò: Ninus Primus rex Assyriorum, primus pariter idolum celebre Beli patris sui mortui, qui aut Nemord fuit, aut eius successor, publica regis auctoritate sub annum trecentesimum post diluvium proposuit, illudque asylum rei constituit. Ita S. Ambros. in c. 1. ad Rom. S. Cyrill. libr. 9. contra Iulian. non longè ante finem, S. Hieron. in Osee 2. Euseb. in chronico & alij passim, indeq; prisca idola dicta sunt Bel, Baal, Baalim, Belial, Beelphegor, Beelzebub & plurima talia; significat autem *bel*, vel *baal*, Hebraicè Dominum, quomodo nos Deum Dominum vocamus. Antonomasticè. Vide dicta Genes. 10. v. 10. Quare quod Græci teste S. Cyrillo libr. 1. contra Iulian. volunt Cecropem eorum regem primum finxisse simulacrum, idque nominasse Iovem summum Deorum, res illi statuisse, & bovem immolasse, vel falsum est, vel intelligendum primum fuisse in Græcia. Sic & quod. s. Hieron. Proœmio in epist. ad Titum. ac Didymus lib. Exegesis asserunt, à Cretensium C rege Melisso cœpisse idololatriam, Diodor. & Euseb. à Phrygibus, Lactant. lib. 2. de Falsa religionem à Chananæis; quia eorum conditor Chanaan ab auo Noë maledictus, primus à veri Dei cultu ad simulacra defecit. Hæc, inquam, vel falsa sunt, vel intelligenda sic, quòd suis in locis & provinciis dumtaxat fuerint primi idololatriæ auctores. Sic Atlantides Africæ populi primum apud se regoasse Deum *uranon*, id est, *cælum* falsò gloriabantur. Phœnicibus verò æquè falsò Theologiæ & religionis initium arrogat Sanchoniathon Berytius apud Euseb. lib. 1. præpar. Hinc pariter liquet errare Hebræos, qui teste Isidoro lib. 8. Etymol. ca. 11. tradunt primum idoli factorem fuisse Ismealem, quin & idolo nomen Ismael fuisse.

Dico Tertiò, ante hoc Nini idolum celebre & universale, fuerunt alia privata, imò & publica; sed non tam universalia, quam Nini. Patet, nam Ninus fuit coæuus Abrahæ. Abraham enim est notus anno 43. Nini. Ita Euseb. & Hieron. August. Cyrill. Beda, Isidor. Ante Abraham autem fuisse idola patet, quia Thare pa- D ter eius & reliqui Chaldæi erant idololatræ, ut habet communis Hebræorum traditio, & pater Iosue utl. v. 2. Rursum Epiphanius initio lib. 1. de Hæresib. atque ex eo & Philone Suidas Verbo *Sarug*, docent idololatriã in cultu imaginum sive picturarum cœpisse à Sarug, qui avus fuit Thare, & Septimus à Noë. A Sarug ergo videtur cœpisse idololatria imaginum, non tamen statuarum.

Sarug Auctor imaginum

Dico Quartò, causa & initium idolorum fuit fabrica imaginum defunctorum. Fecerunt enim idola, ut filiorum, aut maiorum, aut regum, aut inventorum artium, aut benificorum, & amicorum memoria servaretur. Tales ergo homines defuncti habiti sunt dij, cùm ipsi quasi in cælũ recepti colerentur, pro quibus deinde se in terris dæmonia colenda supposuerunt, & sibi sacrificari à deceptis & perditis hominibus flagitarunt, inquit Augustin. 12. contra Faustum 17. Cyprian. initio libr. de Idol. Vanitate. Herod. libr. 1. Tertull. Apolog. cap. 11. Euseb. 7. Præp. 7. Lactant. l. 1. c. 17. Idem de Sarug docet Suidas suprà: *Hoc*, inquits. Cyprian *ita esse*, *Alexander Magnus insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suæ potestatis sibi proditum de dijs hominibus, à sacerdote secretum, quod maiorum, & regum memoria servata sit inde colendi & sacrificandi ritus inoleverit.* Hinc & à sepulchris regũ & clarorum virorum templorum originem deducit, Eusebius lib. 2. de Præpar. cap. 8. Lact. & Clemens Alex. in Protreptico: *Superstitio*: inquit, *templa*, *condere persuasit: quæ enim prius hominum sepulchra fuerant, magnificentius condita templorum appellatione vocata sunt*. Sic & apud Christianos tẽpla erigebantur ad sepulchra martyrum, indeque martyria vocabantur, uti dixi Apocal. 6. 9.

Hac de causa s. August. 18. do Civit. 5. docet, Sarapidis simulacrum digito ad os admoto, indicare solitum, ut taceretur Serapidem fuisse hominem, imò & pœnam mortis constitutam iis, qui Serapidem hominem fuisse dicerent, cùm tamen verè hominem fuisse constaret. Ritum apotheoseos Cæsarum, sive relationis Cæsarum in Deos habet Herodia li. 4. initio. Neque aliud vult hic Sapiens. Tantum enim vult dicere, ex nimio affectu & dolore suorum initium sumpsisse idololatriam, quod apud varias gentes diversimodè factum; apud quosdam patre extruente imaginem filij, apud alios filio patris, apud alios marito uxoris, apud alijs defunctis, ut insinuat Sapiens v. 21. idolum ergo finxit defunctorum amor, & ambitio; provaxit adulatio & metus principum; firmavit fraus dæmonum, splendor idolorum, tot seculorum error & usus.

Dico Quinto, magis obuium & proclive est, ut filio pater, quàm ut filius patri aut alteri imaginem & idolum erigat; ac consequenter idolum filij, vel primum, vel inter prima fuisse videtur. Probatur Primò, quia huc inclinant verba Sapientis, cui nihil ei antiquitate contrarium afferi potest, & alia ex parte omnino est verisimile, auctorem huius libri virum ubique pium, doctum, & gravem traditione accepisse hanc suam sententiam. Secundò, quia patres magis amant filios maximè teneros, quàm filij ament patres: ergo proclivius amor & dolor parentum, ijs excussit imagines erigendas filijs defunctis, quàm contra; maximè cùm patres per filios quasi semper esse & vivere cupiant, non contra. C Probatur Tertio, exemplis. Nam Lactant. lib. 1. de falsa relig. cap. 15. ex Cicerone docet, ipsum Tulliolam suam filiam defunctam, deam facere conatum erecto illi simulacro, idque imitatione veterum; ergo veterum hic mos fuit. Rursum Fulgent. lib. 1. de Dijs gentium initio c. de idolo, ex Diophante lacædemonio antiquissimum habet exemplum idoli, quod Synophanes Ægyptius spendidus filio demortuo erexit; additque inde idolum dictum quasi *eidos odynes*, id est, species doloris: hic autem in morte filiorum acerbissimus est.

Primum idolum posuit pater filio Prob. Primò.

Secundò.

Tertiò.

Synophanes primus filio idolum fecit.

Huc accedit Noster Hier. Pradus in cap. 8. Ezechiel. sub finem, ubi Primò asserit, hunc Synophanem fuisse primum (quod etiam esserit Holcot) idololatram, esseque eum, quem hic notat Sapiens, & hinc Heb. idola dici *atsabim, aven*, id est dolores, labores. Secũdò Ægyptios auctores idololatriæ extitisse. Tertiò, hunc filium videri esse Adonidem; *eidos odynes*, enim corruptum videtur in nomen Adonis. Vnde Stephanus lib. de Vrbibus: Amatus, inquit, fuit urbs Cypri vetustissima, in qua Adonis Osiris colebatur, qui cùm Ægyptius esset, D Cyprij & Phœnices perpetuum sibi fecerunt. Tertiò, Epiphan. initio lib. de Heresib. & ex eo Suidas voce *Abraham* docet Thare, qui auum habuit Sarug & Abraham filium, primum ante Saturnum, Iovem, Rheam, ac Iunonem, & alios deos, statuas ex luto arte figulari, id est, idola statuarum fecisse, illumque esse primum, cuius filium scilicet, Aram Script. meminit ante patrem esse defunctum, quasi innuat, id ideo factum, quod Thare primus filio defuncto idolum erexerit, ideoque à filio Abrahamo de idolorum cultu gravissimè reprehensum. Et sanè si Thare primus statuas idololatricas finxit mortuis, non dubium, quin vel maximè filio Aram, & paruulo defuncto, si quem talem habuit, finxerit: quæ si vera sunt, videtur hic Sapiens notare hunc Thare; quod primus statuam filio defuncto erexerit. Nam Sapiens hic de imagine statuæ loqui videtur. Vnde v. 17. Græcè vocat *glypta*, id est, sculpta: & v. 21. lapides & ligna. Si tamen ad imagines pictas Sarug quis hæc referat non repugno, sed vellem auctorem priscum, qui Sarug imagines filio defuncto primum erexisse disertè asse-

Tertiò.

At Thare.

rat

rat. Quare quod Iulius Higinius lib. 1. Fabularum c. 274. ait, Dædalum Eupolami filium primum Deorum simulacra fecisse, accipiendum est inter Græcos, vel Athenienses: nã ante hunc fuerunt Chaldæi, Thare & Sarug.

Denique Victor Massiliensis docet, Nemrod doloris gratia statuam posuisse filio, quem unicum amiserat, ac ad eam sacra fecisse, hostias immolasse, & idololatriæ auctorem extitisse. Huc accedit noster Sebast. Barradius tom. 4. in Evang. part. 303. qui opinatur, Ninum, vel quem alium primum filio suo, qui ab avo vocatus sit Belus vel Baal, idolum publicum constituisse; nec enim de privato, sed de publico idolo loqui hic sapientem Idem opinatur Gulliel. Parisiensis libr. de Legibus c. 23.

Verùm Euseb. S. Aug. Cyrill. & ceteri docent Ninum Belo patri suo, non filio primum idolum posuisse.

Porrò, quod Lactantius lib. 1. Instit. c. ult. ex Theophilo & Thalo ait, Belum Saturno qui sator fuit Deorum tempore fuisse æqualem, & utrumque uno tempore adolevisse, ceteri passim confutant. Saturnus enim & Jupiter longè posteriores fuere Belo. Nemrod, Nino & Abrahamo. Saturnus enim in Creta regnavit, ac inde fugatus à Jove filio, in Italia & Latio, centum annis ante bellum Troianum, quod contigit sub tempora Samsonis, qui multis seculis, non tantùm Belo & Abrahamo, sed & Mose fuit posterior, teste Euseb. in Chron. Unde Epiphan. Præfat. lib. 1. contra Hæreses sic ait: *Postea* (post Thare & Abram) *deificarunt, aut infelices tyrannos, aut præstigiatores spectra orbi terrarum exhibentes, monumenta ipsorum venerantes, & longo tempore postea, Saturnum, & Jovem, Rheamque ac Junonem, & alios deinceps:* Accedit, quod Saturnus & Jupiter sint Latina nomina, Latini autem Babyloniis, Assyriis, & Hebræis, qualis fuit Nemrod & Bel sive Belus, longè fuere posteriores: Dicitur enim Latinè Jupiter, quasi iovans pater: Saturnus, quasi satur annis, teste Cicerone libr. 2. de Natura Deorum. Quin & Lactant. ipse loco citato: *Agamemnon*, inquit, *qui gessit bellum Troicum* (Troianum) *Jovis abnepos fuit, & Achilles Ajaxque pronepotes, & Ulysses eodem gradu proximus fuit.* Ergo non diu ante bellum Troianum vixit Jupiter, cùm Bel sive Belus multis seculis ante illud extiterit. Bellum enim Troianum extitit paucis annis ante Samsonem. Imò Noster Salianus in Annal. Troiam captam asserit anno ultimo Ahialon Judicis Israel, cui successit Abdon iudicans Israel octo annis, deinde Samson. Unde Euseb. in Chronico à Nativitate Abrahæ, qui natus est anno Nini (qui Belo successit) usque ad captam Troiam numerat annos 825. a nativitate verò Moysis ad captam Troiã numerat annos 310.

Saturnus Jupiter quando vixerint?

Error indè accidit, quòd cùm Latini suum Jovem & Saturnum celerent esse primos & antiquissimos Deorum, ac talem pariter apud Assyrios audirent esse Belum, inde concluserint Belum fuisse eumdem, vel certè coævum Saturno, cùm Belus longè anterior fuerit, æquè ac Assyrij anteriores fuere Latinis. Indè rursum factum, ut nonnulli nomen Jovis extenderint ad Belum, eique dederint nomen Jupiter Belus, ac Beli patrem vocent Saturnum: sed nimirum nominibus abutuntur, & hic abusus parit confusionem Deorum & temporum. Audi S. Cyprian. initio libr. de Idololatria: *Antrum Jovis in Creta visitur, & sepulchrum ejus ostenditur, & ab eo Saturnum fugatum esse manifestum est: indè Latium de latebra ejus nomen accepit. Hic litteras imprimere, hic signare nummos in Italia primus instituit, unde ærarium. Saturni vocatur, & rusticitatis hic cultor fuit, inde falcem ferens pingitur: hunc fugatum hospitio Ianus exceperat, de cujus nomine Janiculum dictum est, & mensis Januarius institutus est. Ipse bifrons exprimitur, quod in medio constitutus, annum incipientem pariter et recedentem spectare videatur.*

Denique Saturnus fugiens Jovem regnavit in Italia, cui successit filius Picus, post quem Faunus, qui fuit pater Latini, Æneæ soceri. Hinc collige, quàm parum abfuerit Deorum ætas à Troiano seculo, inquit Genebrar. in Chronol. Æneas enim capta Troia fugit in Italiam. Tunc ergo simul floruere præcipui dij, id est, homines inter deos relati à Græcis & Latinis, qui fuere numero duodecim, quos Ennius his duobus versibus complexus est:

Dij Græcorum & Latinorũ vixere sub tempora belli Troiani.

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars.
Mercurius, Jupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo;

Saturnum & Bacchum addit Euseb. libr. 4. de Præpar. Horum sepulchra olim extabant in Græcia & Latio, ac præsertim Jovis in Gnoso urbe Cretæ. Ita Euseb. Clemens, Lactant. S. Cyrillus, & alij iam citati. Porrò multi ex his fuere filij Saturni, qui proinde Sator Deorum vocator. Saturnus enim ex Rhea sive Ope genuit Jovem, Cererem, Junonem Neptunum, Plutonem, &c. teste Lactant. lib. 1. c. 14. ex Ennio.

Denique S. Thom. 2. 2. qu. 94. ex hoc capite colligit quatuor causas & origines idololatriæ. Prima, fuit nimius amor vel timor. Homines enim nimiè filium, patrem aut principem amantes, vel nimis venerantes honorem divinum ei impenderunt. Secunda, fuit pulchritudo imaginis, qua naturaliter delectantur & capiuntur homines. Tertia, fuit ignoratio Dei, quia enim Deum alium non inveniebant, hinc creaturis divinitatem attribuerunt. Quarta, fuit fraus dæmonum, qui in idolis coli cupientes per ea dabant responsa, vel mira quædam patrabant.

Vers. 16. DEINDE INTERVENIENTE TEMPORE, CONVALESCENTE INIQUA CONSUETUDINE, HIC ERROR TAMQUAM LEX CUSTODITUS EST, ET TYRANNORUM IMPERIO COLEBANTUR FIGMENTA] Pro *iniqua*, ut habent Græca & Rom. perperam nonnulli legunt *antiqua*. Tò *hic error* non est in Græco, qui sic habet: & *impia consuetudo quasi lex custodita est*, scilicet ab impiis: nam pij sciunt impiam consuetudinem numquam præscribere, nec ulla temporum longitudine roborari, ut vicem legis obtineat. Pro *figmenta* græcè est, γλυπτὰ, id est, *sculpta*, scilicet idola. Prima enim idola fuerunt sculptilia, putà imagines Regum aliorumve hominum, in auro ære, ligno exsculpta. Significat ergo prima idola domi fuisse culta ad libitum. sed idololatriam hanc privatam roboratam fuisse publica consuetudine & regum imperio, ut iam ampliùs libera non esset, sed consuetudine quasi lege sancita, & tyrannorum vi coacta. Sic Ninus coegit suos adorare idolum Beli patris sui. Sic Nabuchodonosor statuam sibi erigens in ea se adorari iussit, Daniel. 3. Sic Nero, Decius, Diocletianus, ceterique Imper. coegerunt idola Jovis, Apollinis Martis, &c. adorari, ideoque Christianos id facere recusantes ferro & flamma persecuti sunt per trecentos annos; à Christo scilicet usque ad Constantinum, eumque multa centena martyrum millia gloriosa de tyrannis, æquè ac idolis virtutum trophæa retulere.

Causa idololatriæ. Prima.

Vers. 17. ET HOS, QUOS IN PALAM HOMINES HONORARE NON POTERANT, PROPTER HOC QUOD LONGE ESSENT, E LONGINQUO FIGURA EORUM ALLATA, EVIDENTEM IMAGINEM REGIS, QUEM HONORARE VOLEBANT, FECERUNT, UT ILLUM QUI ABERAT, TAMQUAM PRÆSENTEM COLERENT SUA SOLICITUDINE] Græcè: *Ut absenti tamquam præsenti adularentur studiosè.* Hæc est altera causa idoli & idololatriæ, scilicet adulatio: multi enim ut regibus alijsque potentibus adularentur, eorumque gratiam aucuparentur, fecerunt eorum imaginem *evidentem*, græcè ἐμφανῆ, id est, claram, manifestam, & ad vivum expressam, eamque ut Numen colere cœperunt.

Secunda.

Audi S. Cyprian. initio tract. de Idololatria: *Deos non esse, quos colit vulgus; hinc notum est. Reges olim fuerant, qui ob regalem memoriam coli apud suos, postmodum etiam in morte cœperunt. Indè illis instituta templa: inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra: quibus & immolabant hostias, & dies festos dando honores celebrabant: unde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerant assumpta solatia. Et videamus an stet hæc apud singulos veritas, Melicertes & Leucothea præcipitantur in maria, & fiunt postmodum maris numina. Castor & Pollux alternis moriuntur, ut vivant. Æsculapius ut in Deum surgat, fulminatur. Hercules ut hominẽ exuat, Oetæis ignibus concrematur. Apollo Admeti pecus pavit. Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercede operis infelix structor accepit.*

Vers. 18. PROVEXIT AUTEM AD HORUM CULTURAM ET HOC, QUI IGNORABANT, ARTIFICIS EXIMIA DILIGENTIA. Vers. 19. ILLE ENIM VOLENS PLACERE ILLI, QUI SE ASSUMPSIT, ELABORAVIT ARTE SUA, UT SIMILITUDINEM IN MELIUS FIGURARET, Vers. 20. MULTITUDO AUTEM HOMINUM ABDUCTA PER SPECIEM

OPERIS, EVM QVI ANTE TEMPVS TANQVAM HOMO HONORATVS FVERAT, NVNC DEVM ÆSTIMAVERUNT.] Tertia, est hæc causa idololatriæ, scilicet industria artificis insigna, pulchrumqee idolum efformantis. Hæc enim pulchritudo idoli hebetes & rudes allexit ad eius contemplationem, admirationem & adorationem.

Tertio.

Prò *eximia diligentia*, græcè est, φιλοτιμία, id est amor honoris, ambitio, putà ambitiosa, & ut Vatabl. ait, affectata diligentia artificis, qui ut ab imperitante, vel hero, ceterisque ex arte laudem, ac eximij artificis nomen & decus conseqeeretur, studiosè & ambitiosè simulacrum elaboravit, uti faciebat Apelles, qui proindè rogatus, cur tam morosè, lentè, & exactè pingeret? respondit, *pingo æternitati*.

Pro *eo qui se assumpsit*, &c. græcè est: *ille enim volens placere* κρατοῦντι, id est, *dominanti*, putà Principi, qui idolum formandum dedit; Ita Vatabl. Iansen. Osorius: aut potiùs κρατοῦντι, id est suo hero & domine, qui illum quasi prehendit, & pretio ad formandum Principis idelum conduxit. Agitur enim de eo, qui Principi absenti adulans, eius imaginem quàm elegantissimam confici curat. Vnde Noster solerter vertit, *& qui se assumpsit*. Ita Lyran. Hugo, Dionys. & alij.

ELABORAVIT] Græcè ἐξεβιάσατο, id est, vi por artem effecit, vel summa vi artis incubuit, summam vim & contentionem in elaborande adhibuit, toto conatu efformanit. Ita Nannius: *Vt similitudinem in melius figuraret*. Græcè: *elaboravit arte similitudinem in pulchrius*, vel ad maiorem pulchritedinem & venustatem, id est, quàm pulcherrimè & elegantissimè effinxit, in eaqua omnem vim artis ac facultatis adhibuit, & quasi extremum potentiæ exereuit.

MULTITUDO AUTEM ABDUCAT] Græcè ἐφελκόμενον, id est, attracta, illecta. Vnde Iansen. censet legendum *adducta*. Sed Romani significantiùs legunt *abducta*, id est, illecta, seducta, decepta *per speciem operis*, græcè *per gratiam operis, eum qui ante tempus*, græcè πρὸ ὀλίγου, id est, ante modicum tempus, sive paulò ante, *tamquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimaverunt*, græcè σέβασμα ἐλογίσαντο, id est, *rem cultu dignam*, putà Numen *reputarunt*. Vnde Vatab. vertit: *Vulgus autem opificij venustate illectum quem nuper ut hominem honorarat, nunc Numen existimavit*.

VERS. 28. ET HÆC FVIT VITÆ HVMANÆ DECEPTIO: QVONIAM AVT AFFECTVI, AVT REGIBVS DESERVIENTES HOMINES, INCOMMUNICABILE NOMEN LAPIDIBVS ET LIGNIS IMPOSVERVNT] Græcè: *Et hoc fuit vita* εἰς ἔνεδρον, id est, *in insidias*, hoc est, *insidiosum*, scilicet ad capiendos rudes homines elegaetia idoli, ut illud numen esse crederent, itaque agerentur in ruinam & exitium vitæ, tum præsentis, tum æternæ: Pro *affectui aut regibus*, græcè est, ἢ συμφορᾷ ἢ τυραννίδι, id est, *aut calamitati aut tyrannidi: calamitati*, hoc est affectui exerto ex calamitate filij aut cognati, vel parentis amissi & mortui. Refricat enim quod dixit v. 15. *Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem*.

INCOMMUNICABILE NOMEN LIGNIS ET LAPIDIBVS IMPOSVERVNT) q. d. Nomen *Iehova*, id est!, Dei, soli Deo vero proprinm, tribuerunt ligneis & lapideis idolis, quæ vocarunt deos ijsque divinitatem ascripierunt, quę summa fuit stoliditas, æquè ac Dei veri iniuria.

Tropol. idem facit peccator, dum creaturam Creatori anteponit, ut in eaq; omnem suum amorem figat, in eoque felicitatem & ultimum suum finem constituat. Talis enim suas opes, honores, veneres, delicias, &c. velut sua idola & numina, colit; quare illis quasi divinitatem tribuit, eamque Creatori adimit, cum summa eius offensa. Nam ipse ait: *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus*, Isaiæ 42. 8. Quocirca cum te creatura quæpiam sui specie velut idolum ad idololatriam, putà ad peccatum allicit, animosè illi resiste ac responde, quod Martyres tyrannis respóderunt. Tres pueri Hebræi Nabuchodonosori ad suam statuã adorandam urgenti, minaetique fornacem Bobylonicam generosè replicarunt: *Nõ oportet nos de hac re respondere tibi: Ecce enim Deus noster, quem colimus potest nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ò rex, liberare. Quod si noluerit notum sit tibi rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti non adoramus*. Dixerunt & præstiterunt; ideoque in mediis ignibus Dee tutante illæsi, Eucharisticum ei cecinerunt. Daniel. 3. vide ibi dicta.

Tentationi, id est, idolo resistendum.

Exempla

S. Marius, eiusque filij Audifax & Habacuc. Persæ & Martyres generosi, cùm idola irridentes. Romæ per urbẽ colligatis manibus circũducerunt præcone clamãte: *Deos nolite blasphemare*, exclamarunt: *Non sunt Dij, sed dæmones, qui & vos perdent & principem vestrum*. ita habent Acta S. Valentini apud Surium die 14. Februarij.

S. Publia matrona nobilissima & præstantissima (quam Græci in Menolog. asserunt fuisse matrem sancti Chrysost. & insinuat Theod.) audiens illac transire Iulianum Apostatam idolorum patronum, ut eum rideret. cum suo Virginum choro cecinit: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Similes illis qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis*; cumque Iulianus indignans iuberet eas tacere, Publia cum suis maiori alacritate idem occinuit. Quare tyrannus præcepit eam alapis cædi & cruentari. Verùm illa contumeliam hanc pro summo honore ducens domum revertitur, & tyrannum ut solebat spiritualibus cãtilenis perstringit, ait Theodor. lib. 3.

Trinitas Martyrũ & virginum sub Diocletiano fecere S. Menodora, Metrodora, & Nymphodora sorores, & quasi tria virginitatis dona, quarum dei idolis ęquè ac tormentis triumphum colit Ecclesia die 10. Septembris. Menodera dum per duas horas à quatuor lictoribus cæderetur, Præcone clamante: *Deos cole, iisque sacrifica*, intrepide respondit: *An non vides, quod me totam Deo meo sacrificavi? quænam enim est meo sanguini utilitas, dum descendo in interitum, si non eum prius meo sponso sacrificavero?* Quare virgis ossa conterebantur, & confringebantur rotæ martyri, quæ magna voce clamans: *Domine Iesu Christe mea exaltatio, meus amor, ad te, spem meam, confugio, accipe in pace animam meam*, purpureum in eius manus emisit spiritum. Metrodora idola irridens, & Deos velut dæmones subsannans, per duas horas lampadibus ustulata, & ferreis vectibus contrita sororem secuta, Martyr ascendit ad sponsum. Nymphodera iussa idolis sacrificare, dum ferreis ungulis discerperetur, *Ego* inquit, *me Domino sacrificavi, propter quem pati est voluptas, & mori lucrum*: quare vectibus ferreis pariter confracta, victrix euolavit ad Christum. Felices nymphæ, quæ Angelorũ vitam æmulantes, imò superantes duplicem virginitatis & Martyrij laureã meruerunt, atq; angelerum manibus in cælitum choros translatæ triumphant. Vita earum extat apud Surium die 10. Septembris.

ET (Græcè εἶτα, id est, *deinde*) NON SVFFECERAT ERRASSE EOS CIRCA DEI SCIENTIAM (Græcè γνῶσιν, id est, *cognitionem*) SED ET IN MAGNO VIVENTES INSCIENTIÆ (Græcè ἀγνοίας, id est, *ignorantia*) BELLO TOT ET TAM MAGNA MALA PACEM APPELLANT) q. d. Ad tam perniciosum de Deo errorem accedit quidam quasi errorum circa mores, & vitiorum exercitus, qui tamen obcæcatis idololatris pacatus tranquilliusque videtur status, & in tanto scelerum dissidio, tumulto, rixa, & pugna, velut in iucunda pace conquiescunt. ita Lorinus. VERS. 21.

Quæres, quodnam sit hic magnum inscientiæ bellum. Respondent Primò nonnulli esse bellum, quod idololatrę velut novi Titanes insipienter gerunt cum Deo, dum idolis & Lucifere adhęret, atq; sub eius signis contra Deũ militant. Verùm hoc bellum paulò ante expressit dicens: *Et non suffecerat eos errasse circa Dei scientiam*, cui iam addit & quasi opponit, quod *in magno inscientiæ bello* vixerint. Vnde alij accipiunt bellum, quod idololatræ Creatori repugnãtes susceperunt cum omnibus eius creaturis: hæ enim pro Creatore suo stantes cõtra omnes eius hostes, quales sunt idololatræ, depugnant. Idololatra enim (& mysticè peccator qeilibet) lacessens & provocans Deum, hoc ipso lacessit & qeasi ad duellum provocat omnes eius creaturas. Nam, ut ait Sap. 5. 21. *Pugnabit cum illo* (Deo) *orbis terrarum contra insensatos*.

Inscientiæ bellum quod? Resp. Primo.

Secundò, alij bellum inscientiæ sive ignorantiæ interpretantur quod idololatræ indicunt ipsi veritati & sapiẽtiæ, dum idololatriam veri Dei culti, superstitionem reli-

Secundò.

religioni, falsitatem veritati, hæresim fidei, dæmones Deo anteponunt.

Tertio genuinè. Tertiò, & genuinè, inscientia sive ignorantia hoc loco non speculativa, sed ethica & practica accipitur, idemque est, quod insipientia, imprudentia, error in vita & moribus, vitium, malitia, scelus. Bellum ergo ignorantiæ est illud, quo vitium cum virtute, æquè ac cum opposito sibi vitio confligit. Nam prodigalitas v. g. confligit cum liberalitate, æquè ac cum avaritia; superbia confligit cum humilitate, æquè ac cum pusillanimitate; gula confligit cum temperantia, æquè ac cum nimia abstinentia, &c. conflictus hosce singularum virtutum & vitiorum graphicè depingit S. August. libr. de Conflict. virt. & vitior. & Prudentius in Psychomachia. Sensus ergo est, q. d. Impij idololatræ ex idololatria & errore, quo idola Deo vero prætulerunt, inciderunt in alios errores practicos circa res agibiles, putà in vitia omnia, scilicet in sacrilegia, in invidiam, in adulteria, in periuria, &c. quę explicando subijcit, ac præsertim in parricidia & homicidia, quibus præterita pietate naturali & iustitia, impijs se cædibus maculaverunt, imò filios proprios sacrilegè idolis mactarunt & sacrificarunt. In sequentibus enim hoc bellum explicans enarrat scelera, quæ cum infidelitate & idololatria, & iam cum hæresi & secta Politicorum Atheorumque coniuncta sunt, aut inde consequuntur! *Hæretici* enim ut ait S. Hieron. in c. 1. Michææ *quotidie quod colant reperiunt, ac idola* (errorum) *sibi artifici manu & curiosa mente confingunt.* Bellum ergo hoc idololatrarum est, quo contra omne ius & fas naturæ, proprios filios Moloc & Saturno immolarunt; item quo alienos thoros invaserunt, ac vicinorum uxores per adulteria vitiarunt; quo bona proximorum rapuerunt, aut per artes & fraudes occuparunt, quo denique in omnem iniustitiam, libidinem, cupiditatem, impietatem se proiecerunt, utpote idolum mutum & ligneum, eiusque Numen & vindictam non metuentes. Atque hac ratione tam Deum, quàm angelos ac homines contra se concitarunt, ut in perpetuis odiis, litibus, rixis, periculis vitam degant; Et tamen tam cæci & stolidi sunt, ut in his tam securè vivant, ac si in plena pace omniumque amicitia degerent. Cantacuzenus *To pace appellant* explicat, quòd idololatræ Deos suos pacificos inscriberent ac celebrarent, ut amicitiæ pacisque præsides, ut penates ac gentilitios ὁμογνίους καὶ φιλίους, id est, consanguineos & amicos, quæ Jovis erant Epitheta.

Tropol. bellum ignorantiæ est, quo cupiditas cæca confligit cum charitate, sensus cum ratione, caro cum spiritu, amor mundi cum amore Dei. ita Hugo: Concupiscentiæ enim sunt quasi quidem tyranni, qui regi suo, putà menti, rebellant, ac contra rationis arcem bellum movent, ideoque perpetuas in anima cient tumultus, rixas, seditiones, conflictus, uti experiuntur illi, qui eas edomare nolunt aut non possunt: & tamen adeò cæci sunt, ut eos non animadvertant, non agnoscant, sed se in pace & hilaritate iucundam agere vitam æstiment. vide S. August. vel quisquis est Auctor libr. de Conflictu virtutum & vitiorum.

Symbolicè, ignorantiæ bellum est, quo studiosi scientiæ contendunt & desudant, ut veritatem tot tenebris, tot nebulis tot opinionibus, tot erroribus quasi hostibus circumseptam, iis profligatis eruant & in lucem educant. Hinc videmus, quanto labore & conatu pueri ad scientias enitantur. Notum est bellum Grammaticale, æquè ac Logicale.

Vers. 23. AUT ENIM FILIOS SUOS SACRIFICANTES, AUT OBSCURA SACRIFICIA FACIENTES, AUT

Vers. 24. INSANIÆ PLENAS VIGILIAS HABENTES, NEQUE VITAM (vitæ castitatem & honestatem) NEQUE NUPTIAS MUNDAS IAM CUSTODIUNT, SED ALIUS ALIUM PER INVIDIAM OCCIDIT, AUT ADULTERANS CONTRISTAT] Græcè: *Aut enim sacrificia quibus filios occidunt* (Vatabl. *per parricidia liberorum*) *aut secreta mysteria, aut insanas ex aliis ritibus vel legibus commessationes* (Vatabl. *bacchationes.* Alij: *Agentes bacchanalia.* Notat Bacchanaliorum & bacchantium insanias & ritus) *agitantes neque vitam iam, neque connubia conservant pura, sed alter alterum, aut insidians occidit, aut adulterans tristitia afficit.* Ecce hoc est ignorantiæ idolatrarū bellum, quod proximis, imò filiis, ipsique naturæ movent per parricidia, homicidia, adulteria, &c. sine ullo Numinis (utpote quod putant esse ligneum & inanime; tale enim est idolum) metu. Per *obscura sacrificia* notat clandestina, lucifuga & nocturna sacra Veneri, Bacchi, Priapi, Cybeles, Isidis, Proserpinæ, &c. quæ plena erant libidinibus & obscenitatibus, ideoque in occultis, umbrosis, vel subterraneis locis, sæpè etiam noctu tantùm agebantur, de quibus, 2. Machab. 6. 4. Reg. 27. 7. Josephus libr. 18. Antiquit. cap. 4. Tertull. Apolog. cap. 15. 5. Augustin. lib. 6. de Civit. cap. 7. Gyraldus de Diis gentium. Hinc appositè græcè vocantur, μυστήρια ἀπὸ τοῦ μύσους, quòd sint abominanda, inquit Clemens Alex. in Protrept. adeoque μυστήρια, eorum sunt μοιχεῖαι; id est, prostibula & lupanaria, puta scortationes & obscenitates. Nam ut ait Apost. Ephes. 5. 12. *Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere.* Hoc est quod ait Minutius felix in Octavio: *Ubi autem magis a sacerdotibus, quam inter aras & delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? Frequentius denique in adituorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur.* Delphis etiam publicæ, sive meretricię Veneris templum primus Solon erexit, ut scribit Philemon apud Atheneum libr. 13. cap. 9. in quo domicilio prostitutæ feminæ quæstum faciebant. Hinc Juvenalis satyra 9.

—— *Nam quo non prostat femina templo?*

Talia sunt hodie Anabaptistarum nocturno & lucernalia sacra, in quibus extincto lumine promiscui fiunt concubitus.

Causa fuit, quòd Jupiter, Venus, Bacchus, Priapus, &c. Dijgentium fuerint homines impurissimi, ideoque gentes putabant eos colendos omni gula & luxuria, utpote iis gratissima, ut superiùs dixi. Unde Cantacuzenus v. 24. de ipsis Dijs accipiens. Nam Dij, inquit, vitam non custodiunt mundam, seu βίον, id est, vitas, propter βίας, id est, violentias & impetus, inquit, quos tradunt fabulæ filiorum in parentes, fratrumque inter se, propter vincula absurda & reliquas insidias, non nuptias, propter impudicitiam, quæ Dijs affingitur, ac turpes amores & illegitimas cum filiabus, matribus, sororibus, commistiones atque mutuos immanes complexus βίας, ergo Deorum fuit βίος, id est, vita eorum fuit vis & violentia, ideoque impura & scelerata.

ET OMNIA COMMISTA SUNT, SANGUIS, HOMICIDIUM, FURTUM ET FICTIO, CORRUPTIO ET INFIDELITAS, TURBATIO ET PERIURIUM, TUMULTUS BONORUM; DEI IMMEMORATIO, ANIMARUM INQUINATIO, NATIVITATIS IMMUTATIO, NUPTIARUM INCONSTANTIA, INORDINATIO MOECHIÆ ET IMPUDICITIÆ] Græcè: *Omnia* (alij *omnes*) *autem mixtim*, vel *promiscuè habet sanguis & cædes, furtum ac fraus, corruptela, infidelitas, turbulenti motus, periurium, tumultus bonorum; Gratiæ oblivio, animarum inquinatio, generationis immutatio, nuptiarum inordinatio, adulterium & impudicitia.* Vatabl. *Omnia demum occupat sine discrimine sanguis & cædes, furtum & dolus,* &c. Clarè Cantacuzenus: *Omnia simul,* inquit, *apud idololatras mala sunt permista,* vel mixtim sequuntur ex idololatria. Coacervat crimina, quæ ex idololatria prodeunt: quorum primum est, Sanguis & homicidium: hęc duo enim penè idem sunt, sed ad Auxesin additur *sanguis*, quòd in homicidio fiat fœda & horrida sanguinis effusio. *Sanguis* ergo idem est, quod sanguinis effusio *Fictio*, græcè δόλος, id est, dolus & fraus. q. d. Omnia apud Infideles & idololatras plena sunt insidiis & fraudibus. *Corruptio*, id est, corrupta concupiscentia, ait S. Bonavent. corrupta fides sive fidelitas, ait Dionysius alij *corruptio*, id est, defloratio virginum. Meliùs Vatabl. *Corruptela*, tum quæ in iudiciis, tum quæ in mercibus, contractibus, commerciis, ceterisque rebus fit q. d. Omnia apud idololatras sunt plena corruptelis. *Infidelitas* est violatio fidei sive perfidia. *Turbatio* græcè τάραχος, id est, tumultus. q. d. Apud infideles omnia abundant turbis, tumultibus, dissensionibus, seditionibus. *Tumultus bonorum*, est bonarum rerum perturbatio & confusio; vel bonorum hominum vexatio, dum contra fideles, & pios tumultuantur infideles & impij. *Dei immemoratio*, q. d. Non sunt memores Dei, occupat eos Dei oblivio Græca iam habent: χάριτος ἀμνηστία, id est, *gratiæ vel beneficiorum oblivio.* Ita Vatabl. Ingratus enim est, teste Seneca, qui benefi-

eium non reddit; Ingratior, qui obliuiscitur; io gratis-A simus, qui accepisse se negat, quod accepit, Vnde Franc. Lucas in notis hic pro eo quod in Vulgata legitur *Dei* legendum suspicatur *doni immemoratio*. Verùm Romani ceterique Codices habent *Dei* non *doni*, idque genuinum esse contendit & Naooius, linguæ Græcæ Publicus olim Lovanij Professor.

ANIMARVM INQVINATIO] Per gulam, crapulam, & libidinem S. Bonav. intelligit, inter nos luxuriæ motus, & delectationes morosas. *Natiuitatis* græcè γενέσεως, id est, generationis actusq; generandi *immutatio*, per præposteram libidinem, sive cum masculis, sive cum femiois vel etiam bestiis; vti Iupiter suum habuit Ganymedem, Traianus Hadriaoum, Hadrianus Antinoum, teste Spartiano Vatabl verò vertit, *alienatio progeniei*, cum scilicet proles genita patri non vero, sed falso & alieno ascribitur, vti faciunt adulteræ. *Nuptiarum inconstantia*, Græcè ἀταξία id est, inordinatio, dum scilicet infidelis uxorem repudiat, & aliam aliamque ducit, vt singulis annis imò mensibus nouum ineat coniugium, idque temporarium dumtaxat, vti faciunt nonnulli Æ-B thiopes; aut dum vxores suas aliis viris concedunt, vti fecit Cato; aut cum uxoribus aliorum suas permutant, alijsque modis similibus.

INORDINATIO MOECHIÆ ET IMPVDICITIÆ] Græcè: *mœchia & lascivia*, id est, omne genus impudicitiæ. *Inordinatio* addit Emphasim *mœchia*, notatque Mœchiæ addi incestum, sacrilegium, aliudue scelus: impudicitiæ verò addi varios, novosque luxuriosos osculandi & contrectandi modos.

Vers. 27. INFANDORVM ENIM IDOLORVM CVLTVRA, OMNIS MALI CAVSA EST, ET INITIVM, ET FINIS.) *Infandorum*, græcè ἀνωνύμων, id est, innominatorum, hoc est, execrandorum, adeò ut nec nominari debeant: *infandorum* ergo idem est, quod non fandorū, de quibus velut anathematibus fari non licet.

Est Epiphonema generatim complectens, quod particulatim iam recensuit, scilicet idololatriam esse causam omnium scelerum; initium, & finem. Causam, quia omnia scelera nasci solent ex infidelitate & idololatria, ac Numinis vindicis contemptu, uti iam ostendi. Simi-C li sensu ait Apostolus: *Radix omnium malorum est cupiditas* Græcè φιλαργυρία, id est avaritia. 1. Timoth. 6. 10.

INITIVM ET FINEM) *Initium* idem est, quod causa vel occasio. Simili sensu ait Eccles. cap. 10. 15. *Initium omnis peccati est superbia*, quia ex superbia velut ex matre nasci, & oriri solet quodlibet peccatū; sic & ex idololatria. Ex ea ergo velut initio & fonte scaturit omne malum, & vicissim in illam ceu in finem & terminum desioit. q. d. Omnia mala nata sunt oriri ex idololatria, ac vicissim in illa terminantur & desinunt. Ita Dion. Qui enim libidinibus alijsq; sceleribus sese opplent, tandem fiunt infideles, idololatræ, & Athei: ut enim sine scrupulo & metu numinis, Deique vindictæ suis cupiditatibus indulgeant, excutiuot fidem Dei eiusq; provideociæ iuxta illud: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*. Sic hodiè videmus homines carnales & sceleratos fieri hæreticos, ac tandem Atheos, eò quòd in hæresi nil veræ fidei, sed mera eius figmenta inveniant. Vide Stanislaum Reicium de Atheismis hæreticorum. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 94. art. 4. ad 1. *dicitur*, inquit, *idololatria esse causa, in-D itium, & finis omnis peccati: quia non est aliquod genus peccati, quod interdum idololatria non producat, vel expresse inducendo per modum causæ, vel occasionem præbendo per modum initij, vel per modum finis, in quantum peccata aliqua assumebantur in cultum idolorum, sicut occisiones hominum, & mutilationes membrorum, & alia huiusmodi. Et tamen aliqua peccata possunt idololatriam præcedere, quæ ad ipsam hominem disponunt.* Audi Tertull. initio lib. de Idololatria: *Principale crimen generis humani, summus seculi reatus, tota causa iudicij, idololatria.* Subdit deinde in idololatria inesse crimen homicidii, adulterij, stupri. *Idololatres*, inquit, *idem homicida est. Quæris quem occiderit? si quid ad elogij ambitionem facit, non extraneum, nec inimicum, sed seipsum. Quibus insidijs? erroris sui. Quo telo? offensa Dei. Quot plagis? quotquot idololatrijs. Qui negat idololatrem perisse is negabit idololatrem homicidium fecisse. Proinde adulterium, & stuprum in eodem recognoscas: nam qui falsis Deis servit, sine dubio adulter est veritatis; quia omne falsum adulterium est. Sic & in stupro mergitur. Quis* enim immūdis spiritibus operatus, non conspurcatus & constupratus incedit; Atque adeò Scriptura sancta stupri vocabulo utuntur in idololatria exprobatione Fraudis conditio ea est opinor si quis alienum rapiat, aut alij debitum denegee, & vtiq; erga hominē admissa fraus maximi criminis nomen est. At enim idololatria Deo fraudem facit, honores illi suoe denegans, & conferens alijs, vt fraudi etiam contumeliam coniungat. Ac post nonnulla eidem inesse alia scelera, ita docet: *In illa & concupiscentia sæculi. Quæ enim idololatriæ solemnitas sine ambitione cultus & ornatus? In illa lasciviæ & ebrietates: cum plurimum victus, & ventris, & libidinis causa frequentantur. In illa iniustitia. Quid enim iniustius ea, quæ iustitiæ patrem nescit? In illa etiam vanitas cum tota eius ratio vana sit: in illa mendacium, cum tota substantia eius mendax sit. Ita fit ut omnia in idololatria, & in omnibus idololatria deprehendatur.*

Tropol. idē dicas de idolo avari, quod est phantasma auri; ac superbi, quod est phātasma excellentiæ; ac luxuriosi, quod est phantasma amasiæ; ac gulosi, quod est phantasma epularū & vinorū. Dum enim quisque hoc suum phantasma velut idolū amat & colit, ut illo fruatur, ruit in omnia scelera. Vt ergo illa caveas, idolū hoc tuum, quod in mente & phantasia tibi fabricasti, evelle, contere & confringe. Tropol.

AVT ENIM DVM LÆTANTVR INSANIVNT, AVT CERTE VATICINANTVR FALSA, AVT VIVVNT INIVSTE, AVT PEIERANT CITO) Vers. 28 Ostendit ex idololatria nasci quælibet scelera, ac præcipua enumerat q. d. idololatræ effundunt se in ineptas lætitias, bacchantur, & insaniunt; aut fingunt oracula, quibus se suosque ad vitæ licentiam & luxuriam impellunt; aut viuunt iniustè aliorum opes diripiendo, fraudando, perdendoq; aut temerè citoque peierant. Causam.

DVM ENIM CONFIDVNT IN IDOLIS, QVÆ SINE ANIMA SVNT, MALE IVRANTES NOCERI SE NON SPERANT) id est, lædendos se non timent. Sic Virgil. *At sperate* (id est, timete) *Deos memores fandi atque nefandi*. q. d. idololatræ, ideo cito peierant ruuntque in quævis scelera, quia non timent suos deos, puta sua idola, utpote inanima & lapidea vel lignea, quæ iniuriam sibi per periurium aliaque scelera factam non sentiunt, ideoq; ulcisci nequeunt: Sicut ergo *primus in Orbe Deos fecit timor*, ita ex adverso, audax Deorum vel Numinis contemptus, principium & causa est periurij omnisque nequitiæ. Vers. 29.

VTRAQVE ERGO ILLIS EVENIENT DIGNE, QVONIAM MALE SENSERVNT DE DEO, ATTENDENTES IDOLIS, ET IVRAVERVNT INIVSTE, IN DOLO CONTEMNENTES IVSTITIAM] *Vtraque*, id est, utrorumque retributio, scilicet idololatriæ, & periurij condigna pœna & supplicium obueniet idololatris. Græcè est: ἀμφότερα δὲ αὐτοὺς μετελεύσεται τὰ δίκαια, id est, *vtraque illis euenient iusta*, scilicet *supplicia*. *Aut vtraque ipsos punient iustè*. μετέρχομαι enim subinde idem est, quod κολάζω, id est, punio. ita Lexicographus ex Synesio, & Thucydide Vatican. vertunt: *Vtraque autem illos insequentur iura*. Omnia hæc eòdem redeunt. Sensus ergo est q. d. Vtraque) utriusque criminis, scilicet idololatriæ & periurij) iusta vindicta eos invadet, aut pœnam de illis sumet. Vtraque supplicij iustitia, ratioque eos corripiet, iusq; suum exequetur: Vtrumque hoc ad supplicium illis imputabitur, & quod de Deo malè senserunt, & quod peieraverunt. In Græco plurale est *vtraque iusta comprehendent eos*, videlicet supplicia; vel quia duo hæc scelera illos pœnis subijcient. Pro *iustitiam*, græcè est, ὁσιότητα, id est, sanctitatem, puta religionem iuramenti: hoc enim sanctum est & sanctè servandum, ideòq; nuncupatur Sacramentum. Licèt enim idololatra iuret per idolū, quod non est Deus, ac proinde in reipsa non iuret nec peieret, tamen ex mente sua, qua credit idolum esse verum Deum, iurat & peierat. Error enim idololatriæ, quo quis idola sua putat veros esse deos efficit, ut peierando sacrilegus habeatur & iniustus, ait S. August. epist. 154. ad Publicolam & habetur 22. quæst. 1. cap. *Movet*. Vers. 30

NON ENIM IVRATORVM VIRTVS (græcè δύναμις, id est, *potentia*) SED PECCANTIVM POENA PERAMBVLAT SEMPER INIVSTORVM PRÆVARICATIONEM] Pro *iuratorum*, græcè est, ὀμνυμένων, quod est vocis mediæ, tamque activè Vers. 31

verti

Idololatria causa omnium scelerum.

verti poteſt *jurantium*, uti legunt Complut. & Regii, quàm paſſivè *juratorum*, id eſt, idolorum, per quæ juratur, idque huic loco aptiùs convenit. q. d. Eſto, idola, per quæ jurant idololatræ nullam habeant virtutem, id eſt, vim & potentiam puniendi eorum periuria, ideoque ipſi etiam idololatræ & periuri ea contemnant, ſciantque imbecilla eſſe & invalida ad ſe caſtigandum, tamen *peccantium*, præſertim idololatrarum & periurorum, pœna à Deo iis intentata *perambulat*, puniens *injuſtorum prævaricationem*, ſcilicet idololatriam & periurium, qua tum falsò, tum per falſos deos jurantes duplicem Deo vero injuriam faciunt. Primò, quòd Deo vero opponant, & præponant idola & deos falſos. Secundò, quòd per ea, quæ æſtimant Deum eſſe verum, falsò jurent & peierent: jurant enim & peierant per ea, perinde, ac ſi per Deum verum jurarent, eumque in teſtem falſi vocarent; quæ inſignis eſt Dei veri injuria & contumelia.

Pro *pœna* græcè eſt, δίκη, id eſt, cauſa forenſis, quæ apud judicem agitur, lis, actio, judicium, jus, ſententia, pœna, item juſta vindicta. Unde Δίκη à Poetis fingitur eſſe Dea judiciorum, inde dicta, quòd juſtè lites dirimat, & ſontes puniat: Hinc dicitur eſſe virgo, quia juſtitia & vindicta pura debet eſſe, & integra, unde Heſiodus: *Virgo juſtitia*, inquit, *prognata eſt Jove*. Hoc ultimum ſignificatum huic loco eſt aptiſſimum, q. d. δίκη, id eſt, vindicta divina per idololatras, periuros, & ſceleſtos perambulat, ut eos comprehendat ac pro meritis feriat & plectat, ſicut prætor forum perambulat, ut fures capiat & ſuſpendat; Hinc Deus dixit Caino fratricidæ: *Nonne ſi bene egeris recipies, ſin autem malè ſtatim in foribus peccatum aderit?* id eſt, peccati ultio, velut lictor te perſequetur & plectet. Unde Vatabl. hoc loco vertit: *Non enim eorum* (idolorum) *per quos juratum eſt potentia, ſed ultrix peccatorum juſtitia, pravè factorum pœnas ab injuſtis ſemper exigit*. Sic & Cantacuzenus, Janſen. & alii. Hinc pro *perambulat*, græcè eſt, ἐπεξέρχεται, id eſt, ut Budæus in Comment. linguæ Græcæ p. 99. percurſat, invadit, infeſtat, populatur, in jus rapit, judicat & ulciſcitur.

Deus vindicat periuria. Porrò ſolet vindicta Dei maximè perſequi periuros, utpote læſi Numinis & Nominis divini reos. Hinc qui S. Antonium in teſtem invocando falſum jurant, ſolent ab eo ſacro igne feriri. Olim in cauſa dubia reos mittebant ad Oratorium s. Stephani, ut ſe juramento de crimine objecto purgarent; ac ſi peierabant, illico cælitus caſtigabantur. Idem de Oratorio s. Martini ſcribit Gregor. Turon. lib. 8. Hiſtor. cap. 16. ubi inter alia narrat, incendiarium quemdam incendium à ſe commiſſum negantem, & peierantem in æde ſancti Martini, ultricibus è cælo flammis fuiſſe abſumptum. *Ad Oratoria Sanctorum.* Idem fiebat in Oratorio s. Proceſſi & Martiniani, de quibus ait s. Gregor. hom. 32. in Evang. *Ad extincta eorum corpora viventes ægri veniunt & ſanantur, periuri veniunt & à dæmonio vexantur.* Et in Oratorio ſancti Felicis Nolenſis, ad cujus Eccleſiam s. Auguſt. uti ipſe refert epiſt. 137. ad Hippon. miſit Bonifacium presbyterum de crimine accuſatum, ut ſe ibi per juramentum purgaret; & ſi reus eſſet, per ſolitam Dei vindictam ſe proderet. Additque s. Auguſt. *Nos novimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad ejus locum venerat, ut falſum jurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat reddere.* Tale quoque fuit Oratorium s. Apollinaris Ravennæ, ubi Maximus de ſimoniæ crimine per juramentum ſe purgavit, teſte s. Gregor. lib. 7. epiſt. 7. & ſeq. ac ſuper omnes Baſilica s. Petri, ſuprà cujus corpus juramento ſe purgare ſolebant Epiſcopi ſceleris accuſati, teſte s. Gregor. lib. 2. epiſt. 23. Et lib. 11. epiſt. 8. Idem experti ſunt gentiles per idola ſua jurantes: unde Heſiodus l. ... Ergis lib. 2. v. 38.

> *Quintas* (dies cujuſque menſis) ait, *vitato, quia difficiles & graves.*
> *In quinta enim aiunt furias obambulare*
> *Juramentum vindicantes, quod contentio genuit damnum periuris.*

Et Tibullus:

> *Ah miſer, & ſi quis primò periuria celat,*
> *Magna tamen tacitis pœna venit pedibus.*

Exempla. Vis exempla? Accipe. Cleomenes, cum Argivis ſeptem dierum pepogerat inducias addito jurejurando, nocte dein tertia eos invaſit multoſque occidit dicens, ſe pactū de diebus non de noctibus. Ultio eum ſecuta eſt. Nam & urbe, cujus gratia violarat conventa, fruſtratus eſt, eò quòd mulieres detractis è templis Deorum armis illum ultæ ſunt; perinde quaſi diis ipſis, quos contempſerat pœnas de ipſo ſumentibus. Poſtremò verſus in dementiam, ipſe ſibi gladiolo quodam ſodit & incidit corpus à talis uſque ad loca vitalia, itaque vitam finiit ridens & ore diducto. Ageſilaus barbaros qui juriſjurandi religionem violaſſent laudare, ac probare ſolebat dicens: illos nulla re magis Deos ſibi infeſtos reddere, quàm ſi Sacroſanctū juſjurandum temerè violarent. Ita Ælia. lib. 14. de Varia hiſt. Pericles Athenienſis amico roganti, ut pro ſe falſum diceret teſtimonium, cui adjunctum erat juſjurandum, hoc eſt periurium reſpondit: ſe quidem amicum eſſe, ſed uſque ad aram, ſentiens alioquouſque gratificandum amicis, ſed citra juramenti violationem. Denique s. Auguſt. libr. 1. de Civit. c. 15. celebrat nobiliſſimum exemplum M. Attilii Reguli, qui captivus apud Carthaginenſes ab iis miſſus eſt Romam, ut ageret cum Senatu de commutandis utrimque captivis, priùs præſtito per Deos juramento, ni id impetraret ſe ad eos rediturum. Cumque id non impetraret; imo ipſemet Senatui hanc commutationem diſſuaderet, ut juramenti fidem ſervaret, ad Carthaginenſes rediit, etiamſi ſciret ſe ab iis excarnificandum, uti & factum eſt. Addit s. Auguſt. alterum de Saguntinis in Hiſpania exemplum, qui ut fidem Romanis juratam ſervarent, vivi cremari maluerunt, quàm urbem dedere Carthaginenſibus.

Ex hiſce omnibus, diſce quanta reverentia nomini divino ſit adhibenda, quamque veraciter; parcè & circumſpectè Deus ſit nominandus & in teſtem invocandus. Quod enim nomini divino defertur, hoc Deo ipſi cujus eſt nomen defertur. Unde Jerem. cap. 10. 6. *Non eſt*, inquit, *ſimilis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te ô rex gentium?* Et Daniel cap. 3. 52. *Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, et laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſæcula; & benedictum nomen gloriæ tuæ, ſanctum & laudabile & ſuperexaltatum in omnibus ſæculis.* Et Eccleſ. cap. 39. 19. *Benedicite Dominum in operibus ſuis, date nomini ejus magnificentiam.* Et Pſaltes: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui fecit mirabilia ſolus, & benedictum nomen maieſtatis ejus in æternum, & replebitur maieſtate ejus omnis terra, fiat.* pſal. 71. 18.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRoſequitur inſectari idola & eorum figulos, ſive idoloplaſtes. Igitur initio gratias agit Deo, quòd Iſraelitas ab idololatria puros caſtoſque in ſui fide & cultu conſervarit; Deinde vanitatem & fallaciam idolorum ex ipſis eorum figulis coarguit.

1. TU autem Deus noſter, ſuavis & verus es, patiens, & in miſericordia diſponens omnia. 2. Etenim ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam: & ſi non peccaverimus, ſcimus quoniam apud te ſumus computati. 3. Noſſe enim te, conſummata juſtitia eſt: & ſcire juſtitiam, & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis. 4. Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ labor ſine fructu, effigies ſculpta per varios colores, 5. cujus aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem ſine anima. 6. Malorum amatores, digni ſunt qui ſpem habeant

in ta-

in talibus, & qui faciunt illos, & qui diliguot, & qui colunt, 7. Sed & figulus mollem terram premens, laboriosè fingit ad usus nostros unumquodque vas, & de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, & similiter quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit usus, judex est figulus. 8. Et cum labore vano deum fingit de eodem luto, ille qui paulò antè de terra factus fuerat, & post pulum reducit se unde acceptus est, repetitus animæ debitum quam habebat. 9. Sed cura est illi, non quia laboraturus est nec quoniam brevis illi vita est, sed concertatur aurificibus & argentariis: sed & ærarios imitatur, & gloriam præfert, quooiam res supervacuas fingit. 10. Cinis est enim cor eius, & terra supervacua spes illius, & luto vilior vita eius: 11. quoniam ignoravit qui se finxit, & qui inspiravit illi aoimam quæ operatur, & qui sufflavit ei spiritum vitalem. 12. Sed & æstimaverunt lusum esse vitam nostram, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecumque etiam ex malo acquirere. 13. Hic enim scit se super omnes derelinquere, qui ex terræ materia fragilia vasa, & sculptilia fingit. 14. Omnes enim insipientes, & infelices suprà modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, & imperantes illi: 15. quoniam omnia idola nationum deos æstimaverunt, quibus neque oculorum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed & pedes eorum pigri ad ambulandum. 16. homo enim fecit illos: & qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum fingere. 17. Cùm enim sit mortalis, mortuum fingit manibus ioiquis. Melior enim est ipse his quos colit, quia ipse quidem vixit, cùm esset mortalis, illi autem numquam. 18. Sed & animalia miserrima colunt: iosenlata eoim compara his illis suot deteriora. 19. Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspicere. Effugeruot autem Dei laudem, & benedictionem eius.

Vers.1. TU AUTEM DEUS NOSTER SUAVIS ET VERUS ES, PATIENS ET IN MISERICORDIA DISPONENS OMNIA] Vatabl. *Tu autem Deus noster benignus es & verus, & longa patientia* (vel lenitate) *misericordiaque gubernas omnia.* Pro *suavis*, græcè est, χρηστὸς, id est, bonus, benignus, probus, humanus, facilis ad gratificandum, commodus, clemens; item utilis, fructuosus, officiosus, egregius, strenuus. Talis fuit χρηστὸς, id est, Christus noster, qui proinde à Gentilibus vocabatur χρηστὸς, id est, Chrestus, & Christiani, vocabantur Chrestiani, qui erant benigni & benefici omnibus. Sensus est, q.d. Idololatræ colunt Deos inutiles, imò maleficos: tales enim sunt dæmones, qui à magis invocati exilem opem præstant, ut eisdem maiorem noxam, tum in corpore, tum in animo inferant. At Deus noster est utilissimus, æquè ac benevolentissimus & beneficentissimus, qui nos omnibus bonis cumulat. Gratulamur ergo nobis de tali Deo Optimo Maximo, quodque nos à Diis pessimis liberarit. Ita Cantacuzenus, qui notat esse Antithesin inter Deum & idola, qualem assignavi.

TU AUTEM DEUS NOSTER] Non sola creatione; sic enim & idolatrarum & infidelium es Deus; sed & vocatione, religione, & cultu: ad tui enim fidem & cultum nos Israelitas ex omnibus gentibus vocasti, & tibi selegisti.

VERUS] q.d. Idola sunt dii falsi, ideoque mendaces & fallaces: unde consulti fallunt, & quæ promittunt, opere non præstant. At Deus noster est Deus verus, ideoque verax & fidelis, Unde falli vel fallere nequit, sed quæcumque dicit verissima sunt, & quæcumque pollicetur fidelissimè adimplet.

PATIENS] Græcè μακρόθυμος, id est, longanimis, longa patientia multaque tolerantia pollens, ut non statim ad iram conciteris & ad vindictam prosilias, brutaque iactes fulmina, sed patienter offensas toleres, ut hac patientia & misericordia provoces peccantes ad pœnitentiam, uti superiùs dictum est. Unde sequitur: *Etenim si peccaverimus*, &c. Longanimitati enim opponitur præceps ira, impatientia, & vindicta, qua pleni sunt dæmones, ideoque furunt, & leves sui neglectus graviter ulciscuntur, ac idololatras & magos, minùs sibi obsequentes pessimè excipiunt & mulctant.

Nota hic quatuor dotes Dei in gubernando; Primam, benignitatem & suavitatem; Secundam, veritatem & fidelitatem; Tertiam, longanimitatem & patientiā; Quartam, misericordiam & clementiam. Hasce à Deo discant & poscant reges, rectores, & gubernatores.

Vers.2. ETENIM SI PECCAVERIMUS, TUI SUMUS, SCIENTES MAGNITUDINEM TUAM] Græcè, τὸ κράτος, id est, robur, vim & *potentiam tuam*, uti legit S. Augustin. lib. de Fide, & operib. cap. 22. qua scilicet potes nos punire, cùm idola id facere nequeant, ut dixit in fine cap. præcedentis, qua quoque potes nobis peccata condonare, ut ostendas te in gratia & misericordia non minùs, ac in vi & robore esse potentem, magnificum, liberalem & divitem, uti Apost. ait Rom. 10. 12. & alibi: summæ enim potentiæ est peccata remittere, uti superiùs ostendi. Sensus ergo est; Primò, q.d. Idololatræ intrepidè peierant & peccant, quia non timent idola sua muta & bruta; sciunt enim illa non posse ulcisci periurium, aliaque scelera: at nos fideles tui, ò Domine, si ex fragilitate peccaverimus, sive venialiter, sive etiam lethaliter, profitemur ingenuè, quòd non possimus te effugere, ut putabant idololatræ effugere se posse Deos suos; quia tui sumus, tuoque Domino subiecti. Et scimus Summam tuam potentiam, qua nos punire potes quocumque tandem fugerimus, aliter quàm idola imbecilla & impotentia. Nam ut ait David psalm. 138. 8. *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit dextera tua. Et si peccaverimus, tui sumus,* quoniam scilicet bonum & magnum Deum habemus qui velit atque possit pœnitentium peccata sanare; non qui nequaquam audeat permanentes in malignitate disperdere. Unde subdit: *Scientes potentiam tuam,* cui se subtrahere nequeat aut occultare peccator. Ita S. August. loco iam citato, qui proindè rectè monet peccatorem non debere sibi blandiri de securitate, cogitando se esse Dei.

Moraliter: *si peccaverimus tui sumus*. Tui per pœnitentiam, confessionem, castigationem; tui per contritionem & charitatem, uti tua fuit S. Magdalena, de qua S. Paulin. epist. 4. ad Severum: *Non unguentum in illa Dominus, sed charitatem dilexit, qua prudenter impudens & piè improba, sine opprobrii & repulsa metu, extraneam sibi domum Pharisæi non invitata, illa vi petulans penetravit, qua rapitur regnum cælorum: & tantum verbi cælestis esuriens, non ad opes illius, sed ad pedes Christi cucurrit, seque in illis abluit & cibavit; atque ipsos sibi pedes sacrarium, ut ita dixerim, & altare constituit, In quibus libavit fletu, litavit unguento, sacrificavit affectu.* Pœnitens ergo est Dei, quia per contritionem amat Deum, illique se dicat & consecrat. Unde vicissim à Deo in gratiam, amorem, & favorem pristinum recipitur. Sic de gentibus à Diis ad Deum per Christum convertendis, ait Isaias cap. 44. 5. *Iste dicet: Domini ego sum; & ille vocabit in nomine Jacob: & hic scribet manu sua, Domino.* Et David psal. 118. 94. *Tuus ego sum,* ait, *salvum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisivi.*

ET SI NON PECCAVERIMUS, SCIMUS QUONIAM APUD TE SUMUS COMPUTATI] S. August. legit *deputati*, Græcè, *tui censemur*, hoc est, si non peccemus magis tibi chari, magisque tibi cordi & curæ sumus. Tu enim iustos & innocentes quasi amicos, imò filios tibi dilectissimos præ toto mundo amas, protegis, dirigis, promoves ad salutem & gloriam omneque bonum. Si ergo peccemus, tui sumus per potentiam, quia in manus potentis iustitiæ tuæ incurrimus: si non peccemus, tui sumus per gratiam & adoptionem. Sive ergo peccemus, sive non peccemus tui sumus: tu enim es Dominus Deus noster cuius manus effugere non possumus, sed in eas incidimus quidquid agamus. Legit Vulgata in Græco εἰ, id est, *si*, iam illud deest in Græco, qui proinde sic habet: *Non peccabimus autem, cum sciamus nos tibi æstimatos,* vel tibi curæ &

ræ & in pretio esse. Hoc enim maximè quemlibet nostrũ à peccato avocare debet, quòd scimus nos Deo curæ, charos, & in pretio esse, ac à Deo inchoatè saltem prædestinatos, ut simus sui filii & heredes, ac coheredes Christi: Deus enim omnes fideles & justos destinavit ad gloriam, itaque inchoatè eos prædestinavit. Ita S.August. de Fide & Oper.cap.22. qui legit in præterito: *Non peccavimus*, uti correxerunt Lovanienses, licèt contextus exigere videatur, *non peccabimus*, ut habent Græca. Quis enim cogitans se in Dei amicitiam, familiam & familiaritatem adscriptum peccare audeat, ut tantum bonum pro vili cupiditate vendat & prodigat? Quis seriò reputans, se à Deo electum & vocatum ad tantam gratiam & gloriam, non contendat totis viribus dignè vocatione tanta vivere, ut dignum se cæli civem & angelorum socium exhibeat? *Quis dignè cogitans habitationem apud Deum, in qua omnes prædestinatione sunt deputati, qui secundum propositum vocati sunt, non enitatur ita vivere, ut tali habitationi congruat?* ait S.August. loco citato. Secundò, & magis genuinè noster à Castro: Videtur, inquit, Salomon loqui de populi electione præ aliis populis (non de prædestinatione) de qua Moyses Deuteron.32.8. *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel. Pars autem Domini populus eius: Jacob funiculus hereditatis eius.* Hæc igitur cognitio & persuasio, quòd sumus de numero populi Dei, & quod sumus adscripti in Catalogum fidelium eius, maximè nos continet aut continere debet in omni pudore ac timore, ne peccemus, & eò magis quò magis in eius familiaritatem insinuamur.

Favet Græcum λελογίσμεθα, id est, tuis rationibus ascripti sumus, tuo computui assignati, tibi computati: λογίζομαι, enim est verbum arithmeticum, & Mercatorum computus designat.

Vers.3. Nosse enim te, consummata justitia est: et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis] Τὸ *justitiam* non est in Græco, sed tantùm, τὸ κράτος, id est, *virtutem*, id est vim, robur & efficaciam; Syrus: *Justitia perfectio est, ut quis agnoscat te, & ut quis sciat veritatem tuam radicem immortalitatis*; Arabicus: *Quia cognitio in te est justitia perfecta, & cognitio potentia tua radix est privationis mortis.* *Nosse te*, scilicet non tantùm speculativè, uti cognovere Philosophi, sed & practicè, uti nosse Deum decet & par est, ut scilicet notitia Dei pariat affectum & amorem Dei: in hoc enim amore, sive charitate sita est perfecta justitia: *& scire justitiam & virtutem*, id est, potentiam tuam, *radix*, id est, principium *est immortalitatis*: hæc enim scientia, qua scimus Deum esse justum & omnipotentem, ideoque posse & velle omnia scelera pro meritis punire, ingenerat nobis sanctum Dei timorem, qui nos facit abstinere ab omni peccato, quod est mortis omnisque corruptionis origo, ideoque inducit omnem virtutem, quæ est radix immortalitatis, felicitatis, & gloriæ æternæ. Porrò scientia hæc, sive notitia Dei habetur per fidem. Unde Apostolus passim ait, nos per fidem justificatos & salvatos, quia fide inchoatur cursus ad justitiam, salutem, & immortalitatem. Roman.1.17.& c.3.28.& c.5.1. &c. Vide ibi dicta.

Nosse Deum est perfecta justitia. Qua ratione?

Denique τὸ *nosse enim* dat causam præcedentium, cur scilicet professus sit suam de Deo notitiam & fidem, dicens v.1. *Tu autem Deus noster suavis & verus es*, &c. Et v.2. *Scientes magnitudinem tuam*; Sed propriè & potissimè dat causam eius, quod immediatè præcessit, *Et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati*; vel ut Græca habent: *Non peccabimus autem, ut qui sciamus nos tibi æstimatos, vel tibi curæ esse.* Scientia enim potentiæ & providentiæ Dei causa est, quæ facit nos sedulò cavere omne peccatum, ac extimulat, ut toto nisu studeamus iustitiæ, ad hoc ut Deo placeamus, & ab eo immortalitatem beatam assequamur. Vide dicta cap.13.1. & Proverb.1.v.7. Sensus ergo est, q.d. Confessio illa fidei nostræ, qua paulò antè professi sumus te summè benignum, patientem, potentem, misericordem, ac ut talem toto corde amamus & colimus, ideoque vicissim à te amamur, velut toti tui, tibique arctissimo fidei, religionis & charitatis vinculo copulati; hæc, inquam, est nostra perfecta iustitia, ex qua velut radice, pullulat fructus immortalitatis & felicitatis æternæ. Sic Christus ait Joannis 17.3. *Hæc est vita æterna* (id est, via ad vitam æternam, eiusque quasi principium & inchoatio) *ut cognoscant* (per fidem) *te solum verum Deũ, & quem misisti Jesum Christum. Fides enim est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Hebr.11.1. Vide ibi dicta.

Tropol. B. Laurentius Justinianus Patriarcha Venet. dictitabat: *Veram hominis scientiam esse scire hæc duo, scilicet Deum esse omnia, & se nihil.* Ita habet eius vita. Ex hac enim scientia & fide sequitur diffidentia sui & confidentia in Deum: indè odium sui & amor Dei, quæ est consummata iustitia, consistens in tribus virtutibus Theologicis, puta in eximia fide, spe, & charitate.

Hinc S. Joannes Apocal.15.2. Vidit sanctos futuros in fine mundi, visis septem novissimis orbis plagis, in quibus consummabitur ira Dei, obstupescere, eosque concinentes & exclamantes audivit: *Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: justa & vera sunt via tua rex seculorum. Quis non timebit te Domine & magnificabit nomen tuum? quoniam tu solus pius es: Quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.* Similes eorum voces sunt post excidium Babylonis c.18.8. & seq. & c.11.v.17. & c.14.v.7.

Antistropha Salomoni est gnome Jeremiæ cap. 9. v.3. *Non glorietur Sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur scire & nosse me.*

Anagog. Nosse Deum per visionem beatificam est perfecta iustitia, perfecta, inquam, in gratia & gloria, ideoque confirmata, ut in æternum beatus nulla tentatione, nullo casu ab ea excidere queat. Ita Hugo, qui tamen minùs rectè addit, per Deum intelligi Patrem. q.d. Deum filium agnovimus in incarnatione, Spiritum sanctum in Pentecoste, dum apparuit in linguis ignes. Item in baptismo Christi, dum apparuit in specie columbæ: at Deum patrem simili symbolo non cognovimus in hac vita, sed cognoscemus in futura: unde tunc erit perfecta Dei cognitio, amor, & iustitia. Hoc enim alienum est à mente & scopo sapientis: hoc etiam non est verum. Nam Pater apparuit in veteri Testamento, æquè ac filius, ac Spiritus sanctus; cùm tres Angeli apparuerunt Abrahæ repræsentantes tres personas divinas. Item in Baptismo Christi, vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth.3.17. Eadem vox Patris audita est in transfiguratione Christi Matth.17.

Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ, labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores] Vers.4.
Gratias habet Deo, quòd non fuerit ipse quoque in eorũ numero, qui falsa numina venerantur, ac fictis decipiuntur imaginibus: Sed loquitur Sapiens in persona totius Israelis sive populi fidelis, pii, justi, & sancti. Etsi enim multi, imò longè maior pars in Israele esset iniusta, & in statu peccati mortalis; tamen totus populus vocatur justus & sanctus, tum, quia vocatus erat à Deo ad iustitiam; tum, quia populus hic erat prosapia & posteritas Abrahæ, Isaac, & Jacob, qui verè erant sancti. Erant ergo Sancti, id est, Sanctorum Patriarcharum filii: tum denique quia multi in populo erant iusti. Simili sensu dicitur Ecclesia sancta, & Apostolus omnes fideles initio Epistolarum suarum vocat sanctos, ut ibi dixi.

Malæ artis excogitatio] Puta ars sculptoria & pictoria pulchrorum simulacrorum & idolorũ, quæ mala dicitur, quia allicit ad ea colendum & adorandum, Græcè κακότεχνος ἐπίνοια, id est, malevola, malefica, maligna; item dolosa, adulterina, perniciosa, & ad exitium hominum comparata, artis Sculptoriæ idolorum adinventio. Vatabl. *Insidiosum inventum.* Jansen. *Maligna adinventio*, quia scilicet per elegantiam sculpturæ idolorum, rudes incitantur ad idola velut Numina colendum. Noster à Castro, κακότεχνος, ad verbum ex etymo vertit, *malum texens*, malum moliens, aut mali artifex, *excogitatio*, q.d. Inter cetera beneficia, quibus cumulasti populum tuum, illud eximium est, quòd à fallacibus ac perniciosis hominum inventis conservasti eum, qui contra Dei legem multa excogitant, multaque constituunt.

Nec umbra picturæ] Legit interpres cum Complut. Regiis aliis per Diastolen duabus dictionibus, σκιὰ γραφῶν, id est, *umbra picturæ*. Jam Vaticani per Systolen legunt planiùs & clariùs una dictione, σκιογράφων, id est, *adumbrantium*, idque nectunt sequenti *labor sine fructu*.

ctu. q.d. Non decepit nos pictorum, qui pingendo res adumbrant & assimilant, labor infructuosus. Sed eodem redit sensus. Vocatur umbra picturæ ipsa adumbrata, vel umbrosa, idque. Primò, quia origo picturæ est umbra: nam prima naturalis corporis effigies sive imago, est ipsa eius umbra: unde ex umbra didicerunt homines pingere, & pingendo adumbrare. Quocirca Quintil. lib. 10. *Non esset*, ait, *pictura, nisi quæ lineas extremas umbræ, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet*. Hinc primæ picturæ fuerunt meræ linearum corporis depicti delineationes, sive circumscriptiones. Adi Plinium lib. 35. cap. 3. *Græci*, inquit, *alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam* (picturam) *affirmant, omnes umbra hominis lineis circumducta*. *Itaque talem primam fuisse* (qualem etiamnum Romæ in priscis operibus cernimus) *secundam singulis coloribus & monochromaton*, id est, unicolorem *dictam*. Tertia successit ex variis coloribus & polychromatos, id est, multicolor. Pergit Plinius: *Inventam linearum dicunt à Philocle Ægyptio, vel Cleante Corinthio*, &c. *Primus invenit colorare testa* (*ut ferunt*) *trita Cleophantus Corinthius*. Idem lib. 35. cap 5. *Utraque* (scilicet ars statuaria & pictoria) *cum Phidia cœpit 83. Olympiade, post annos circiter* 332. ex quo cœpit ars sculptoria, vel scalptoria in marmore.

Origo picturæ fuit umbra.

Secundò, quia in pictura magnæ artis est bene pingere umbras: per illas enim repræsentantur rerum altitudines, profunditates, montes & valles, distantiæ & intervalla. Sanè vidi Romæ per umbras in parietibus alternatas, ita ad vivum hæc repræsentari, ut quemlibet intuentem dubium redderent, an verè in pariete foret ista eminentia & profunditas, an verò per picturam & artem tantùm esset efficta & adumbrata. Unde ipsa pictura vocatur adumbratio, & pingere adumbrare, ac σκιαγράφοι, appellantur, qui lineamenta umbrasque inducunt, quibus ea quæ plana sunt, in pictura eminere videantur.

EFFIGIES SCULPTA PER VARIOS COLORES] Pro *effigies*, græcè est, εἶδος, id est, forma, species, figura. Unde diminutivum εἴδωλον, id est, idolum, q. d. diminuta figura, exilis forma, species parva & contracta, Deiculus, parvus, Deus, exiguum Numen.

Pro *sculpta*, græcè est, σπιλωθὲν, id est, maculata, id est, variegata variis coloribus. Maculæ enim vocantur, tum notæ, quibus pictores solent imagines & picturas distinguere, & illustrare: tum colorum variegationes. Unde Seneca epist. 86. *Delectant nos*, inquit, *ingentium maculæ columnarum*. Adde, Sapiens hac voce suggillat idola quasi coloribus, non tam depicta, quàm maculata & sordidata sint, ut ea in odium adducat: tum quia colores ipsi in se sordidi sunt & maculosi: tum, quia si Deum spectes, utique idola hæc Dei coloribus depicta, maculata dici debent. Deum enim, qui merus est spiritus, ideoque coloris expers, terrestribus, fœdisque coloribus picturæ inficiunt & maculant, adeoque Deum exhibent non spiritalem, sed corporeum & coloratum. Noster profundit, σπιλωθὲν, vertit *sculpta*, tum ut innuat prisca idola fuisse statuas affabrè exsculptas, quæ deinde variis coloribus pingebantur: tum quia ipsa coloratio & pictura per Catachresin vocatur Sculptura: pictor enim pingendo rem variis coloribus, nunc albicantibus & claris, nunc nigricantibus & obscuris, præsertim dum iis rerum eminentias vel profunditates, sive montes & valles repræsentat (unde & Græcum σπῖλος, non tantùm maculas, sed & eminentias resque eminentes, uti sunt rupes, scopuli, insulæ in mari, significat) rem ipsam quasi exsculpit, uti videre est in vitris affabrè expictis. Hinc idola quælibet etiam expicta dumtaxat, vocantur sculptilia in Script. ut Exodi 20. 4. *Non facies tibi sculptile*, id est, idolum. psal. 105. 19. *& adoraverunt sculptile*, Isaiæ 42. 17. *Qui confidunt in sculptili*, & passim apud Prophetas.

PER VARIOS COLORES] Græcè χρώμασι διηλλαγμένοις, id est coloribus variis & distinctis, variè dispositis & distributis; mira enim in idolis colorum variegatio, rudis populi oculos in admirationem, indeque in cultum & venerationem rapiebat. Unde sequitur:

VERS. 5. CUJUS ASPECTUS INSENSATO DAT CONCUPISCENTIAM, ET DILIGIT MORTUÆ IMAGINIS EFFIGIEM SINE ANIMA] Græcè ἄπνουν, id est, sine spiritu & respiratione, id est, inanimem & mortuam.

CUJUS) Scilicet effigiei sculptæ, hoc est, idoli. Græca habent in plurali ὧν, id est, *quorum*, scilicet colorum A aspectus, eodem sensu. Pro concupiscentia græcè est, εἰς ὄρεξιν, id est, in appetitum, in orexin, in concupiscentiam. Ita Complut. & Regii; licet Vaticani legant, εἰς ὄνειδος, id est, in opprobrium. q. d. aspectus & cultus idolorum colentibus vertitur in probrum. Sensus vulgatæ est. q. d. Effigies idoli coloribus variegata & ornata, irritat rudium concupiscentiam & appetitum, ut simulacrum tam elegans pulchreque coloratum adament, colant & venerentur.

Secundò, apposite ad Græca Noster Pineda in Job. c. 40. v. 16. n. 4. per concupiscentiam accipit libidinem. q. d. Dæmones in idolo latentes, homines idolum, forma masculi aut feminæ pulchræ depictum & coloratum, intuentes, excitant ad turpem concupiscentiam luxuriæ, ut etiam turpi amore diligant ipsam idoli imaginem mortuam & inanimem, uti Pygmalio rex Cypri, teste Arnobio libr. 6. contra Gentes, idolum Veneris adamabat ut feminam, ac cum eo, quasi cum femina amplexus, oscula, aliosque libidinosos gestus tactusque exercebat. Simile alterius exemplum narrat Plinius lib. 36. c. 5. Hinc idololatria in Script. B vocatur fornicatio, non solùm mystica, sed & realis, quia juxta templa idolorum erant fornices & meretrices, cum quibus advenæ scortabantur. Sicque Pineda explicat illud Job. cap. 40. 16. *Sub umbra dormit*, id est, sub idolo, inquit, latet dæmon, qui proinde vocatur Baal, id est, maritus excitans ad turpem sui amorem, unde pro *diligit*, græcè est, ποθεῖ, id est, desiderat, concupiscat.

MALORUM AMATORES, DIGNI SUNT (Addunt. Lyran. Hugo, Dionys. *morte*, sed τὸ *morte* dele cum Roman. & Græcis) QUI SPEM HABEANT IN TALIBUS (perperam aliqui legunt *in tabulis*) ET QUI FACIUNT ILLOS, ET QUI DILIGUNT (Græcè ποθοῦντες, id est, qui desiderant) ET QUI COLUNT. q. d. Justa idololatrarum mala, imò pessima idola amantium pœna est, ipsa idololatria, quòd scilicet in diis, hoc est, in idolis mutis & brutis, imò diabolicis, ideoque exitialibus, & nocentissimis, spem suam ponant; utpote à quibus nihil boni sperare possint, sed omne malum, idololatrarum, inquam, omnium, tam eorum, qui Deos illos faciunt & fabricant, quàm qui eosdem amant & colunt. Vatabl. *Malorum* C *amatores, talesque spes habere digni talium opifices, amatores, cultores*. Lucas Brugensis in Notis explicat. q. d. Malitiæ omnis uberrimum fontem amant & *ii*, qui faciunt idola, & ii qui fieri colique desiderant, & ii qui colunt, ac proinde digni sunt, qui vanas atque inanes spes in illis habeant. Noster verò à Castro sic: *Malorum amatores*, hoc est capti amore studioque idolorum, & digni qui vanam in illis habeant spem, hi sunt, tam qui ea faciunt, quàm qui desiderant, vel amant, vel colunt. Omnia hæc eodem redeunt.

VERS. 6.

SED ET FIGULUS MOLLEM TERRAM PREMENS, LABORIOSE FINGIT AD USUS NOSTROS UNUMQUODQUE VAS, ET DE EODEM LUTO FINGIT, QUÆ MUNDA SUNT IN USUM VASA, ET SIMILITER QUÆ HIS CONTRARIA: HORUM AUTEM VASORUM QUIS SIT USUS, JUDEX EST FIGULUS] Pendet hic versus à sequenti v. 8. *Et cum labore*, &c. Ostendit inanitatem & vilitatem idoli ex vilitate materiæ & artificis, putà figuli. q. d. Videte, imò manibus tangite quàm idola sint vilia & lutea, D imò merum lutum. En tibi figulus ex eodem luto vasa facit alia munda & pulchra, v. g. patinas, quibus cibi inferantur in mensam; alia contraria, putà sordida & spurca, v. g. matulas ad excipiendum urinam, quod Paulus Rom. 9. ait, *ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*; atque huius discretionis & diversitatis judex, moderator, & arbiter est figulus, qui judicat & eligit hanc luti partem ad formandum ex ea patinas, illam verò ad formandas matulas, aliaque vasa ad alios usus, prout ipsi libuerit & visum fuerit: Atqui figulus ut subdit v. 8. simili modo ex eodem luto fingit idolum, judicatque & eligit ad hoc partem luti, quæ ipsi aptior videtur. Ergo idolum si materiam spectes planè simile, imò idem est cum materia patinarum & matularum, quæ vilissima est, putà lutum; sin artificem spectes, idem est figulus, qui idolum, & qui matulam fingit. Quàm ergo vilis est figulus & vile lutum, tam pariter vile est opus eius, putà idolum ab eo plasmatum. Quare rectè Arnob. libr. 6. contra Gentes, Idololatras hoc argumento velut telo pungit & perimit: *Quanam est ergo ratio*, inquit,

VERS. 7.

Figuli causa idololatriæ.

quit, *ut si omnia hæc corpora intacta atque infecta permanserint, careant vi numinis atque auctoritate cælesti, ea formas si accipiant hominum, si auriculas, nasos, buccas, labra, oculos, cilia, consiano dii fiant, & in ordinem cælitum referantur, & censeam? Novitatis aliquid fictio corporibus his addit, at adiectione ipsa cogamini, aliquid eis credere divinitatis maiestatisque collatum?* &c.

Præ cæteris idolis aureis & æreis meminit Luteorum, tum quia hæc plurima erant, & à pauperibus passim parvo pretio comparabantur; tum quia luteorum vilissima est materia, sordidissima plasmatio, sordidissimus artifex; qui tamen plenum in ea habet dominium & imperium, ut mira facilitate ex luto molli formet & fingat illa ea forma & figura, qua ipsi libitum fuerit; quæ omnia vilitatem summam idolorum coarguunt. Unde subdit.

VERS. 8. ET CUM LABORE VANO DEUM FINGIT DE EODEM LUTO ILLE, QUI PAULÒ ANTE DE TERRA FACTUS FUERAT, ET POST PUSILLUM REDUCIT SE, UNDE ACCEPTUS EST, REPETITUS ANIMÆ DEBITUM, QUAM HABEBAT] q. d. Quæ insania est luteum idolum à figulo ex eodem luto, B quo patinæ & matulæ sunt formatæ, effectum censere esse Deum, cùm & ipse figulus sit homo mortalis ex simili luto & terra à Deo in Adamo protoplasto formatus & plasmatus, ac mox in eandem terram moriens sit rediturus, cùm Deus animam, quam dedit, ab eo repetet. Nec enim homo, qualis est figulus, potest formare Deum, nec mortalis immortalem, nec luteus cælestem: qua ratione enim figulus statuis luteis à se plasmatis Numen inspiret, & divinitatem tribuat?

Solerter Hugo advertit, justum congruumque Dei judicium, & vindictam, qua fit ut figulus, & idololatra, qui de terra factus animam, id est, rationem sequi noluit, quæ Deum dictabat colendum, & propter quam similis erat ipsi, viliorem ipsi partem, nempe terrenum corpus auscultando, luteum quoque adoret, proprio corpori similem, Deum. Idem mysticè faciunt gulosi, luxuriosi cæterique peccatores. Pro *labore vano*, græcè est, κακόμοχθος, quod Osorius vertit: *Operarius laboriosus & impius*; alii, *malè laborans*; Vatabl. *pessimè locans operam*.

REDUCIT SE] q. d. Figulus brevi moriens redibit C in terram, ex qua corpus eius formatum est, *repetitus animæ debitum*, moriendi scilicet, seu è corpore discedendi: nempè cùm Deus ab anima repetit debitum migrandi è corpore, & ad se redeundi, ut debitorum, id est, culparum commissarum, ac præsertim idololatriæ & idolorum à se fictorum, rationem exactam Deo vero reposcenti reddat. q. d. Quàm vanum & stultum est credere, quòd figulus fingat Deum, qui à Deo suum esse accipit, brevique illud Deo datori restituit, ac rationem illius bene vel male expensi reddet? Hinc Mor. disce animam & vitam non esse nostram, sed Dei, qui illius Dominus eius usum dumtaxat nobis concessit, eamque quasi mutuo dedit, ut illa scilicet utamur ad Dei voluntatem & laudem; quod si abutamur ad idolum quodpiam honoris, superbiæ, avaritiæ, aut luxuriæ nobis effingendum, acrem in judicio à nobis rationem sui dati, vel potiùs mutui reposcit, eiusque abusum æternis ignibus puniet, juxta parabolam talentorum. Matth. 25. 15. tunc abutens audiet à Christo judice illud: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parasti cuius erunt?* Lucæ 12. 20. Deus ergo est creditor, D homo debitor, debitum est anima eiusque culpæ: mors est debitum naturæ, gehenna est debitum culpæ: quare qui peccat, fructum facit morti secundæ, id est, fructificat gehennæ, ait S. Ambrosius in cap. 7. Roman. Simili modo terra ab hominibus morientibus repetit debitum corporis ex se accepti, juxta illud Eccles. 12. 7. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Vide ibi dicta. Hinc S. Ambrosius lib. de Bono mortis cap 10. Probat animæ immortalitatem: *Numquid dixit*, inquit, *moriatur in te anima tua. Non: sed reposcatur à te; Quæ data est, reposcitur, vel repetatur à te. Repetitur enim anima, non intermittitur. Quod repetitur manet, quod intermittitur non manet.*

VERS. 10. SED CURA EST ILLI, NON QUIA LABORATURUS EST, NEC QUONIAM BREVIS ILLI VITA EST, SED CONCERTATUR AURIFICIBUS ET ARGENTARIIS. SED ET ÆRARIOS IMITATUR, ET GLORIAM PRÆFERT, QUONIAM RES SUPERVACUAS FINGIT] Prosequitur ostendere A dementiam figuli, sive idoloplastæ. q. d. Figulus fingens idolum luteum, nec labori parcit nec vitæ. Nam non curat nec cogitat laborem, qui ei magnus subeundus est, ut singula membra idoli, instar membrorum hominis distinctè, perfectè & eleganter efformet. Rursum, non curat nec cogitat, quod ei brevis vita supersit, quæ rebus utilioribus & saluti æternæ procurandæ erat impendenda, sed lucrum dumtaxat spectat & honorem, ut audiat: Ecce hic est insignis idoloplastes. Quare ambitiosè certat cum aurificibus, argentariis, & ærariis, ut æquè perfectè, imò perfectiùs idola effingat ex luto, quàm illi ex auro, argento, & ære. Contendit ergo in arte & forma æquare vel superare illos, esto in materia ab iisdem superetur. Juvenalis ridet Ægyptios, quod allia & porros pro diis colerent, aitque:

O Sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina.

Simili modo rideas idoloplastas, iisque dicas:

O sanctos plastos, qui lutea numina plasmant,
O sanctas palmas, queis condere numina fas est,
O divos digitos, qui possunt fingere divos.

NON QUIA LABORATURUS EST] Labor hic à variis variè accipitur. Primò, & genuinè pro eo, quo figulus operosè laborat in formando idolo, singulisque eius partibus & membris, iisque conservandis ne rumpantur vel frangantur, uti jam dixi. Secundò, quo laborat morbo, quem ex nimio plasmandi labore diurno & nocturno contrahit. Unde Petrus Nannius hic: *Laboraturus*, inquit, id est, *ægrotaturus*. Καμόντες, enim vocantur ægri vel mortui. q. d. Figulus intentus lucro, & gloriæ nimio labore se conficit, perdit & interimit. Tertiò, quo laborabit in morte, cùm repetetur ab eo animæ debitum, & in gehenna, ubi ardebit ob sua idola, quæ finxit. Ita Jansen.

CONCERTATUR] Græcè ἀντερείδεται, id est, contra adversarium vel æmulum contendit, certat, pugnat, ut artis suæ excellentia plus lucri & gloriæ referat.

GLORIAM PRÆFERT, QUONIAM RES SUPERVACUAS FINGIT] Id est, ut Græcè *Gloriam æstimat, quod κίβδηλα*, id est, *adulterina fingit*; Vatabl. *Gloriæ sibi ducit, quòd fingat imposturas*; alii, *quod fingat adulteria*, id est, res adulteratas & falsatas, putà idola, quæ non sunt numina, sed nominum figmenta & portenta, ideoque sunt dii adulterini & falsati, hoc est adumbrati, picti, ficti, & falsi. Græcum enim κίβδηλον, significat rem adulteratam, ementitam, fictam, & propriè dicitur de nummis subæratis, cùm scilicet aureis æs miscitur, quòd eos vitiat & adulterat: Simili enim modo idolum est Deus, non verus, sed ementitus & adulteratus. Quocirca Tertul. libr. de Idolol. cap. 7. asserit, Christianos artifices, qui lucri causa simulacra fingunt idololatris, eiiciendos esse ab Ecclesia, imò manus eis esse amputandas: *Tota die*, inquit, *ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire, de adversaria officina in domum Dei venire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum: his manibus adorare, quæ foris adversus Deum adorantur; eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit Parum, sit si ab aliis manibus accipiant, quod contaminant; sed etiam ipsa tradant aliis, quod contaminaverant. Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus eius lacessunt; O manus præcidendæ? Viderint jam, an per similitudinem dictum sit: si te manus tua scandalizat, amputa eam. Quæ magis amputanda, quàm in quibus Domini corpus scandalizatur?*

Hac de causa S. Claudius, Nicostratus, Symphorianus, Castorius & Simplicius, sub Diocletiano Imper. gloriosum obiere martyrium, quod cùm essent summi Sculptores, nullo modo adduci potuerunt, ut idolorum statuas facerent; & ad solis simulachrum ducti, ut illud venerarentur, numquam commissuros se dixerunt, ut adorarent opera manuum hominum. Quamobrem in carcerem coniecti, Scorpionibus cæsi, demum vivi plumbeis loculis inclusi in flumen deiecti, corpora solo, animas cælo resignarunt, ac gloriosum de idolis triumphum egerunt. Celebrat Ecclesia illorum diem natalem in Octava omnium Sanctorum, ac reliquias eorum veneramur Romæ in Ecclesia Sanctorum quatuor Coronatorum.

CINIS EST ENIM COR EJUS, ET TERRA SUPERVACUA SPES ILLIUS, ET LUTO VILIOR VITA EJUS] Vatabl. *Pulvis est cor illius: spes* VERS. 10.

ttem

item terra vilior, & argilla abiectior vita illius. Loquitur A non de idolo, sed de idoloplasta sive idoli figulo. q. d. Figulus fingens idola, in quibus gloriatur, & jactat suam artem plasmandi, fingit res *supervacuas*, id est, viles falsas & fictas, quia totum *cor*, id est, cogitationem & curam defigit in luto & cinere, ut scilicet ex luto formet vasa & idola lutea, eaque deinde in fornace coquat urendo ligna, quæ abeunt in cinerem, quare totus luteus & cinereus est, præsertim quia ipse quoque in morte in pulverem & cinerem redibit, juxta illud Adæ ejusque posteris intentatum à Deo: *In pulverem reverteris*. Genes. 3. 19. Sapiens crebrò idem hic aliis verbis, iisque obscuris inculcat, ut idolorum odium lectoribus imprimat, uti faciunt Concionatores, cum vitium aliquod prædominans in populo insectantur. Cogor ego Auctorem interpretando assectari, idemque explicando repetere: ne ergo quis me πολυλογίας accuset.

Pro *cinis*, græcè est, σποδὸς, at non simplex, qui τέφρα dicitur, sed sordidus, & in quo extincti carbones permixti sunt, & aliarum rerum reliquiæ, putà fragmenta testarum, quæ igne ardentiore in fornace sæpè dissiliunt, & B franguntur. In his ergo est totum *cor*, id est cogitatio, & occupatio figuli, ut ipse totiùs cineri & luto immersus, vitam inter cineres non humanam & vitalem, sed cineream & funebrem agere videatur. Ita Lyran. Cinis inquit, est cor figuli per affectionem, quia ut ait S. August. Diligis terram, terra es: diligis cælum, cælum es: Diligis Deum, quid dicam? divinus, imò Deus es: amor enim transformat amantem in amatum; anima enim magis est ubi amat, quàm ubi animat. Idem S. August. lib. 2. de Serm. Domini in Monte cap. 9. *Quemadmodum*, inquit, *terra appellatus est peccator, cum ei dictum est: Terra es, & in terram ibis: sic cælum justis è contrario dici potest: Justis enim dicitur. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Quapropter si in templo suo habitat Deus, & sancti templum eius sunt; rectè dicitur, qui in cælis es, qui es in sanctis: Et accommodatissima ista similitudo est, ut spiritaliter tantùm interesse videatur inter justos & peccatores, quantùm corporaliter inter cælum & terram. Cuius rei significandæ gratia, cum ad orationes stamus, ad Orientem convertimur, unde cælum surgit: non tamquam ibi sit Deus,* C *& quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui ubique præsens est, non locorum spatiis, sed maiestate potentiæ; sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est, ad Dominum, cùm ipsum corpus eius quod est terrenum ad corpus excellentius, id est, ad corpus cæleste convertitur.* Et post nonnulla. *Ut cum aliquando cognoverint dignitatem animæ; cæleste etiam corpus excedere, magis eum quærat in anima, quam in corpore etiam cælesti.*

TERRA SUPERVACUAS SPES ILLIUS EST] Id est, terram vilem sperat, putà vile lucrum, vile aurum & argentum: hæc enim nil aliud sunt, quàm terra alba & rubra, ait S. Bernard. græcè est: *Terra vilior spes illius, & luto abiectior vita eius*, quia spem sitam habet in luteo idolo, quod ideò terra ipsa vilius est. nam terra uti à Deo creata est, manet id quod est: at idolum habet id, quod non est; existimatur enim Deus, cùm minime sit. Unde & abiectiùs figulus vivit, quàm est ipsa terra seu lutum idoli, quia luto se subiicit, ut servum Domino, & ut creaturam creatori suo. Denique Syrus vertit: *Terra spes eius, & luteum impropèrii habitaculum illius*. Figulus D enim perpetim tractat lutum, ut in eo velut domo sua habitare videatur.

Tropolog. Tropol. notantur hic tria primaria vitia. Cinis enim, qui ex igne gignitur, notat iram & superbiam: terra, quæ producit fruges & opes, avaritiam: lutum, quod inficit & maculat, gulam & luxuriam. Avari enim idolum est aurum, superbi honor, gulæ & luxuriæ vina & veneres: sed hæc omnia lutea, id est, vilia & fragilia sunt, ac in terram cineremque cum ipso homine abeunt, juxta illud Job 30. 19. *Comparatus sum luto, & assimilatus sum favillæ & cineri*. Calor enim naturalis velut ignis hominis radicale humidum depascitur. Quocirca moritur homo, corpusque abit in cinerem & terram. Unde cap. 2. 3. dixit: *qua* (scintilla) *extincta cinis erit corpus nostrum*, quasi cremium ex igne residuum. Vide ibi dicta.

VERS. 11. QUONIAM IGNORAVIT QUI SE FINXIT, ET QUI INSPIRAVIT ILLI ANIMAM, QUÆ OPERATUR, ET QUI INSUFFLAVIT EI SPIRITUM VITALEM] Græcè: *Quoniam eum, qui se finxit, nescivit, & qui inspiravit illi vegetam animam, qui insufflavit spiritum vitalem*. q. d. Figulus totum cor habet in idolo quod fingit, quia adeò cæcus est, ut ignoret Deum verum, qui se finxit, imò ex nihilo creavit, quique illi inspiravit animam, quæ semper aliquid operatur, ac spiritum vitalem ei inflavit. Dat rationem, cur dixerit, quòd cor figuli sit cinis, ideoque ipse sit terra vilior & luto abiectior, quia scilicet luto se subiicit quasi suo idolo: non enim cognoscit Deum verum, vitæ suæ & omnium bonorum auctorem & datorem. Pro *qua operatur* græcè est, ἐνεργοῦσαν, id est, operantem, vegetam, efficacem, quæ non est otiosa & cassa, sed semper est in actu & semper agit aliquid, quod eius vim & vigorem vitalem demonstrat: quàm proinde Cicero Tuscul. s. continuatam quamdam & perennem motionem nuncupat. Anima enim est vitæ & vitalis operationis, quæ ex vita jugiter manat, fons & origo. Sicut enim fons semper scaturiens numquam quiescit aut sistit; sic & anima numquam quiescit, sed semper corpus vegetat, membra vivificat, cerebrum animat, ac in singulas partes corporis per spiritus vitales & animales, vegetationem, vitam, sensum & motum infundit; cuius rei index est pulsus, qui in perpetua est agitatione & motu quamdiu homo vivit; qui si cesset, homo moritur. Item *spiritus vitalis*, id est, vis respirandi, & respiratio continua per omnem vitam, qua desinente homo extinguitur & desinit. Quare perperam nonnulli ex hoc loco censuerunt in homine plures esse animas, scilicet duas aut tres, nimirum vegetativam, sensitivam, & rationalem. Una enim est in homine anima rationalis, sed virtute triplex; ipsa enim sola obit omnia munia, quæ in plantis obit anima vegetativa, & in animalibus anima sensitiva, & in angelis anima, ut ita dicam, rationalis. Ipsa ergo vegetat hominem ut crescat; Ipsa videt, audit, sentit; ipsa intelligit & ratiocinatur. Posset quoque per spiritum vitalem accipi ipsa anima: hæc enim dicitur anima, quatenus corpus animat & vivificat, eadem dicitur Spiritus; tum, quia ipsa est spiritalis & incorporea; tum, quia homini tribuit vim respirandi; tum, quia spiritus vitales & animales capiti, totique corpori producit & subministrat.

SED ET ÆSTIMAVERUNT LUSUM ESSE VITAM NOSTRAM, ET CONVERSATIONEM VITÆ COMPOSITAM AD LUCRUM, ET OPORTERE UNDECUMQUE ETIAM EX MALO ACQUIRERE] VERS. 12. Vatabl. *Verùm isti ludicram vitam nostram existimant, & cursum ætatis lucrosam nundinationem, ut qui dicant undecumque, etiam ex malo rem faciendam*; Syrus: *& reputaverunt habitaculum vitæ suæ risum, & habitaculum suum tamquam tempus & venditionem mercatoris, & omnis mercatura eius in malo*; Arabicus: *Et censuerunt ætatem nostram lucrum ad induendum* (vel *lucrum confusionis*, *& quia dicunt se indigere, hinc lucrantur ex malo*. Assignat radicem mali, putà cur figuli fingant idola, quia scilicet censent omnia, quæ in vitâ hac geruntur, non esse res serias, à quibus pendeat salus & æterna hominis felicitas, sed ludicras, quibus homines ceu pueri suis pupis modico tempore, quo vivunt, ludant; ideoque idola quasi pupas fingunt, ut iis quasi Diis ludicris, ludant & illudant hominibus, eorumque opes & bursas, sive per fas, sive per nefas emungant, dum figmenta hæc sua ludicraque idola carò quibuslibet vendunt. Pro *lusum* enim græcè est, παίγνιον, id est, ludicrum, lusus, ludibrium, ac præsertim delectamenta, quibus ludunt pueri, uti sunt imagunculæ & effigies, præsertim quas ipsi formant ex terra vel luto: à παίζω enim, id est, ludo dicitur παῖς, id est, puer, quasi lusor; & παίγνιον, id est, res ludicra, qua puer ludit: vel certè à παῖς, dicitur à παίζω, id est, ludo, jocor instar pueri. Perperam pro *lusum* nonnulli legunt *luxum*. Unde Lyran. per lusum accipit luxum, putà delectationem carnalem. Hugo verò per lusum accipit derisum, quo impii pios derident. Dionys. autem q. d. Idololatræ & impii sectantur bona hujus vitæ, quæ ludicra sunt, negligunt verò bona futuræ vitæ, quæ vera sunt & solida. Verùm sensus genuinus est, quem initio dedi, cui adde, lusu hoc notari Atheismum. q. d. Idoloplastæ ludunt suis idolis iisque ditescunt, quia putant hanc vitam merum esse lusum, nec eius ut rei seriæ rationem exigendam à Deo. Lusus enim merus est lusus, nec ad alium finem refertur, ait Aristot. 10. Ethic. cap. 6. Sic & hi putant vitam hanc non referri ad futuram,

ram, sed ea finita animam cum corpore interire: quare securè epulantur, ludunt, scortantur, &c uti dixit cap. 2.

Eutrapelia ludorum.

Hinc S. Thomas 2.2. qu. 168. art. 2. ad 2. censet hoc loco redargui eos, qui immoderati & nimij sunt in lusu, ut in eo summum bonum & felicitatem constituere videantur, quos ipse redarguit ex dicto Ciceron. libr. 1 de Officiis dicentis: *Non ita generati a natura sumus, ut ad ludum & iocum facti esse videamur, sed ad severitatem potius & ad quadam studia graviora atque maiora* (idem asserit Arist. libr. 10. Ethic. cap. 6.) & ex illo S. Chrysost. h. 6. in Matth. *Non dat Deus ludere* (lusu nimio vel vetito) *sed diabolus. Audi quid ludentes passi sunt. Sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere*, cùm adorarunt vitulum aureum. Exodi 32. Quocirca s. Thomas, ibidem assignat virtutem Eutrapeliam, cuius Officium est moderari iocos & ludos, ut nec nimij sint, nec nimis parci; quo fit ut homo, nec nimis levis & ludicrus, nec nimis serius, stoicus & tetricus, sed festivè gravis, & graviter festivus euadat: citatque illud Ciceronis l. 1. de

Lusu ut somno utendum.

Officiis: Ludo & ioco uti quidem licet, sed sicut somno, & quietè, cetera tunc, cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus, iuxta illud Catonis:

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.

Memini in Belgio nannullos ad leniendum dolorem ex publicis calamitatibus conceptum, instituisse societatem ludi, & ioci cuius hoc axioma, & hac norma erat: *Nec nimis iocosus sis, nec nimis gravis. Nec nimis sape, nec nimis desipe.* Sapienter Clemens Alex. libr. 3. Pædag. cap. 11. *Non sapit*, inquit, *cui ludus habetur proserio.* Unde Ierem. c. 15. 7. *Non sedi*, inquit, *in consilio ludentium.* Et Tobias cap. 3. 17. *Numquam*, ait, *cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant participem me præbui.* Ludit mundus cum suis amatoribus, sicut meretrix cum suis amasiis, quos deludit & expilat: perinde ac felis ludit cum mure. Sic Ismael lusit cum Isaac eum persequendo, ideoque domo patris Abrahæ iussu Dei expulsus est. Gen. 21. 10.

Lusitaniæ etymon & antiquitas.

Denique Lusus Bacchi fuit socius, à quo Lusitaniam nomen accepisse asserit Plinius libr. 3. cap. 1 *Varro*, inquit, *tradit lusum liberi patris ac Lysam cum eo bacchantem, nomen dedisse Lusitaniæ, & Pana perfectum eius universæ.* Lusus autem apud Celtiberos regnavit eo tempore, quo Pharao mersus est in mari rubro. Ita Berosus li. 5. Vide hic antiquitatem Lusitaniæ, quæ tempore Moysis & Pharaonis a Lusio rege nomen accepit.

Vita est ludus.

Symbolicè, vita nostra lusus est puerorum, comœdia est, tragœdia est, sed videat quisque, ut in eo personam suam decenter agat, & lusum hunc sapienter ludat, quia ab illo pendet cuiusque salus & felicitas perpetua.

Comœdia.

Iacimus enim aleam de tota æternitate, eaque vel felicissima vel miserrima, idque irrevocabiliter. Hinc Epictètus Enchir. 23. Tota vita nostra, inquit, mimus est, scena & fabela. Idem dixit Augustus Cæsar moriturus, teste Suetonio.

Plato vitam nostram, præsertim adolescentiam iam liberam, comparabat ludo tesserarum, vel ludo aleæ, ubi & iaciendum est, quod sit commodium, & iactu quod ceciderit, rectè usurpandum; ac iacere quidem hanc aleam non esse in nostra potestate, sed Dei, fati, aut fortunæ. Si verò rectè sapimus penes nos esse, quæ fortuna obtulit convenienter accipere, & suo quodque disponere loco, ubi & propria maxime conducant, & quæ præter voluntatem eveniunt minimè offendant: alioquin ij, qui nulla arte adhibita, nulla prudentia vitam degunt, cùm res secundæ afflant, sortem suam extollunt, cùm adversæ, deiiciunt. Ita que in utraque fortuna turbantur & numquam quieti sunt, quo modo ægrotos videmus neque calorem ferre posse, neque frigus. Platonem secutus Plutarch. li. de Animi tranq. confert hominis vitam ludo tesserarum: quid iactu cadat, inquit, non est in nobis situm; at quod cecidit rectè disponere, in nobis est: sic eventus in nobis non est: quod evenit id in bonum vertere, nostri muneris est. Synesius libr. 1. de Providentia: *Sicut, ait, in Scena tragœdus, quaecumque ei personam fabulæ choragus imponit, hanc eum bellè agere postulat: Ita Deus nobis & fortuna diversa vita genera, quasi personas quasdam in hac ingenti mundi fabula indunt, neque unius conditio, quam alterius quidquam est vel melior vel deterior. Eam unusquisque gerit ut potest. Potest autem vir bonus omni loco se rectè gerere, sive mendicum ille, sive regem agat. Neque de persona altercari solet. Nam & in tragœdo ridiculum fuerit, hanc illum resingere aut alteram eligere. In antenla enim persona, si placeat corollas & præconia consequitur: contra verò si in regia se turpiter det, exploditur & exsibilatur, non etiam numquam lapidibus petitur.* S. Chrysostom hom. 47 ad populum: *Vita ait, præsens, ludus est, imò quod peius; futura vero non ludicra. Quid enim a pueris differimus ludentibus & domos ædificantibus, nos splendidas erigentes domos? Quid autem a prandentibus illis nos delicatè viventes? Nihil, nisi quod cum pœna hæc facimus. Si verò nondum rerum veritatem conspicimus mirandum non est: nondum enim viri facti sumus: cùm autem facti fuerimus, sciemus quod hæc sunt puerilia; quoniam & illa viri euadentes dimittimus. Cum autem pueri sumus seria esse putamus & testas & lutum coagmentantes, non minus magna erigentibus septa solliciti sumus, verumtamen statim pereunt & collabuntur: & neque si starent usquam nobis utilia forent, sicut nec ista splendidæ domus. Cæli namque civem admittere non possunt.* Subdit deinde cęlites hos hominum in terra ludos ridere: *Neque cælestem habens patriam, in his morari sustineret: sed quemadmodum nos hæc pedibus destruimus, ita & ille iudicio subvertit: Et sicut nos pueros in subversione ingentes ridemus, sic & cælites nos hæc ingemiscentes non tantum rident, verum & deflent: quoniam & misericordia sunt spiritum viscera, & hinc multum est damnum. Efficiamur ergo viri. Quousque solo reptamus, in lapidibus & lignis alium sapientes? Quousque ludimus et utinam tantum luderemus. Nunc autem & nostram prodidimus salutem. Et sicut pueri cum in his studia agunt, litteris neglectis multa sustinent verbera; sic & nos in his omne studium impendentes, dum spiritales exigemus disciplinas, tunc per opera, nec quas præstemus habebimus, extremam, dabimus ultionem nec unus erit qui nos eruat, sive pater, sive frater.* Eadem habet hom. 24. in Matth. Idem epistol. 6. *Non est*, inquit, *theatralibus scenis præsens vita dissimilis. Nam ut illic ille imperatoris, hic iudicis, alter & militis implet officium; ubi autem conjecta nox fuerit, nec imperator agnoscitur imperator, nec iudex qui fuerit, iudex videtur, nec miles postea, qui prius miles: ita unusquisque nostrum in illius sæculi die, non personis, sed rebus atque actibus competentem accipiet dignitatem.* Ludite mortales, lusu non vitiorum, sed virtutum. Ludit avarus suis nummis, dum per usuras, fraudes, fas & nefas eos coaceruat. Ludit ambitiosus suis officiis & honoribus, quos illicitis artibus sibi comparat. Ludit gulosus suis epulis, luxuriosus suis mulierculis, sed lusum hunc tristis excipit Catastrophe, plausum hunc funestus sequitur planctus, dum à lusu itur ad luctum, à iocis ad focos gehennæ: nec meminit cælestis moniti: *Udo, Udo cessa ludo, lusum satis udo*, nisi dum finito vitæ lusu, post mortem cum Udone Magdeburgensi ad tartara damnatur, orbi fit ludus, & ludibrium dæmonum. Itàne vili nummo, exili honore, spurca feminæ larva iacitur alea gehennæ, prodigitur beata cæli gloria, luditur, inquam, immensa & interminabilis Æternitas? ò stupor ò mens amens, ò cor vecors: quàm sapientius, sanius, iucundius & felicius ludunt, qui humilitate, charitate, patientia, ceterisque virtutum officiis ludunt, ut ea obeant læti & ludibundi ob certam spem æternæ felicitatis? Quàm bene lusum vitæ suæ lusit s. Paulus dicens: *Spectaculum facti sumus mundo, angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum.* &c. 1. Cor. 4. 9. Quam bene eundem lusere s. Athanasius. s. Chrysost. s. Antonius, s. Franciscus, ceterique Sancti? Quàm bene suam personam egere in hac vita comœdia & fabula?

Vita est nundinatio.

Et conversationem vitæ compositam ad lucrum] Græcè, τὸν βίον πανηγυρισμὸν ἐπικερδῆ id est, vitam seu vivendi modum, esse nundinas paratas ad lucrum, vel nundinationem quæstuosam, unde Syrus vertit, *Venditionem mercatoris*, id est, mercatum. Sic Pythagoras, teste Cicerone Tuscul. 5. dixit, vitam hominum similem nundinis, quæ in publicis ludis toto Græciæ concursu celebrabantur, ad quos confluebant omnes, hi ut emerent, illi ut venderent. Sensus est, q. d. Idoloplastæ non aliud cogitant, quàm lucrum. Formant ergo idola, ut ea vendant; itaque opes coacervent; nec enim alias opes spirituales norunt, nec futuram vitam cogitant aut credunt. Simili modo s. Gregor. Nazian. in Tetrastichis dixit, vitam

hanc esse mercatum spiritualem, in qua cuilibet emere A liceat merces virtutum, quibus vivat in futuro sęculo: Finita enim in morte vita, quasi finitis nundinis, nonnulli fas esse quippiam amplius comparare. Sed audi Nazianz.

Hanc esse vitam nundinas credas velim;
Negotiari si scias, lucrum feres,
Caduca mutans commodis perennibus;
Post tempus illud alterum non suppetet.

ET OPORTERE UNDECUMQUE ETIAM EX MALO ACQUIRERE] Græcè πορίζειν, id est, quęstum facere. q. d. Idoloplastes totus lucro intentus illud captat ex malo, putà ex idolis, quæ fingit, quaque quasi numina carius vendit; quàm aut materia aut opera eius mereatur. Sic rudè & cupidum vulgus hodie soli lucro intentum, illud ex qualibet re, etiam mala aucupatur. Auari enim in quæstu summum bonum constituunt, ideoque lucrum sibi proponunt quasi Deum.

Vespasianus Imper. ad rem attentiis ex rebus etiam sordidis, uti ex urina captabat vectigal & lucrum: Cum nonnulli obiicerent hoc vectigal esse sordidum, respon- B dit: *Lotium fœtet, at aurum non fœtet, ex qualibet enim re bonus & suavis est odor lucri.* Honestiùs & cordatiùs Chilon apud Laertium l. 1. c. 4. *Lucrum*, ait, *scelere partum, damnum est, non lucrum.*

Vers.13. HIC ENIM SCIT SE SUPER OMNES DELINQUERE, QUI EX TERRÆ MATERIA FRAGILIA VASA ET SCULPTILIA FINGIT] Probat quod dixit, idoloplasten *ex malo acquirere*, ex eo quod ipse sciat se non posse ex luto, ex quo fingit matulas & patinas, formare & fingere Deos. Quare præ ceteris idololatris & idolorum opificibus, putà argentariis, aurariis & ærariis peccat, quod illi sępè ignorantia laborent, ac ex argento, auro ære fabricent idola; in quæ proinde pronius, se insinuat superbus dæmon, quæ deinde ad alios quoque usus servire possunt, putà ad repræsentandos reges, vel homines virtute præcellentes, aut si confringantur, aurum, argentum & æs, in pauperes erogari potest: idolum vero luteum ad nihil valet, nisi ut confractum conteratur pedibus. Vilitas ergo & fragilitas terræ ac luti, figulum idoli de sua impietate convin- C cit, si nolit prorsus cæcutire & insanire. Scit enim figulus Deos suos esse fictiles; scit pariter illud vulgò tritum: *Figuli opes, fictiles divitiæ*: scit enim opes suas consistere in vasis figulinis, quæ proinde cum iis facilè confringantur & pereant. Quæ res ipsum admonet, ne pro lucro tam fragili tantùm idoli nefas committat & fabricet.

Vers.14. OMNES ENIM INSIPIENTES, ET INFELICES SUPRA MODUM ANIMÆ SUPERBI, SUNT INIMICI POPULI TUI, ET IMPERANTES ILLI] Perperam Biblia Benedicta habent, *impetrantes illi*. Sensus est q. d. Idololatræ hostes populi tui, v. g. Ægyptij, Ammonitæ, Philisthæi, &c. Sunt superbi, insipientes & infelices, *supra modum animæ*, id est, ut græcè, est, *super omni anima*, sive præ omni anima, id est, præ omni homine, quia ceteri homines esto sint idololatræ, non tamen Deum Deique veri cultores, putà Israelitas persequuntur, uti faciunt Ægyptij & Philistini, qui proinde gravissimè in hac vita vel in futura à Deo punientur. Græcè est, *super animas infantium*, vel ut Vatican. *infantis vecordis*. Nil enim insipientius anima infantis D quæ etsi sit rationalis quoad potentiam, *ratione*, tamen ob organorum debilitatem uti nequit; sed infans prorsus est insipiens, & quoad actum irrationalis instar bruti. Τὸ ergo *omnes* non potest referri ad τὸ *animæ*, cum anima sit femininum; Pro *omnes* verò sit πάντες, quod est masculinum.

Magis propriè & pressè S. Bonavent. Lyran. & Dionys. hostes inquiunt, Israelitarum dicuntur *superbi supra modum animæ*, id est, plusquam anima cuiuspiam possit præsumere & sese extollere, iuxta illud Isaiæ 16. 6. *Superbia eius* (Moab) *& arrogantia eius, & indignatio eius plusquam fortitudo eius* Hoc enim videtur innuere *τὸ supra modum animæ*, etsi in Græco sit *super animas infantium*, q. d. Præsumentes suprà id quod valent concipere, uti faciunt pueri stulti & insipientes. Rursum Vatabl. per infantes accipit stultos. Vnde vertit: *Stultorum animis miseriores sunt omnes populi tui inimici, qui eum potentia premunt, eo quòd omnia simulacra gentium pro Diis habeant.* Pro *omnes enim*, græcè est, πάντες δὲ, id est, *omnes verò*, Sed hæ particulæ sæpè inter se commutantur, ac δὲ sumitur pro γὰρ, id est, *enim*, & vice versa, uti superiùs ostendi. Occurrit enim tacitæ obiectioni, q. d. Ne mihi idola & idololatras insectanti obiicias, hostes Israelis esse sapientes & felices, idque per idola & Deos suos, quos colunt & invocant, eò quòd ipsi iam dominentur imperentque populo Dei, putà Israelitis. Dico enim illos præ cetaris Gentibus esse insipientes & infelices, quia colunt muta & stupida idola, non tantum sua, sed & quarumlibet gentium quantumvis fœda & ipurca, quo quid insipientius, vel infelicius? Nam ne Hebræi ex vicinia Ægyptiorum, eorum idololatria inficerentur, præsertim cùm eos viderent rerum dominos sibi imperare, hinc contra eos insurgit Sapiens, ac sequent. cap. eorum insipientiam & infelicitatem demonstrat. Eadem de causa Baruch cap. 6. detonat in idola Babyloniorum, ut Iudæos in Babylonicam captivitatem ituros ab iis colendis avertat. Pro *imperantes* perperam. Lyran. Hugo, & alij legunt *improperantes*, græcè enim est, καταδυναστεύοντες αὐτῶν, id est, *potentia & vi opprimentes illum*, scilicet populum Dei. Huc facit oratio Esther cap. 14. v. 7. & seq. *Et nunc non eis* (persis hostibus nostris) *sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute sed robur manuum suarum idolorum potentia deputantes, volunt tua mutare promissa, ut aperiant ora Gentium, & laudent idolorum fortitudinem*, &c. Id Gorionides narrans sic Esther facit loquentem: Ecce ipsi non dicunt te (o Deus) nos in suas manus tradidisse, sed idolis acceptum hoc ipsum ferunt, eàque adorant dicentes: Vos in manus nostras Iudæos dedistis.

Ex hoc loco liquet, Salomonem non esse Auctorem huius libri. Nam eius æuo nullæ gentes dominabantur Israeli, sed potiùs Israel per Salamonem dominabatur cęteris gentibus, præsertim vicinioribus. Quare videtur liber hic Scriptus sub tempora Septuag. interpretum, quando Ptolomæus Lagi pater Philadelphi, ac Ægyptij idololatræ imperabant Iudææ, uti dixi in Proœmio. Vnde cap. seq. Ægyptios insectari pergit. Quod enim Lyran. censet auctorem libri esse Philonem Iudæum, qui post Christum vixit sub Caio Caligula Cæsare, qui Caius misit statuam suam per totum orbem, quin & Ierosolymam, ut in ea à Iudæis ceterisque gentibus adoraretur, ac Iudæi id facere renuentibus multas facessivit molestias, qua de causa ad eum à Iudæi missus Philo repulsam tulit. Hoc, inquam, parum verisimile videtur. Quis enim credat hominem Iudęum iam abrogato Iudaismo, infidelem & perfidum, esse auctorem libri canonici sancti & sacri?

QVONIAM OMNIA IDOLA NATIONUM DEOS ÆSTIMAVERUNT, QUIBUS NEQUE OCULORUM USUS EST AD VIDENDUM, NEQUE NARES AD PERCIPIENDUM SPIRITUM, NEQUE AURES AD AUDIENDUM, NEQUE DIGITI MANUUM AD TRACTANDUM, SED ET PEDES EORUM PIGRI AD AMBULANDUM] Vers.15. Græcè, ἀργοί, id est otiosi, inefficaces, inepti ad ambulandum. Pro *usus*, ut habent Græca & Roman. perperam aliqui legunt *visus*, & si idem sit sensus. Alludit ad psal. 113. 4. & psal. 134. 16. Verba ex se clara sunt & patent ex dictis. S. Cypriano. lib. 3. Testim. cap. 59. pro *digiti manuum*, legit *digiti in manibus*. Sensus est q. d. Ægyptij omnium gentium Deos coluerunt, putà idola, quæ nec veros digitos, nec veros pedes, nec veras manus habent, sed sunt sicut stipites & trunci, quibus, si ipsi eorum figuli similes fierent, homines esse desinerent. Hinc patet Ægyptios utpote valde superstitiosos, non tantùm suos, sed & aliarum gentium Deos coluisse. idem post eos facere Romani, ut Deos gentium sibi haberent propitios, itàque per eos gentes omnes sibi subiugarent. Sapienter S. August. lib. 1. de Civit. cap. 2. *Nec ideò Troia*, inquit, *periit, quia Minervam perdidit. Quid enim prius ipsa Minerva perdiderat, ut periret? An forte custodes suos? hoc sanè verum est. Illis quippe interemptis potuit auferri. Neque enim homines a simulacro, sed simulacrum ab hominibus servabatur. Quomodo ergo colebatur, ut patriam custodiret & cives, quæ suos non voluit custodire custodes.*

HOMO ENIM FECIT ILLOS, ET QUI SPIRITUM MUTUATUS EST IS FINXIT ILLOS] Vers.16. q. d. Idoloplastes ex luto fecit idola, idemque, qui spiritú a Deo mutuò dumtaxat accepit, ut illum ei in morte reddat

reddat & resignet, hinc finxit Deos illos luteos: ergo illi non sunt veri Dij, sed ficti.

NEMO ENIM SIBI SIMILEM HOMO POTERIT DEUM FINGERE] Græcè πλάσαι, id est, formare instar figuli, q. d. Nullus idoloplastes potest idolo suo spiritum inserere similem illi, quem ipse à Deo accepit. Quare non potest sibi similem Deum formare, id est, non potest formare idolum, quod habeat animam animæ suæ similem, putà non potest facere idolum animatum & rationale, q. d. Idoli faber & figulus non potest efficere, ut suus Deus, putà idolum, sit homo vivus sibi similis; ergo multò minus potest efficere, ut idolum sit Deus & Numen: Si enim non potest illi animam, quam habet inserere; multò minus poterit & afflare Deitatem, quam non habet. Græca hic variant & mendosa sunt. Quare standum vulgatæ, quæ optimè sensum reddit;

VERS.17. CUM ENIM SIT MORTALIS MORTUUM FINGIT MANIBUS INIQUIS. MELIOR ENIM EST IPSE HIS QUOS COLIT, QUIA IPSE QUIDEM VIXIT, CUM ESSET MORTALIS, ILLI AUTEM NUMQUAM] q. d. Idoloplastes non potest sibi similem, putà viuum fingere idolum sive Deum, quia cùm sit mortalis, non potest fingere, dareque idolo animam immortalem (huius enim creator est solus Deus, immortalis) quare ipse idolum inanime, & quasi mortuum fingat oportet, qua de causa nefarius est, & iniquis manibus nefas operatur: *Melior est enim ipse his quos colit*, Græcè σεβασμάτων αὐτοῦ, id est, suis culturis, putà suis idolis & diis, quos ipse ut fabricauit, sic & adorat & colit: idola enim nunquam habuerunt animam & vitam, quam habet, vel habuit ipse eorum opifex: animatus autem animaque præditus, longè se inanimi melior & præstantior est. Quid ergo magis nefarium, & iniquum, æquè ac stultum, quàm vt opifex effigiem à se factam & inanimem, ideoque se vivo longè deteriorem extollat super se, faciatque suum Deum, ac ut totalem supplex invocet & adoret? Vnde S. Cyprian. loco citato pro *melior enim* planiùs legit *melior autem*; quia ut iam dixi hæ particulæ *enim autem* inter se commutantur. Noster tamen profundiùs vertit *enim*, quia dat causam, cur dixerit idoloplastem facere Deum *manibus iniquis*: Causa enim est, quod iniquum sit, ut homo vivus adoret rem mortuam se longè viliorem, infirmiorem, & invalidiorem, atque ut opifex adoret opus suum, cui ipse dedit esse.

VERS.18. SED ET ANIMALIA MISERRIMA COLUNT. INSENSATA ENIM COMPARATA HIS ILLIS SUNT DETERIORA] Pro *miserrima*, græcè est, ἔχθιστα, id est, inimicissima, odiosissima, infestissima, ut serpentes, feles, canes, crocodilos, mures & vermes, quos coluerunt Ægyptij, qui tamen hominibus sunt summè noxij & infesti, ideoque miserrimi: Miserrimum enim est animal, quod homini, qui suus est herus æquè ac finis, cui proinde obedire & servire debet, est rebelle & infestum, utpotè à suo fine & scopo, ad quem conditum est à Deo creatore, planè aberrans & deuium. Lyran. pro *miserrima* legit *miserrimi*, idque licet minùs genuinè tamen appositè. q. d. Miserrima animalia pro diis coluerunt Ægyptii, ideoq; miserrimi & ipsi effecti sunt. Talis enim evadit quisque, qualis est Deus, quem colit.

INSENSATA ENIM COMPARATA HIS, ILLIS SUNT DETERIORA] Lyran. pro *miserrima*, quod præcessit legens *miserrimi*, sic explicat q.d. *Insensata* animalia *comparata his*, scilicet hominibus, sunt ipsis hominibus *deteriora*, ut reddat rationem, cur dixerit miserrimos esse, qui colunt animalia, quia scilicet insensata sont hominibus se colentibus, utpote sensu & ratione præditis deteriora. Alii explicant q. d. *Insensata*, putà lignea & lapidea idola *comparata his*, nempe animalibus, *sunt ipsis deteriora*, q. d lignеum idolum est deterius animali bruto: Si ergo brutum non est Deus, multò minùs idolum ligneum est Deus.

Verùm hæc parerga sunt, & à Græco dissonantia. Græcus enim sic habet: Ἄνοια γὰρ συγκρινόμενα τοῖς ἄλλοις, ἐστὶ χείρονα, id est, *dementia enim comparata aliis, sunt deteriora*. Unde & nonnulli Codices Vulgatæ pro *illis* habent *aliis*: Ἄνοια Græcè propriè est nomen substantivum singularis numeri, significans dementiam, amentiam, furorem: Verùm Auctor huius libri, qui subinde verba Græca novat noveque accipit (uti Superiùs vidimus) videtur ἄνοια accipere adiectivè in plurali & in genere neutro, ut sit idem quod ἀνόητα, id est, amentia vel *insensata*. Sensus ergo est, q. d. Quæcumque animalia insensata vel amentia, si cum his comparentur, quæ colunt Ægyptii, inveniemus hæc illis deteriora hoc est; animalia ab Ægyptiis culta, cùm, si aliis comparentur, amentia inter rationalia sint habenda, hinc illis deteriora sunt; nam cùm omnia expertia rationis sint, illa alia magis cum mente humana consonant, quoniam benigna sunt, hominique utilia: hæc verò sunt illi inimica, quòd venefica sint, & illi infestissima, ut mireris quæ colant homines suæ oblitì humanitatis. Ita Cantacuzenus, Olorius, Emanuel Sa, & Christophorus à Castro.

Rursum, si substantivè & propriè Græcum ἄνοια, translato accentu ex antepenultima in penultimam accipias in casu dativo, qui Græcis servit pro Latino Ablativo, ut ἀνοίᾳ, sit idem, quod *cum amentia*, per amentiam, propter amentiam, amenter, stultè & *insensatè*, uti nonnulli in Vulgata legunt pro *insensata*, sic sensus erit. q. d. Hæc animalia infestissima, quæ colunt Ægyptii, amentia hac, seu propter hanc amentiam, qua capti Ægyptii cultum eis exhibent, comparata cum ceteris animalibus, eis sunt deteriora, quòd illa Deo placeant, cùm usibus humanis deserviant, ad quos sunt creata; hæc verò execranda, cùm usui sibi indebito usurpatæ divinitatis accommodata sint. Hinc Vatabl. vertit: *Ut quæ aliis comparata, deteriora sint propter hanc dementiam*, Ægyptiorum scilicet, qui animalia tam vilia, & exitialia præ aliis animalibus salutiferis pro Diis colunt; ideoque ea coram Deo deteriora, eique magis exosa, utpote quasi divinitatis æmula efficiunt. Dementia enim fuit crocodilos & serpentes comparatos cum equis, bobus, & aliis animalibus, ob hoc pro Diis eligere, quòd deteriora sint & magis homini inimica. Hæc enim est demens & insana comparatio & electio. Unde nonnulli legunt *insensatè*, id est, insanè *comparata*, ut dixi.

Addit Cantacuzenus, Ægyptios pro diis coluisse muscas & vermes ex putri materia prognatos, ideoque naturæ quasi errata ac peccata, quos proinde Initio mundi Deus cum ceteris animalibus non creaverit, nec bonos nominaverit nec eis benedixerit dicens: *Crescite & multiplicamini*. Hæc enim sunt animalia planè insensata, & ceteris omnibus deteriora. Verùm quid de horum generatione, vel creatione sentiendum dixi. Genel. 1.

SED NEC ASPECTU ALIQUIS EX HIS ANIMALIBUS BONA POTEST CONSPICERE. EFFUGERUNT AUTEM DEI LAUDEM, ET BENEDICTIONEM EIUS] Pro *conspicere* Codex Montis Amiati legit *concupiscere*. Pro *aliquis* nonnulli manuscripti legunt *aliquid*. q.d. animalia nil boni possunt conspicere. *Tamquam bona*, id est, tamquam pulchra: Hoc enim est, Hebr. טוב *tob* & Græcum καλόν. q. d. Nemo Aegyptiorum crocodilos & serpentes colentium, illorum aspectu delectatur, sed potiùs exhorret & abominatur ea ut turpia, deformia, & horribilia. Quis ergo credat illos esse Deos, qui sunt pulcherrimi & suavissimi? aut quod eòdem redit, q. d. Sed nec, si quis aspiciat aliqua ex his animalibus, bona ea vel pulchra potest conspicere: nulla enim prædita deprehendis pulchritudine, ut propter eam sint amanda & colenda, sed potiùs videt ea tetra & horrida, ideoque aversanda & explodenda, Græcè est: *Neque eatenus ut desiderentur tamquam in conspectu animalium bona sunt*, id est, crocodili & serpentes inter cetera animalia bona, pulchra, & speciosa, non sunt boni, desiderabiles & delectabiles conspectu; ergo multò minùs boni sunt cultu, ut colantur scilicet quasi Dii. VERS.19.

Aliter Cantacuzenus, q. d. Deus initio mundi non creavit muscas & vermes, quos colunt Aegyptii. Unde cùm Deus omnia à se creata vidit esse bona Genes. 1. inter hæc bona non vidit nec numeravit muscas & vermes. Addit Vatabl. ex Græco animalia, quæ colebant Aegyptii, putà crocodilos à ceteris animalibus, ut fœdos & tetros vitari ac horreri; q. d. ergo multò magis iidem ab hominibus non colendi sunt, sed vitandi & cum horrore aversandi, ne animalibus stupidiores esse videantur. Sic enim vertit Vatablus.

Quaqae ne animalibus quidem videantur palchra, ut eorum desiderio tangantur.

EFFUGERUNT AUTEM DEI LAUDEM, ET BENEDICTIONEM EJUS] *Effugerunt*, non Aegyptii idololatræ, sed animalia, ut crocodili & serpentes ab iis pro Diis culti: Græcè enim est, ἐξέφυγε, id est, *effugit* in numero singulari, quod Græca Syntaxi eleganter concordat cum neutro plurali ζῶα, id est, animalia. q. d. Animalia quæ colunt Aegyptii, aliena sunt à Dei laude & benedictione. Colunt enim ipsi serpentes: serpenti autem jam olim Deus maledixit, eò quod seduxerit Evam dicens: *Quia fecisti hoc, maledictus eris super terram.* Genes. 3. Sensus est, q. d. Aegyptii pro Diis colunt serpentes, non tantùm exitiales & horridos, sed & à Deo maledictos. Quid ergo boni ab iis sperare possunt? Sunt enim serpentes exosi Deo hominibus, & animalibus omnibus; ideoque fugiunt lucem, ac hominum, & animalium æquè, ac Dei aspectum, atque in tenebras & latebras sese abdunt. Hoc notat τὸ *effugerunt*. Ita Osorius, Jansen. Sa, & alii. Rursum effugerunt Dei laudem, quia coguntur ab idololatris ea colentibus negare quodammodo Deo laudem & benedictionem, quam res omnes creatæ reddunt Creatori suo.

A

Secundò, Noster Lorinos significantiùs. q.d. Animalia ab Ægyptiis culta *effugerunt*, id est, effugaverunt à se Dei laudem & benedictionem, cùm ipsamet sibi Dei laudem usurpaverunt, quando eis delata est ab illis, qui mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis, non tantùm corruptibilis hominis, sed & volucrum, & quadrupedum, & serpentum. Rom. 1. 23.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SINOPSIS CAPITIS.

Capite 12. & 13. docuit veram sapientiam (quæ hujus libri est obiectum & argumentum, unde & ei nomen dedit) consistere in Dei veri fide & cultu, quare ei ex diametro repugnare cultum idolorum, ideoque ad idola digressus, eorum vanitatem & perfidiam à c. 13. huc usque operose demonstravit: nunc redit ad c. 12. ubi ostendit quanta beneficia Israelitæ per Dei unius, quem colebant, providentiam & beneficentiam sint adepti, Ægyptii verò colentes crocodilos, serpentes, aliaque animalia, per eadem, vel illorum similia sint puniti. Idem ergo argumentum hic repetit & prosequitur, docetque Aegyptios idololatras per bestias, quas colebant esse exterminatos: Hebræos verè Deum colentes in deserto liberatos à serpentibus, cælesti esca, puta manna, & Coturnicibus fuisse pastos.

1. PRopter hæc, & per his similia passi sunt dignè tormenta, & per multitudinem bestiarum exterminati
sunt. 2. Pro quibus tormentis benè disposuisti populum tuum, quibus dedisti concupiscentiam
delectamenti, sui novum saporem, escam parans eis ortygometram: 3. ut illi quidem concupiscentes es-
cam propter ea, quæ illis ostensa & missa sunt, etiam à necessaria concupiscentia averterentur. Hi autem in
brevi inopes facti, novam gustaverunt escam. 4. Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire
interitum exercentibus tyrannidem: his autem tantùm ostendere quemadmodum inimici eorum extermina-
bantur. 5. Etenim cùm illis supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum extermina-
bantur. 6. Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum ha-
bentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ. 7. Qui enim conversus est, non per hoc, quod vi-
debat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem: 8. in hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es,
qui liberas ab omni malo. 9. Illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus, & non est inventa sa-
nitas animæ illorum: quia digni erant ab hujusmodi exterminari. 10. Filios autem tuos, nec draconum
venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adveniens sanabat illos. 11. In memoria enim sermo-
num tuorum examinabantur, & velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent
tuo uti adjutorio. 12. Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui
sanat omnia. 13. Tu es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mor-
tis, & reducis: 14. homo autem occidit quidem per malitiam, & cùm exierit spiritus, non revertetur, nec
revocabit animam quæ recepta est: 15. sed tuam manum effugere impossibile est. 16. Negantes enim te nos-
se impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt: novis aquis, & grandinibus, & pluviis persecutionem
passi & per ignem consumpti. 17. Quod enim mirabile erat in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis va-
lebat: vindex est enim orbis justorum. 18. Quodam enim tempore, mansuetabatur ignis, ne combureren-
tur quæ ad impios missa erant animalia: sed ut ipsi videntes scirent, quoniam Dei judicio patiuntur persecu-
tionem. 19. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat undique, ut iniquæ terræ na-
tionem exterminaret. 20. Pro quibus angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cælo
præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. 21. Substan-
tia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deserviens uniuscujusque voluntati,
ad quod quisque volebat, convertebatur. 22. Nix autem et glacies sustinebant vim ignis, et non tabesce-
bant: ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine et pluvia coruscans.
23. Hic autem iterùm ut nutrirentur justi, etiam suæ virtutis oblitus est. 24. Creatura enim tibi Factori
deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos: et lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te con-
fidunt. 25. Propter hoc et tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat; ad vo-
luntatem eorum, qui à te desiderabant: 26. ut scirent filii tui, quos dilexisti Domine, quoniam non nati-
vitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. 27. Quod enim ab
igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: 28. ut notum omnibus
esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare. 29. Ingra-
ti enim spes tamquam hybernalis glacies tabescet, et disperiet tamquam aqua supervacua.

VERS. 1. PROPTER HÆC (Græcè διὰ τοῦτο, id est *propter hoc*, scilicet scelus idololatriæ, vel *propter hanc causam*) ET PER HIS SIMILIA PASSI SUNT DIGNA TORMENTA, ET PER MULTITUDINEM BESTIARUM EXTERMINATI SUNT] Ita Legendum cum Roman. & Græcis. Malè ergo multi Codices omisso

omiſſo τὸ *per* legunt, *propter hæc & his ſimilia*. Nec enim ſenſus eſt: q. d. Propter hæc & ſimilia ſcelera puniti ſunt Ægyptii, ſed q. d. Propter hæc animalia, quæ quaſi Deos coluerunt Ægyptii, *&*, id eſt, *etiam*, vel pariter *per* animalia bis quæ coluerunt *ſimilia*, putà per ranas, ſciniphes, locuſtas, &c. *digne*, id eſt, juſtè & congruè *tormenta paſſi ſunt & exterminati*, nam quia beſtias coluerunt, hinc beſtias ultrices ſenſerunt: *quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, ut dixit cap. 11. 17. Hæc enim eſt lex talionis peccato decreta à juſta Dei providentia & vendita. Redit ad plagas Ægypto ob idololatriam per Moyſem inflictas, da quibus actum eſt capite 11. & 12.

Pro *exterminati ſunt*, græcè eſt, ἐβασανίσθησαν, id eſt, *cruciati ſunt*, ſcilicet extremè uſque ad mortem & exterminium. Eodem ſenſu ſæpè in hoc libro hæc vox Græca ſumitur, ideoque ab interprete noſtro vertitur *exterminati ſunt*.

Vers.2. PRO QUIBUS TORMENTIS BENE DISPOSUISTI (Græcè εὐηργέτησας, id eſt, beneficio affeciſti. Vide dicta cap.3.v.5.) POPULUM TUUM, QUIBUS DEDI- B STI CONCUPISCENTIAM DELECTAMENTI SUI NOVUM SAPOREM, ESCAM PARANS EIS ORTYGOMETRAM] q. d. Tu Domine Ægyptios idololatras hoſtes tuos puniviſti ranis, locuſtis, muſcis, &c. hæc enim animalia implebant totum Ægyptum, omneſque cibos, & aquas inficiebant & conſpurcabant, ut nec eſurientes comedere, nec ſitientes bibere quidquam poſſent ſine ingenti horrore & nauſea: at populo tuo, putà Hebræis in deſerto, non ſolùm manna in eſcam dediſti, ſed & cùm carnes concupiſcerent dediſti eis concupiſcentiam delectamenti, & rem concupitam & delitioſam, putà delitias carnium, quas concupierant, putà ortygometram, id eſt, copiam coturnicum. Unde græcè eſt: *Quibus in concupiſcentiam appetitus peregrinum guſtum* (ſaporem) *præparaſti ortygometram*. Vatabl. *Cum avidæ ipſius appetentiæ, cibum novi ſaporis paraviſti coturnicem, ſive ortygometram*. Itaque ſenſus eſt, dediſti ac præparaſti cibum avidè appetentibus, pro cibo novi & adhuc ab ipſis anteà non deguſtati ſaporis, ortygometram ſive coturnicem. Peccarunt Hebræi gula & murmure, dum C pluente è cælo manna, illud velut levem & tenuem cibum faſtidientes, murmurarunt contra Moyſem, & petierunt ſolidas craſſaſque carnes. Sed Deus gulæ eorum indulſit, ac per ventum impulit exercitum coturnicum in Caſtra Hebræorum, ut eas caperent, coquerent, & comederent, idque fecit quotidie per ſpatium unius menſis: quo facto punivis eorum gulam & murmur plaga, qua pleroſque occidit. Unde locus vocatus eſt *ſepulcbra concupiſcentiæ*. Num.19.34. unde

Tropolog S.Auguſt. tract. 73. in Joannem, ſapienter æquè ac eleganter docet, iræ Dei ſignum eſſe, ſi concupiſcensiæ noſtræ ſua vota concedat, miſericordiæ verò ſi neges: Sic enim ait: *Dicit Jacobus Apoſtolus cap. 4. Petitis & non accipitis, eò quod male petatis, aut in concupiſcentiis veſtris inſumatis. Male ergo uſurus eo quod vult accipere, Deo potius miſerante non accipit. Proinde ſi hoc ab illo petitur unde homo lædatur exauditus, magis metuendum eſt, ne quod poſſet non dare propitius, det iratus. An non vidimus Iſraelitas malo ſuo impetraſſe, quod culpabili concupiſcentia petierunt? Concupierant enim carni-* D *bus veſci, quibus pluebatur manna de cælo. Faſtidiebant quippe, quod babebant, & quod non babebant impudenter petebant: quaſi non melius peterent, non ut cibus qui deerat indecenti deſiderio præſtaretur, ſed ut ille, qui aderat ſanato faſtidio ſumeretur. Quando enim nos delectant mala & non delectant bona, rogare potius debemus Deum, ut delectent bona, quam ut concedantur mala*.

NOVUM SAPOREM] Carnium, putà coturnicum, quia manna levius Hebræis ampliùs non ſapiebat. Rurſum novus ſapor non ſolùm eſt is, quem nondum ſis expertus, ſed etiam pretioſus & jucundus. Sic vocatur canticum novum, id eſt, pulchrum & jucundum; vinum novum; mandatum novum, ut diligamus invicem: novum, hoc eſt, eximium & ſuaviſſimum. Ita Noſter Lorinus. Adde cùm Deus eſcas alicui mittit ſolere dignas ſe, id eſt, non communes & vulgares, ſed præſtantes & eximias mittere, ideoque novum ſaporem eis indere, ut ceteris eſcis ſimilibus longè ſuaviores & ſapidiores videantur. Sic vinum, quod ex aqua Chriſtus fecit in Cana Galileæ fuit optimum & ſapidiſſimum Joannis 2. 10. Exemplum planè ſimile eſt in Vita S.Columb.c.29. S. Columbanus enim Theodoricum regem Francorum reprehendens ob concubinatum, ab eo pulſus in exilium, cum ſociis fame laboravit: *Sed quamvis alimenta deeſſet, manebat intemerata atque inconcuſſa fides, quæ neceſſarias res a Domino impetraret. Cumque jam triduana media laborarent, tanta avium copia eis oblata eſt, quanta Iſraelitarum caſtra coturnicibus advolantibus operuit, ita ut omnem locum illum aves impleret. Intellexit autem vir Dei ob ſuam ſuorumque neceſſitatem has dapes exhiberi; quippe quæ non niſi illo, quo ipſe degebat loco invenirentur. Jubet ergo primum ſuos laudes & gratias agere conditori, ac deinde dapes capere. Erat profectò mirum illud & ſtupendum miraculum; Capiebantur aves ut juſſerat pater, nec illæ pennigero inſtructæ volatu ſe ſubducebant, ſed triduo permanſit illud manna avium. Quarto deinde die quidam Pontifex ex vicinis urbibus, frumenti copiam divino inſtinctu beato Columbano tranſmiſit. Mox igitur ut advenit frumentum, aves ille Deo jubente cunctæ avolarunt. Porrò Euſtachio, qui id temporis ſub viri Dei obedientia cum aliis erat, referente cognovimus, neminem tum inter ipſos fuiſſe, qui ſe ante illud tempus ejuſmodi aves vidiſſe meminiſſet: Earum autem talis erat ſapor, ut dapes regias vinceret*. Hucuſque vita Auctor.

Esca à Deo missa sapidiores sunt. Exempla.

ORTYGOMETRAM] Ὄρτυγες, Græcè vocantur coturnices ab Ortygia Inſula, quæ eſt in Græcia, ubi primùm viſæ ſunt, ait Iſidor lib. 12. Etymol.c.7. ſed quid ſibi vult τὸ parelcon *metram*? Primò Janſen. *metram* cenſet deduci à μέτρον, id eſt, menſura, quod ortygometra ceterarum coturnicum in volando, dum loca mutant ſit menſura & moderatrix. Verùm μέτρον, ſcribitur per ε breve, μήτρα, verò per η longum.

Ortygometra quæ?

Dico, igitur *metram* deduci à μήτρα, id eſt, matrix, vel μήτηρ, id eſt, mater: Ortygometra ergo eſt coturnicum matrix, ſive rex aliis coturnicibus major & nigrior, qui agmen coturnicum præit & ducit, quem proinde ceteræ ut ducem ſequuntur non aliter, quàm apes ſuum regem. ita Plinius lib. 10. 23. & Ariſtot. libr. 8. Hiſtor Animal. cap. 12. Heſychius, Gaza, & alii. Sub Ortygometra ergo velut ſub duce totum coturnicum exercitum accipe, ut patet numer. 11. 31. ubi Noſter Hebr. שלו *ſcalen*, vertit *coturnices*; Septuag. verò Ortygometram. Septuag. de more ſequitur hic Sapiens. Hunc Ortygometram Itali vocant, *il re delle quaglie*. Galli, *le roy ou mere des cailles*. Ita Aldrovandus in Coturnice.

Addit Petrus Nannius hoc loco. Video ait, illud parelcon *metra* adiungi quibuſdam animalibus, quando grandiora in eo genere deſignantur, ut echinometra, id eſt, Echinus maior & ſpinoſior, de quo Plinius lib. 9. c. 31. Leonimetra, id eſt, Leo grandior, de quo Geſnerus in Leone: Sic ortygometra eſt coturnix maior & craſſior: veriſimile enim eſt coturnices illas miraculoſas miſſas ad Hebræos, quaſi Dei opus, fuiſſe aliis maiores, pinguiores, ſuaviores, excellentiores. Plura de tota hac hiſtoria dixi Exodi 16. v. 12. & Num. 11. v. 31.

UT ILLI QUIDEM CONCUPISCENTES ESCAM PROPTER EA, QUÆ ILLIS OSTENSA ET MISSA SUNT, ETIAM A NECESSARIA CONCUPISCENTIA AVERTERENTUR: HI AUTEM IN BREVI INOPES FACTI, NOVAM GUSTAVERUNT ESCAM] Pergit oſtendere diſparitatem eſcæ Ægyptiorum & Hebræorum. q. d. in Ægyptios immiſiſti ranas, muſcas, locuſtas, &c. Hebræis verò dediſti manna & ortygometram, *ut illi*, ſcilicet Ægyptii, cùm per famem concupiſcerent eſcam, *propter ea*, ſcilicet animalia jam dicta, *quæ illis oſtenſa*; id eſt, exhibita & *miſſa ſunt* in pœnam, ut eſcas eorum fœdarent & conſpurcarent, hac fœditate & ſpurcitie nauſeantes *etiam à neceſſaria concupiſcentia*, id eſt, à cibo concupito & neceſſario averterentur, eumque faſtidirent & exhorreſcerent, itaque fame & inedia contabeſcerent. *Hi autem*, Hebræi ſcilicet, *in brevi inopes facti*, Græcè *ad breve tempus*, *penuria affecti*, putà modico tempore famem experti, *novam guſtaverunt eſcam*, putà ortygometram, quæ novo gratoque ſapore mirè eos recreavit. q. d. Ægyptii ob immiſſas ranas, muſcas, ſciniphes, quæ in menſas ciboſque turmatim irruebant, eoſque inficiebant, non ſolùm iis non ſunt ſatiati, ſed & neceſſarii cibi appetitum amiſerunt, ad eumque nauſearunt: at

Hebræi novi & cælesti cibi, putà coturnicum delicatissimorum missu novam orexin senserunt, novamque novi saporis in edendo suavitatem perceperunt. Vide dicta Exodi 8. 3. Coturnices enim sunt præpinguis & optimi saporis ac ceteris pinguiores & sapidiores fuere hæ à Deo Hebræis missæ.

Pro [illegible], id est, *ostensam*, scilicet [illegible], id est *escam*, cùm nimirum pro cibis Deus Ægyptiis ranas quasi escas ostendit & exhibuit. Vatican. nervosius legit, [illegible], id est, *deformitatem odiosam & detestabilem*, scilicet ranarum, & ciborum, quos ranæ fœdebant: propter hanc enim Ægyptij etiam necessariorum ciborum concupiscentiam, & appetitum omnem aversati sunt: Esto enim urgeret eos fames, tamen ciborum spurcities tantam eis nauseam ingerebat, ut omnes abominarentur, ideoque inedia enecarentur. Ita Cantacuzenus, Lyran. Dionys. & alij: Quare minùs genuinè S. Bonavent. & Hugo, priorem huius versus partem accipiunt, non de Ægyptiis, sed de Hebræis, q. d. Deus dedit Hebræis novam escam, scilicet ortygometram, ut per eam, concupiscientiam ciborum, quibus in Ægypto assueverant, illis adimeret. Nam est Antithesis manifesta cùm ait: *Hi autem*, scilicet Hebræi, quos opponit Ægyptiis, de quibus iam locutus erat.

VERS. 4. OPORTEBAT ENIM ILLIS SINE EXCVSATIONE QVIDEM SVPERVENIRE INTERITVM EXERCENTIBVS TYRANNIDEM: HIS AVTEM TANTVM OSTENDERE QVEMADMODVM INIMICI EORVM EXTERMINABANTVR] Græcè [illegible], id est, *cruciabantur*, de quo dixi v. 1. Sensus est q. d. Deus immisit Ægyptiis ranas aliaque noxia animalia, quæ eos per fastidium ciborum, indeque per famem & defectum necessariis alimenti perderent, eo quod tyrannicè opprimerent Hebræos: Hebræis verò modica fame cruciatis dedit pingues & sapidas conturnices, ut ex modica sua fame metirentur longam & internecivam famem Ægyptiorum, quàm scilicet illa ipsos torserit, dum multos eorum exanimavit: indeque recrearentur, ac Dei erga se providentiam agnoscerent, scirentque se Deo curæ cordi que esse, imò Deum pro se contra Ægyptios ceterosque hostes pugnasse, & pugnare.

SINE EXCVSATIONE] Id est, inexcusabilem, inevitabilem, indeprecabilem. (Hoc enim significat Græcum [illegible], item severum, crudelem, sævum, quod huic quoque loco congruit) ut loquitur Gellius l. 6 c. 16. *Interitum*, Græcè [illegible], id est, *penuriam*, scilicet cibi, quæ causat mortem & interitum.

VERS. 5. ETENIM CVM ILLIS SVPERVENIT SÆVA BESTIARVM IRA, MORSIBVS PERVERSORVM COLVBRORVM EXTERMINABANTVR.

VERS. 6. SED NON IN PERPETVVM IRA TVA PERMANSIT, SED AD CORREPTIONEM IN BREVI TVRBATI SVNT, SIGNVM HABENTES SALVTIS, AD COMMEMORATIONEM MANDATI LEGIS TVÆ.

VERS. 7. QVI ENIM CONVERSVS EST, NON PER HOC QVOD VIDEBAT SANABATVR, SED PER TE OMNIVM SALVATOREM] *Sæva bestiarum ira*, est furor serpentum, quos Deus immisit Hebræis ob murmur.

Alio exemplo ostendit, quàm dispari pœna Deus punierit Hebræos & Ægyptios. Ægyptios enim per ranas, locustas, sciniphes inevitabiliter occidit & perdidit, Hebræis verò contra immissos serpentes remedium assignavit. Cum enim Hebræi in deserto, ob itineris laborem murmurarent contra Deum & Moysen, Deus in murmurantes misit serpentes ignitos, qui suo morsu multos occiderunt; sed ceteris eorum exemplo perculsis & pœnitentibus, orante Moyse Deus illico contra morsum assignavit remedium, iubens à Moyse erigi serpentem æneum, quem qui aspiciebant sanabantur. Numer. 21. v. 4. & sequent. Vide ibi dicta; nec enim ea hic repetere opus est. Non ergo voluit Deus perdere Hebræos hac plaga, uti perdidit Ægyptios, sed modica castigatione ad officium & pœnitentiam revocare, ac paucorum supplicio sua iussa publicamque disciplinam sancire.

Appositè in murmurantes immisit serpentes, quia murmurans, & detractor in occulto sibilat quasi serpens, ac virus pestiferum maledicentiæ lingua sua pestifera audientibus afflat, iuxta illud Eccles. 10. 11. *Si mordeat serpens in silentio, nihilominus habet, qui occultè detrahit*. Vide ibi dicta. Pro *perversorum*, græco est, [illegible], id est, *tortuosorum*.

AD CORREPTIONEM] [illegible], id est in *admonitionem*, ut hac pœna monerentur, ne murmurarent, sed Deo & Moysi patienter, & constanter obsequerentur.

SIGNVM (Græcè *symbolum*) HABENTES SALVTIS] Notat serpentem æneum iussu Dei à Moyse erectum, ad sanandum serpentum morsus. Hic enim serpens vocatur signum & symbolum, quia ipse, utpote æneus & inanimis, non poterat esse causa sanitatis eamque conferre: unde eius tantùm erat signum, quo qui utebantur morsi à serpentibus ignitis, id est, suo morsu urentibus, scilicet eum aspiciendo, hi illico à Deo sanabantur. Hoc est, quòd subdit: *Qui enim conversus est*, id est, qui faciem obvertit serpenti æneo, eum intuendo, *non per hoc quod videbat*, id est, non per serpentem *sanabatur, sed per te omnium salvatorem*. Hic ergo serpens signum erat *salutis*, idque *ad commemorationem mandati legis tuæ*, ut scilicet per illud Hebræi memores fierent, & recordarentur divinæ clementiæ in pœnitentes ac vindictæ, in rebelles & legi inobedientes. Secundò, sic exponas q.d. Sicut obedientes mandato Dei iubentis aspicere serpentem æneum, si vellent salutem adipisci, sanabantur; ita ex hoc ipso scire poterant, & debebant, non posse se à cruciatibus, & ab infligendis malis eripi, nisi aspicerent in legem, & eius mandatis parerent, vel nisi divinis præceptis amplius non obloquerentur, sed assuescerent parere Dei ministris: aut certè se non posse sanitatem comparare, nisi aspicerent in auctorem legis, & à malis liberatorem Christum, quia *sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita oportet exaltare filium hominis ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Ioan. 3.

Serpentis æres typus.

Allegoricè, hic serpens quoad figuram similis serpentibus veris & vivis, sed carens illorum veneno significabat Christum innocentem æstimatum tamen noxium & sceleratum, pro nobis crucifixum, unde æneus erat, ut significaret divinitatem & æternitatem Christi; item crucis Christi claritatem, instar æris tinnuli toto orbe resonantem. Ita S. Augustin. Theodosius Nyssen. imò Christus ipse Ioannis 3. 14. cuius verba iam recitavi. Quocirca Cæsarius Arelatensis hom. 4. de Pascate: *Medela*, inquit, *si volumus etiam modò nobis completur, quando peccatum ipsius peccati cognitione curatur, & crimen criminis confessione abolетur: Ac sic homo quando dicit cum Propheta, quoniam iniquitates meas ego cognosco, & peccatum meum contra me* (coram me) *est semper, quando bene respicit peccatum suum, sanat morsum serpentis, per serpentis aspectum*.

Allegoricè.

Porrò veri Ophitæ, id est, serpentini ([illegible], enim est serpens) fuere prisci Hæretici, qui ex eo quod Genes. 3. dicitur serpens fuisse callidissimus, ac seducendo Evam scientiæ boni & mali occasionem dedisse, serpentem colebant ut Deum, eumque Christo anteferebant dictitantes, quod ipsa sapientia facta sit serpens: Quocirca Mosen illius potentiam & majestatē admiratū, imaginem eius fecisse serpentem æneum, quem quicumque morsus à serpente aspiceret sanaretur: imò Christum serpentis huius vim æmolatum, illi se comparasse dicendo: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis*. Ioannis 3. Vide Irænеum lib. 1. contra hæres. cap. 36. Epiphan. hæres. 37. Tertull. August. & alios in hæresi Ophitarum.

Ophitæ, id est cultores serpentis.

VERS. 8. IN HOC AVTEM OSTENDISTI INIMICIS NOSTRIS, QVIA TV ES QVI LIBERAS AB OMNI MALO] Pro *ostendisti*, græcè est, [illegible], id est, *persuasisti*. Impij enim & pervicaces, quales erant Ægyptij, non credunt verbis, sed cedunt plagis & verberibus assiduè iteratis, ut vel inuiti coactique credant te Deum servatorem tuos liberare à malo, hostes verò eorum perdere. Pergit exaggerare Dei severitatem, & vindictam in Ægyptios, eiusque clementiam in Hebræos. Æqualis enim beneficentiæ est, liberare à malo & morte, ac conferre bonum & vitam.

Il-

VERS. 9. ILLOS ENIM (Ægyptios) LOCUSTARUM ET MUSCARUM OCCIDERUNT MORSUS, ET NON EST INVENTA SANITAS ANIMÆ (vitæ) ILLORUM QVIA DIGNI ERANT AB HUIUSMODI EXTERMINARI] Refricat plagam locustarum & muscarum, Pharaoni & Ægypto à Deo per Moysem inflictam. Exodi 8. 24. & cap. 10. 6. Vide ibi dicta.

VERS. 10. FILIOS AUTEM TVOS, NEC DRACONUM VENENATORUM VICERUNT DENTES: MISERICORDIA ENIM TVA ADVENIENS SANABAT ILLOS] q. d. Hebræos verò, qui tui erant cultores, ideoque filij dilectissimi, morsi à serpentibus, morsus hosce excusserunt aspiciendo serpentem æneum, quem tua misericordia ad sanandum eos suggessit. Hebræos vocat filios, tum ob professionem veræ religionis & cultus Dei, tum quia morsu serpentum pœnitentes de murmure ad iustitiam se disponebant, eamque reipsa obtinebant, quicumque verum contritionis actum eliciebant.

Dracones vocantur serpentes maiores, annosiores, ideoque sæniores, adeò ut eum elephantis depugnent, teste Plinio libr. 8. cap. 11. Tales fuere, qui momordere Hebræos murmurantes. Unde Philostratus libr. 3. de Vita Apollonij Thyanæi cap. 2. narrat dracones ignitos mentem mari rubro (iuxta quod castra metabantur Hebræi imminentem occupare, ac horrendè sibilare, ut eminùs, audientes percellantur.

Pro *adveniens* græcè est, *ἀντιπαρελθὸν* [uncertain], id est, *ex adverso adveniens*, tua misericordia, *occurrit*, *opposuitque* se plagis lethiferis à serpentibus inflictis, easque discussit & sanavit. Rursum *ἀντιπαρῆλθε* [uncertain], id est, *intercessit*, *opem tulit*, *in discrimine venit in auxilium* contra dracones, ne ita morderent ut interimerent; aut si momordissent, tua miseratio præsentaneum eis assignavit remedium serpentem æneum, cuius intuitu sanabantur.

VERS. 11. IN MEMORIA ENIM SERMONUM TVORUM EXAMINABANTUR, ET VELOCITER SALVABANTUR, NE IN ALTAM INCIDENTES OBLIVIONEM, NON POSSENT TVO UTI ADIUTORIO] Pro *in memoria* perperam Hugo, Dionys. & Holcot. legunt *immemoria*, id est oblivio. q. d. Ob immemoriam, id est, oblivionem sermonum tuorum Hebræi pœnis examinabantur, & cruciabantur. *In memoria*, græcè *εἰς ὑπόμνησιν* [uncertain], id est, in monitionem, in recordationē in memoriā, ut scilicet sermonū tuorū obliti, eorumdē rursum recordarentur, essentque memores, pœnis *examinabantur* & excitabantur. *Examinabantur*, ita legendum cum Rom. non *exterminabantur*, uti legunt nonnulli, vel *examinabantur*. uti legunt alij. Græcè est, *ἐξεκεντρίζοντο* [uncertain], id est, *extimulabantur*, quod eòdem redit, quò nostrum *examinabantur*, Oblivionis enim additur examen & interrogatio, quasi stimulus ad recordationem rei oblitæ; tardis vero & pigris, ut bobus & asinis subditur stimulus ad diligentiam & velocitatem, ut celerius incedant, Complut. vero & Cantacuzenus, *ἐξενεκεντρίζοντο* [uncertain], vertunt *inserebantur*, sicut ramus unus arboris alteri inseritur & inoculatur. Simili enim modo Deus memoriam legis ab Hebræis, quasi ablatam & oblitam, per pœnas eis restituit & rursus inseruit. Sensus est, q. d. Hebræi immemores tuæ obedientiæ & tuorum præceptorum, per morsus serpentum excitabantur, ut eorumdem recordarentur. Hi enim morsus velut aculei & stimuli, quibus pungebantur, excitabant eos ab oblivionis somno & uterno. *Vexatio* enim *dat intellectum*.

NE IN ALTAM (Græcè *βαθεῖαν*, id est, profundam: sic alibi sæpè profunda vocantur alta, quia alta sunt non sursum, sed deorsum) INCIDENTES OBLIVIONEM (tuarum promissionum & præceptorum) NON POSSENT TVO UTI ADIUTORIO] Græcè: *ἵνα μὴ ἀπερίσπαστοι γένωνται τῆς σῆς εὐεργεσίας* [uncertain], id est, *ut immobiles*, *vel irretractibiles*, *aut potius irretrahibiles fierent tuo beneficio*, qui scilicet eò retrahi non possent, quod noster clarè vertit: *non possent uti tuo adiutorio*. Fortè etiam Noster, inquit Iansen. legit, *ἀνυπερίσπαστοι* [uncertain], id est, *indefensi*, qui scilicet clypeo beneficentiæ tuæ Domine non tegerentur, nec à malorum incursu defenderentur. Sensus est, q. d. Morsu serpentum, ac miraculosa eorum per serpentem æneum sanatione, excitasti Domine Hebræos, ut recordarentur tui tuaque legis, ne in altam eius oblivionem incidentes, non possent vel præteritis, vel futuris tuis beneficiis ad frugem revocari, itaque desperata foret eorum salus, ut non possent ampliùs uti tuo adiutorio. Alta enim Dei legisque divinæ oblivio inducit impœnitentiam, obdurationem, & desperationem salutis; quo fit ut Deus tales deserat, suumq; adiutorium ab eis subtrahat. Hinc à peccatis, & morte ac gehenna, in quam proni ruunt, retrahi nequeunt: nam *impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit*. Proverb. 18. 3.

Secundò, exponi posset q. d. Ne obliti Dei, ideoque vicissim à Deo oblivioni traditi, velut iam proscripti & perditi, ulteriùs Dei auxilium experiri non possent, quomodo de mortuis dicitur: *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt*. psalm. 87. 6.

Tertio, Cantacuzenus explicat, q. d. Ne immemores non possent cogitare de tuis beneficiis, & ab eorum cogitatione detraherentur, nec ab eis traherentur ad eorum, Deique benefactoris cogitationem & recordationem.

Quartò, alij q. d. Ne tui obliti, non possent tuo ampliùs uti adiutorio, id est, beneficio, quo eos sanasti. Deus enim non sanabat percussos à serpentibus, nisi qui hoc stimulo excitati oblivionem excutiebant, & ad Deum pœnitentes opis causa recurrebant: impœnitentes enim indigni erant Dei adiutorio.

Quintò, Noster à Castro, appositè & connexè: his verbis, inquit, redditur ratio novi beneficij, contenti in adverbio *velociter salvabantur*. Non enim Deus contentus erat eo beneficio, quod filiis suis conferebat, ut scilicet stimulati venirent in memoriam mandatorum transgressorum; nec diu differebat, uti poterat, sanitatem; sed hoc etiam uberius addebat, ne sanitas differretur multis ac diuturnis medicamentis adhibitis; ut adhibere solent homines, & differre in multos dies curationem & sanitatem, sed statim, celeriter, uno aspectu ænei serpentis sanabantur: cuius rei hæc erat ratio, ne si diu sanitas differretur, obliviosi facti legis Dei, difficilè postea retraherentur ab ea oblivione, beneficio sanitatis, quæ ab eis tunc non Deo, sed medicamentis ascriberetur. Huic expositioni favet ratio, quam subiungit.

Physicè rursum sic exponi posset q. d. Velociter sanati sunt à morsu serpentum, ne si lentè tardeque sanarentur, ardens (erant enim serpentes igniti & urentes) virus serpentum cerebrum invaderet, eosque ageret in phrenesim, maniam, & furorem, sicut morsi à canibus rabidis, nisi statim plagæ occurratur, agentur in rabiem. Acti enim in phrenesim fuissent incurabiles: Insani enim serpentem æneum aspicere non voluissent, sani aspicere non valuissent præsertim quia aspectus hic debebat fieri ab homine libero, & de murmure suo pœnitente, ac veniam opemque Dei poscente, quod facere nequivissent phrenetici: unde tunc in altam remedij & curæ sui ipsius oblivionem incidentes, non potuissent uti Dei adiutorio, putà serpente æneo dato sibi ad mali remedium.

Ex omnibus hisce explicationibus prima videtur planissima, cui si addas utramque vltimam evadent illa plena & perfecta. q.d. *In memoria*, vel ut Græca habent: *In memoriam sermonum tuorum examinabantur*, hoc est, ut murmurantes Hebræi fierent memores tuorum præceptorum & obedientiæ tibi, ò Domine, debitæ, morsibus serpentum, quasi examine quodam tuo pungente *stimulabantur* ut habent Græca; sed & pœnitentes *velociter sanabantur*, ut agnoscerent scirentque hanc serpentum plagam à te, & murmurantibus immitti, & à pœnitentibus revocari. Si enim diutiùs sanitatem distulisses, cogitassent hanc serpentum pœnam, vel à te non immissam, sed casu ex loci natura accidisse; vel à te non sanatam, sed ab æneo serpente, aut aeris temperie aliove casu; aut certè ignitio serpentum veneno subitò cerebrum penetrante, in phrenesim acti, in oblivionem tui, rerumque omnium incidissent, nec ab utraque revocari, aut tuo ampliùs auxilio & serpentis ænei beneficio uti potuissent, utpote rationis iam per phrenesim impotes, deliri, & insani.

ET E-

VERS. 12. ETENIM NEQVE HERBA, NEQVE MALAGMA SANAVIT EOS, SED TUUS, DOMINE, SERMO, QVI SANAT OMNIA) Probat Hebræos à morsibus serpentum in deserto velociter sanatos à solo Deo, ut illum agnoscerent & colerent, eo quòd in deserto arido, & sterili non erant herbæ medicæ, v. g. dracontea & serpentina, ex quibus fiunt malagmata & emplastra ad curandos hosce morsus. Et esto fuissent, non poterant illa velociter & subitò morsus curare, sed lentè & pedetentim. Multo minùs id facere poterat serpens æneus: hic ergo signum dumtaxat erat curationis, at non causa. Causa ergo sanationis fuit sermo, id est iussio Dei, qui, ut unico verbo dat homini esse & vitam, sic & eamdem morbo aut plaga afflictam solo verbo nutuque, cùm ei libitum fuerit, restaurat; juxta illud: *Misit verbum suum & sanavit eos*. psal. 106. 20.

Mysticè, verbum Dei, præsertim S. Script. curat animæ plagas & ægritudines. Nam ut ait S. August. in psal. 36. *Omnis morbus animæ habet in Scriptura medicamentum suum*. Idem docet S. Chrysost. hom. 12. in Genes. Unde S. Paula quaslibet animæ suæ passiones & afflictiones, appositas ad eas S. Scripturæ sententias ore mentique revoluendo sanabat, uti refert S. Hieron. in ejus Epitaphio. Idem asserit S. Basil. epist. 1. ad Gregor. Theol. idque exemplis confirmat. Si enim quis, inquit, tentetur luxuria, habet in Script. Ioseph, quem pro castitate usque ad carcerem depugnantem imitetur. Si morbis vexetur, habet patientiã Iob sibi in speculum propositam. Si iniurijs hostium appetatur, habet Davidem persecutiones Saul sustinentem. Si à subditis probris exagitetur, habet Moysem mansuetissimum, quem æmuletur.

Malagma quid. MALAGMA) Græca vox est significans medicamentum leniens, sive fomentum, à μαλάττω, id est, mollio, mitigo, subigo, foveo. Unde Galen. li. 5. Simplic. Facult. docet malagmata esse pharmaca emollientia, quæ concretas durities emolliunt: hæ autem concretiones tumoresque, inquit, fiunt maximè circa musculorum capita atque eorum tendones. Additque hæc pharmaca, ut quod concretum est commodè fundant, & sensim per evaporationem discutiant, nec admodum calida, nec admodum sicca esse oportere. Talia sunt ammoniacum, bedellium, butyrum. Porrò malagmatum diversæ sunt species, & diversis partibus accommodatæ ad multiplices effectus: quædam enim digerunt materiam, quædam extrahunt, quæ ἑλκτικὰ vocantur; quædam aperiendi vim habent, ideoque ἀνοικτικὰ nuncupantur: pleraque certis membris aptantur, ut iecori, lieni, articulis. Sunt malagmata ad strumas, phymata, parotidas, ad aquam inter cutem, ad sistendum sanguinem; & id genus alia.

Insuper medici malagmata distinguunt ab emplastris, quòd illa propriè sint emollientia, ideoque maximè fiant ex floribus, eorumque surculis: Malagmata enim sunt fomenta rei duræ, v. g. apostemati superposita, ut illud emolliant: Emplastra verò sunt pharmaca, quæ cutis meatus constipant, obstruunt, & obturant, ideoque componuntur ex rebus metallicis contusis, aut materia viscosa & tenaci, qualis est amygdalum, pompholix, cerusa, calx lota, cimolia, & id genus, de quibus Galenus libr. 4. & 5. Simplic. Facult. Dicitur emplastrum ab ἐμπλάττω, id est, subigo, in massam formo, illino, infarcio, ferrumino, obstruo, impleo.

Verùm alij Scriptores sæpè malagma sumunt pro quolibet emplastro & vice versa, ita hic videtur sumi. Ex dictis colligitur Deum noluisse coli serpentem æneum, sed tantum aspici velut signum, ut omnis curationis laus & honor daretur Deo. Quare licèt Catharinus & Sanderus libr. 2. de Imag. cap. 3. putant Hebræos inclinatione capitis, & submissione corporis venerationem exhibuisse serpenti, tamen veriùs est id eos non fecisse serpenti, sed Deo coram serpente; imò noster Vasquez 3. p. q. 25. disput. 104. negat eos se inclinasse coram serpense, sed nudè eum dumtaxat aspexisse contendit, potuisse tamen illi aliquam venerationem exhiberi asserit S. August. lib. 2. de Trinit. cap. 10.

VERS. 13. TU ES ENIM DOMINE, QVI VITÆ ET MORTIS HABES POTESTATEM, ET DEDUCIS AD PORTAS MORTIS ET REDUCIS) q. d. Tu Domine sanasti Hebræos lethaliter serpentibus saucios, quia tu solus plenum habes ius & imperium in vitam & mortem; ac consequenter in vivos & morientes, vel mortuos: quare ad libitum potes vitam in mortem, & mortem in vitam commutare, atque viventes ad portas, id est, ad limina mortis deducere, indeque ad vitam & sanitatem reducere, uti reduxisti Hebræos: portæ mortis enim vocantur metaphoricè certa & proxima pericula mortis, qualia afferunt lethales infirmitates, plagæ & vulnera: per has enim velut portas, ingressus est ad ipsam mortem & regionem mortuorum, putà ad sepulchrum & infernum, sicut per portas ingredimur in domum vel urbem. Alludit ad illud Davidis: *Qui exaltas me de portis mortis*, id est, qui liberas me de periculis morti proximis psal. 9. 14. Et: *Appropinquaverunt usque ad portas mortis*, *quod vulgò dicimus ad fauces mortis*. Porrò dicit *portas* in plurali, quia plurimæ sunt viæ & modi, quibus ingredimur ad mortem. Rursum, sicut varij sunt introitus ad mortem, sic & varij disparatique sunt exitus. Patres enim ante Christum morientes ibant ad sinum Abrahæ, pueri ad limbum, peccatores ad infernum, iusti veniali culpa infecti ad purgatorium, atque in singulis hisce locis varij sunt sinus, gradus, ordines & loca pro cuiusque merito vel demerito. Porrò ad litteram, mors hic æquè ac vita intelligitur corporalis, mysticè spiritalis. Spiritualiter enim vivit Deo anima per gratiam, & beatè per gloriam; moritur verò per peccatum, & damnatur ad mortem secundam per supplicia gehennæ. Unde Cantacuzenus censet Anagog. hic notari resurrectionem. q. d. Deus mortis & vitæ est Dominus, hinc electos suos in resurrectione à morte suscitabit ad vitam beatam & æternam.

Porta mortis quæ.

Antistropha huic gnomæ est illa Annæ matris Samuelis: *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit*. Et utraque anterior illa Moysis Deuter. 32. 39. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: Ego occidam & ego vivere faciam, percutiam & ego sanabo*. Hinc & Christus dicitur habere claves mortis & inferni. Apocal. 1. Vide ibi dicta.

AD PORTAS MORTIS] Græcè Ἅδου, id est, *inferni*, quia olim ante Christum morientes omnes ibant ad inferos, saltem ad limbum patrum. Unde infernus vocatur regio mortuorum, sive quam incolunt mortui. Porrò Noster à Castro per *portas inferni* accipit ipsam mortem, mors enim est quasi porta, per quam ingressus est in infernum. Unde idem sic explicat illud Christi Matth. 16. 18. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, q. d. Nullum est genus mortis, quod poterit confessionem Petri & fidem Ecclesiæ abolere, ut non sit in Ecclesia fidelis & sanctus, qui non libenter mortem oppetat pro ea tuenda. Verùm illius loci alius magis genuinus est sensus: Atque hic *portæ inferni*, vel ut noster vertit *mortis*, non mortem ipsam, sed pericula mortis & inferni significant. Nec enim Hebræi à morte ipsa, sed à periculis mortis reducti sunt ad sanitatem.

HOMO AUTEM OCCIDIT QVIDEM PER MALITIAM (nonnulli Codices addunt *animam suam*, sed id delendum cum Græcis & Romanis) AT CUM EXIERIT SPIRITUS, NON REVERTETUR, NEC REVOCABIT (malè Hugo legit *revolabit*, & Glossa *revelabit*) ANIMAM QVÆ RECEPTA EST] Componit, opponit & postponit hominem Deo, q. d. Deus habet vitæ & mortis potestatem. Unde ad libitum potest vivos morti tradere, & mortuos ad vitam revocare. At homo potest quidem per malitiam alterum occidere, eique vitam & spiritum vitalem adimere, sed non potest spiritum postquam egressus est reducere, nec animam vitamque revocare, *quæ iam* a Deo *recepta*, in aliam vitam, suoque loco pro meritis in æternum assignata, juxta illud Eccles. 12. 5. *ibit homo in domum æternitatis suæ*. Pro *non revertetur*, græcè est, οὐκ ἀναστρέψει, quod Jansen. activè vertit *non faciet reverti*, scilicet occisor animam in corpus occisi, ut respondeat Hebrææ coniugationi *Hiphil*, quæ verbis neutris dat significationem activam. VERS. 14.

Pro *nec revocabit* noster fortè legit, οὐ δὲ ἀνακαλεῖται, iam legunt, οὐ δὲ ἀναλύει, vel ut Aldina habet, οὐ δὲ ἀναλύεται, quod verti potest *non revocabit*, scilicet occisor animam occisi; propriè tamen multi vertunt *non resolvit*, id est, non extinguit animam. q. d. Occisor occidendo resolvit corpus, illudque ab anima separat; at non potest resol-

resolvere animam: anima enim simplex est & incomposita, ideoque incorruptibilis & æterna, juxta illud Christi: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timere eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

Porro S. Hieron. in cap. 7. Daniel. & S. Ambros. epist. 21. censent animas morientium omnium, tam bonorum, quàm malorum suscipi ab Angelis; sed verius videtur animas bonorum suscipi ab Angelis, ducique in cælum, uti anima Lazari ab iis ducta est in sinum Abrahæ. Luc. 16 animas verò malorum suscipi à dæmonibus, ut eas secum rapiant in tartara. Exempla Chrysaorii & aliorum recenset S. Gregorius lib. 4. Dialogorum.

VERS. 15. SED TUAM MANUM EFFUGERE IMPOSSIBILE EST] q. d. Anima hominis occisi effugit manum occisoris, qui corpus occidere potest, at non animam: sed tuam manum ò Domine effugere nequit; nam ab ea recipitur, ac pro meritis, vel cælo, vel inferno addicitur; aut in corpus, si ita tibi placitum fuerit, reducitur ut homo resurgat & reviviscat; vel si lethaliter læsus sit, uti fuere morsi à serpentibus, à te Domine sanetur. Similiter occisor, & quilibet impius manum tuam vindicem effugere nequit: tu enim omnium, adeoque vitæ & mortis absolutus, es Dominus: quare amplissimis providentiæ tuæ brachiis omnes mundi fines, & omnia, quæ in iis sunt amplecteris, imò tribus digitis molem terræ appendis, & velut in aere suspensam detines, ac palmo concludis. Isaiæ 40. 12. Unde Psaltes: *Quò ibo*, inquit, *à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis terræ, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* ps. 138. 7. quod secutus Ovidius Poeta ita canit:

Quò fugis Encelade? quascumque accesseris oras,
Sub Jove semper eris.

VERS. 16. NEGANTES ENIM TE NOSSE IMPII, PER FORTITUDINEM BRACHII TUI FLAGELLATI SUNT: NOVIS AQUIS, ET GRANDINIBUS, ET PLUVIIS PERSECUTIONEM PASSI (Græca addunt, ἀπαραιτήτως id est, *inevitabiliter*, ut ea evitare, & manum Dei effugere non possent) ET PER IGNEM CONSUMPTI] Probat neminem posse manum Dei effugere exemplo Pharaonis & Ægyptiorum, qui rebellantes Deo, immissa ab eo plaga septima grandinis horrendæ, adeò ut non tantum herbis, sed & homines ac animalia, quæcumque in agris erant, sterneret, ipsius vim, potentiam, & numen agnoscere coacti sunt, adeo ut Pharao, qui priùs Exodi 5. 7. dixerat Moysi: *Nescio dominum, & Israel non dimittam*, post plagam grandinis humiliatus & resipiscens dixerit: *Peccavi etiam nunc, ego & populus meus impii.* Exodi 9. 27. Licet enim ibi v. 23. & 24. grando tantùm nominetur, tamen grandini mixtas fuisse aquas & pluviam, liquet ex hoc loco, & ex psalm 104. 32. *Posuit pluvias eorum grandinem*; & ex Phil. lib. 1. de Vita Moysis, qui grandini addit imbres, procellas, turbines, collisiones nubium, continua fulgura, tonitrua specie prodigiosa. refertque insolitis tempestatibus arbusta segetesque vastatas periisse, animalia enecta non pauca partim frigore, partim grandine, lapidum in morem, partim fulmine: si quæ verò superessent ex animalibus, ambusta circumtulisse vulnera ad terrorem videntium.

Pro *novis aquis*, græcè est, *novis* ὑετοῖς, id est, *Pluviis*. Pro *pluviis* verò, græcè est, ὄμβροις, id est, imbribus: à Græco enim ὄμβρος, deductum est Latinum imber: novas vocat, tum quia in Ægypto vel rarò, vel numquam pluere solet; quare novæ hæ fuerunt & inusitatæ in Ægypto immissæ à Moyse pluviæ; tum quia ingentes fuere & horrendæ, quæ segetes ceteraque planè prostarnerent. Porrò ὑετός, id est, pluvia, differt ab ὄμβρος, id est, imbre, quòd pluvia lenior sit, & subtilior, & rarior, imber verò vehementior, grandior & densior. Unde ὄμβρος, dicitur ab ὁμοῦ ῥεῖν, id est, à simul fluendo, quòd in imbre aquæ turmatim confluant & depluant.

ET PER IGNEM CONSUMPTI] Grandini enim mystus erat ignis, qui omnia adurebat, ut patet Exodi 9. 24. *Et grando & ignis mista pariter ferebantur.* Et psal. 104. 32. *Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.* Addit Philo; & alii, ignem hunc fuisse fulgura ignita, quæ ignem, id est, ignitas sagittas, prunas, & carbones ardentes, mixtos procellis & tempestatibus in Ægyptios ejaculabantur, & evibrabant. Vide dicta Exodi 9.

QUOD ENIM MIRABILE ERAT, IN AQUA, QUÆ OMNIA EXTINGUIT, PLUS IGNIS VALEBAT: VINDEX ENIM EST ORBIS JUSTORUM. VERS. 17.

QUODAM ENIM TEMPORE MANSUETABATUR IGNIS, NE COMBURERENTUR, QUÆ AD IMPIOS MISSA ERANT, ANIMALIA: SED UT IPSI VIDENTES SCIRENT, QUONIAM DEI JUDICIO PATIUNTUR PERSECUTIONEM. VERS. 18.

ET QUODAM TEMPORE IN AQUA SUPRA VIRTUTEM IGNIS, EXARDESCEBAT UNDIQUE, UT INIQUÆ TERRÆ NATIONEM EXTERMINARET] Exaggerat jam dictam grandinis plagam, ejusque mira, & quasi miracula commemorat, quòd scilicet in ea res inter se summè contrariæ, scilicet aqua & ignis fœderarentur, contraque impios Ægyptios conspirarent, adeò ut cælum, omniaque elementa, putà ignis, aer, aqua, & terra in eorum perniciem conjurasse viderentur; Ait ergo: *Quod enim mirabile erat*, Græcè παραδοξότατον, id est, summè paradoxum, summè novum & mirum, superans omnem opinionem, æquè ac naturæ vim, *in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* q. d. in plaga grandinis, aqua quæ solet ignem extinguere, adeo eum non extinguebat, ut ab igne vinceretur, imo ut aqua igni robur & vires adderet: in ea enim maiori vi exardescebat ignis, quasi aqua velut oleo aleretur, juxta illud Tragœdi: *Alit unde flammas.* Sic in sacrificio Eliæ, ex victima aquis perfusa exarsit ignis. 3. Reg. 18. 34. æquè ac ex sacrificio adaquato Nehemiæ 2. Machab. 1. 20. Sic naturaliter ignes artificiales, qui vulgo Græci vocantur, aquis non restinguuntur, sed potiùs aluntur; quid & calx aqua non sopitur, sed accenditur, quod velut naturæ miraculum obstupescit S. August. lib. 21 Civit. cap. 4.

Porrò, quod ait hoc esse παραδοξότατον, verum est. Nam naturaliter omnis ignis comburit & consumit ranas, muscas, & cetera animalia. Quare licèt Aristot. Plinius, & ex iis S. August. lib. 21. de Civit. cap. 4. asserant Salamandram vivere in igne, id tamen sic accipi debet, quòd ob suum frigus & lentorem aliquamdiu resistat igni, & in eo duret; nam si diutiùs in eo perseveret; tandem ab eo consumitur, uti disertè docet Galenus lib. 3. de Temper. cap. 4. Dioscorid. l. 2 cap. 16. Albertus Magnus lib 25. de Animal. & alii: Pyraustæ tamen, quæ sunt animantes alatæ, & grandioribus muscis persimiles, in fornacibus ardentibus naturaliter vivere degereque solent, ut tradit Arist. Plinius & alii, sed ita, ut nec ex igne generentur, nec eo alantur: Ignis enim nullum animal gignit, inquit Aristot. lib. 5. Histor. anim. cap. 19 Denique animalia omnia sunt corpora non simplicia, sed mista, ideoque composita ex mixtione quatuor elementorum: quare ex uno solo elemento gigni, aliq; nequeunt. Quod ergo scribit S. Thomas, de virtutibus & vitiis, Chamæleontem ex aere vivere, talpam ex terra, halecem ex aqua, Salamandram ex igne, ex communi vulgi sermone acceptum, & in rigore falsum videtur, sed hoc sensu verum, quòd Chamæleon modico cibo contentus, vivat ex rore & muscis in aere volitantibus; halex ex aqua non pura, sed terrestribus vaporibus, aliisque rebus mixta victitet; talpa ex radicibus terræ se pascat, Salamandra in igne aliquam diu duret.

Salamandra igne consumit.

Pyrausta in igne vivunt.

Chamæleon non vivit ex aere.

VINDEX ENIM EST ORBIS JUSTORUM] Dat causam jam dicti miri vel miraculi conspirationis, scilicet aquæ & ignis contra Ægyptios, quòd videlicet orbis, & quidquid in eo est, Deo vindici ad nutum subserviat ad castigandum impios, qui justos, putà fideles Hebræos affligebant. Vide dicta cap. 5. 18.

QUODAM ENIM TEMPORE, MANSUETABATUR (Græcè ἡμεροῦτο, id est, mansuescebat, mitescebat, mitigabatur) IGNIS, NE COMBURERENTUR, QUÆ AD IMPIOS MISSA ERANT ANIMALIA] Nonnulli exponunt. q. d. Ignis cum grandine cælitus missus in Ægyptios, comburebat Ægyptios, at non animalia, putà ranas, locustas, muscas, quas Deus iis in pœnam per Moysem immiserat. Verùm tempore plagæ septimæ, quæ fuit grandinis, jam ante ad preces Moysis cessarant plagæ præcedentes ranarum, locustarum, muscarum.

Dico ergo loqui sapientem de igne non cælesti, sed naturali, q. d. cùm Ægyptii ignem ubique accenderent, ut eo objecto sese à ranis, muscis, sciniphibus, & aliis bestiis libe-

liberarent, quas Deus immittebat opera Moysis, ut eos A plecteret ac plagis afficeret; tunc nullam vim ignis in animalia illa exerebat, sed divina virtute continebat sese ne illa combureret, ut illa Dei voluntati per omnia parerent, ac Ægyptios cruciarent.

Porrò hoc mirum sive miraculum, licet à Moyse non sit conscriptum in Exodo, hic tamen à Sapiente suppletur & exprimitur, æquè ac de manna v. 20. quòd habuerit omnem saporis suavitatem ad libitum comedentium: quare, quin id reverà contigerit, dubitare non licet. Ita Dionys. Jansen. & alii: de Ægyptiorum enim plagis omnis est hic sermo, de quibus etiam accipit S. Bonav. sed hoc sensu, q. d. animalia Ægyptiorum, quæ erant in agris, à grandine & igne consumebantur: quæ verò erant domi in stabulis, ab utroque manebant intacta. Verùm hoc non erat paradoxum, nec mirum.

Ex dictis liquet, minùs rectè Lyranum hæc accipere de Hebræis, q. d. Hebræi aspicientes serpentem æneum non lædebantur ab igne, id est, ab ignitis serpentibus: longiùs quoque abire Holcot, qui per animalia accipit tres pueros socios Danielis, qui in fornace Babylonica illæsi ab igne manserunt. Daniel. 3.

SED UT IPSI (Ægyptii) VIDENTES (muscas & B ranas igne non absumi) SCIRENT, QUONIAM DEI JUDICIO PATIUNTUR PERSECUTIONEM Græcè ἐλαυνόνται, id est, exagitantur, vexantur, cruciantur à ranis, muscis, locustis, &c. q. d. Deus ranas & muscas à se immissas illæsas in igne conservabat, ut infestarent punirentque rebelles sibi Ægyptios, ut ipsi id videntes agnoscerent hoc non fieri naturæ vi, sed Dei miraculo, ideoq; Deum timerent & colerent, eiusque populum, putà Hebræos dimitterent.

ET QUODAM TEMPORE IN AQUA SUPRA VIRTUTEM IGNIS, EXARDESCEBAT UNDIQUE, UT INIQUÆ TERRÆ NATIONEM EXTERMINARET] q. d. Ignis obsequens Deo ad puniendum Ægyptios, se in omnes puniendi partes modosque versabat. Nam parcebat ranis & muscis vexantibus Ægyptios, uti dictum est v. præced. at verò in septima plaga grandini mistus ignis supra omnem naturæ vim exardescebat, ut Ægyptios eorumque sata exterminaret. Per *nationem* C nonnulli accipiunt homines & animalia, à grandine & igne percussa. Meliùs accipias gramina & segetes è terra nascentes, quas in agris consumpsit grando & ignis, sive grando ignita. Græcè enim est, γεννήματα, id est, genimina sive germina, putà herbas & sata, quæ percussit grando, ut Ægyptios frumenti penuria & fame affligeret. Ita Jansen. à Castro, & alii.

Minùs rectè Holcot accipit ignem, quo conflagravit Pentapolis, ac natio Sodomitarum exterminata & combusta est.

VERS. 20. PRO QUIBUS ANGELORUM ESCA NUTRIVISTI POPULUM TUUM, ET PARATUM PANEM DE CÆLO PRÆSTITISTI ILLIS SINE LABORE, OMNE DELECTAMENTUM IN SE HABENTEM, ET OMNIS SAPORIS SUAVITATEM.

VERS. 21. SUBSTANTIA ENIM TUA DULCEDINEM TUAM, QUAM IN FILIOS HABES, OSTENDEBAT: ET DESERVIENS UNIUSCUJUSQUE VO- D LUNTATI, AD QUOD QUISQUE VOLEBAT, CONVERTEBATUR] Pro *omnis saporis suavitatem*, græcè est, *ad omnem gustum*, ἁρμόνιον, id est, *accomodatum*, sive *ut omni gustui congrueret*.

Opponit beneficentiam Dei in pios Hebræos, maleficentiæ & vindictæ ejusdem in impios Ægyptios, q. d. Tu Domine sicut Ægyptios punivisti sterilitate & fame, vastando eorum segetes per plagam grandinis ignitæ, sive igni commistæ: sic vice versa Hebræis in deserto omnium rerum inopia laborantibus, dedisti manna cæleste & suavissimum: unde manna vocat *panem angelorum*, non comedentium, sed producentium illud ex materia, ad id in nubibus ab ipsis disposita, qua de causa *panis cæli*, id est, aeris & nubium vocatur. Psal. 77. 24. quia manna in aere ab angelis formabatur. Hinc & vocatur hic panis *sine labore*, scilicet hominum inarando, serendo, metendo, ab angelis applicando activa passivis confectus.

Manna dotes eius. Nota, manna hoc miraculosum primò erat instar granulorum pruinæ, sive roris conglaciati. Secundò, erat rotundum ut semen coriandri. Tertiò, sapore erat melleum. Quarto, colore candidum & simile crystallo, ut habent Septuag. Quintò, illud collectum pilo, & mola tundebant, & in farinam comminuebant, ex qua tortulas aut panes faciebant, & igne coquebant, uti nos ex farina tritici facimus, & in furno coquimus. Sextò, quotidie ex cælo, id est, ex aere depluebat manna, excepto Sabbatho. Unde Hebræi die Veneris duplum manna colligebant, scilicet quod sufficeret duobus diebus, Veneris & Sabbathi. Aliis diebus si quis servasset manna in crastinum, illud scatebat vermibus. Septimò, quilibet sive multum manna, sive parum collegisset, cùm domum rediens illud mensurabat, reperiebat eamdem mensuram, scilicet Gomor, Deo occultè demète ex manna, quod hanc mensuram excedebat, vel adiiciente quod huic mensuræ deerat: quare Deus tunc eamdem mensuram manna viris, parvulis, & feminis admetiebatur, ac tantumdem comedebant parvuli, quantùm viri. Octavò, cùm sol incaluisset, liquefaciebat & consumebat manna, sicut sorbet & consumit rorem. Unde ante ortum solis illud colligere debebant. Vide dicta Exodi 16. ubi omnia, quæ ad manna spectant fusè & exactè pertractavi, illudq; expressum fuisse typum Eucharistiæ, maximè quoad rem contentam & effectum, ex S. Cyrillo, Nysseno, Ambrosio & aliis ostendi. Cur enim ibi dicta hic repetam?

Nota, manna vocatur *panis angelorum*, quia angelorum erat opus, & quia cibus erat delicatissimus & præstantissimus, quę enim angelorum sunt, præstantissima sunt, adeoque si angeli cibo corporali vescerentur, manna vescerentur.

Allegor. manna Eucharistiæ est angelorum esca, quia idem Christus, qui nos pascit in Eucharistia, pascit beatque Angelos in visione beatifica. Hinc angeli sacerdoti celebranti reverenter assistunt & ministrant, uti multis exemplis ostendi num. c. 4. in fine capitis.

Memorabile est quod legimus de S. Joanne Episcopo Ravennæ, qui cognominatus est Angeloptes, id est, Angelorum conspector, eò quòd Angelis familiaris esset, nimirum illi celebranti affuisse Angelum, qui calicem sanguinis Christi de manu Diaconi ereptum, omnibus videntibus & mirantibus, ministrando porrexit: unde ab Angelis in cælum receptus est anno Domini 438. Ita ex monumentis Ecclesiast. Ravennatis Hieronym. Rubeus, Philip. Ferrar. & alii. Præclarè, vereque S. Gregor. 4. Dialog. cap. 58. *Quis*, ait, *fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus jungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri?* Idem asserit S. Chrysost. lib. 3. & 6. de Sacerdotio, ac exempla affert, qualia etiam extant in Vita ipsius S. Chrysostomi, & S. Basilii. *Angeloptis exemplum.*

Tropol. manna est oratio: hac enim ceu pane cælesti fruuntur Angeli cælestes, æquè ac terrestres, putà viri pii & sancti: hæc quoque miram in anima efficit suavitatem, dum cælestes à Deo haurit consolationes, instinctus & inspirationes omnium virtutum. Verè S. Bernardus de Consider. ad Eugen. *Oratio*, inquit, *fontem, id est, mentem, de quo oritur, purificat: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ornat.* Quocirca post filios Israel reali manna nutritos, legimus nonnullos sanctos orationi & contemplationi deditos, præsertim Anachoretas, qualis fuit Gherardus, qui suasu S. Lyduinæ sive Lyduigis secedens in eremum, non nisi manna quod cælitus in cellam eius impluebat, alitus est. Vide vitam S. Lyduinæ longiùs ante finem. Vide & nostrum Alvarez de Paz, tract. de Oratione par. 1. cap. 6. & sequent. ubi fusè omnes mannæ dotes orationi adaptat. *Manna est Oratio.*

Rursum manna est sapientia, ac S. Scriptura, præsertim psalmi, qui affectuum omnium suavitatem nobis exhibent. Ita S. Ambros. lib. 1. Epist. 1. *Esca*, ait, *& delectatio alimenti cælestis sapientia est, qua vescebantur in paradiso locati, qui erat indeficiens animæ cibus, quem vocavit manna divinus sermo.* Et S. Gregor. 31. Moral. cap. 10. *Manna*, ait, *est verbum Dei, & quidquid bene voluntas suscipientis appetit, hoc profectò in ore comedentis sapit.* Et libr. 6. cap. 9. *Manna*, ait, *omne delectamentum & omnem saporis suavitatem in se habuit, quia divinus sermo in omnibus congruit, & a seipso non discrepans, qualitati audientium condescendit.* Et S. August. serm. 91. de Tempore: *Nunc ergo festinemus cæleste manna suscipere. Istud enim manna prout vult quisque, talem saporem sapit. Audi enim & Dominum dicentem his qui accedunt ad se: fiat tibi secundum fidem tuam*

tuam. Et tu ergo, si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide & tota devotione susceperis, fiet tibi ipsum verbum quodcumque desideras. Verbi gratia; si tribularis consolatur te dicens: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Si lætaris, prospere cumulat tibi gaudia dicens: Lætamini in Domino & exultate justi. Si iracundus es, mitigat te dicens: Dominus sanat omnes languores tuos. Si paupertate consumeris, consolatur te dicens: Dominus erigit de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem quemcumque volueris.

Denique S. Hieron in psal. 147. *Quidquid volueris*, ait, *ex sermone divino nascitur, sicut tradunt Judæi, quoniam manna quando comedebant, secundum voluntatem uniuscuiusque, sic sapiebat in ore.*

Anagog. manna significat ineffabiles regni cælestis delicias, quas prælibant sancti pro iis certantes in hac vita, juxta illud: *Vincenti dabo manna absconditum.* Apocal. 2. 17. vide ibi dicta.

OMNE DELETAMENTUM IN SE HABENTEM, ET OMNEM SAPORIS SUAVITATEM) Alii vertunt: *Ad omnem voluntatem valentem, & ad omnem gustum congruum, adaptatum & accommodatum.* Nam ut sequitur, manna cuilibet saporem exhibebat, quem ipse sapere & gustare desiderabat. Unde Syrus vertit: *Suaviorem omni dulcedine, & gustabiliorem præ omnibus gustabilibus*; Arabicus: *Panem fortiorem suavitate* (id est, suaviorem) *& præ omnibus delectabilibus*. Unde & ca. 19. 20. manna in Græco vocatur ambrosia, quæ a Poetis dicitur esse suavissimus Deorum cibus.

SUBSTANTIA ENIM TUA DULCEDINEM TUAM, QUAM IN FILIOS HABES, OSTENDEBAT) Ita legendum cum Græcis & Roman. Perperam ergo multi Codices habent in accusativo: *Substantiam enim tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* S. Gregor. Nazianz. orat. 49. legit: *Substantia mea dulcedo mea est*, indeque probat contra Arrianos in Deo esse substantiam, filiumque esse ὁμοούσιον, id est, consubstantialem Patri: *Quæ est enim*, inquit, *substantia Dei, nisi ipsum quod Deus simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum, totum? An tu putas inane aliquid esse & vacuum, quod Deus est? Hoc enim dici blasphemia est, ut inane putetur, per quem cuncta consistunt, qui omnia verbo edidit, ratione composuit, virtute perfecit; cujus nutu & imperio universa reguntur, cuncta deserviant. Et bene quod de Deo in lege scriptum est: Ego sum, qui sum. Et: Qui est misit me.* Exod. 3. Intelligit ergo Nazianz. per substantiam Dei naturam, quæ est dulcissima & suavissima, adeoque ipsa suavitas & dulcedo increata & immensa, quæ proinde seipsam communicans Hebræis, ipsis dulcissimum manna quod omnem saporis suavitatem continebat, exhibuit. Hic sensus valde congruit Græco: *Tua enim hypostasis, id est, tua substantia, tuam in filios ostendebat dulcedinem.* Dat enim causam, cur dixerit *paratum panem*. Quæret enim quis, quomodo Hebræi in deserto arido quotidie invenerunt manna, velut paratum cibum per continuos quadraginta annos? Respondet causam fuisse Hypostasim Dei, quod scilicet Deus idem sēper sui q; similis consistens, & subsistēs quotidie & continuum cibum hunc Hebræis apparabat. Huc accedunt Victor Uticensis l. de Cath. Fide, & S. Fulgent. contra Arrian ad 4. objectionem, qui per *substantiam* accipiunt *filium Dei* suavissimum, qui manna hoc Hebræis parabat: unde & ejus typus ac figura erat manna, juxta illud Joannis 6. 32. *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum*, quem explicans v. 35. & 51. *Ego*, inquit, *sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Sic & Optatus citatus à Glossa, hunc locum explicat de filio Dei, qui est substantia Patris, ac illum figura & imagine, inquit, panis cælestis populo Israel cælitus apparet profluxisse. Passim tamen interpretes, ut Cantacuzenus, Hugo, Jansen. Vatabl. per substantiam accipiunt manna, idque non incongruè: manna enim vocatur substantia Dei, quia Dei jussu per angelos formabatur dabaturque Hebræis: unde paulo antè manna vocavit Angelorum escam, & paratum panem de cælo. Vox *substantia*, notat manna fuisse solidæ substantiæ, ita ut non deluderet palatum Hebræorum, sicut deludit dæmon sagas & magos, dum eis phantasticum exhibet omnium epularum convivium, in quo videntur sibi lautè comedere & bibere, sed post convivium æquè inanes se sentiunt, & æquè fament & sitiunt ac ante, uti vir quidam nobis in Belgio ad simile convivium à Mago invitatus, sibi contigisse narrare solet. At manna non erat phantasma, sed substantia ac res verè subsistens, quæ proinde Hebræos verè pascebat, alebat, roborabat, ut sani, vegeti, fortes consisterent: quare ejus sapor & suavitas pariter realis erat, & ut ita dicam, substantialis, non phantasticus & fictus. Hinc pro *substantia tua*, græcè est, ὑπόστασίς σου, id est, *substantia tua*. Sensus ergo est, q. d. *substantia tua*, id est, manna, quod erat substantia & res solida, à te Domine formata, *dulcedinem quam in filios habet ostendebat*, id est, tua dulcedine testabatur, imò repræsentabat ac re ipsa exhibebat dulcedinem amoris & benevolentiæ, qua filios, id est, Hebræos fideles tuos complecteris. Causam subdit modumque exponit dicens: *& deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.* Sic Christus in Oratione Dominica. Lucæ 11. 3. docet nos petere panem quotidianum, græcè ἐπιούσιον, id est, essentialem & substantialem, id est, hominis substantiæ necessarium, pari modo manna vocatur hic substantia, id est, panis substantialis, quia Hebræis per 40. annos alvit & sustentavit in deserto.

Substantia Dei qualis?

Denique Osorius per ὑπόστασιν, id est, substantiam, accipit constantiam benignitatis, bonitatis, & beneficentiæ divinæ, qua continuo per 40. annos Hebræos alvit manna: ὑπόστασις enim est quasi basis, & fundamentum solidum & constans. Pineda verò in Job cap. 22. v. 3. in Digress. per substantiam accipit potestatem sustentandi. Sic & alii perplures.

Manna erat substantia: cur?

ET DESERVIENS UNIUSCUIUSQUE VOLUNTATI (Græcè ἐπιθυμίᾳ, id est, desiderio, concupiscentiæ) AD QUOD QUISQUE VOLEBAT CONVERTEBATUR] Pro *uniuscuiusque* græcè est, προσφερομένου, id est, oblati vel offerentis se, accedentis, assumentis, & esitentis, quod Noster appositè vertit, *uniuscuiusque*, scilicet sumentis & comedentis manna. Pro *convertebatur*, græcè est, μετεκιρνᾶτο, id est, *transtemperabatur*; Sirus: *Et pro cuiusque desiderio miscebatur*, sicut cibi miscentur & condiuntur melle, sale, saccharo, aliisque condimentis, ut sint sapidiores, ac ad palatum comedentis attemperentur: ac sicut vina austera miscentur & dulcorantur aqua, aut alio vino dulciori. Arabicus clarè: *Et ministrabat perfectionem desiderii sui in quocumque cibo, quem volebant.*

Ex hoc loco censent nonnulli manna, non tantùm saporem, sed & substantiam mutasse ad cuiusque libitum, ut manna in piscem revera converteretur ei, qui vellet gustare piscem; in perdicem ei, qui vellet gustare perdicem; in ovum ei, qui vellet gustare ovum; ac sic manna perfectè, & quasi ex æquo repræsentasse Eucharistiam, in qua fit transubstantiatio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, remanentibus dumtaxat speciebus, sive accidentibus panis & vini. Simili enim modo in manna censent remansisse accidentia manna, sed internam substantiam fuisse mutatam ad cuiusque comedentes libitum & gustum. Ita censent Claudius de Saintes de Eucharistia Repert. 7. ca. 3. Nicolaus Vilagagnon lib. 3. contra Calvin. cap. 52. Thomas Bozius lib. 13. de Notis Ecclesiæ cap. ult. Gregor. de Valentia tom. 4. disput. 6. quæst. 3. §. 4. Favet nonnihil S. August. libr. 3. de Trinit. cap. 1. ac S. Ambros. de iis, qui initian. myst. cap. 9. sed obscurè & remotè. Probant ex v. 25. *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat ad voluntatem eorum, qui à te desiderabant.*

An manna mutarit substantiam an tantum saporem?

Verùm contrarium longè est verius, manna scilicet mutasse saporem dumtaxat, non autem substantiam ad libitum appetentium. Probatur Primo, quia tantùm hic dicitur manna habuisse in se omne delectamentum, & omnem saporis suavitatem, & ad hunc exhibendum appetentibus se convertisse in quoslibet sapores, iuxta eorum appetitum.

Resp. saporem tantùm mutasse. Probatur Primò.

Secundò, qui transubstantiatio est miraculorum omnium summum, ideoque soli Eucharistiæ proprium.

Secundò.

Tertiò, quia sic manna non fuisset simile, sed dissimile Eucharistiæ: nam gustu corporali in Eucharistia tantùm sapimus saporem panis: gustu verò mentali tantùm sapi-

Tertiò.

sapimus corpus Christi: at in manna Hebræi non sapiebant saporem manna solius, qui erat panis oleati & mellis, sed piscem, perdicem, ovum prout quisque volebat. Si ergo in aliam & aliam substantiam piscis, perdicis, ovi, &c. assiduè ad libitum comedentium fuisset conversum, dissimile fuisset Eucharistiæ, in qua non est alia substantia, quàm corporis Christi.

Quartò. Quartò, hæ substantiales transubstantiationes in manna fuissent plurima & continua miracula, sine necessitate & causa facta à Deo. Ad exhibendum enim cuique saporem, quem volebat, non erat necessum mutare substantiam, sed accidens tantùm: sufficiebat enim saporem illum manna indere, quem quisque appetebat.

Quintò. Quintò, quia Hebræi ad manna nauseabant, suspirantes ad cæpas & ollas carnium in Ægypto: unde dicebant: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Num. 11. 4. &c. 21. 5. Ergo revera cis manna non mutabatur in cæpe & carnes: Si enim ea habuissent, non ad ea suspirassent. Dices, & retorquebis hoc argumentum: Idem est de sapore: In manna enim sapiebant cæpe & carnes, & tamen ad ea suspirabant. Resp. suspirabant, quia carnales erant & gulosi, quibus non sufficit sapor, sed præter eum requirunt res ipsas sapidas & solidas, putà veras carnes, veros pisces, &c.

Rursum, si manna habebat dumtaxat speciem externam manna, interiùs verò vertebatur in piscem, carnem, ovum ad libitum edentium, frustra id fiebat. Nam edentes videbant speciem externam manna, non verò internam substantiam piscis, vel carnis sub manna absconditam: Sicut nos in Eucharistia videmus species panis, at non videmus sub iis latentem Christum, sed fide credimus: hanc autem fidem in manna non habebant animales Judæi.

Septimò. Si dicas, manna planè & per omnia mutatum fuisse in piscem, carnem, &c. etiam quoad speciem externam, ita ut omnino manna desineret tam quoad substantiam, quàm quoad speciem externam, repugnat S. Script. quæ ubique asserit Hebræos comedisse, vidisse, sapuisse manna, ac manna habuisse omnem saporis suavitatem. Alioqui enim manna non potuisset esse typus Eucharistiæ, in qua panis transit in corpus Christi, sed remanentibus speciebus panis.

Denique, sicut Auctores contrariæ sententiæ per mutationem manna in substantiam piscis vel carnis, meliùs repræsentant transubstantiationem in Eucharistia, ita nos dicentes eamdem in manna mansisse substantiam, sub accidentia saporis fuisse variata, meliùs per hoc demonstramus in Eucharistia accidentia panis & vini manere, ac alere hominem sine illorum substantia. Rursum Eucharistiam unam & eamdem omnem virtutum, rerumque cælestium saporem & gustum communicanti pro eius desiderio exhibere. Porrò v. 25. mox suo ordine explicabo.

Nota, pro *convertebatur*, græcè est, μετεκιρνᾶτο, id est, transtemperabatur, & miscendo transfundebatur; Syrus, *Miscebatur*; alii, *temperabatur*. Radix enim κεράννυμι, idem est, quod misceo, inficio, tempero, infundo vinum. Unde Medici ὀξύκρατον, vocant potum ex aceto & aqua mystum & temperatum. Sic vinum purum & immistum vocatur ἄκρατον; & εὔκρατον, quod ritè dilutum & temperatum est. Tὸ ergo μετακιρνᾶν, significat modum varietatis saporum in manna, quod sicut vinum, si aqua vel alio vino quodlibet misceatur, quemlibet vini saporem exhibet. Si enim vino dulci infundas vinum acre, amarum, vel alterius saporis, vini dulcedinem inflectes ad acredinem, amaritiem, aliumve saporem: Sic pariter Deus in manna nativum eius melleum saporem, affuso alio sapore ad saporem piscium vel carnium, pro desiderio cuiusque comedentis inflectebat. Manebat ergo nativus manna sapor, sed temperatus, dilutus & inflexus ad saporem eius rei, quam quisque gustare desiderabat. Hoc enim insinuant Hebræi murmurantes, dum dicunt: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*: sentiebant ergo & sapiebant levitatem & mollitiem manna, & insuper saporem ciborum, quos appetebant: ac levitas illa, mollities, & dulcedo manna movebat eis nauseam. Cogitate saccharum vel mel affundere piscibus, carnibus reliquisque cibis, & apprehendes quomodo mellea dulcedo manna sapori piscium, carnium reliquorumque ciborum mista, affusa & contemperata fuerit, sed eo modo itaque parcè vel largiter, sicut Palato & desiderio comedentium congruebat: illi enim suum saporem attemperabat manna. Atque hæc videtur fuisse causa nauseæ & murmuris Hebræorum de manna, quòd scilicet, esto in eo saperent omnem saporem, quem vellent, tamen simul saperent saporem mellis, qui erat nativus ipsi manna: mel enim, saccharum ceteraque dulcia si longiùs comedantur, facilè pariunt nauseam & fastidium. Denique manna per se ubique suum retinebat saporem, sed in Palato vescentium saporem, quem quisque optabat, efficiebat, itaque ad ejus votum quasi transformabatur, id est, aliam saporis formam & rationem suscipiebat & induebat.

Sapor mãna eniq; quomodo attēperatur.

Quocirca minùs verum videtur, quod censet Holcot hanc varietatem saporum: non fuisse in ipso manna, sed in Palato comedentium dumtaxat, secundùm apparentiam & judicium eorumdem. Sic enim fuisse fucatus & phantasticus sapor manna, non realis & substantialis, uti dixit v. 21. nec manna in se habuisset omne delectamentum & omnis saporis suavitatem, nec deserviens cujusque voluntati ad id, quod quisque volebat, fuisset conversum; quod tamen asseruit v. 1. Denique sic manna non fuisset appositus Eucharistiæ typus, utpote quæ substantialiter nobis exhibet Christum, omni gratia & delectatione spiritali pollentem, & eamdem sumentibus communicantem. Ita ceteri interpretes. Cùm ergo quis Hebræus desideraret comedere piscem, carnem, ovum, Deus ipsi manna indebat saporem piscis, carnis, ovi, quem saperet comedens, perinde ac si piscem, carnem, ovum comederet. *Manna sapor verus non apprehēsus.*

Tropol. panis omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suavitatem est oratio & contemplatio. Anagog. est gloria cælestis. Allegor. est Caro Christi in Eucharistia. Unde S. Thomas Opuscul. 57. in Officio Venerabilis Sacramenti ad Magnificat, hos illi assignat versus: *Manna est Oratio & Euchar.*

Panem de cælo præstitisti eis, *Gnoma.*
Omne delectamentum in se habentem.

Et mox hanc Antiphonam: *O quàm suavis est, Domine spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cælo præstito esurientes replens bonis, fastidiosos divites dimittis inanes.* Et lectione 4. *Suavitatem huius Sacramenti nullus exprimere sufficit; per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, & recolitur memoria illius, quàm in sua passione Christus monstravit excellentissima charitatis.* Ante lectionē verò hos præmittit versus:

Cibavit eos ex adipe frumenti,
Et de petra melle saturavit eos.

Hinc de nonnullis sanctis devotè communicantibus legimus, in S. Synaxi eos favum quasi mellis gustasse. Idem in Antiphona ad Magnificat in secundis Vesperis: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Idem in hymno ad Laudes: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in premium.* Vis exempla? accipe.

In Vitis Patrum lib. 6. Libello 58. de Providentia cap. 57 *Dixit Abbas Pastor: Scriptum est, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Quoniam igitur cervi in solitudine serpentes plurimas glutiunt, & cum accensi eorum venena fuerint, ad aquas pervenire desiderant: bibentes autem tentantur à fervore serpentini viris: sic & monachi in solitudinibus habitantes accenduntur dæmonum malignorum venena, & propterea desiderant Dominica venire ad fontes aquarum, hoc est, ad corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, ut purgentur ab omni amaritudine dæmonum malignorum.* *Exēpla.*

S. Maria Ægyptiaca cum 47. annis in eremo vitam Angelicam egisset, sub mortem sacram synaxin à S. Sozyma suscipiens, in cælum extensis manibus ingemiscens, cum lacbrymis præ gaudio clamabat: *Nunc dimittis Domine ancillam tuam secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum,* itaque prælibans delicias cælestes, mox emoriens, ad eas tota mente hauriendas evolavit in cælum. Ita habet eius vita scripta ab eodem Sozyma. Simile legimus de S. Maria Magdalena in eius ad Christum transitu.

Fertur S. Monica post sacram synaxin quasi deliciis ebria exclamasse: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Quid hic ago? volemus in cælum?*

S. Joan-

S. Ioannes eremita tantas in Eucharistia sentiebat de- A lectationes, æquè ac robur & vires, ut eam dominica dumtaxat die sumens, nihil per totam hebdomadam aliud comederet; teste Palladio in Lausiaca cap. 61.

S. Franciscus. ait S. Bonavent. in Vita ejus cap. 9. *Flagrabat ergo Sacramentum Dominici corporis fervore omniū medullarum, stupore admirans maximo illam charissimam dignationem & dignatissimam charitatem, Sæpè communicabat, & tam devotè, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati agni degustationem suavem, quasi spiritu ebrius in mentis ut plurimum rapiebatur excessum.* Hinc in Christum crucifixum optabat, per excessivi amoris incendium totaliter transformari; uti & ipsi contigit, dum per Seraphinum sub alis suis crucifixum, continentem, sacra quinque vulnerum ejus stigmata carni suæ impressa, raro Christi dono accepit.

S. Catharina Senensis, uti in ejus vita scribit Raymundus ipsius confessarius, *videbat frequenter in manibus sacerdotis infantem, interdum puerum grandiusculum, quandoque fornacem ardentem, sæpe etiam inæstimabilis suavitatis odores sentiebat. Quoties autem illud summum Sacra-* B *mentum vel vidisset, vel sumpsisset novum, idemque ineffabile gaudium in ejus animo existebat; ita ut non rarò in ejus pectore cor exiliret, idque cum tanto sono, ut socia circumstantes clarissimè audirent: nec erat sonus ille usitatus, sed valde singularis & præter naturæ morem: Solebat autem sancta Virgo dicere Thomæ Confessario suo: Tantum gaudium obtinet mentem meam, ut valde admirer posse durare animam in corpore, addebatque: Tantum ardorem sentio in anima mea, ut igni materialis mihi frigere potius, quàm urere videatur. Ex hoc autem ardore existit quædā in anima mea renovatio puritatis & humilitatis, ita ut videar mihi redisse ad ætatem quatuor vel quinque annorum Tantus quoque inde in me accenditur amor fraternus, ut non solum libenter, sed etiam hilariter pro quocumque proximo velim mortem oppetere.* Et nonnullis interiectis: *Cum autem sacram Eucharistiam ex ejus manibus perciperet, facie erat rubicunda & micante, tantaque cum devotione eam accepit, ut maximum stuporem & devotionem ipsi Confessario adferret. Ipsa vero ita fuit in Deū absorpta, ut toto illo die, etiam postquā ad se rediit, nullū potuerit verbū eloqui. Dixit autem postea fratri Thomæ Confessario, cùm ex ejus manibus sumpsisset sacrā Eucharistiam, tale aliquid se vidisse, quod mentē ejus adeò ad se pertraxerit, ut alia omnia, quæ hic habeantur, velut abominanda stercora ipsi visa sint, non solùm opes & voluptates corporis, sed etiā consolationes spirituales: tamque ipsi orantis præstitit id Deus quod diximus. putà mentē inter omnia immoram, quod est revera munus excellens & eximium.*

Vers. 22. Nix autem et glacies sustinebant vim ignis, et non tabescebant: ut scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine pluvia coruscans.

Vers. 23. Hic autem iterum, ut nutrirentur iusti, etiam suæ virtutis oblitus est.

Vers. 24. Creatura enim tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus iniustos, et lentior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt] Redit ad septimam Ægyptii plagam, quæ fuit grandinis igni, id est, fulminibus mistæ, qua Deus percussit lata & fruges Ægiptiorum, itaque sterilitate & fama eos mulctavit. Sicut enim dixit v. 17. in plaga ista ignem non fuisse aquis, id est, grandine & pluviis extinctum; Sic vice versa hic ait ignem non liquasse nivem & glaciem, sed utraque velut deposita contrarietate naturali inter se fœdus iniisse, ac conspirasse in perniciē Ægyptiorum. Unde Philo lib. de Vita Moysis. *Grando*, inquit, *intermixta ignibus nec ipsa liquescebat, nec extinguebat fulmina sed utraque eodem deferebantur impetu.* Itaque *nix & glacies*, hoc loco idem sunt, quod grando, grando enim non aliud videtur esse, quàm aqua vel nix conglaciata: Fortè etiam cum grandine, uti mixta fuit pluvia, sic & nix, uti sæpè videmus hæc tria convenire, & simul è cælo descendere; quia hæc tria ex aqua nascuntur, & mox in aquam redeunt. Unde glaciei ænigma hoc dat Symposius:

Ænigma glaciei.

Unda fui quondam, quod me cito credo futuram:
Nunc rigidi cæli duris connexa catenis,
Nec calcata pati possum, nec nuda teneri.

Ut scirent] q. d. Ut intelligerent filii Israel, ad quorum hæc referuntur & amplificantur utilitatem, fructus Ægyptiorum ab igne, inter grandinem & pluviam coruscante, fuisse absumptos, unde escis sublatis in famem ingentem deciderunt miseri.

Ignis ardens in grandine, et (repete cum Dionys. τὸ in) pluvia corruscans] Hoc enim erat mirum in plaga grandinis, quod in ea arderet ignis, idemque in pluvia grandini mixta coruscaret, & effulguraret, cùm tamen natura ignis grandini, æquè ac pluviæ ex diametro repugnet, ac grandinem perimat, vel ab ea extinguatur & perimatur.

Hic autem] *Hic*, scilicet ignis, Græcè est, τοῦτο neutrum, id est, *hoc*, quia refert πῦρ, id est, ignem, quod Græcis pariter est generis neutri. Componit & comparat ignem, quo coquebatur manna, cum igne grandine misto, quo percussa est Ægyptus, idque apposite, quia manna erat instar roris conglaciati, ideoque specie externa referebt grana grandinis, vel sacchari. Sensus ergo est, B q. d. Sicut in gratiam Hebræorum fecisti, ò Domine, ut ignis cum grandine conspirans perderet sat Ægyptiorum; sic vice versa fecisti, ut ignis cum manna, quod era instar grandinis, conspirans, illud non liquaret & absumeret, sed coqueret & solidaret, ut eo velut pane à se cocto pasceret Hebræos. Manna enim molitum, vel pistum formabatur in panes vel tortulas, quos igne coquebant, ut patet v. 27. & numer. 11. Manna ergo rorulentum, & instar grandinis constrictum & conglaciatum sustinebat vim ignis, dum vel aquis calidis elixabatur, vel in sartagine frigebatur, vel sub cinere, aut in clibano furnove in panem coquebatur. Quare tunc ignis, ut τραφῶσι (alii minùs aptè legunt τραπῶσι, id est, *verterentur*) id est, *nutrirentur iusti*, scilicet fideles Hebræi, *etiam sua virtutis oblitus est*, qua solet liquare & absumere grandinem & glaciem, cui simile erat manna, quod tamen ignis non liquabat, nec absumebat, sed durabat & solidabat.

Creatura enim) Dat causam, cur ignis non absumpserit grandinem percutientem Ægyptios, nec C manna pascens Hebræos, quia scilicet ignis erat creatura Dei, qui proinde ipsi ut suo creatori, per omnia deservit & obedit: Quare illo iubente conspiravit cum glacie ad torquendum iniustos, & in manna velut lentior leniorque factus, illud fovit coxitque, ut eo pascerentur Hebræi, qui in Deum credebant & confidebant. Ita Noster à Castro. Reddit, inquit generalem rationem duorum tam contrariorum effectuum eiusdem ignis, qui nocuit Ægyptiis & profuit Israelitis: Nam creatura suo obsequens creatori, vim suam ad ejus voluntatem exerit ac remittit, operamque dat ut supplicio afficiat iniustos; iustos verò summa cum benignitate conservet & tractet. Unde ex Græco clarè ad verbum vertas: *Creatura enim tibi effectori subserviens; ἐπιτείνεται id est, intenditur ad pœnam adversus iniustos, & ἀνίεται, id est, remittitur ad beneficium pro his, qui in te confidunt.*

Propter hoc et tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat, ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant. Vers. 25.

D Ut scirent filii tui, quos dilexisti Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint conservat) Repetit & inculcat quod dixit de manna v. 21. scilicet ipsum suum saporem commutasse ad desiderium comedentium. Vers. 26. *Transfigurata*, scilicet creatura, quæ præcessit, sed ibi per creaturam intellexit ignem, hic verò per eam intelligi manna igne coctum Græcè est, μεταλλευομένη id est, transformata, in aliud commutata, transfigurata. S. August. libr. 3. de Trinit. cap. 11: vertit, *se transfigurans*. q. d. Propter hoc, ut scilicet ostenderes tuam beneficentiam in fideles Hebræos, fecisti ut creatura tua, id est, manna à te creatum se transformaret, & quasi transfiguraret in omnia, id est, in omnes saporum formas, differentias, & species pro appetitu cuiusque comedentes; quia manna, æquè ut ceteræ creaturæ, *nutrici gratia*, id est beneficentiæ & beneficæ providentiæ tuæ, *deserviebat ad voluntatem eorum, qui à te desiderabant*, ut pro voluntate & desiderio cuiusq; exhibe-

ret eum saporem, quem quisque optabat, & desiderabat sibi in manna à Deo exhiberi.

Moral. nota hic creaturas iustis transfigurari, id est, aliam formam & figuram exhibere, quàm exhibeant impijs; iustis enim exhibent formam, vultumque serenum amici & benefactoris; impijs verò exhibent formam, vultumque seuerum inimici & ultoris. Sic mare rubrum salvavit Hebræos, mersit Ægyptios. Sic diluvium absorpsit impios, servavit Noe. Sic ignis perdens Sodomam pepercit Lot, quia creaturæ conformant se suo creatori, qui benignum se ostendit pijs, ferocem impijs.

OMNIUM NUTRICI GRATIÆ] Græcè τῇ παντοτρόφῳ σου δωρεᾷ, id est, *omnia nutrienti tuo dono*, pro quo noster vertit *gratia*: δωρεὰ enim est donum, gratia, dos, largitio. Gratia ergo hic significat gratiosam Dei voluntatem, providentiam & benificentiam, vel omne beneficium gratiæ ab illa provenienş. Quocirca S. August. in psal. 144. & epist. 93. docet duplicem esse gratiam, unam creationis, alteram salvationis, sive unam naturalem, alteram supernaturalem. Vide Suarez tom. 1. de gratia Prolog. 3. cap 2. n. 2. & ca. 3. n. 5. ubi per nutricem gratiam accipit amorem gratuitum Dei, sive ipsam Dei charitatē, quæ est primum Dei erga nos domnum, & maximè liberale ex sola Dei misericordia promanans. Vnde idem s. August. de Prædest. Sanct. cap 15. *gratiam*, vocat, *gratuitam Dei voluntatem gratis beneficia largientem*.

Vnde aliqui hic vertunt: *Omnia alma, vel altrici* (*almus* enim dicitur quasi *alens*, ab alendo ait Festus; unde alma Ceres, alma parens, alma tellus, quia omnia alit) *tuæ benignitati deserviebant*: hæc enim omnium est nutritia: quare Dei benignitate plena est terra, iuxta illud: *Imples omne animal benedictione*. Psal. 144 16. Et: *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quod sanarem eos*. Osee 11. 3. Quocirca meritò de ingratis hominibus queritur Deus: *Filios enutrivi & exaltavi; ipsi autem spreverunt me*. Isaiæ 1. 2. Et: *Obliti estis Deum, qui nutrivit vos, & contristatis nutricem vestram Ierusalem*. Baruch. 4. 8.

AD VOLUNTATEM EORUM, QVI A TE DESIDERABANT) Putà Hebræorum esurientium & desiderantium cibum. Perperam nonnulli legunt: *qui à te desiderati sunt*, id est, quos desiderasti & amasti Græcè est, δεομένων, quod tam *egentium*, quam *desiderantium* verti potest. Egestas enim facit desiderare, & desiderare facit orare, ut obtineas, id, quo egestatem leues. Audi S. Hieron. in psal. 147. *Manna quando comedebant, secundum voluntatem uniuscuiusque, sic sapiebat in ore. Ac si dixisset: Qui manna comedebat, si desiderabat mala pirum, si uvam si panem, si carnes, secundum qualitatem & voluntatem comedentis, ita & sapor in manna erat. Sic & in carne Christi, qui est sermo doctrinæ, hoc est Scripturarum sanctarum interpretatio, sicut volumus, ita & cibum accipimus. Si sanctus es, invenis refrigerium, si peccator es, invenis tormentum.*

Vltimis hisce verbis insinuat s. Hieron. iustos dumtaxat sensisse in manna hanc saporis varietatem ad libitum, iniustos vero tantùm gustasse nativum manna saporem, qui erat instar panis oleati & melliti. Idem magis dilertè & expraisè sentiunt S. August. lib. 2. Retract. cap. 9. & 20 s. Gregor. libr. 6. Moral. cap. 9. Abulens. Lyran. Dionys. & alij: Verum tam malis, quàm bonis hanc gratiam, uti & coturnicis, columnam ignis, aquam à petra, &c fuisse concessam innuit τὸ *uniuscuiusque* v. 21. quod tam malos, quam bonos complectitur; itaque censet s. Cæsarius Arelat. hom. 7. in Pascha, Hugo Victor. Torniellus, Lorinus, & alij, ob rationes quas recensui Exod. 16. v. 31. Divina planè vis bonitasque digna Deo, & nisi sacris litteris apertè constaret, planè incredibilis, ut se Deus ad innumerabilem hominum multitudinem quotidie, imò singulis horis ac momentis ita attemperaret, ut in unius cibi temperamento centum sapores disparatos; atque ex difficillimis primarum qualitatum harmonijs toties dispartitos in palatis Hebræorum produceret, ac in stomacho membrisque omnibus nutrimentum generaret.

Manna sapiebat etiam malis id quod volebant.

VT SCIRENT FILII TVI (fideles Hebræi) QVONIAM NON NATIVITATIS FRVCTUS) Græcè γενέσεις τῶν καρπῶν, id est, nativitas vel generationes fructuum, hoc est fructus geniti & nati, sive nativi pascunt hominem, *sed sermo tuus*. Græcè ῥῆμά σου, id est, *verbum tuum*, putà iussio tua, decretum tuum, *hos qui te crediderint conservat*, dum scilicet viderunt se in deserto sine pane, solo manna cælesti vixisse per 40. annos, uti Christus in simili deserto ieiunans & orationi vacans sine pane vixit 40. dies, ideoque diabolo tentati, dicentique Matth. 4. 3. *Dic ut lapides isti panes fiant*; respondit: *Scriptum est*, Deuter. 8. 3. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo: quod procedit de ore Dei*, id est, omni re, quam iusserit & ordinarit Deus, sicut iussit Hebræos ali manna. De manna enim loquitur Moyses. Deuter. 8. 3. Denique non cogitanti de alio sapore & cibo, manna exhibebat saporem panis oleati vel farinæ mellitæ: cogitanti verò & desideranti alium quemlibet saporem, illum ipsum exhibebat. Quocirca probi, cùm ex nativo manna sapore mellito sentirent sibi obrepere nauseam, indeque murmur, illi resistebant cogitando se in manna quiduis sapere posse, si eius desiderium conciperent: improbi verò & ingrati cedebant nauseæ, ob eamque murmurabant. Vide dicta Exod. cap. 16.

Vers. 17. QVOD ENIM AB IGNE NON POTERAT EXTERMINARI, STATIM AB EXIGVO RADIO SOLIS CALEFACTVM TABESCEBAT] Cantacuzenus explicat de plaga grandinis; hæc enim igni mixta cum eo conspirabat ad vastandum segetes Ægyptiorum, eadem tamen solis radijs liquabatur. Verum alij passim hæc accipiunt de manna; de eo enim omnis est hic sermo, q. d. mirum, imò miraculum erat in manna, quòd ipsum igne coqueretur & solidaretur; radijs verò solis calefactum liquaretur, uti iisdem naturaliter liquatur grando & glacies, cui simile erat manna: quare hoc posterius non erat miraculum, licet id velit Abul. in Exodi 16. quæst. 8. sed prius; nam glaciem, cui simile erat manna, igne non liquari, cum sole liquaretur, utique miraculum est: Ignis enim calidior est sole. Vide dicta Exodi 16. 21. & numer. 11. 8.

Vers. 18. VT NOTUM OMNIBUS ESSET, QVONIAM OPORTET PRÆVENIRE SOLEM AD BENEDICTIONEM TVAM, ET AD ORTVM LUCIS TE ADORARE.

Vers. 29. INGRATI ENIM SPES TAMQVAM HIBERNALIS GLACIES TABESCET, ET DISPERIET TAMQVAM AQVA SUPERVACVA] q.d. quia manna sole incalescente liquescebat; hinc ante ortum, vel ad ortum solis oportebat illud colligere; quare significabat Deus, oportere nos prævenire solem ad benedictionem Dei excipiendam, & vicissim ei per gratiarum actionem reddendam, atque summo manè ad ortum lucis Deum laudare, adorare, & invocare: qui enim piger & ingratus huic divinæ oblationi, qua Deus manè orantibus offert gratiam, æquè ac Hebræis manè offerebat manna, speret post somnum & pigritiam sese Dei gratiam, cùm sibi libebit reperturum, fallitur, sicut Hebræi stertentes fallebantur, dum post ortum solis manna quærebant, nam reperiebant illud solis radijs liquatum & dissolutum: liquabatur enim, sicut glacies in hyeme sole incalescente colliquescit & tabescit, id est, in vaporem abit & evanescit. Simili modo ingrati spes *disperiet tamquam aqua supervacua*, id est, ut Græcè, *sicut aqua inutilis diffluet*.

Manè excipienda orantis Dei gratia.

AD BENEDICIONEM TVAM] Benedictio hic reciproca accipitur, scilicet tam ipsa Dei beneficentia, qua Hebræis manè dabat manna, ac manè orantibus dat gratiam, quàm Hebræorum & nostra, putà gratiarum actio, qua ob manna, omnemque gratiam à nobis Deo agendæ sunt gratiæ. Ita Lucas Brugensis in Notis hic, Vatab. Iansen. Clarius, & alij. Vnde græcè est, ἐπ' εὐχαριστίαν σου; εὐχαριστία autem & gratiam & gratiarum actionem significat. Hinc Venerabile Sacramentum dicitur Eucharistia, quia summam gratiam, putà Christum omnis gratiæ fontem continet, ideoque summam à nobis gratiarum actionem requirit: unde per Antithesin subdit: *Ingrati enim spes*, &c. ubi manifestè εὐχάριστον, id est, gratum opponit ἀχαρίστου, id est, ingrato. Porrò hac voce εὐχαριστία, præludit & alludit ad mysticum manna legis novæ, scilicet ad corpus Christi in Eucharistia.

ET AD ORTUM LUCIS TE ADORARE] Græcè est, ἐντυγχάνειν, id est, occurrere (scilicet Deo) interpellare, orare, intercedere pro rebus tum privatis, tum publicis, q. d. Si Deus adeo diligens est, ut primo manè nobis man-

manna & gratiam ſuam afferat, utique decet nos ſimili diligentia Deo occurrere, ut illius gratiam gratè excipiamus.

Ortus hic non ſignificat cæli ſitum, putà Orientem & Orientalem cæli plagam. Hebræi enim orabant converſi non ad Orientem, uti faciunt Chriſtiani, ſed reſpicientes ad Sanctum Sanctorum, quod erat ad occidentem, uti docet S.Hieron. in cap. 8. Ezech. ortus ergo hic ſolis, luciſque exordium ſignificat, putà manè & auroram: tum enim colligendum erat manna, nam poſt ſolis ortum eius radiis liquabatur, ut diſcerent Hebræi non ſtertere, ſed manè ſurgere ad orationem & ad parandum cibum, nam diligentibus occurrit & ſuccurrit Deus. Vult enim jure ſuo Deus ceteris curis rebuſque anteponi, ac primitias diei ſibi dicari, ut ab eo totius diei felicem decurſum impetremus. Unde S.Athanaſ. in pſalm.5. *Magnum, ait, certaminis decus, è lecto ipſo Deo ſiſtere ſeipſum, & prævenire in gratiarum actione ſolem.* Et S.Chryſoſt. in pſal.5. ad illa: *Mane exaudies vocem meam*, ſic ait: *Ab initio diei David dabat Deo primitias. Oportet enim*, inquit, *ad gratias tibi agendas ſolem prævenire, & ante ortum lucis se interpellare. Tu autem in imperatore quidem minimè patiaris eum, qui eſt inferior, ante te adorare: nunc autem ſole oriente ipſe dormis, & cedis primo loco creaturæ, nec omnem creaturam prævenis, quæ propter te facta eſt, nec ei agis gratias, ſed cùm ſurgis manus & faciem lavas, animam autem immundam negligis*, &c

Adorandus eſt Deus oriente ſole.

Idem ſanxit Moyſes Deuter.6.7. *Meditaberis in eis*, &c. *dormiens atque conſurgens*, ubi plura hac de re congeſſi. Eſto ergo ò Chriſtiane, ò Sacerdos, ò religioſe philomela auroræ, imò *eſto cicada noctium*, uti ſcribit & præſcribit S.Hieron. Euſtachio. Sicut enim aves diluculo canunt, ac philomela ſua melodia ſolem prævenit, & venientem quaſi allicit & ſalutat; ſic pariter fideles manè ſolem juſtitiæ ſuis hymnis & precibus ſalutent oportet. Id fecere Eſſæi & primi Chriſtiani, qui teſte Plinio antelucanos Chriſto canebant hymnos: quin & Judæi quotidie manè offerebant juge ſacrificium, uti etiamnum fideles manè dicunt vel audiunt miſſæ ſacrificium.

Eſto cicada noctiũ.

Porrò hac de cauſa Chriſtiani orant, non tantùm manè in aurora ſub ortum ſolis, ſed etiam converſi ad eum Orientem, ſive ad Orientalem mundi plagam, idque faciunt ex Apoſtolica traditione, ut ait S.Baſil. de Spiritu ſancto cap.27. Athanaſius, vel potiùs Anaſtaſius, Nicænus in quæſt. S.Scripturæ queſt.18. & alii.

Cauſa prima. Primò, ut beneficium ſolis, qui ortu ſuo hominibus totique mundo lucem, hilaritatem, calorem, vitam & fœcunditatem affert, agnoſcant, Deoque gratias agant.

Secunda. Secundò, quia Oriens eſt nobilior pars mundi ab Oriente enim oritur lux & ſol, qui ſymbolum & hieroglyphicum eſt Dei. Unde & Oriens pro luce ſumitur. Han cauſam dat S.Juſtin. lib. quæſt. quæſt. 118. S.Dionyſ. de Eccleſ. Hier. p. 2. cap. 2. & S.Cyrill. Cathec. 1. myſtag. Quod igitur Oriens fons velut quidam luminis haberetur, atque Occidens eſſet hieroglyphicum tenebrarum, inde etiam ea vetus fuit in Eccleſia obſervatio, ut baptiſmate initiandus, diabolo prius renunciaturus, Occidentem verſus ſtatueretur, ſicque poſitus, tertiò illa renunciantis verba proferret, idemque poſteà Chriſtum Dominum confeſſurus ad Orientem converſus, id totidem vicibus faceret. Idque non tantùm S. Dionyſius, ſed & Cyrillus teſtatur.

Tertia. Tertiò, quia paradiſus ex quo eiecti ſumus in Adamo, & ad quem ſuſpiramus ſic erat ad Orientem. Ita Damaſc. lib.4. de Fide cap.13. & S.Cyrill. loco jam citato, ac S.Baſil. & Nyſſen. apud Moyſem Barcepha lib. de Paradiſo par. 1. cap.14.

Quarta. Quartò, quia Chriſtus crucifixus reſpiciebat Occidentem, nam dorſum obvertebat Jeroſolymæ & Orienti, faciem verò convertebat ad Occidentem, putà verſus Romam & Europam; dum ergo oramus converſi ad Orientem in Chriſtum crucifixum reſpicimus, illique occurrimus. Rurſum, Chriſtus aſcendens in cælum ad ortum efferebatur, ibique adoratus eſt à diſcipulis, atque ita inde venturus eſt ad judicium, uti eum ibidem aſcendentem in cælum conſpexerunt Apoſtoli, juxta illud Zachariæ 14.4. *Stabunt pedes eius in die illa ſuprà montem olivarum, qui eſt contra Jeruſalem ad Orientem.* Et illud: *Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes eius.* Pſal.131.7. Hinc & Chriſtus ipſe vocatur Oriens. Zachar.6.12. Hasce omnes cauſas affert S.Athanaſ. in quæſt. ad Antiochum q. 37. ſed præſertim primam: *Adoramus*, inquit, *ad Orientem, quia Deus eſt lux vera, eamque ob cauſam ad lumen converſi creatum iſtud, non creatum illud lumen, ſed eius luminis creatorem adoramus, & ex elemento omnium ſplendidiſſimo, omnium elementorum ſplendidiſſimum creatorem Deum veneramur.* Adverte tamen has quæſtiones non eſſe S. Athanaſii Alexandrini. Nam qu. 23. auctor citat s. Athanaſium Alex. & quæſt. 129. s.Gregor. Nazianz. qui s.Athanaſio fuit poſterior, imò in iiſdem citatur s.Chryſoſt. Scala Joannis Climaci, Maximus, Nicephorus. Unde liquet auctorem longè poſterioris ævi fuiſſe, ut rectè advertit Bellarm. Sixtus Senenſis, Poſſevinus & alii in Scriptor. Eccleſ.

Porrò ex hoc ritu orandi ad Orientem factum eſt, ut nonnulli rudes Chriſtiani ac Priſcillianiſtæ Hæretici ſolem Orientem adorarent, quos redarguens s.Leo ſerm.7. de Nativitate: *De talibus*, inquit, *inſtitutis* (Priſcillianiſtarum videlicet) *illa etiam generatur impietas, ut ſol inchoatione diurnæ lucis exurgens, à quibuſdam inſipientioribus de locis eminentioribus adoretur. Quod nonnulli etiam Chriſtianos adeo religioſe ſe facere putant, ut priuſquam ad Beati Petri Apoſtoli Baſilicam, quæ uni Deo vivo & vero eſt dedicata, perveniant, ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum aræ ſuperioris aſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſe ſolem reflectant, & curvatis cervicibus in honorem ſe ſplendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis ſpiritu, multum tabeſcimus & dolemus: quia etſi quidam forte creatorem potius pulchri luminis, quam ipſum lumen, quod eſt creatura, venerantur, abſtinendum tamen eſt ab hujuſmodi ſpecie officii.* Hæc ille idcirco, ne quid commune cum Priſcillianiſtis atque Gentilibus fideles haberent. Vide Baron. tom. 1. anno Chriſti 58. nu. 86. Porrò gentiles ſolebant Diis primam horam nuntiare, quaſi iis matutinæ & primæ ſalutationes eſſent gratiſſimæ. Idem fores principum manè obſidebant, ut egredientibus obviam prodirent ac ſalutem precarentur, uti multis exemplis oſtendit Noſter Pineda in Job cap. 31. v.36. num.9.

Priſcillianiſtæ adorabãt ſolem Orientẽ.

INGRATI ENIM SPES TAMQUAM HYBERNALIS GLACIES TABESCET] s. Thom. 2. 2. qu. 107 art. 4. notat hac gnome ſignificari, quid ingratus pati mereatur, quidque juſto Dei judicio ſæpè illi accidat, ſcilicet ut ob prioris beneficii ingratitudinem, poſteriori, quod ſperat, privetur, eiuſque ſpe fruſtretur. Nam alioqui, inquit, fidelis & liberalis viri eſt benefacere etiam ingrato, niſi per beneficia fieret pejor & ingratior: tunc enim ad vitandum hoc malum ceſſandum eſt à beneficio. Probat exemplo Dei, qui benefacit ingratis aſſiduè, *dum ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, ac pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Lucæ 6. & Matth. 6. Confirmat & ratione, quia, inquit, fidelis debet tendere ad hoc, ut de ingrato faciat gratum, quod ſi facere nequit primo beneficio, fortè faciet ſecundò, tertiò, vel quartò, citatque Senecam lib. de Benef. cap.7. qui & cap. 5. cauſam ingratitudinis, quam tangit hic ſapiens, aſſignat dicens: *Memoria minimum tribuit, quiſquis ſpei plurimum.* q. d. Ideo ingrati ſunt immemores beneficii præteriti, quia toti ſunt pleni ſpe futuri; quia enim toti anhelant inhiantque novis donis, quæ aucupantur & ſperant, hinc obliviſcuntur præteritorum.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CAp. 15. oſtendit veram ſapientiam conſiſtere in cultu veri Dei, inſipientiam in cultu idolorum. Id cap. 16. probavit exemplo Aegyptiorum, quibus Deus aquas in ſanguinem vertit; ac Hebræorum, quos velut ſui cultores Deus in ſiti aqua de petra potavit, ac in fame coturnicibus & manna cæleſti cibavit; nunc idipſum pro-

sequitur & demonstrat per aliam Aegypti plagam, scilicet tenebrarum, quæ ordine fuit nona, in qua Hebræi fruebantur clara luce, Aegyptii verò degentes in densis tenebris variis spectris, atque ac timoribus exagitabantur. Graphicè ergò depingit tenebras Aegyptiacas, ac terrores malæ conscientiæ.

1. MAgna sunt enim judicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinatæ ani-
mæ erraverunt. 2. Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ: vinculis
tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt. 3. Et
dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrendè,
& cum admiratione nimia perturbati. 4. Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodie-
bat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes pavorem illis præsta-
bant. 5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare
poterant illam noctem horrendam. 6. Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus: & timore
perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur: 7. & magicæ artis
appositi erant derisus, & sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia. 8. Illi enim qui promittebant timo-
res & perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant. 9. Nam etsi
nihil illos ex monstris perturbabat: transitu animalium et serpentium sibilatione commoti, tremebundi
peribant: et aerem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre. 10. Cùm sit enim timi-
da nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia.
11. Nihil enim est timor nisi proditio cogitationis auxiliorum. 12. Et dum ab intus minor est expectatio,
majorem computat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat. 13. Illi autem qui impotentem
verè noctem, & ab infimis, et ab altissimis inferis supervenientem, eundem somnum dormientes, 14. ali-
quando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus enim il-
lis et insperatus timor supervenerat. 15. Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere
sine ferro reclusus. 16. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus
esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem. 17. Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati, Si-
ve spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium,
18. aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugentium
valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo; deficientes faciebant illos præ timore.
19. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, et non impeditis operibus continebatur.
20. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat. Ipsi er-
go sibi erant graviores tenebris.

Vers. 1. MAGNA ENIM SUNT JUDICIA TUA DOMINE, ET INENARRABILIA VERBA TUA: PROPTER HOC INDISCIPLINATÆ ANIMÆ ERRAVERUNT] Græcè: *Magna enim tua judicia, & narratu difficilia: propterea imperitæ animæ in errorem inductæ sunt*, q. d. Judicia tua Domine, quibus fideles tuos Hebræos bonis, v. g. coturnicibus & manna cumulasti, infideles verò Ægyptios malis, v. g. aquis sanguineis cruciasti, sunt alta & arcana, ideoque inenarrabilia sunt *verba*, id est, opera tua jam dicta, quæ verbis tuis, putà jubendo dumtaxat effecisti, ideoque imperitæ animæ, quales erant Ægyptiorum, dum superbè volunt ea scrutari & comprehendere, in errorem inductæ sunt. Nam æstimarunt hæc, vel casu, vel natura, vel fato fieri, non libera Dei providentia & vindicta, ideoque Deo se opposuerunt, nec Hebræos, uti ipse jubebat, voluerunt dimittere. Quocirca in graviores pœnas ab eo inflictas, putà tenebrarum, imprudentes inciderunt. Hunc esse sensum liquet ex iis, quæ sequuntur.

Vers. 2. DUM ENIM PERSUASUM HABENT INIQUI, POSSE DOMINARI NATIONI SANCTÆ, VINCULIS TENEBRARUM ET LONGÆ NOCTIS COMPEDITI, INCLUSI SUB TECTIS, FUGITIVI PERPETUÆ PROVIDENTIÆ JACUERUNT] Describit novam Ægypti plagam, quæ fuit densissimarum tenebrarum. q. d. Dum iniqui Ægyptii putarunt se invito Deo posse dominari genti sanctæ, id est, populo Dei, ejusque cultui dicato, putà Hebræis, tenebris nocturnis velut vinculis constricti, domorum suarum tectis inclusi, velut extorres & alieni à Dei providentia, quasi vincti & incarcerati jacuerunt. Unde Lucifer pro S. Athanas. legit: *Vincti tenebrarum catenis, & longa nocte compediti*. Erant enim hæ tenebræ horribiles adeoque densæ, ut viderentur palpabiles, idque per tres dies. Unde tunc: *Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco suo, in quo erat: ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat.* Exodi 10.22. ubi fusè de hisce tenebris egi: quare ibi dicta hic non repetam. Addit Philo lib. 1. de Vita Moysis, Ægyptios hoc tenebrarum triduo adeò fuisse perculsos, ut nec loqui, nec audire, nec comedere possent, sed per silentium fame cruciatos non nisi de tenebris cogitasse. Sic qui habitant sub polo arctico, continuam habent noctem ab æquinoctio verno usque ad æquinoctium autumnale, putà à die 21. Martii usque ad diem 23. Septembris, uti testatur Plinius lib. 2. cap 7. Solinus cap. 20. & 24. S. Isidor. lib. 1. Orig. cap. 6. Olaus Magnus in Historia Septentr. Id ad oculum in sphæra demonstrat Noster Clavius.

INCLUSI SUB TECTIS] Septuag. & Philo habent *sub lectis*, quasi toto hoc triduo Ægyptii non ausi fuerint surgere è lectis: qui enim timent, in lectis tutiores se æstimant.

Fugitivi providentia quî? Resp. primò. FUGITIVI PERPETUÆ PROVIDENTIÆ] Græcè φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας, id est, *exules à perpetua providentia*. Vatabl. *ab æterna providentia profugi*. Primò, Noster Lorinus sic exponit, q. d. Ægyptii, cùm se putarent posse fugere Dei providentiam & vindictam, ab ea velut rei servique fugitivi comprehensi, tenebrarum velut catenis constricti, quasi in carcerem compacti sunt.

Secundò. Secundò, Jansen. q. d. Ægyptii in tenebris jacuerunt quasi fugitivi, id est, destituti & exules à providentia Dei, quæ perpetuò homines per solem illuminet. Sic & à Castro: Fugitivi, inquit, hoc est expulsi ac profligati à Dei providentia, quæ per singulos dies homines visitat solis claritate, qua toto illi triduo caruerunt.

Tertiò. Tertiò, Petrus Nannius q. d. Ægyptii in tenebris fuere fugitivi, id est, ignari & expertes æternæ providentiæ, ac ab ejus cognitione relegati, utpote de cujus oculis & aspectu malè sentiebant. Negabant enim Dei veri Numen, providentiam & vindictam. Unde explicans subdit: *dum putant se latere in obscuris peccatis*. Omnia hæc huic loco congrua & apposita sunt.

Hinc Tropol. Cantacuzenus: Fugitivi, inquit, perpetuæ providentiæ sunt, qui contemnunt mandata Dei, perpetuam habentis rerum omnium providentiam.

JACUERUNT) Ita Roman. & Græca. Perperam ergo nonnulli legunt *placuerunt*; alii, *latuerunt*, in quibus proinde interpretandis frustra desudant S. Bonaventura, Hugo, Lyranus, & Dionysius.

Vers. 3. ET DUM PUTANT SE LATERE IN OBSCURIS (Græcè ἀφεγγέσιν, id est, *occultis*) PECCATIS, TENEBROSO OBLIVIONIS VELAMENTO DISPERSI

PERSI SUNT, PAVENTES HORENDE, ET CUM ADMIRATIONE NIMIA PERTURBATI] Græcè καὶ ἰνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι, id eſt, *& phantaſmatibus vel ſpectris conturbati*. Senſus eſt, q. d. Quia Ægyptii multa in tenebris ſcelera, ut ſacrificia dæmonum, ait Cantacuzenus, de quibus cap. 14. 23. perpetrabant, hinc congruè tenebris denſiſſimis puniti ſunt, q. d. eis Deus: Tenebriores eſtis, lucifugæ eſtis, tenebras ambitis, tenebras quas amaſtis accipite: Lucem fugitis, fugiat ergo pariter lux à vobis. Tenebras Ægyptiacas vocat tenebroſum λήθης, id eſt, oblivionis velamentum: quia illæ Ægyptios eorumque oculos velabant, ut invicem non viderent, ac metu perculſi ſuorum etiam parentum, filiorum, uxorum, fratrum obliviſcerentur, cùm de ſe ſuaque ſalute quiſque eſſet ſolicitus & anxius; hinc diſperſi & ſeparati ab invicem toto tenebrarum triduo manſerunt. Exodi 10. 23.

Rurſum, hæ tenebræ velabant Ægyptios, ut à Deo per ſolis radios non aſpicerentur, utpote qui Dei ejuſque providentiæ ignorantia, velut cæcitate velatos habebant mentis oculos. Notat ergo hic triplex: Primò B

Triplex velamen. Dei, quo Deus ſolem ſuam velabat, ne Ægyptios aſpiceret vel ab eis aſpiceretur. Secundo Ægyptiorum, quo tenebris velatos habebant oculos. Tertiò peccati, quo Ægyptii non credentes Dei providentiam, & impunè peccantes, infidelitate & ſceleribus velabant animi oculos.

Porrò Petrus Nannius, τῆ λήθης, accipit ut nomen proprium, ſignificans Lethen fluvium inferni, quicò deſcendentibus omnium rerum oblivionem inducere perhibetur: Unde vertit: *Obſcuro Lethes operculo*, quia

Lethe fluvius. in ſequentibus v. 13. aſſerit Sapiens noctem illam ex ᾅδου, id eſt, orci penetralibus emerſiſſe, quaſi illa caligo verè umbra mortis extiterit, & ex nebulis Lethes contexta fuerit: unde ex Græco Lethe Latini Lethum, id eſt, mortem deducunt, in qua eſt ſumma caligo & rerum omnium oblivio, tam activa, quàm paſſiva. Morientes enim obliviſcuntur omnium, & viciſſim ab omnibus oblivioni traduntur. Cenſet ergo Nannius, ſapientem hic alludere ad Lethen fluvium, quem apud inferos eſſe Poetæ tradiderunt, cujus aquas ſi quis guſtaverit, C illicò omnium rerum præteritarum obliviſcitur. Hinc ἀπὸ τῆς λήθης, id eſt, ab oblivione nomen habet. Datus eſt huic fabulæ locus, quia morientibus omnium rerum oblivio ſurrexit. Conſtat autem Lethen fluvium extare in Africa circa extremum Syrtium cornu, ac Berenicem urbem alluere: ſed apud omnes fama eſt, ad ea loca ex inferna inundatione prorumpere. Unde Lucan. lib. 6.

Quem iuxta Lethes tacitus prolabitur amnis,
Infernis (ut fama) trahens oblivia venis.

Sic ſenſus erit, q. d. Ægyptii Cimmeriis hiſce tenebris adeò erant obuelati & obcæcati, ut omnium rerum obliti, ex Lethęo inferni amne oblivionem ipſam potaſſe viderentur. Unde Apulenſ. in Exodi cap. 10. ait, Ægyptios ſumma caligine circumfuſos anima, memoria, & imaginatione perturbatis, nec ubi eſſet cibus, nec ubi potus, nec ubi menſa, aut ſedes, vel quid ſimile recordari potuiſſe.

DISPERSI SUNT] Non quod Ægyptii vagabundi oberrarent quærentes lucem, nam præ pavore *nemo movit ſe de loco in quo erat*. Exodi 10. 23. ſed *diſperſi ſunt*, D id eſt diſiuncti & ſeparati ab invicem manſerunt, ut nemo alium adire, iuvare, ſolari poſſet, nec viciſſim ab eo opem vel conſolationem in tanto metu accipere. Nam *nemo vidit fratrem ſuum*. Exodi 10. 23.

PAVENTES HORRENDE] Tum ob tenebras, tum ob ſpectra, de quibus mox ob utraque enim ita erant pavida & conſternati, ut neſcirent quo ſe verterent, imò nec loqui nec hiſcere auderent, nec de cibo potu, veſte, aliave re cogitare poſſent. Ita Apulenſis in Exodi 10. q. 2.

CUM ADMIRATIONE NIMIA PERTURBATI] Græcè eſt, ἰνδάλμασιν, id eſt, ſimulacris, viſis larvis, phantaſmatibus, ſpectris conturbati: quibus ita percellebantur, ut ab iis ſenecandos putarent, ſi loco ſe moverent, ac deteriora quæque in ſingula momenta formidarent & exſpectarent. Unde *admiratione nimia*, ut vertit noſter, id eſt, ſtupore & conſternatione inſolita, *perturbati*, videbantur attoniti & mentis impotes.

Quænam fuerint hæc ſpectra in ſequenti explicat. Porrò ſpectra hæc partim pariebat pavor & ſcelerum con-A ſcientia, hæc enim, æquè ac pavor, triſtes vehementesque imaginationes menti obiicit, adeò ut pavidus eas ſibi auribus audire & oculis cernere videatur; partim ea immittebat eis Deus per angelos vel dæmones.

NEQUE ENIM, QUÆ CONTINEBAT ILLOS SPELUNCA, SINE TIMORE CUSTODIEBAT: QUONIAM SONITUS DESCENDENS PERTURBABAT ILLOS, ET PERSONÆ TRISTES ILLIS APPARENTES PAVOREM ILLIS PRÆSTABANT) Vatabl. *Neque enim latebra, quæ continebantur, ſecuros reddebat ipſos, ſed ſonitus pavore percellens eos circumſtrepebat, larvæque triſti aſpectu truces offerebantur*; alii, *ſpectra triſtia mœſtis vultibus apparebant*. Pro *ſpelunca*. Græcè eſt, μυχὸς, id eſt, latebra, receſſus, penetrale, intima pars domus vel loci, quale eſt cubile & lectus, in quo attonitos iacuiſſe Ægyptios docet Philo, & Septuag. Exodi 10. 23. Adde, quivis locus abditus & obſcuras per catachreſin vocatur ſpelunca, quia ſpelunca ob ſuas cavitates, & cavernas, ſummè eſt abdita & obſcura; unde illud Poetæ: *ſpeluncis abdidit atris*, id eſt, obſcuris & profundis; profunda enim ſunt obſcura, & obſcura videntur eſſe atra & nigra. Eſt metalepſis. Non ergo Ægyptii fugerunt ad ſpeluncas propriè dictas, ut vult S. Bonavent. cùm nemo auſus fuerit ſe loco movere, uti dicitur Exodi 10. Simili ſchemate v. 3. hæc cubicula & loca Ægyptiorum, ob tenebras & pavorem vocavit carcerem. Adde initio tenebrarum ſenſim lucem adimentium & increſcentium, aliquos ex metu fugiſſe ad antra & ſpeluncas, ibique terrificis ſonis & ſpectris magis fuiſſe perculſos ob loci horrorem. Ita à Caſtro. Vers.24.

QUONIAM SONITUS DESCENDENS PERTURBABAT EOS) Græc. ἦχοι δὲ καταράσσοντες αὐτοὺς περιήχουν, id eſt, ſonitus autem perturbantes eos circumſtrepebant, vel cum impetu & fragore (quales edit, aqua ex apertis fractiſque cataractis impetuosè erumpens) ipſis obſtrepebant, vel ſoni cum vehementia decedentes & percellentes ſtrepebant circum eos; hoc eſt, fragores inſtar tonitrui circumſtrepebant & terrorem incutiebant: Videbatur enim eis, quod tonitru ex alto eos feriret, quodque Deus fulmina in capita eorum vibraret. *Soni percellentes qui?*

ET PERSONÆ TRISTES ILLIS APPARENTES) Græcè φάσματα, id eſt, viſiones, apparitiones, ſpectra, larvæ mœſtis deiectiſque vultibus triſtes & truces eis offerebantur, quæ phaſmata, ſive phantaſmata valde augebant terrorem tenebrarum Ægyptiorum: licèt enim hæ eſſent denſiſſimæ, ut viſionem omnem impedirent; tamen in iis ſubinde intermicabat ignis, ut ſequitur v. 7. cujus lumine ſpectra ab Ægyptiis conſpici poterant. *Spectra Ægyptiorum quæ?*

Porrò perſonæ hæ & ſpectra, non ſolùm imaginaria erant, ut vult Dionyſ. & S. Bonavent qui dæmones hominesque defunctos cenſet obiectos phantaſiæ Ægyptiorum; ſed & realia, quæ oculis corporis cernebantur, non tantum noctu in ſomnis, ſed & per diem in vigilia, uti docet Apulenſ. Exodi 10. qui cenſet tenebras has vocari horribiles, propter horribiles umbrarum & larvarum viſiones. Rurſum ſpectra hæc videntur fuiſſe infantium Hebræorum, quos iniuſtè Ægyptii in Nilo merſerant; grandium quoque iuvenum & virorum, quos iidem nimiis laboribus, flagellis, & iniuriis occiderant; item dæmonum, quos in idolis ſuis variis larvis & formis colverant, uti Apin ſpecie vituli, Anubin ſpecie canis, Hammonem ſpecie arietis, &c. iuſtè ergo laruis puniti ſunt, qui infantes occidendo, animas eorum in umbras & larvas tranſire putaverunt, ac larvas dæmonum venerando adorarunt. Inſuper laruæ hæ ſæpè ab angelis vel dæmonibus effinguntur, ſubinde tamen ſunt ipſæ animæ defunctorum exiſtentes in purgatorio vel inferno, quæ à Deo ſinuntur egredi & apparere vivis, ad eorum vel admonitionem vel caſtigationem uti dixi cap. 2. v. 5. ad illa: *Non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis*. Denique umbræ & ſpiritus, qui apparent, maximè ſolent eſſe eorum, qui fuere tyranni, violenti, pauperum oppreſſores, in parentes impii, aut crudeliter occiſi, aut miſerè in fraudem inducti & ſeducti, uti multis exemplis deprehenſum eſt. Vide noſtrum Delrio in Magicis, & Thyreum in viſionibus. *Animæ apparentes quorum?*

Nota, hic multa ſupplet Sapiens, quæ Moyſes tacuit in Exodo. Primò, enim harum larvarum Moyſes non meminit. Secundò, v. 16. ait Sapiens, ignem in tenebris intermicantem perſtrinxiſſe & perculiſſe Aegyptios, de *Multa ſupplet hic Sapiens.*

quo altum est in Exodo silentium. Tertiò, v. 9. ait sibilos serpentum, & strepitus fremitusque bestiarum (de quibus nil habet Moyses) mirè exterruisse Aegyptios in densis tenebris pavidos, præsertim cùm earum rerum causam ignorarent, ut v. 13. habent Græca. Unde per catachresin tenebras hasce v. 2. & 18. vocat catenam: adeò enim per eas terrebantur, ut nemo se loco movere auderet: perinde ac si catena fuisset vinctus. Timor enim homines & animalia ita obstupefacit, ut movere se nequeant, sed quasi stupefacti & attoniti consistant immobiles, quia in timore calor & spiritus animales, qui motus sunt causa, recipiunt se à cerebro ad cor, ut illud velut sedem roborent & muniant: quare cerebrum iis ad motum & sensum, uti vix potest. Porrò eò major Hebræis erat consolatio & gaudium quòd eodem tempore in clarissima luce degerant, ut dicitur v. 19.

Timor facit stupidos. Cur?

Vers. 5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam) Græcè στυγνὴν, id est, tristem, molestam, mœstam, odiosam, terribilem, tum ob densitatem tenebrarum earumque continuationem per tres dies, tum propter spectra horrenda tenebris sese immiscentia. Aben Ezra & Caiet. in Exodi 10. per ignem accipiunt lucem cælestem solis & stellarum, de quibus sequitur, q. d. Ægyptiis lucem dare non poterat sol, luna, & stellæ; eisdem tamen domi lucem præbebant candelæ & lucernæ, ad quas edere, bibere, operari, & ambulare poterant. Verùm hoc contortum & violentum est. Quare propriè accipiendus est ignis, uti accipiunt ceteri interpretes, q. d. adeò densæ Ægyptiis erant tenebræ, ut nullæ faces, nullæ tedæ, nullæ lucernæ, nulli ignes sua vi, græcè βία, id est, violentia (ignis enim vis est violenta, & violenter omnia illuminat & inflammat) posset eas dispellere vel illuminare, cùm quia Deus eis concursum suum, qui necessarius est ad agendum & illuminandum, subtrahebat; tum quia, ut ait Philo lib. 1. de Vita Moysis: *Ignis, quo quotidie utimur, splendor vel aere turbato extinguebatur, vel vincebatur a crassissimis tenebris, ita ut salvis oculis, summè necessarium videndi sensum, tamquam exoculati requirerent.* Ubi nota, omnis lux terrestris est mixta igni, imò ex eo prodit velut ejus dos & proprietas; quare lux candelæ, lucernæ, facis, &c. revera ignis est lucidus, sive lucens. Idem multi sentiunt de luce cælesti solis & stellarum, uti dixi Eccles. 43. 3. unde sapiens hic vocat limpidas siderum flammas.

Neque stellarum) q. d. Uti nullus ignis terrestris, sic nulla lux cælestis Ægyptiis lucem dare poterat, ob causas jam dictas. Unde pro *neque poterant*, græcè est, οὐκ ἐνίσχυον, id est, *non sustinebant, non audebant*, scilicet contra Deum niti, & tam arduum opus aggredi, ut tam densas tenebras ab eo inductas dispellere præsumerent. Creatura enim creatori obniti & reluctari non audet, nec valet. Unde Philo: *Serena*, inquit, *die repentè offensa sunt tenebræ, continuis densisque nubibus cælum subtexentibus, & nimia constipatione interclusis radiis siderum ut dies nil differet a nocturna caligine tantus enim fuit horror, id est, densitas aeris caliginosi, ut non admitteret lumen siderum propter horrendam crassitiem.* Justè Ægyptii omni luce cælesti privantur, qui lucem divinæ cognitionis in Moyse & Hebræis extinguere satagebant, uti docet cap. 18. 4.

Allegor. hæ tenebræ Ægyptiacæ viva erant imago, adeoque præludium tenebrarum inferni. Ita Hugo. Tropol. verò significabant cæcitatem mentis in malo obstinatæ, ait Origen. in Exodi 10. v. 23. quam nec ignis beneficiorum Dei, nec focus gehennæ, nec flammæ concionum, nec sidera inspirationum discutere, aut illuminare valent. Pro *limpidæ flammæ*, græcè est, ἔκλαμπροι φλόγες, id est, *splendidæ* fulgidæ, illustres *flammæ*, ita vocat radios solis & stellarum, quia flammarum habent speciem æquè ac vim illuminandi & calefaciendi; unde Plato eum sui censuit stellas verè esse ignes, quē secutus Poeta:

Vos, inquit, *æterni ignes* (id est sidera) *& non violabile numen*
Testor.

Vers. 6. Apparebat autem illis subitaneus ignis timore plenus: et timore perculsi illius, quæ non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur] Ita Græca & Roman. Perperam ergo multi in fine legunt negativè, *quæ non videbantur*. Sensus est, q. d. Cùm nullus ignis terrestris, nec ulla lux stellarum Ægyptiis posset dare lucem, quæ eis voluptatem facultatemque comedendi, ambulandi, & operandi afferret; Deus tamen immittebat eis intermicantes ignes quasi fulgetra, non ad voluptatem, sed ad terrorem, scilicet ad hoc ut spectra horrenda, quæ ipse submittebat, ignis hujus luce videre & spectare possent. Unde *timore perculsi eius, quæ non videbatur*, scilicet plenè & perfectè (utpote impedientibus tenebris) *faciei*, putà spectrorum, *æstimabant deteriora esse, quæ videbantur*. q. d. Cùm spectra hæc imperfectè, & quasi dimidiatè tantùm, se, suasque facies ostentarent Ægyptiis, ipsi spectra hæc, quæ videbant, æstimabant in se esse deteriora, quàm oculis videbantur; putabant enim aliqua peiora, quæ non videbant quasi abscondita latere sub iis, quæ videbant. Id faciebat horror & metus: hic enim semper deteriora, quàm à parte rei sint, apprehendit, metuit & auguratur, uti videre est in meticulosis & hydrophobis, qui phlegmate frigido abundantes umbras, imo omnia tuta timent, v. g. ne domus ruat, ne flumen eos abripiat, ne quod animal eos invadat & lanet, &c.

Pro *apparebat autem illis subitaneus ignis*, græcè est, διεφαίνετο δ' αὐτοῖς μόνον αὐτομάτη πυρά, id est, *apparebat autem illis solis* vel *solùm spontanea pyra*: ubi singula verba habent Emphasin, & novam terroris causam ingerunt. Primò enim, διεφαίνετο, id est, apparebat, interlucebat, intermicabat, translucebat, significat ignem hunc obiter & in transcursu inter tenebras emicuisse, instar coruscationis & fulguris & mox disparuisse, ac post modicum subitò & inopinatò rursus coruscasse; itaque hac sui ostentatione & disparitione continuum Ægyptiis pavorem incussisse. Fulgura enim & fulgetra mirè homines percellunt. Rursum ignem hunc non è longinquo uti fulgura, sed è vicino apparuisse, ita ut Ægyptiorum propè afflaret oculos, ac penè adureret.

Secundò, τὸ *solum* notat Ægyptios solos hæc vidisse, non Hebræos, rursum nil nisi fulgura cum spectris Ægyptios aspexisse, quoad reliqua verò fuisse densissimas tenebras, quæ omnia simul juncta terrorem augebant: Nam & fulgura in tenebris magis exhorrescimus, quàm in lumine.

Tertiò, τὸ αὐτομάτη, significat coruscationem hanc fuisse fortuitam, spontaneam, casualem, improvisam, sine prævia causa vel impulsu. Improvisa autem mala magis terrefaciunt: prævisa enim tela minùs feriunt.

Quartò, πυρὰ significat ingentem fuisse hunc ignem, adeo ut pyram, id est, ingentem acervum ignium collucentium efficerent, quæ eis omnium rerum incendium comminabatur. Pyra enim hæc erat fulminea, adeoque non aliud, quàm conglobata fulmina esse videbatur. Unde meritò metuebant, ne fulminibus hisce afflarentur & necarentur, sicut fulmine afflatus fuit Simeon Stilitæ vir miræ orationis, teste Joanne Mosco in Prato spirituali c. 57

Et timore perculsi ejus, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur] Pro *facies*, græcè est, ὄψεως, id est, *visionis*, hoc est rei visæ, putà ignis qui videbatur, & facierum sive spectrorum, quæ per ignem videbantur. Unde Græca ad verbum habent: *Exterritè verò non visa* (plenè scilicet & perfectè) *illa visione putabant peiora, quæ cernebantur*, q. d. magis terrebantur Ægyptii ex eo, quòd ignem & spectra non plena, sed sub obscura facie & superficie viderent: unde putabant ea deteriora & horribiliora esse, quàm revera erant, quia imaginabantur sub visis occultari alia majora, quæ sese videnda non præberent, è quibus sibi damna gravissima, imò mortem & exitium imminere paventes augurabantur, maximè verò timebant, ne larvæ & spectra eos invaderent & enecarent. Unde Cantacuzenus exponit, eos ignem hæc spectra ostendentem ita exhorruisse, ut mallent esse in densis tenebris, quàm in luce tam formidabili, totque spectris horrenda.

Nota τὸ εἶναι, *quæ non videbatur faciei*. Solent enim umbræ & spectra faciem habere umbrosam, atram, obscuram, ac sæpè veste aut velo obtectam instar lugentium: imò subinde non nisi per tenuem umbram sese videnda exhibent, quin & sine umbra, sive facie & specie, solo motu, strepitu, aut voce se auditui obiiciunt, ita ut non videantur

deantur sed audiantur dumtaxat, uti sese exhibuit umbra Samuelis videndam Pythonissæ, sed audiendam dumtaxat Sauli. 1. Reg. 28. 14.

Vers. 7. Et magicæ artis appositi erant derisus, et sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia] Græcè μαγικῆς δὲ κατέκειντο ἐμπαίγματα τέχνης, id est, *magicæ autem artis ludibria iacebant*, vel significantiùs *apposita erant* q. d. Non tantùm magicæ magorum Pharaonis artes ad avertendas tenebras, ceteraique plagas à Deo per Moysem Ægypto inflictas *iacebant*, id est, infirmæ erant & invalidæ ad eas avertendas, sed & in derisum appositæ & expositæ sunt; ac in ludibrium abierunt. Deus enim irrisit magiam Ægyptiorum hoc tenebrarum timore, & hisce earum spectris, quæ magi omni sua arte & dæmonum ope, nec à se nec ab aliis depellere potuerunt; quare ipse Pharao, ceterique Ægyptij magos velut impotentes & fallaces obiurgarunt, & irriserunt, teste Iosepho libr. 2. Antiq. ca. 5. vel iuxta aliam sectionẽ 13. ipsique magi cum ceteris Ægyptiis in tenebris hisce & spectris trepidationem & pavorem, quem dissimulare & tegere non valebant, præ se ferentes, ridiculos sese præbuerunt cuivis aspicienti, utpote qui superbè iactassent se per magiam omnia Moysis opera thaumaturga, instar telarum araneæ discussuros, ita se explicat. Sapiens dum subdit: *Illis enim qui promittebant timores expellere se ab anima languente, hic cum derisu pleni timore languebant*. Quocirca hic propriè non agitur de tertia Ægypti plaga, quæ fuit Sciniphum, licèt id nonnulli velint, in qua victi magi, cùm eas instar Moysis producere non possent, suam imbecillitatem confiteri coacti exclamarunt: *Digitus Dei est hic*, Exodi 7. v. 19. sed agitur hic de nona plaga tenebrarum & spectrorum, quæ mirum non solùm Ægyptiis, sed & magis ipsis incussit terrorem, itaque ipsos cum magia deridiculos ostendit, omnibusque risu & cachinno exsibilandos proposuit. Igitur ex hoc loco constat magos Pharaonis, licet tertio sciniphum signo à Moyse victos, non cessasse tamen Moysi obsistere, ideoque in nona hac tenebrarum plaga, cùm per magiam eam discutere vellent nec possent, ridendos sese omnibus exhibuisse, qua in re Magiæ suæ pœnas dederunt. Ita Cantacuzenus.

Huc accedit Vatabl. qui vertit: *Interim ludibria artis magicæ iacebant cum calumnia per iactantiam sapientiæ contumeliosa*. Et Iansen. qui sic explicat, q. d. Illæ magorum illusiones, quibus patrando eadem mira, quæ patrabat Moyses, illudebant Pharaoni ceterisque Ægyptiis contra Moysem, iam iacebant, id est, victæ succumbebant nec poterant Moysi resistere. Id significant Græca. Hic sensus verus est, at non adæquat, nec exhaurit fundum Script. quæ insuper asserit, artes magorum cum magis abiisse in derisum & ludibrium.

Secundò, Noster à Castro appositè sic exponit, q. d. Appositi erant derisus, id est, ludibria, illusiones & præstigiæ aderant; larvæ enim & spectra ludificabant, & perstringebant oculos magorum & Ægyptiorum, ut putarent se videre horrenda, quæ revera non videbãtur hisce ergo ludibris oculi magorum, inani & falsa specie rerum capti tenebantur, idque congrua talionis pœna, ut scilicet hisce spectris illuderentur illi, qui suis imposturis alios deluserant, ac præstigiis præstringerentur ipsi præstigiatores. Digreditur hic Holcot lect. 189. ut ostendat magicis artibus addictos rideri, non tantùm à Deo, angelis, & hominibus, sed & ab ipsis suis dæmonibus.

Et sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia] id est, contumeliosa *correptio*, vel redargutio *gloriæ*, id est, gloriationis *sapientiæ*, id est, de sapientia, repeto *apposita erat*, q. d. Magi gloriabantur & iactabant se potentiores esse, quàm erat Moyses & Deus Hebræorum: dictitabant enim se nosse magiam, id est, artem magis arcanam & mirificam, quã non norat Moyses: sed Deus per Moysem hanc inanem & superbam gloriationem magorum corripuit, & redarguit cum eorum dedecore & contumelia, dum eis tantum per tenebras & spectra terrorem incussit, ut expallescerent & contremiscerent; à quo omni sua arte magica se liberare, & expedire non valuerunt: quare suo malo didicerunt omnem suam magiam nil valere contra Dei virtutem; nec suas artes posse amoliri supplicium, quo premebantur.

A Hunc esse sensum, liquet ex Græco, qui habet: καὶ τῆς ἐπὶ φρονήσει ἀλαζονείας ἔλεγχος ἐφύβριστος, quod Complut. vertunt: *Et imprudentia iactantia correptio contumeliosa*. Vaticani: *Et iactantia de sapientia* (Iansen. *de prudentia*) *erat correptio cum contumelia*. Clarè Clarius: *Et arrogantis iactantia correptio cum contumelia*. Nam *ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia ubi autem est humilitas, ibi & sapientia*. Proverb. 11. 2.

Pro *correptio*, græcè est, ἔλεγχος, id est, redargutio stringens, ratio convincens, demonstratio ostendens vitium & falsitatem; Pavor enim & tremor magorum ad oculum eos redarguebat, eorumque infirmitatem & fallaciam omnibus ostendebat.

Illi enim, qui promittebant timores et perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant] Græcè: *Hi ridiculo timore languebant*; alij, *Hi eodem timoris morbo ridicule afficiebantur*; Vatabl. *Iidem ridicula formidine laborabant*. Minus rectè Cantacuzenus vertit: *ridicula re-* Vers. 8.
B *ligione*, vel potius *reverentia* (hanc enim significat ἀηδίᾳ) *laborabant*: q. d. Magi, ut suam infirmitatem tegerent, dicebant se religione & iussu suorum Deorum prohiberi, ne obsisterent Moysi. Hoc enim dicere erat ridiculum, cum Moyses unius veri Dei cultor Ægyptios cum omnibus suis Diis ad certamen provocaret, & per tot plagas oppugnaret, ac expugnaret. Sensus ergo est, q. d. Magi promittentes se tenebras cum spectris, indeque natos timores penitus depulsuros, hi ipsi iisdem timoribus percellebantur, ut pavidi, anxij, pallidi, tremuli, nescirent quò se verterent. Vocat *ridiculum timorem*, quia timebant umbras & spectra rerum, quæ revera non erant, nec re ipsa extabant, uti pueri percelluntur inani umbrarum metu, iuxta illud psal. 52. 6. *ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor*.

Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium et serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant, et aerem, quem nulla ratione quis effugere posset, negan- Vers. 9.
C tes se videre] Pro *nihil ex monstris*, Noster cum Regiis legit, οὐδὲν τερατῶδες, id est, *nihil monstrosum*: sed Complut. & Vatican. legunt, οὐδὲν θορυβῶδες, id est, *nihil turbulentum* vel terrificum; unde vertunt: *Et si nihil illos terrificum terruisset*: Sensus eodem redit, q. d. Etsi à parte rei esset monstrosum vel terrificũ, quod Aegyptiis terrorem incuteret, tamen cùm in tenebris audirent voces, & sonitus animalium transeuntium ad quærendum pabulum, ac præsertim serpentium præ fame & tenebris sibilantium, trepidantes penè examinabantur; adeo ut nec aerem inevitabilem, quem scilicet nemo vitare potest, vellent vel auderent respicere, sed eum velut monstris spectrisque plenum horridumque refugerent, optantes in antris abdi & claudi. Qui enim timore percelluntur, fugiunt videre & videri, adeòque cælum, aerem, & terram oculis aspicere metuunt & horrent. Est metonymia & catachresis. Aer enim, quia subtilissimus, propriè aspici & videri nequit; dicuntur tamen timidi eius aspectum refugere; tum quia ea, quæ in aere visibiliter fiunt, uti spectra & monstra, videre nolunt;
D tum quia aerem ipsum vitare cupiunt, angulosque & latebras quærunt, quibus se à rebus terrificis, quæ in aere fiunt, subducant & abscondant.

Cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis] S. Gregor. 27. Moral. cap. 18. legit *condemnationis*. Complut. & Vatican. *condemnata*; alij. *Data est in omninmo condemnationem* alij, pro μαρτυρεῖ, id est, *dat testimonium*, legentes μάρτυρι, id est, *teste*, vertunt: *proprio teste condemnata*. Græca enim addunt, ἰδίως, vel ἰδίῳ, id est, *propriè* vel *proprio* quo caret vulgata. Omnia hæc eodem redeunt, ac significant nequitiam, id est, pravam sceleratamque conscientiam esse timidam pavidamq; ac timere ultionem pœnasque scelerum etiam ubi nullæ sunt eò quod ipsa agnoscat, sibique testificetur se esse ream, ac obnoxiam condemnationi, ideoque mereri pœnas, quas timet & expavescit. Ipsa ergo nequam conscientia, velut testis & iudex hominem condemnat. Nam tacita confessione mutaque voce clamat, ac reo occlamat; tu talia & tanta scelera perpetrasti; ergo mereris talia Vers. 10.

& tan-

& tanta supplicia, quæ sine dubio Deus tibi irrogabit, & fortè nunc in hisce, tenebris & terroribus irrogare destinavit. Hinc Syrus vertit: *Quoniam malitia eorum testatur de illis, & condemnat eos; quia fecerunt mala.* Arabicus: *Quia malum est proprietas fraudis, qua testatur illi, & iudicat de eo.*

Huic gnomæ affines sunt illæ: *Nocens metuit pœnam, innocens nec casum. Nec spina bonos lædit, vel mus improbum. Mali principij malus finis. Nocens se iudice numquam absolvitur.* Moral. disce hic quanta sit vis conscientiæ, utpote quæ hominem beatum vel miserum efficiat.

Gnome timoris impiorũ. Audi S. Ambros. libr. 1. Offic. *Non*, inquit, *secundum forensem abundantiam æstimanda est beatitudo singulorum, sed secundum interiorem conscientiam, quæ innocentium & flagitiosorum merita discernit, vera atque incorrupta pœnarum præmiorumque arbitra.* Et uberiùs D. Chrysost. hom. 1. in epist. ad Rom. *Animi*, inquit, *tranquillitatem & lætitiam non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quidquam rerum humanarum afferre consuevit, præterquam conscientia bona, quam certè qui puram habet, ut pannosus sit, ut cum fame luctetur, tamen tranquillior beatiorque est iis, qui inter delicias degunt.* Quocirca meritò exclamat Auctor serm. 10. ad fratres in Eremo apud S. Aug. *O conscientia sancta, in terra adhuc es, & in cælis habitas? Gaude ò anima sancta, sancta conscientia decorata, gaude cælesti & æterna gloria.* Vis exempla? accipe. S. August. lib. ad Secundinum Manich. cap. 1. *Senti*, ait, *de Augustino quidquid libet sola me conscientia in oculis Dei non accuset.* S. Gregor. Nazianz. Orat. 27. *In omnibus*, inquit, *rebus consiliarij loco rationem, Deique iustificationes habeo, à quibus plerumque etiam nullo accusante convincor, & rursus condemnantibus multis absolvor.* S. Bernard. ad Eugen. *Quid* inquit, *in terra quietius & securius bona conscientia? Damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ & ipsa morte magis erigitur quam deprimitur.* Denique S. Iob cap. 16. 20. bonæ conscientiæ testimonio in tot afflictionibus exultat: *Ecce*, inquit, *in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis.*

SEMPER ENIM PRÆSUMIT SÆVA (Græcè χαλεπὰ, id est, gravia, molesta, sæva, difficilia, aspera, acerba, dura & dira) PERTURBATA CONSCIENTIA] Nonnulli Codices addunt: *Frequenter enim præoccupant pessima redarguente conscientia*, sed id delent Roman. & Græca. Videtur enim esse alia versio, vel certè explicatio sententiæ iam dictæ. Arabicus vertit: *Et ille (impius) accipit semper res difficiles & perversas. Præsumit*, scilicet *timida nequitia*, quæ præcessit: hæc enim perturbatur & terretur à conscientia propria. Nam *conscientia*, hic est ablativi casus. Græcè est, συνεχομένη τῇ συνειδήσει, id est, contenta intra conscientiam, vel latens in conscientia, aut coniuncta conscientiæ, cuius vocem & testimonium sibi iugiter occlamãs nequitia, & nequam effugere nequit. Alij legunt, συνεχομένη, q. d. Malitia præsumit sæva, quæ malæ conscientiæ congruunt & conveniunt. Alij nervosiùs legunt, συνεχομένη τῇ συνειδήσει, id est, nequitia constricta, coarctata, vel compressa à conscientia; sicut reus constringitur laqueo, dum strangulatur & suffocatur: Simili enim modo conscientia nequitiam & hominem nequam coarctat, angit & strangulat: ἄγχω enim idem est quod strangulo, stringo, obstrictu gulæ coerceo, obtorto collo in vincula duco, præfoco, ango, constringo fauces sive guttur. Hoc noster secutus vertit: *perturbata à conscientia*, q. d. Nequitia & homo nequam ubique pavidus, semper timet sibi imminere scelerum pœnas, quia constringitur pavoribus conscientiæ, quæ illum suæ nequitiæ arguit, & ad pœnam condemnat. *Conscientia strangulat eorum.* Conscientia enim velut tortor nequitiam & hominem nequam, quasi rerum mille timoribus, angoribus, mœroribus, suspicionibus ceu laqueis constringit, coarctat, angustat, strangulat suffocat.

Pro *præsumit*, græcè est, προείληφε, id est, assumit, ad se sumit, sibi velut reo applicat, sibi repræsentat: item adiungit & auget, ut mala ingruentia maiora suspicetur esse quam reverà sint.

Noster videtur legisse, προλαμβάνει, id est, præsumit, præoccupat, antevertit, præsagit, præcognoscit, prævidit, anticipat animo & mente supplicium priùs, quàm reipsa inferatur & ingruat. Nam ut ait Plutarch. lib. de Tranquill. animi: *Facinorosa conscientia in anima instar est ulceris in corpore, utpote, quæ pœnitentiam relinquat lancinantem iugiter, pervellentemque animam.* Et in libro de Sera Numinis vindicta: *Malitia*, inquit, *coniunctum assiduoque ipsam torquentem ac affligentem gestat dolorem: quemadmodum enim flagitiosus quisque ultimo affligendus supplicio, corpore suo propriam fert crucem, ita improbitas ex se ipsa supplicium sibi struit, &c.*

Moraliter, quàm mala conscientia sit timida & pavida graphicè describit Iob: cap. 15. 21. dicens: *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur: Non credit, quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.* Et Salomon: *Fugit impius nemine persequente.* Prov. 28. 1. & S. Cyrill. l. lib. 11. in Ioan. cap. 32. *Magna quædam res conscientiæ certa stimulus est, qui quando perperam aliquid agimus, etiam nullo præsente ingenti nos metu exagitat.* *Mor. mala conscientia est timida Gnome.* S. Ambrosius verò li. 1. Offic. c. 12. *Peccator* inquit, *quamvis fortis abundet & deliciis diffluat, odoribus fragret, in amaritudine anima vitam exigit. Vita facinorosi, ut somnum, aperuit oculos, transivit requies eius evanuit delectatio, licet ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorũ requies inferno sit: viventes enim in infernum descendunt. Vides convivium peccatoris? interroga conscientiam eius, nonne graviùs fœtet omnibus sepulchris? Intueris lætitiam eius, opum abundantiam? introspice ulcera, & vibices animæ eius, cordisque mœstitudinẽ*, alibi: *Nihil est, quod tam summo dolori sit, quàm si unusque positus sub captivitate peccati, recordetur unde lapsus sis. Ita gravis culpa est conscientia, ut sine iudice se puniat, & velare se cupiat, & tamen apud Deum nuda sit.* Elegantissimè autẽ S. Chrys. hom. 1. de Lazaro, de divitis conscientia ita loquitur: *Explica mihi istius conscientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, ingem metum, tempestatem, turbationem. Videbis veluti in curia mẽtem ad thronum conscientia conscendisse regalem, & tamquam iudicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraque conscientia radentem ungulis, pro commissis vehementem inclamantem, cùm nemo sciat, nisi quod solus Deus hæc videre noverit.* Rem verò exemplo illustrans, sic prosequitur. *Etenim qui committit adulterium, etiam si millies fuerit dives etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus se ipsum accusare, & voluptas quidem temporaria est, dolor verò perpetuus. Timor undique ac tremor, suspicio & anxietas, angulos metuit, umbras ipsas formidat suos ipsos famulos conscios, inscios, illam ipsam, quam corrupit, & virum, quem affecit contumelia obambulat amaẽ accusatorem circumferens conscientiam, cum sit suo ipsius iudicio damnatus, nec vel ad breve tẽpus possit respirare. Idẽ patiuntur & qui rapinã exercent, & qui fraude lucrum faciunt, hoc & ebriosi, & summa quotquot in peccatis vivunt.* Porrò S. Augustinus in psalm. 45. *Inter omnes*, inquit, *tribulationes humanæ animæ nulla est maior tribulatio, quam conscientia delictorum.* Idem in psal. 36. conc. 2. *Quisque*, ait, *malus est, male secum est, torqueatur necesse est, sibi ipsi tormentum est: ipse enim est pœna sua, quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico quò potuerit, à se quò fugiet?* Denique Seneca licet Ethnicus: *Bona*, inquit, *conscientia prodire vult & conspici, ipsas nequitia tenebras timet. Prima, & maxima peccantium pœna est, peccasse, nec ullum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Proprium est nocentium trepidare.* Hæc ipse epist. 27.

Exempla. Exempla sunt in Adam & Eua, qui post peccatum audientes vocem Dei ambulantis per paradisum, pavidi absconderunt se. Genes. 3. In Caino, qui occiso Abele urgente conscientia: *Omnis*, inquit, *qui invenerit me, occidet me.* Gen. 4. 14. In fratribus Ioseph, qui ab eo durè accepti. *Meritò*, inquit, *hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Gen. 42. 21. Vide Senecam in Oreste, cuius furias ipse graphicè depingit. Et Ciceronem pro Roscio Amerino, ubi sceleratorum & scelerum furias graphicè pingit, flammas & faces describit. Ex adverso *charitas* (quã parit probitas probaque conscientia) *foras mittit timorem* 1. Ioan. 4. 18. Et: *Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.* Proverb. 28. 1. vide ibi dicta. Nam ut ait S. Gregor. l. 12. Moral. cap. 21. *Nil simplici corde felicius, quia quod innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi arcem quamdam fortitudinis, simplicitatem suam.*

Nec

Nec suspectus est pati, quod se fecisse nõ meminit. Unde benè per Salomonẽ dicitur: In timore Domini fiducia fortitudinis. Qui & rursũ ait. Secura mens quasi iuge conviviũ. Quasi enim continuatio refectionis est ipsa tranquillitas securitatis.

Verè S. Ambros. in Psalm. 39. *Quis*, ait, *puritate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suavior quam is, quem animus bene sibi conscij. & mens innocentis epulatur. Hinc illud: Secura mens quasi iuge convium* Proverb. 15. 15. vide ibi dicta. Nihil ergo timidius peccatore, nihil audacius iusto. Causæ sunt tres.

Causa Prima: Prima, quòd concupiscentia & passiones animi, quæ peccata creant, animum emolliant & effeminent. Earumdem verò victoria, quæ fit per virtutem, animum fortem, virilemque efficiat.

Secunda. Secunda, quòd conscientiæ stimuli mentem peccatoris iugiter lancinent, rodant, eiusque vigorem exedant: iusto verò virtus ipsa, quam exerret, & conscientiæ probitas animos addant.

Tertia: Tertia, quod peccator à gratia Dei deseratur, iustus verò eadem polleat; gratia autem Dei est omnipotens: nam per eam omnia fieri possunt, quantumvis ardua, sine illa verò nil boni effici potest; unde iustus est magnanimus & confidens, peccator autem pusillanimis & timidus instar muris.

VERS. 11. NIHIL ENIM EST TIMOR NISI (Nonnulli Codices hic interserunt, *præsumptionis adiutorium*. Vatabl. *temeritatis adiumentum*; sed hæc delent Rom. & Græca) PRODITIO COGITATIONIS AUXILIORUM] Τὸ *cogitationis*, in vulgata potest referri ad τὸ *proditio*, q. d. Timor non est aliud, quàm proditio & perditio cogitationis & mentis, quæ si libera esset à timore excogitare posset plura auxilia quibus rem, quam timet, depelleret, iam autem plena timore id præstare nequit. Græca tamen τὸ *cogitationis*, referunt ad τὸ *auxiliorum*. Sic enim habent: *Nil enim aliud est timor, nisi auxiliorum è cogitatione vel ratione proficiscentium proditio.* Sed eòdem redit sensus. Timor enim ideò prodit & perdit hæc sui auxilia & remedia, quia perdit & adimit homini cogitationẽ & rationem, ne possit auxilia hæc excogitare. Metus enim adimit ligatque mentem, motum, memoriam, & linguam.

Pavidi stupescunt. Unde pavidi fiunt mentis inopes, immobiles, immemores, elingues, ut nec intelligere, nec movere se nec recordari, nec loqui valeant, sed corpore & animo quasi obstupescant.

Causa. Causam dat Aristot. in Problm. sect. 27. quòd in metu spiritus & calor confugiant ad roborandum cor: Unde extremæ partes frigent & rigent. Hinc pallor in facie, tremor in manibus & labris, stupor in capite & pedibus, algor in cute rigor in lingua.

Probat quod dixit, timidam esse nequitiam ideoque sæva semper præsumere ex ejus rei causa, quæ est, quòd timor adeò malum quod timet apprehendat & metuat, ut illi quasi victus succumbat, seseque dedat: quare de ejus auxiliis & remediis adinveniendis cogitare nequit, sed eorum quasi est proditor & perditor. Est metaphora sumpta à militibus timidis in arce obsessis, qui ex timore arcem hosti obsidenti produnt & dedunt. Simili enim modo timor arcem rationis & mentis, quæ varios malum, quod timetur, evadendi modos & vias excogitare posset, ita debiliter, stringit & ligat, ut eam prodat tradatque husti, putà malo quod timetur, ac desperationi, quo fit, ut pessima quæque sibi imminere auguretur. eaque vitatu esse impossibilia sibi persuadeat. Timor enim rationi & menti subesse, ac ab ea se regi & moderari sinere debuerat, quare fidem illi debitam fallit, imò illam prodit, dum illi consilium & fiduciam adimit, illamque facit sui impotem, pavidam, anxiam & desperantem. Quocirca hæc timoris proditio in re non est aliud, quàm inopia consilii ac cogitationum defectio & desertio, quòd scilicet homo per trepidationem æstumque timoris ita abripiatur, ut prodatur, id est, deseratur à cogitationibus mediorum & auxiliorum, quibus posset malum, quod metuit evadere. Unde nonnulli ex Græco vertunt: *Nihil est metus, nisi defectus vel desperatio excogitandi consilii*. Sic enim milites timidi, dum ducem deseruot eum hosti produnt & tradunt. Hinc & prodere Latinis subinde idem est, quod abiicere, deserere, dimittere, repellere. Prodere enim idem est, quod porrò dare, id est, proiicere, propellere, excludere, ait Servius. Unde Vergil. lib. 1. Æneid.

Navibus (infandum) amissis unius ob iram
Prodimur, atque Italis longè disiungimur oris.

Prodimur ergo idem est, quod *disiungimur*. Sic quoque hic accipi patet ex v. 14. ubi ait *animæ deficiebant traductione*; Græcè προδοσία, id est, *proditione*.

Mor. de noxa timoris: Gnomæ. Moral. hic disce quantum malum sit timor, utpote qui hominem prodat & perdat. Unde *semper in prælio iis maximum est periculum, qui maximè timent*, audacia pro muro habetur, ait Salust. de Coniur. Catil. *Quodcumque additur subsidio, id corrumpitur timore fugientium*, ait Cesar libr. de Bello Civili; *Plerumque in summo periculo timor misericordiam non accipit* ait idem libr. 7. *Hac natura est magnis timoribus, ut quod evenit deterius credant* ait Tacit. Annal. libr. 15. *In periculis Reipublicæ, qui singulatim pertimescunt in timore potius, quam in virtute opprimentur*, ait Jul. Capit. in Max. & Balbino. *Timor mentem agens attonitam non sinit meliora decernere*, ait Procop. de Bell. Persi. libr. 2. *Montium vertices hostium speciem præbent, animo semel timore oppresso*, ait G. Pachym. hist. libr. 4. *Timidi & ignavi ad desperationem formidine properant*, ait Tacitus lib. 2. Histor. *Qui natus est eiusmodi, ut metuat omnia, etiamsi mus strepitum edat, bellnarum simili quadam ignavia timidus habendus est, & qui muscipulam vi morbi timeat*, ait Aristot. 3. Ethic. cap. 7. *Sine animi præsentia ars contra periculum nihil prodest Timor enim memoriam excutit & ars amittitur animo languefacto*, ait Thucidides lib. 2. *Principum timiditas, maxima est causa cadium: fiducia sui, placidos eos & mansuetos, & a suspicionibus vacuos reddit. Ita ferarum quoque, quæ a securatione sunt alienissimæ, timidæ sunt & omni strepitu terrentur: generosæ autem non aspernantur huiusmodi blandam tractationem, qui propter fiduciam sui facilius aliis se committunt*, ait Idem in Artaxerxe: *Hesitabunda & formidolosa peritia, egregium aliquid audere haud quaquam consuevit*, ait Procop. de Bello Goth. libr. 2. *Timiditas est corrupti legitimi iudicii de rebus metuendis, aut non metuendis, sive ignorantia terribilium & non terribilium, & neutrorum*, ait Hierocles lib. de Iustitia. Pavidi enim minora mala timent, at maiora non apprehendunt, nec timent: quare dum fugiunt minora, incidunt in maiora. Sic peccator timens amittere opes, famam, vitam, peierat sceleraque patrat, quibus cælum & æternam felicitatem amittit. Sapiens verò & constans timenda timet, non timenda non timet. Timenda verò timet eo modo & moderatione, qua oportet & recta ratio dictat.

Aliter Lyran. proditio, inquit, hic idem est, quod ostensio & manifestatio. Timor enim in facie efficiens pallorẽ, prodit, id est, manifestat cogitationem auxilii, quia significat quod timens auxilium desiderat, & cogitat de illo. Verùm hoc frigidius est. Porrò Syrus alio abit: *Quid*, ait, *est timor, nisi consummatio malitiæ, & adiutor cogitationis, qui est interius?* Vicinius Arabicus: *Quia timor* ait, *non est aliud, nisi formido tormentorum propter cogitationẽ.*

Mysticè Hugo: Impius, inquit, timens non cogitat de auxilio Dei; si enim hoc cogitaret utique diceret: *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo*. Psal. 55. 12. *Et: In Domino sperans non infirmabor*. Psal. 25. 1.

ET DUM INTUS MINOR EST EXPECTATIO, MAIOREM COMPUTAT INSCIENTIAM EIUS CAUSÆ, DE QUA TORMENTUM PRÆSTAT] VERS. 12.
De qua, scilicet nequitia, sive malitia supplicium, quasi meritum culpæ fructum, & stipendium sibi producit & exhibet: Pro *inscientiam*, alii legunt per Diastolen, *in scientiam*, id est, propter scientiam; alii, *conscientiam*; alii, *potentiam*. Qui *in scientiam* legunt, hunc non ineptum dant sensum, q. d. dum in timore internè minor est expectatio mali eventus secundùm se, hanc tamen animus meticulosius maiorem æstimat, quòd novit anxiè considerat causam, de qua tormentum sibi præstat, id est, torquetur, pavet, angitur, ex eaque coniectat eventus pessimus, & peiores, quàm eventuri sint eosque sibi fingit. Verùm legendum est per Systolen *inscientiam*. Græcè enim est, ἄγνοιαν, id est *ignorantiam*: Sensus est, q. d. Quia timor est proditio, & defectio excogitandi contra malũ, quod timetur auxilii, hinc dum intus in mente timentis minor est expectatio auxilii, fit ut magis apprehendatur malum quod timetur, præsertim dum ejus causa nescitur & ignoratur. Ignorantia enim causæ metum auget, eumque maiorem efficit. Timidus enim metuit, ne in causa, quam non satis perspectam habet, multi effectus pessimi & molestissimi lateant, quos ipse excepturus sit. Unde S. Chrysost. hom. de Patientia Job docet ignorantiam causæ, quæ pœnam affert valde augere calamitatem.

tatem. Sic hoc loco Ægyptii ignorabant causam tenebrarum, spectrorum, mugitus animalium & sibili serpentium, ideoque putantes in ea deteriora latere, multò graviora & duriora sibi imminere formidabant. Hinc Vaticani vertunt. *maiorem computant inscientiam* (id est, ignorantiam) *præbentis tormentum causæ*.

Posset quoque verti in ablativo: *Maiorem putant ignorantiam præbente tormentum causa*, q. d. Dum minor est expectatio evadendi malum quod timetur, tunc qui timet maiorem putat ignorantiam, hoc est maius suspicatur esse malum ignoratum, quod futurum sibique obventurum metuit, dum ipsum cruciat causa. Idem enim magis timet malum imminens ignoratum, quia tam in se habet causam cruciatus, quam plurium malorum à se ignoratorum, pari modo causam fore metuit & auguratur. Animus enim meticulosus nil nisi tristia, quæ metum augeant suspicari potest.

Quocirca Ægyptii in densissimis tenebris positi, & horridis spectris ac ignibus intermicantibus perculsi, nil nisi funestum, ominosum, minax & horrendum cogitare poterant. Unde Iosephus addit: *Illo*, inquit, *metu imminente, ne forte penitus ab ea caligine absorberentur*: Fortè etiam antiquum chaos, & mundi confusionem & dissolutionem quandam formidabant, quasi mundus esset periturus, & in primævum chaos suum rediturus. Sciebant enim Deum sibi esse infestissimum, ac proinde ab eo omnia irarum & dirarum fulmina pavidi expectabant.

Perperam Vatabl. pro ἀγνώστως, legit ἁγνεία, ab ἁγνός, quod significat donis incorruptum, quia nullo dimoveri nulla ratione potest, adeoque implacabilem; unde vertit: *Cum intus residens exigua spes magis reputat causæ cruciatum, moventis implacabilitatem*, vel *potentiorem imaginatur implacabilitatem*. Nam omnes Codices legunt, ἄγνοιαν non ἁγνείαν: neque ἁγνεία Græcis significat implacabilitatem, sed puritatem & sanctimoniam.

MINOR EST EXPECTATIO] Auxiliorum. Ita passim interpretes, licèt Nannius, Clarius, & Iansen. minorem accipiant expectationem futuri mali: Nam inquiunt pro *minor*, græcè est, ἥττων, id est, inferior, victa, & oppressa est expectatio, sive spes in timidis & pavidis per desperationem. Græcè est, elegans Paronomasia: timor, inquit, est προδοσία, id est, proditio auxiliorum, ideoque in eo minor est, προσδοκία, id est, expectatio & spes evadendi.

CAUSÆ DE QUA TORMENTUM PRÆSTAT] Quæ scilicet timido tormentum præbet; ut habent Græca, sive ob quam timidus se torquet & cruciat. Causa impiis timidis tormentum præstans est triplex. *Tres causæ metus impiorum. Prima.* Prima, ast propria culpa, putà scelerum multitudo, gravitas & magnitudo, quam impius non satis perspicit, sed maiorem, quàm ipse sciat esse metuit. Ad hæc maius tormentum est pati ob culpam, quàm pati ob iustitiam & innocentiam, ob hanc etiam pati & occidi est decus & gloria martyrii. *Secunda.* Secunda, est quæ impium castigat & punit; sicut Ægyptios hic cruciabant tenebræ & spectra, quarum vim, numerum & quantitatem ipsi perspicere non poterant. *Tertia.* Tertia, est Dei ira & vindicta, quæ multò minùs ab impiis perspicitur: quocirca semper metuunt, ne illa irrogato supplicio non contenta, alia & alia graviora infligat.

Porrò Syrus hic aliò prorsus abit; sic enim vertit: *Et quod minus est eo* (timore) *abscondis, & ipse est præstantior eo quod ignotum est*, quæ obscura sunt & œdipo indigent.

VERS. 13. ILLI AUTEM, QUI IMPOTENTEM (perperam nonnulli per diastolen legunt, *in potentem*, græcè enim est, ἀδύνατον, id est, *impotentem*. Vide Franc. Lucam hic varias vitiatasque lectiones recensentem) VERE NOCTEM, ET AB INFIMIS, ET AB ALTISSIMIS INFERIS SUPERVENIENTEM, EUMDEM SOMNUM DORMIENTES.

VERS. 14. ALIQUANDO MONSTRORUM EXAGITABANTUR TIMORE, ALIQUANDO ANIMÆ DEFICIEBANT TRADUCTIONE: SUBITANEUS ENIM ILLIS ET INSPERATUS TIMOR SUPERVENERAT] Græcè: *Illi autem impotentem verè noctem, ac ex impotentis Orci speluncis advenientem, eodem somno dormientes, tum monstris phantasmatum agitabantur, tum animæ dissolvebantur defectione, subitus enim nec expectatus timor eis supervenerat.*

Noctem impotentem vocat triduanas & densissimas tenebras Ægypti, quæ fecerunt, ut Ægyptiis continua & triduana esset nox. Sed cur vocatur *impotens*? Primò, *Impotens vox. Primò.* Iansen. *impotens*, inquit, passivè, id est, tolerari non potens, intolerabilis: *impotens* ergo, supple, *toleratu*.

Secundò. Secundò, *impotens* nox activè dicitur, quæ superari & illuminari non potest, putà ineluctabilis. Aut rursum passivè nox *impotens*, id est, invalida & devicta, quæ scilicet tenebras per radios solis vincere & dispellere non poterat, sed ab iis planè vincebatur.

Tertiò. Tertiò, *impotens*, id est, debilis & infirma nox dicitur metonymicè ab effectu, inquit à Castro, quòd Ægyptios impotentes & invalidos redderet ad quodvis opus humanum, vel tenebrarum caligine impeditos, vel metu debilitatos instar eorum, qui somno compediti nihil operantur. Nam propterea dixit Ægyptios per totam illam noctem eumdem somnum dormisse. Eadem ratione orcum seu infernum vocat impotentem, quòd suos hospites reddat impotentes & imbecilles ad quodvis opus.

Quartò. genuinè. Quartò, & nervosius, nox dicitur *impotens*, id est, nimis potens, nimia, immoderata, quæ scilicet sua vi toti Ægypto densissimam & insuperabilem caliginem inducebat, quæque Ægyptios potentissimè & validissimè per tenebras, larvas, spectra, famem, sitim, pavorem, & angorem cruciabat, nullamque eis dabat requiem vel somnum, uti faciunt aliæ noctes.

Quintò. Denique dicitur *impotens* nox, ait Cantacuzenus, quia quasi exorta videbatur ex profundissimis speluncis inferni impotentis, qui non potest ullum modum imponere malis, quibus afficit eos, quos in se continet, nec cruciamenta moderari ac temperare, sed cæco quodam impetu omnes excruciat. Itaque meritò nox illa impotens filia Orci impotentis putabatur: Orcus enim vocatur obscuritas inferorum, ac infernus ipse, ejusque præses Lucifer, qui nullius miseratur, juxta illud Horatii lib. 3. Carm.

Victima nil miserantis Orci.

Impotens enim idem est, quod nimis potens, ait Donatus. Sic vocatur, impotens dominatus, vel tyrannus, id est, nimis potens & imperiosus; unde Quintilianus: *Decemviri*, inquit, *quorum principatus erat immoderatus, a Livio impotentes Domini nuncupantur.* Et Cicero Philip. 5 *Advolabat*, inquit, *ad urbem a Brundusio homo impotentissimus; ardens odio, animo hostili in omnes cives cum exercitu Antonius*. Et rursum: *Impotens, iracundus, contumeliosus, superbus*. Sic vocatur amor, animus, lætitia impotens, ac motus animi impotentes, id est, prævalidi, quos homo frenare nequit, sed potiùs ipsi potentes homini dominantur, ac ad id quod appetunt prosequendum, velut equum stimulis ardenter adigunt, coguntque.

Quare nimis frigidè nonnulli noctem impotentem interpretantur inanem; quia inquiunt non erant veræ tenebræ, cùm toto reliquo orbe esset dies, & Hebræis esset clara lux; verùm Ægyptiis a Deo obcæcatis videbantur esse tenebræ. Hoc enim falsum est: Erant enim veræ & meræ summæque tenebræ, uti ostendi Exodi 10.

ET AB INFIMIS, ET AB ALTISSIMIS (id est, profundissimis) INFERIS SUPERVENIENTEM] Græcè: *Et ex impotentis Orci speluncis advenientem*. q. d. Nox hæc & caligo erat summa & quasi infernalis. Nota, Script. sicut lucem nostram tribuit cælo, sic tenebras inferno; tum quia infernus est regio & matrix tenebrarum, sicut cælum lucis; *Infernus regio tenebrarum.* periode ac dicitur regio ferax auri, argenti, &c. tum quia à dæmonibus inferni præsidibus hæ Ægypti tenebræ, per densationem aeris & vaporum ex imo terræ eductorum, producebantur. Potissima tamen tenebrarum causa fuit Deus, subtrahens concursum suum soli & luci, ne lumen spargeret in Ægyptios. Simili phrasi dicimus Æthnam, Vesuvium, Heclam, aliosque montes flammivomos, esse os, ostium, fenestras inferni. Sic Virgil. infernum pingit. 6. Æneid. dicens:

Umbrarum hic locus est, somni, noctisque soporæ.

EUMDEM SOMNUM DORMIENTES] Quia licet Ægyptii in tenebris pavidi essent vigiles, tamen quasi dormientes, attoniti & sopiti ab omni operatione vacabant, & vanis somniis, monstris, Græcè phantasmatibus, visis & spectris conturbabantur. Hic ergo erat idem quasi somnus insomnis omnium. Rursum idem, id est, similis nocti impotenti, erat somnus impotens omnium.

INSPERATUS (id est, inexpectatus, inopinatus, improvisus) TIMOR SUPERVENERAT] & irruerat in Ægyptios.

DE-

DEFICIEBANT] Græcè παρελύοντο, id est, dissolve- A bantur, & fiebant quasi paralytici, animo magis quam corpore. Nam à παραλύω, dicitur Paralysis, id est, dissolutio nervorum, membrorum, & virium, quæ instar ceræ liquefactæ liquantur & diffluunt.

TRADUCTIONE ANIMÆ] Græcè est, προδοσία, id est, proditione, uti paulò antè v. 11. vertit Noster, hoc est defectu, derelictione, desperatione, q. d. Ægyptii ex pavore quasi deficiebant animo, & patiebantur deliquium mentis. Minùs rectè nonnulli per traductionem accipiunt separationem animæ à corpore, putà mortem, & alii punitionem.

VERS. 15. DEINDE SI QUISQUAM EX ILLIS DECIDISSET, CUSTODIEBATUR IN CARCERE SINE FERRO RECLUSUS] q. d. In tantis tenebris, si quis Ægyptius casu aliquo in foveam vel terram collapsus fuisset, præ pavore & stupore surgere, aut erigere se non volebat nec valebat, sed hærebat in ea quasi conclusus in carcere, idque *sine ferro*, id est, sine catenis & vinculis ferreis: timor enim instar catenæ eos colligabat & vinciebat. Græcè est, εἰς ἀσίδηρον εἱρκτήν, id est, *in inferratum* B (ferrum carentem) *carcerem inclusus*. Ita Lyran. Orosius & alii passim. Hunc sensum exigit, quod habet Vulgata conditionatè: *Si quisquam ex illis decidisset*, Pro quo Græca habent: *Si quicumque illis erat collabens, vel decidens*, scilicet in illas tenebrarum, spectrorum & terrorum angustias, hic in iis quasi in carcere inclusus continebatur, ut se iis expedire aut loco movere non posset, sed in iis immobilis consisteret. Unde sequitur.

VERS. 16. SI ENIM RUSTICUS QUIS ERAT, AUT PASTOR, AUT AGRI (Græcè *in deserto*, id est, loco solitario, qualis est ager, pratum, sylva) LABORUM OPERARIUS PRÆOCCUPATUS ESSET (tenebris) INEFFUGIBILEM (id est, inevitabilem, quam nemo fugere, multò minùs fugare possit: unde Hugo legit *ineffugabilem*) SUSTINEBAT NECESSITATEM] Tenebras has tam horribiles tolerandi, ob easque in agro manendi, otiandi, non laborandi, formidandi: nemo enim se movere loco, aut domum redire audebat vel poterat, utpote in densissimis tenebris constitutus, & quasi incarceratus.

VERS. 17. UNA ENIM CATENA TENEBRARUM OMNES C ERANT COLLIGATI. SIVE SPIRITUS SIBILANS, AUT INTER SPISSOS ARBORUM RAMOS AVIUM SONUS SUAVIS, AUT VIS AQUÆ DECURRENTIS NIMIUM.

VERS. 18. AUT SONUS VALIDUS PRÆCIPITATARUM PETRARUM, AUT LUDENTIUM ANIMALIUM CURSUS INVISUS, AUT MUGIENTIUM VALIDA BESTIARUM VOX, AUT RESONANS DE ALTISSIMIS MONTIBUS ECHO, DEFICIENTES FACIUNT ILLOS PRÆ TIMORE) Græcè: *Siquidem omnes una tenebrarum catena constricti erant. Sive flatus sibilans, sive densos inter ramos avium sonus suavis ac numerosus, aut murmur aquæ euntis vi; aut sonus validus præcipitatorum saxorum; aut salientium animalium cursus non aspectabilis, aut ululantium immanissimarum ferarum vox, sive Echo montium cavernis repercussa metu illos exanimabat.* Explicat necessitatem jam dictum, eamque vocat *catenam tenebrarum*, quia earum horrore, pavore, & angore ita percellebantur Ægyptii, D ut velut attoniti fierent, stupidi & immobiles, perinde ac si catenis in carcere fuissent colligati. Causa à priori erat, quòd timor causet frigus, imò ut ait Aristot. 2. Rhetor. 13.

Timor frigiditas quædam est?

Frigus autem hominem stringit & quasi ligat, ut se loco movere nequeat. Unde Plautus in Amphitr.

Timeo, inquit, *totus torpeo*:
Nunc ubi terrarum sim nescio,
Non miser me commovere possum præ formidine.

Et in Truculento;

Neque vivus, neque mortuus sum, neque quid nunc faciam scio,
Neque ut hinc abeam, neque ut ad hunc adeam scio, timore torpeo.

Mysticè, catena scelerum contexitur ex septem vitiis capitalibus quasi è septem annulis, quorum unus trahit alium, illique innectitur, gula enim trahit luxuriam, luxuria iram, ira invidiam, invidia superbiam, superbia avaritiam, avaritia acediam. Ita Hugo. Aut ut S. Bonavent. Suggestio diaboli parit cogitationis delectationem, delectatio consensum, consensus operis perpetrationem, hæc iterationem & pravam consuetudinem, consuetudo inverecundam de peccato gloriationem & jactantiam. *Catena* enim dicitur, quòd *se capiendo teneat*: quia in ea annulus annulum capit & tenet.

SPIRITUS SIBILANS) Putà ventus vel aura tenuiter perstrepens, aut halitus & stridor animalis respirantis. Refer hæc omnia ad finem. v. 18. *Deficientes faciebant eos ex timore*. Pavidi enim in tenebris omnia tuta timent, iisque quasi animo deficiunt & exanimantur. Audi Senecam epist. 13. *Nos & venturo torquemur & præterito, multa bona nostra nobis nocent, timoris tormentum memoria reducit, providentia anticipat, nemo tantum præsentibus miser est*, &c. *Plura sunt quæ nos terrent, quam premunt, & sæpius opinione amplius laboramus. Cito accedimus opinioni, & sic vertimus terga, quemadmodum aliquos pulvis motus, fuga pecorum exuit castris, aut quos fabula aliqua sine authore conterruit: nescio quomodo vana perturbant. Vera enim modum suum habent. Verisimile est aliquid futurum mali, non statim verum est. quam multa inexpectata venerunt: quam multa expectata numquam comparuerunt.*

AVIUM SONUS SUAVIS) Id est, concentus avium, præsertim philomelarum & merularum, quæ suavissimè canunt initio veris, putà sub Pascha, quando Hebræi egressi sunt ex Ægypto, ac paulò ante hæc plaga tenebrarum contigit: illa enim & ceteris coactus fuit Pharao, & Ægyptii Hebræos missos facere. Pavidus enim & tristibus omnia jucunda, omnesque melodiæ videntur mœstæ & funestæ.

Pro *mugientium*, græcè est, ὠρυομένων, id est, *ululantium*, quod propriè est luporum, sicut mugire boum, hinnire equorum, barrire elephantorum, grunnire porcorum, rugire leonum; quæ omnia hic per τὸ *mugientium*, Synecdochicè intelligit (unde Vatabl. vertit *rugientium*) putà quaslibet quorumlibet animalium voces & fremitus. Omnia enim animalia ad hasce tantas, tamque diuturnas tenebras percellebantur, quia iis impediebantur à quærenda præda & esca; unde præ fame & siti horrendè mugiebant, & latrante ventre rugiebant: quare tot tantisque rugitibus paventes Ægyptii penè examinabantur. Qui enim timet, percellitur, itaque trepidat, horrescit, pallet, fugit animus, metu membra quatiuntur, quæ res efficit, ut quàm hic à metu vincitur, tam illic à fiducia deseratur, nec solum viribus defectus, verùm etiam spe destitutus. Siquidem cuncta nimium formidantem, necesse est spe quoque destitui. Habet enim metus animi fractionem, & quasi fugam: itaque meticulosos non res solum atque pericula, verùm rumores etiam ipsi incerti & vani, & rosæ, ut dicitur, umbra persæpè terret.

RESONANS DE ALTISSIMIS MONTIBUS ECHO) *Altissimis*, id est, profundissimis. Græcè enim est *Echo quid?* ἐκ κ. ὀρέων, id est, ex concavitate montium. Echo enim fit cùm vox cavernis repercussa in se redit, sibique quasi *Eius causa.* respondens id, quod dixit refert & repetit, ita ut rudibus & rei ignaris videatur esse in cavernis absconditus vir responsans, & vocem repetens: quare ipsi mirantur & percelluntur. Echo ergo fit dum aer, indeque sonus in læve concavumque corpus illisus, velut pila repercussus resilit: ob hanc enim repercussionem fit sonus resonus, sive *resonans*, ut aptè vertit Noster. Resultans enim aer voces reciprocas, id est, primæ similes reddit. Unde Evodus lib. 4. Epigr. Echo vocat, *imitatricem sermonis, vocis facem, verbi caudam*. Echo vox Græca est, ἠχώ, id est, sonus, Echo, resonantia ab ἠχῶ, id est, sono, resono, clango. Unde Ovidius 3. Metam. Echo Poeticè velut Nympham describens, hoc ejus dat ænigma, quo simul insinuat per eam cervos timore percelli, & in retia à venatoribus adigi: sic enim canit:

Aspicit hunc trepidos agitantem in retia cervos *Ænigma.*
Vocalis Nympha, quæ nec reticere loquenti,
Nec prior ipsa loqui didicit resonabilis Echo.

Ausonius verò Theodosii Imperat. familiaris, Echo hoc dat ænigma:

Aeris & linguæ sum filia, mater inanis
Indicii, vocem, quæ sine mente gero:
Extremos pereunte modos à fine reducens,
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetralibus Echo,
At si vis similem pingere, pinge sonum.

Rudes

Rudes ergo & impli malè sibi conscii timent Echo, quasi vocem secretam in cavernis ab angelo, aut sententiam à Numine missam ad scelus castigandum. Nam ut ait Statius Thebaid.3.

> ——— *Invigilant animo, scelerisque patrati*
> *Supplicium exercent curæ, tunc plurima versat*
> *Pessimus in dubiis augur timor.*

Vers.19. OMNIS ENIM ORBIS TERRARUM LIMPIDO ILLUMINABATUR LUMINE, ET NON IMPEDITIS OPERIBUS CONTINEBATUR.

Vers.20. SOLIS AUTEM ILLIS SUPERPOSITA ERAT GRAVIS NOX, IMAGO TENEBRARUM, QUÆ SUPERVENTURA ILLIS ERAT] q. d. Totus reliquus orbis claro solis resplendebat lumine, cùm in sola Ægypto densissimæ essent tenebræ, imò in ipsa Ægypto apud Hebræos splendida erat lux, ut dicet cap. 18. 1. Sic & plaga septima, quæ fuit grandinis, & quinta, quæ fuit pestis, ac cetaræ omnes solos tetigere Ægyptios, nollos autem Hebræos, ut patet Exodi 9.4. & 26. Idem testatur Philo & Josephus. Pro *limpido*, græcè est, λαμπρῷ, id est, splendido, nitido, fulgido.

Ex dictis liquet, non rectè Jansen. ex τὸ *omnis orbis* colligere, etiam totam Ægyptum luce solis fuisse illustratam, sed eam non vidisse Ægyptios, eo quòd oculi eorum essent obcæcati. Nam à toto orbe mox excipit Ægyptios, dicens: *Solis autem illis superposita erat gravis nox.* Adde, hæ tenebræ fuere palpabiles, ut dicitur Exodi 10. non ergo consistebant in oculis Ægyptiorum, nec in sola subtractione concursus Dei, qua luci subtrahebat suam cooperationem ad illuminandum Ægyptios, sed insuper erant crassa caligo, vapor & nebula à Deo inducta, uti dixi Exodi 10.

ET NON IMPEDITIS OPERIBUS CONTINEBATUR] Id est, destinabatur, occupabatur, q. d. incolæ totius orbis in luce degebant, seque in suis officiis & operibus lætè continebant & occupabant; nil enim erat, quod opera eorum impediret, cùm tenebræ impedirent Ægyptios, ne quid operari possent. Unde Vatabl. vertit; *& expeditis frequens erat operibus*, q. d. Reliqui omnes erant A in luce, ideoque negotiosi, soli Ægyptii erant in tenebris, ideoque otiosi.

IMAGO TENEBRARUM, QUÆ SUPERVENTURA ERAT ILLIS] Tum in morte & sepulchro, tum magis in inferno & gehenna; longa ergo illa & atra nox Ægypti erat umbra & imago mortis, qui illi imminebat in gehenna. Sic Job cap.10. 22. Sepulchrum vocat *terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*

IPSI ERGO SIBI GRAVIORES ERANT TENEBRIS] Ob peccatorum conscientiam, indeque mentis perturbationem, excæcationem, pavorem & angorem. Nullum enim majus est tormentum morsu & remorsu scelestæ conscientiæ. Igitur Ægyptii laborabant duplici caligine, scilicet corporis & mentis, sed hæc illa longè erat gravior, ipsosque magis cruciabat.

Notat hic sapiens triplices, imò quadruplices tenebras. Primæ sunt oculorum: secundæ mentis & peccati: tertiæ mortis: quartæ gehennæ. Primæ privant luce so- *Tenebræ quadruplices.*
B lis: secundæ privant gratia Dei: tertiæ privant vita: quartæ visione Dei. Porrò tenebræ peccati reliquarum trium tenebrarum sunt causa. Vide ergo quàm tenebrosum, horridum & horrendum sit peccatum: Sicut enim ob tenebras Ægyptiis lux videbatur illucida, luna illunis, cæli cæci, sol insolens: Sic peccatoribus Deus, cælum, angeli, virtus, sapientia omniaque bona videntur obscura, atra, tetra, horrida.

Quocirca S. August. in psal.45. *Inter omnes, ait, tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum.* Et S. Ambros. lib.1. Offic. cap.12. asserit: *ipsam, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requiem, in inferno esse: Viventes cùm in infernum descendunt.* Et S. Bernard. serm.4. de Assumpt. B. Virg. *Infernus quidem*, ait, *& carcer animæ, rea conscientia.* Hoc est quod Deus impiis minatur. Levit. 26. 36. *Dabo pavorem in cordibus eorum: terrebit eos sonitus folii volantis: & ita fugient quasi gladium: fugient nemine persequente.* Ubi plura hac de re congessit.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit componere, opponere, & præponere Hebræos Dei cultores Ægyptiis idololatris, Primò, v. 1. quòd in densis Ægyptiorum tenebris Hebræis lux esset clarissima. Secundo, v. 3. quòd Hebræi ducem viæ à Deo acceperint, columnam nubis per diem & ignis per noctem; Ægyptii verò sine duce mersi sint in mari rubro. Tertiò, v. 6. quòd cæsis ab angelo Ægyptiorum primogenitis, Hebræi nil passi sint. Quartò, v. 20. quòd cùm ob seditionem Core Deus immisisset ignem in populum, per thurificationem & deprecationem Aaronis placari se permiserit, plagamque sisterit, cùm Ægyptiis fuerit implacabilis, eosque variis plagis per Moysem attriverit, & tandem Pharaonem cum omnibus asseclis in mari suffocarit.

1. SAnctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non et ipsi eadem passi erant, magnificabant te: 2. et qui antè læsi erant, quia non lædebantur gratias agebant: et ut esset differentia, donum petebant. 3. Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, et solem sine læsura boni hospitii præstitisti. 4. Digni quidem illi carere luce, et pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari. 5. Cùm cogitarent justorum occidere infantes: et uno exposito filio, et liberato, in traductionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti et pariter illos perdidisti in aqua valida. 6. Illa enim nox antè cognita est à patribus nostris, ut verè scientes quibus juramentis crediderunt, animæquiores essent. 7. Suscepta est autem à populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio. 8. Sicut enim læsisti adversarios: sic et nos provocans magnificasti. 9. Absconsè enim sacrificabant justi pueri bonorum, et justitiæ legem in concordia disposuerunt, similiter et bona et mala recepturos justos, patrum jam decantantes laudes. 10. Resonabat autem inconveniens inimicorum vox, et flebilia audiebatur planctus ploratorum infantium. 11. Simili autem pœna servus cum domino afflictus est, et popularis homo regi similia passus. 12. Similiter ergo omnes, uno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant: quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est. 13. De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc verò primùm cùm fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum Dei esse. 14. Cùm enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet. 15. omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit. 16. gladius acutus insimulatum imperium tuum portans,

tans, & stans replevit omnia morte, & usque ad cœlum attingebat stans in terra. 17. Tunc continuò visus
somniorum malorum turbaverunt illos, & timores supervenerunt insperati. 18. Et alius alibi proiectus
semivivus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis. 19. Visiones enim, quę illos tur-
baverunt, hęc pręmonebant, ne inscii, quare mala patiebantur, perirent. 20. Tetigit autem tunc &
iustos tentatio mortis, & commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua. 21.
Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem & per
incensum deprecationem allegans, restitit irę, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est
famulus. 22. Vicit autem turbas, non in virtute corporis nec armaturę potentia, sed verbo illum, qui se
vexabat, subiecit, iuramenta parentum, & testamentum commemorans. 23. Cùm enim iam acervatim
cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, & amputavit impetum, & divisit illam, quę ad vivos du-
cebat, viam. 24. In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum: & parentum ma-
gnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta
erat. 25. His autem cessit qui exterminabat, & hæc extinuit: erat enim sola tentatio irę sufficiens.

VERS. 1. SANCTIS AUTEM TUIS MAXIMA ERAT LUX, ET HORUM QUIDEM VOCEM AUDIEBANT, SED FIGURAM NON VIDEBANT; ET QUIA NON ET IPSI EADEM PASSI ERANT, MAGNIFICABANT TE] Sanctos vocat Hebræos, quia fideles ad sanctum sancti Dei cultum, ipsamque sanctitatem à Deo vocati erant, eique quasi addicti & consecrati, juxta illud Psalm. 103. *Facta est Judæa sanctificatio eius, Israel potestas eius*. *Maxima erat lux*, non quòd maior naturali foret, & miraculosa, sed *maxima*, comparatione Ægyptiorum, qui in densis erant tenebris, quodque Deus, dissipatis omnibus nebulis & nubibus, clarissimos solis radios Hebræis exhibuerit. Adde, Hebræis ob disparitatem hanc exultantibus lucem hanc fuisse maximam, sicut eùm iidem per Esther cap. 8. 16. à morte liberati sunt, ipsis *nova lux oriri visa est gaudium, honor, & tripudium*. Vide dicta Exodi 10. 23. Fuere ergo Hebræi Dei cultores filii lucis, Ægyptii verò idololatræ filii tenebrarum.

ET HORUM QUIDEM VOCEM AUDIEBANT] Addunt nonnulli *inimici*, sed id delent Romani & Græci. Verisimile enim est ex commento nonnullorum in textum irrepsisse. Multi enim hæc referunt ad Ægyptios, quasi dicat, *Horum*, scilicet Hebræorum in luce exultantium, *vocem* jubilationis *audiebant* eorum *inimici*, scilicet Ægyptii, *sed* ob tenebras, quibus involuti erant, eorum *figuram non videbant*: quare eos, *quia non & ipsi eadem*, putà easdem tenebras spectra & terrores *passi erāt*, quas Ægyptii patiebantur, *magnificabant te*, Græcè *beatificabant*, id est, beatos prædicabant. Ita S. Bonavent. Dionys. Cantacuzenus, & alii.

Alii tamen æquè appositè hæc referunt ad Hebræos, q. d. *Horum*, scilicet Ægyptiorum, in tenebris flebilem vocem, gemitus & suspiria *audiebant* Hebræi; sed eorum *figuram* ob caliginis densitatem *non videbant*; quocirca se beatos prædicabant, & *magnificabant te*, Domine, eò quòd tenebras non paterentur, quas patiebantur Ægyptii. Uterque sensus verus est & appositus. Secundus tamen magis respondet Vulgatæ, quæ habet (*magnificabant te*. Hebræi enim exultantes magnificabant Deum, cùm Ægyptii suas ærumnas miserrimè deplorarent.

Vaticanus Codex legit affirmativè: *quoniam quidem & ipsi*, scilicet Ægyptii *passi erant*. Complut. verò, & Vulgata nervosius legunt negativè: *quia non & ipsi*, scilicet Hebræi *eadem passi erant*, quæ Ægyptii.

Pro *magnificabant te*, græcè est, ἐμακάριζον, id est, *beatificabant*, id est, beatum prædicabant, tum Israelem, tum eius ductorem Deum. Beatitudo enim Dei in eo sita est, quòd ipse ita affluat bonorum omnium copia, ut eamdem in creaturas, præsertim homines & angelos effundat, nihilque ab eis recipere valeat, quod significat Hebr. Dei nomen *Saddai*, id est, sufficientia, copia, abundantia; hoc est, quod ait Psaltes: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Psal. 15. 2. Hinc *beatius est magis dare, quam accipere*: Dare enim est Dei abundantis, accipere verò est hominum indigentium. Actor. 20. 35. Vide ibi dicta.

Beatitudo Dei in quo sita?

VERS. 2. ET QUI ANTE LÆSI FUERANT, QUIA NON LÆDEBANTUR, GRATIAS AGEBANT, ET UT ESSET DIFFERENTIA DONUM PETEBANT] Rursum nonnulli ad Hebræos, alii ad Ægyptios hæc referunt; Græcè enim est: *Et quia ante læsi non nocent, gratias agebant*, q. d. Ægyptii gratias agebant Hebræis, quòd in se tenebris positos non læserant, cùm ab iis ante fuissent læsi & oppressi. Unde Vatabl. vertit: *Quod autem iniuria lacessiti non læderent, gratias agebant ipsis, & inimicitiarum veniam rogabant*. Poterant enim Hebræi Ægyptiis in tenebris quasi colligatis talionem rependere, & iniurias suas ulcisci, eosque vexare & cruciare, si voluissent.

Verùm Vulgata exigit hoc accipi de Hebræis, q. d. Hebræi, qui ante læsi erant ab Ægyptiis, dum viderent se tenebris & plagis Ægyptiorum non tangi, nec lædi, adeoque ab ipsis Ægyptiis amplius lædi non posse, gratias agebant Deo. Et hoc significat Græcum, *quia non nocent*, id est, quia Ægyptii Hebræis amplius nocere non poterant, *Et ut esset differentia donum petebant*, q. d. Hebræi petebant à Deo, ut hoc discrimen differentis providentiæ, putà castigationis Ægyptiorum & servationis Hebræorum continuaret, ac perpetuum faceret, scilicet ut plagæ, quæ tangebant Ægyptios, non tangerent Hebræos; hoc est, quod ait Moyses Exodi 11. 7. *Ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios ab Israel*.

Porrò S. Bonavent. Lyran. Hugo, & Dionys. sic legunt: *Ut esset differentia donum, te Deum* (Holcot *te Dominum*) *donum petebant*. Græcè pro *differentia* est, διαφορῆμα, id est, *differendi*, quod Vatabl. & Nannius accipiunt pro *dissidendi*, unde vulgò differentias unius ab altero vocamus dissidia; hinc vertit: *inimicitiarum gratiam* vel *veniam rogabant*. Χάρις enim & donum & gratiam significat, vel ad verbum, ut rectè ait Noster à Castro: *& quòd inimicati essent, sive quòd se inimicè erga ipsos gessissent*, aut *differentias*, hoc est, contentiones & inimicitias *contra ipsos exercuissent gratiam orabant*, putà petebant, ne ipsos Israelitæ ut inimicos tractarent, ut possent; nolebant enim Israelitas habere inimicos, quos metuebant. Videbant illos habere summam ulciscendi facultatem, deerat tantùm voluntas, quæ in animo offenso atque inimico inest. Idcirco postulabant hanc gratiam ab illis, ne inimicarentur, ne scilicet inimicitias ad ipsos exercerent, quod dixit vulgatus *ut esset differentia*, hoc est, ut longiùs secederent, & à seipsis discederent, postulabant: sæpè enim plagis affectis, & calamitatibus propter eos afflicti, eos abire compellebant. Unde Exod. 10. 7. *Dixerunt servi Pharaonis ad eum; Usquequò patiemur hoc scandalum? dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo: Nonne vides quod perierit Ægyptus?* Et c. 12. 33. *Urgebant Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes; Omnes moriemur*. Hæc à Castro, qui hisce verbis tertium innuit sensum, quo differentia sumitur pro distantia & discessu. Ægyptij enim petebant ut Hebræi, propter quos tot plagis à Moyse afficiebantur, à Pharaone dimitterentur, itaque Ægypto egrederentur, ac loco à se different, & distarent, nequid ampliùs ab eis paterentur. Verùm prior sensus planior est & plenior.

PROPTER QUOD IGNIS ARDENTEM COLUMNAM DUCEM HABUERUNT IGNOTÆ VIÆ, ET SOLEM SINE LÆSURA BONI HOSPITII PRÆSTITISTI] VERS. 3. Vatabl. *Quippe tu columnam igneam itineris ignoti ducem, & ad magnificam peregrinationem solem innocuum his exhibuisti*.

Pro *propter quod*, græcè est, ἀνθ' ὧν, id est, *propter quæ* vel *pro quibus*, quod primò Vatab. opponit *quippe* vel *propterea quod*. Rationem reddit, inquit, cur lux ampla

suppeteret sanctis, quia scilicet lux hæc fuit columna A ignis lucidissima, quæ noctu tota Hebræorum castra illuminabat. Verùm lux illa ampla vel maxima, de qua v. 1. Fuit tempore tenebrarum triduanarum Ægypti, iis enim opponitur; columna ignis autem dete fuit Hebræis post egressum ex Ægypto; quare lux ille maxima nequit esse columna ignis.

Secundò & genuinè, τὸ *propter quod* referas ad id, quod proximè præcessit, *& ut esset differentia, donum petebant*, q. d. Quia Hebræi luce maxima differebant, & præcellebant Ægyptios in densa caligine positos, petebantque hanc differentiam & præcellentiam sibi Dei dono continueri & perpetuari, propter hoc Deus preces eorum exaudiens, continuavit eis hanc lucis statusque differentiam, dando eis columnam ignis lucidissimam, quæ Hebræis noctu lucem clarissimam præberet, quando Ægyptii nocturnis obvolvebantur tenebris: & sic columna hæc ignis tenebris Ægypti per quamdam prorogetionem continuendo opponitur.

Tertiò, Noster à Castro, tertiæ *differentia* explicationi paulo antè datæ insistens: Quia Ægyptii, inquit, po- B stulabant Israelitas abire, & longè à se recedere constricti angustia plagarum, quibus afficiebantur: propterea tu ô Domine eduxisti eos de Ægypto, & itineris ducem te præbuisti per columnam ignis & nubis.

Quartò, idem τοῖνῦν ἀν, id est, *pro quibus* refert ad Hebræos, pro quibus ô Domine ducendis tuendisque illa itineris adiumenta præbuisti, quæ referuntur Exodi 13. 21. illis verbis: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: ut dux esset itineris utroque tempore. Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.*

Quintò, Noster Lorinus, *propter quod*, quia scilicet Hebræi læsi noluerunt se vindicare, ac lædere Aegyptios. Aut, quia Deo grati gratas egebant gratias: Præmium, inquit, hoc fuisse scribitur, sive benignitatis Hebræorum se, cùm possent, non ulciscentium de Aegyptiis, quos oppresserant tenebræ; sive potius grati adversus Deum animi. Solet enim gratus animus benefactorem ad nova conferenda beneficia provocare. Simile fuit C cap. 16. 20. cùm post famem Aegypti subiungit per antithesin: *Pro quibus angelorum esca nutrivisti populum tuum.*

Pro *ignis ardentem*, græcè est una vox, πυριφλεγῆ, id est, igneardentum, ignitam, igniflammeam, quia speciem habebat flammæ, ut frigus noctis dispelleret suo calore, sed ita moderato, ut Hebræos non ureret. Adde *ardentem* per catechresin idem esse, quod splendentem, fulgurentem instar ignis. Sic vocamus castra ardentia, id est, fulgurantia. Et Virgil. 4. Æneid. *ardentem*, id est, splendentem *murice lanam*.

HABUERUNT) Hæc vox non est in Græco, ubi τὸ *columnam*, ceterique accusativi pendent & reguntur à verbo *præstitisti*, sed in hoc verbo intelligitur τὸ *habuerunt*. Unde noster claritatis causa id expressit.

SOLEM SINE LÆSURA) id est, non lædentem, non urentem Græcè ἀβλαβῆ, id est, innocuum. Ita vocat columnam ignis per appositionem, q. d. Columna ignis, quæ Hebræorum dux itineris præibat in deserto, noctu clarissima luce totis Hebræorum castris præfulgebat, adeo ut videretur esse sol quidam nocturnus solisque jubar, ita tamen ut Hebræos non torreret, nec læderet: sol inquam *boni hospitii*, græcè ἡλίου φιλοτίμου ξενιτείας, id est honorificæ peregrinationis, magnifici pretiosique hospitii, quia scilicet columna hæc quasi sidus cæleste, magnificè Hebræis prælucebat ad peregrinationem continuam in terram promissam, ac bona hospitia, id est, commodas stationes in deserto per 40. annos eis indicabat. Insuper eos per diem velut hospitii tectum, nube sua tegebat contra solis æstum. Nam columnæ dux, præses, auriga & motor erat angelus, qui columnæ ignem ita noctu attemperabat, ut Hebræos illuminaret, non vero ureret, & per diem columnæ nubem ita dilatabat, ut tota Hebræorum castra operiret, eaque ab æstu solis velut umbraculum supernè protegeret. Hinc vocatur columna nubis per diem & ignis per noctem, quia per diem erat opaca ut nubes, per noctem splendida ut ignis. Ipsa ergo erat quasi sol magnificæ peregrinationis, id est, lux & dux magnifici exercitus Hebræorum peregrinantis in

Columna nubis fuit sol boni hospitii.

A terram sanctam. Hic enim exercitus incedebat quasi acies cælestis ordinatissima, & quasi tota Ecclesia Israelis militans Deo, ideoque invicta, cui nil resistere poterat, quin omnia sibi subigeret; nam Deus per angelum columnæ præsidem eam ducebat, tegebat, regebat, ac pro ea pugnabat.

Alludit ad solem, qui uti temporum & tempestatum: sic & locorum ac hospitiorum, commodorum vel incommodorum dat signa, imò velut causa illa ipsa efficit. Nam cùm sol mutat in vultu suo colorem, mutat & temporum locorumque sortes, ut ait Virgil. 1. Georg. *Sol signat dies & loca.*

Cæruleus pluviam denuntiat, igneus Euros.
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tunc pariter vento, nimbisque videbis
Fervere. Et post pauca:
Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis.
Sol tibi signa dabit: solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque & operta tumescere bella.
Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cùm caput obscura nitidum ferrugine texit.

Et Claudianus in fratres:

Sol qui flammiferis mundum complexus habenis,
Volvis inexhausto redeuntia sæcula motu,
Sparge diem meliore coma.

Hinc læta sunt hospitia, ubi lucidi sunt soles, tristia & mœsta, ubi obscuri & nubili. Sol enim luce sua locis omnibus lætitiam & vitam aspirat.

Alleg. Simili modo stella ducens Magos ad Christum, fuit eis & gentibus sol magnificæ peregrinationis. Unde de ea canit Prudentius: *Uti fuit stella Magis dux ad Christum.*

Stella quæ solis rotam vincit decore & lumine.

Tropol. talis pariter est fides, ac illustratio & vocatio Spiritus sancti, qua hunc ad martyrium illum ad religionem, istum ad sacerdotium, &c. vocat & impellit. Vide dicta Exodi 13. & num. 9. 15. & seq.

DIGNI QUIDEM ILLI CARERE LUCE, ET PATI CARCEREM TENEBRARUM, QUI INCLUSOS CUSTODIEBANT FILIOS TUOS, PER QUOS INCIPIEBAT INCORRUPTUM LEGIS LU- C MEN SÆCULO DARI] Pro *incipiebat dari*, græcè est, ἤμελλε δίδοσθαι, id est, *dandum* erat. Vatabl. *prodendum erat*; alii, *debebat dari*; alii, *per quos integerrimum legis lumen orbi erat impertiendum*. Hebræis enim à Deo data est lex & vera Dei religio in Sina. Exodi 19. quæ deinde ab eis toti orbi communicata est. VERS. 4.

Sensus est, q. d. Justè & congruè Ægyptii puniti sunt densis tenebris, eò quòd ipsi Israelitas, per quos lux legis divinæ toto orbi spergenda erat, captivos detineret, itaque simul ipsam quasi lucem legis incarcerare, obscurare, & extinguere conarentur. Quocirca ob extinctum, quoad ipsis licuit, duplex lumen, primò scilicet externum, id Hebræis eripiendo; secundò internum, veræ religionis cognitionem respuendo; duplici caligine puniti sunt, materiali scilicet in corpore, & spirituali in mente.

Legem vocat incorruptam; Primò, quia integra est, justa, pura, sancta, immaculata, convertens animas. Psalm. 18. 8. Secundò, quia numquam corrumpitur, vel aboletur, sed semper durat vel in se vel in suo antitypo, quod repræsentat. Lex enim vetus ceremonialis duret D in Christi mysteriis & Sacramentis legis novæ, quæ per veteris ceremonias fuerunt significatæ & adumbratæ; Tertiò, quia sui observatores ducit ad vitam incorruptibilem & felicitatem æternam.

CUM COGITARENT JUSTORUM OCCIDERE INFANTES, ET UNO EXPOSITO FILIO, ET LIBERATO, IN TRADUCTIONEM ILLORUM, MULTITUDINEM FILIORUM ABSTULISTI, ET PARITER ILLOS PERDIDISTI IN AQUA VALIDA] Græcè: *Cùm decrevissent autem ipsos sanctorum occidere infantes, unusque expositus puer* (Moyses) *ad castigationem eorum esset servatus, tu multitudine liberorum orbasti illos, aquarumque vi simul omnes perdidisti.* Pro *in traductionem*, græcè, εἰς ἔλεγχον, id est, in correptionem, redargutionem, castigationem. Sensus est, quasi dicat: Cùm Pharao & Ægyptii consilium cœpissent Hebræorum infantes, putà masculos omnes mergere in Nilo, unus ex eis à matre expositus à Deo servatus est, putà Moyses, qui Ægyptiorum tyrannidem castigaret, ac vicissim eos multitudine filiorum privaret, VERS. 5.

oc-

occidendo primogenitos eorum, ac deinde omnes, qui Hebræos persequebantur mergeret in mari rubro. Congrua enim fuit hæc talionis pœna, ut qui Iſraelem primogenitum Dei populum afflixerant, primogenitis ſuis mulctarentur; & qui infantes Hebræorum merſerant in Nilo, ipſi pariter mergerentur in mari rubro. Vide dicta Exodi 1. & 2. Ita Cantacuzenus. Vatabl. Janſen. & alii. Quare perperam nonnulli veteres Græcæ linguæ imperiti, per traductionem accipiunt eductionem Hebræorum ex Ægypto.

Vers. 6. ILLA ENIM NOX ANTE COGNITA EST A PATRIBUS NOSTRIS, AT VERE (Græcè ἀσφαλῶς, id eſt, ſecurè & certò) SCIENTES QUIBUS JURAMENTIS CREDIDERUNT, ANIMÆQUIORES ESSENT] Græcè ἐπευθυμήσωσι, id eſt, lætarentur, hilareſcerent, animoſiores & fidentiores fierent. Senſus ergo eſt: quaſi dicat Nox illa Paſchalis, qua ab angelo percutiente occiſa ſunt omnia primogenita Ægyptiorum, tam in hominibus, quàm in animalibus, prævisa & prædicta fuit, tùm à Moyſe Exodi 4. 22. & clariùs capite 11. verſ. 5. tùm quoad rem, putà quoad ſtragem Ægyptiorum & liberationem Hebræorum, licèt non quoad modum & tempus noctis, præcognita, & à Deo cum juramento promiſſa fuit Abrahæ. Geneſ. 15. v. 14. & ſequent. & Iſaac Geneſ. 26. 3. & Jacob Geneſ. 28. v. 13. & ſeq. Idque hoc fine, ut Hebræi videntes hæc Dei promiſſa impleri, ei planè crederent & confiderent, ac in eo, ejuſque ſingulari providentia læti & ſecuri acquieſcerent, non dubitantes, quin Deus ſimili modo ipſis cetera ſua promiſſa opere compleret, ac reipſa daret illis terram Chanaan poſſidendam lacte & melle manantem, qui erat ſcopus promiſſionum Dei, & terminus peregrinationum Hebræorum.

Vers. 7. SUSCEPTA EST AUTEM A POPULO TUO SANITAS QUIDEM JUSTORUM, INJUSTORUM AUTEM EXTERMINATIO] Græcè: *Suſcepta eſt autem à populo tuo, ſalus quidem juſtorum, hoſtium verò perditio.* Explicat τὸ *animæquiores eſſent*, vel ut græcè eſt, *lætarentur*, q. d. Populus tuus vidit, & cum gaudio excepit ſalutem juſtorum, id eſt, ſuorum primogenitorum, quos ſalvaſti & illæſos cuſtodiſti ab angelo percutiente, ac ſimul vidit interitum injuſtorum, id eſt, primogenitorum Ægypti infidelium, quos idem angelus nocte Paſchali morte percuſſit. Unde Vatabl. vertit: *populuſque tuus & ſalutem juſtorum vidit, & hoſtium interitum.* Magnum enim & duplex, imò triplex fuit Hebræorum hic gaudium, primum, quòd ſe viderent illæſos à plaga: ſecundum, quòd viderent hoſtes ſuos Ægyptios eadem lædi & occidi: tertium, quòd viderent eos occidi propter ſe, ut videlicet hac plaga perculſi victique cederent Moyſi & Deo, ac Hebræos liberos ex Ægypto abire permitterent, uti reipſa permiſerunt. Sic in Scrip. crebrò legimus, quòd quoties Deus populum ſuum ab hoſtibus liberavit, id fecerit cum hoſtium ultione & pernicie, ut hac ratione amorem curamque paternam erga populum ſuum oſtenderet, eiſque gaudium, hoſtibus verò mœrorem duplicaret & triplicaret. Ultio enim hoſtium oriebatur ex amore amicorum & filiorum, putà Hebræorum. Id videre eſt paſſim in libris Judicum, Regum, Machabæorum ceteriſque hiſtorialibus.

Paulò aliter explicat Noſter Lorinus, q. d. Concepit populus ſpem ex illis jurejurando firmatis divinis promiſſis fore, ut conſequeretur quidem ipſe ſalutem, adverſarii verò interitum; vel reipſa poſtea deprehenderunt veritatem promiſſorum, licet aliquando addubitaſſent.

Vers. 8. SICUT ENIM LÆSISTI ADVERSARIOS, SIC ET NOS PROVOCANS MAGNIFICASTI] Idem dicit & exaggerat. Pro *provocans*, græcè eſt, προσκαλεσάμενος, id eſt, advocans, convocans, provocans ſcilicet Deus per Moyſem Hebræos ad ſui cultum & amorem. Exodi 12. Pro *ſic* noſter legit, οὕτως, jam legunt, τούτῳ, id eſt, *eo*. Pro *læſiſti*, græcè, ἐτιμωρήσω, id eſt, caſtigaſti, puniviſti, vindicaſti injuriam populo tuo, ideoque tibi ab Ægyptiis illatam. q. d. Sicut caſtigaſti Ægyptios populo tuo, ideoque honori tuo injurios, ſic vice verſa eadem caſtigatione provocans, & convocans Hebræos ad tui cultum magnificaſti, id eſt, magna gloria illuſtraſti, cùm enim victis Ægyptiis glorioſè per tot ſigna & portenta ex Ægypto armatum eduxiſti, & triumphantem in Chanaan induxiſti. Unde ex Græco legendo, τούτῳ, & ὡς, id eſt, *ſicut*, accipiendo pro *cùm*, ſic vertas cum Vatabl. *Cùm enim inimicos noſtros ulciſceres, tum nos convocatos gloria illuſtraſti.* Et ſignificantiùs cum Noſtro à Caſtro: *Cùm enim puniviſti adverſarios, eo vel ea re nos vocatos gloria affeciſti*, hoc eſt, cùm ſupplicium ſumpſiſti de inimicis, ea re nos gloria & honore affeciſti: tuam in ea quidem ultione & amor Dei erga ſuos, & honos, quem illis habet, perſpicitur. Caſtigatio ergo & depreſſio inimicorum, eſt amicorum exaltatio & glorificatio. Ideo enim Deus caſtigat infideles, ut fideles ſuos exaltet & magnificet.

Vers. 9. ABSCONSE ENIM SACRIFICABANT JUSTI PUERI BONORUM, ET JUSTITIÆ LEGEM IN CONCORDIA DISPOSUERUNT. SIMILITER ET BONA ET MALA RECEPTUROS JUSTOS, PATRUM JAM DECANTANTES LAUDES] Græcè: *Occultè enim ſacrificabant ſancti pueri bonorum, ac divinitatis legem in concordia diſpoſuerunt; eorum pariter et bonorum & periculorum participes futuros juſtos, patrum jam præcinentes laudes.*

Explicat τὸ *provocans magnificaſti*, q. d. Cùm nos ad tui cultum per Moyſem in nocte Paſchali vocares & provocares, ut nos magnificares & exaltares, nos Moyſi tibique obedientes, vocationem & provocationem tuam ſecuti ſumus. Nam juxta tuum Moyſiſque juſſum abſconſè, id eſt, clanculum ob metum Ægyptiorum, pro felici exitu ex Ægypto immolavimus & ſacrificavimus tibi agnum Paſchalem, nos inquam, qui ſumus *juſti*, id eſt, fideles tui, & *pueri bonorum*, id eſt, filii ſanctorum Patriarcharum Abrahæ, Iſaac, & Jacob; tumque *juſtitiæ legem*, græcè *divinitatis*, id eſt, *divinam legem in concordia diſpoſuimus*, id eſt, concorditer unanimi conſenſu ſtatuimus legem Dei ſervare: *Similiter bona & mala recepturos*, ut ſcilicet ſimiliter & æqua ſorte pateremur mala & bona pro lege Dei, ac conſtanter & unanimiter omnia adverſa, etiam exilium & mortem pro ea ſubiremus, ideoque inter epulum agni Paſchalis decantavimus *laudes patrum*, qui pro Deo conſtantiſſimè perſecutiones & ærumnas quaslibet pertulerunt.

ET JUSTITIÆ Græcè θειότητος, id eſt, *divinitatis* LEGEM) Quæres, quænam ſit lex divinitatis? Primò, aliqui accipiunt legem de immolando agno Paſchali à Deo ſancitam. Ita Gloſſa, S. Bonavent. & Hugo. Secundò, alii accipiunt legem à Moyſe de præparando ſe ad exitum ex Ægypto Hebræis præſcriptam, & quamvis aliam à Deo in Sina præſcribendam. Exodi 19. Ita Lyran. Tertiò, preſſiùs Noſter à Caſtro accipit legem juſtitiæ legalis, ſive concordiæ civium, quam ſubjicit ſapiens, qua ſe omnes Hebræi coram Moyſe & Aarone ad Dei cultum, & pro eo ad omnium rerum communionem conſtringebant, & in egreſſu, & in profectione, & in ingreſſu terræ promiſſæ divinitatis legem vocat, quòd obedientes præcepto Dei præcipientis, ut omnes ſimul exirent, uno conſenſu ſtatuerunt & in mortem & in vitam abire, ut tamquam unus populus, & bonorum eorumdem & periculorum ſimiliter fierent participes. Sic & Janſen. ac Vatabl. *Lex divinitatis quæ? Reſp. Primò. Secundò. Tertiò.*

Accedit Cantacuzenus, qui aſſerit Hebræos nocte Paſchali inter ſacrificandum promiſiſſe ſe leges Dei, ſive quidquid Deus præciperet ſervaturos. Et Oſorius: Lex, inquit, juſtitiæ & divinitatis erat, ut vitæ officia dirigerent ad ſanctitatis legem, ſive ad rationes juſtitiæ & ſanctitatis æternas, quæ ſunt in mente & voluntate Dei. Tunc enim Hebræi ab Ægyptiis idololatris ſe ſequeſtrantes, quaſi in unum Dei populum unamque Eccleſiam militantem coeuntes, reipſa profeſſi ſunt ſe velle Deo vero ſervire, ac in illius religione cultuque quaſi ſacramento militari ſe obſtrinxerunt, ſcilicet ſe pro lege Dei unanimiter decertaturos uſque ad mortem. Hoc enim fuit vetus teſtamentum, ſive pactum cum Deo ab Hebræis initum, ſicut novum teſtamentum ſive pactum eſt, quod Chriſtus cum Apoſtolis & fidelibus inſtituit, præſertim in ultima cœna, illudque ſanxit ſacrificio ſui corporis Euchariſtia.

SIMILITER ET BONA ET MALA RECEPTUROS JUSTOS) Vatabl. *Sanctos eorumdem bonorum & periculorum ex æquo conſortes fore*, ſicut ſocii in bello promittunt & jurant ſibi fidelitatem, omniaque bona &

mala singulis fore communia, ut eadem pericula & adversa omnes subeant usque ad mortem. Sic enim in sancto hoc fœdere Hebræi conspirabant, & quasi conjurabant in Dei veri cultum & obedientiam, ac in mutuam societatem, ut omnia tristia æquè ac læta unanimiter subirent; quod erat divina in Ecclesia Societate consœderari, & quasi contesserari. A

PATRUM JAM DECANTANTES LAUDES] Minus rectè Lyran. legit, *Patri omnium*, id est, Deo. Et Bonavent. & Hugo. *Patrias laudes*. Græca enim & Romana habent *Patrum laudes*, græcè est, πατέρων ἤδη προαναμελπόντων αἴνους, id est, *Patribus jam præcinentibus laudes*, id est, patribus inchoantibus hymnos, quos deinde filii prosequerentur, uti factum est post transitum maris rubri Exodi 15.

Verùm Complut. & Vulgata legunt, προαναμέλποντας, id est, *præcinentes*, ubi τὸ *præ* innuit Hebræos cœpisse canere has laudes, antequam Ægyptii sua lamenta ob primogenitorum cædem inchoarent. Unde Vatabl. hanc clausulam ad sequentia eorum lamenta referens, iisque per antithesin opponens, sic vertit: *Et patribus* B *jam hymno præcinentibus inimicorum contra clamor inconditus clarescebat, comploratioque miserabilis puerorum exoriebatur*; idque magis patebit v. sequenti, ubi pro *resonabat*, græcè est, ἀντήχει, id est, ex altera parte, & quasi ex altero choro sonabat, & respondebat.

Laudes Patrum. Primo. Porrò laudes patrum accipi possunt Primò, laudes quibus Hebræi patres suos, qui hanc posterorum ex Ægypto liberationem prædixerant, imò sua sanctitate meruerant, laudabant. Ita Cantacuzenus, q.d. Hebræi celebrantes epulum agni, ut eo peracto egrederentur ex Ægypto, visa cæde primogenitorum Ægypti, seque ab illa immunes existere, laudabant suos patres Abraham, Isaac, & Jacob, quibus hic exitus à Deo fuerat promissus: itaque se mutuò beatos prædicabant, quod tales habuissent patres, qui omni laude digni essent. Unde sibi mutuò congratulentes de iis, deque eorum prophetia, quam jam adimpleri cernebant, exultantes Deo Eucharisticum carmen modulabantur; Secundò, per laudes patrum accipi possunt hymni à patribus ad Deum laudandum compositi, & posteris per manus avorum traditi, ut iis quoque instar patrum Deum laudarent; Tertiò, per laudes patrum intelligi possunt hymni à Moyse & Aarone compositi, ut iis Hebræi inter sacrificium epulumque agni Deum laudarent, ipsique gratias agerent, quales hymni & doxologiæ extant etiamnum, apud Hebræos in rituali Paschæ, atque ab iis in celebratione agni Paschalis canuntur. Unde & Christus celebrato Pascha, *hymno dicto exivit cum discipulis in montem Olivarum* Matth. 26.

Secundo. Tertio.

Graphicè hic depingit ultimam plagam Ægyptiorum, putà cædem primogenitorum tam hominum, quàm animalium ceterorum, quæ planè discriminavit & dispescuit Hebræos ab Ægyptiis: Angelus enim percussor transiens & transiliens domos Hebræorum, quos velut Dei populum reveritus tangere non audebat, insiliebat in domos Ægyptiorum, eorumque primogenita omnia occidebat, indeque institutum & nuncupatum est festum Paschæ. Pascha enim Hebr. idem est, quòd transitus vel transultus, scilicet angeli percutientis: radix enim *pasach*, significat transire, vel potiùs transilire.

Angeli percutientes Romæ. Similis transitus & percussio angeli fuit Romæ sub Agathone Papa, anno Domini 680. quo Paulus Diaconus libr. 6. de Gestis Longobard. cap. 5. scribit visibiliter multis Romæ apparvisse bonum & malum angelum noctu per civitatem pergere, & quoties ex jussu boni angeli malus venabulo, quod in manu ferre videbatur, ostium domus alicujus percuteret, tot de eadem domo die sequenti homines interirent. Tuncque per revelationem cuidam dictum esse, pestem non priùs quieturam, quàm in Basilica sancti Petri ad vincula poneretur altare sancti Sebastiani martyris: eo verò facto pestem protinus cessasse. Hæc ille. Extat autem ibidem hactenus integrum ipsum altare, nec non ejusdem sancti martyris imago musico opere expressa: sed & ex hoc propagata ad posteros religio est, ut pestis tempore, voti causa imago ejusdem sancti Sebastiani diversis in locis pingi soleret, atque in ejus memoriam altaria erigi & Ecclesias fabricari.

RESONABAT AUTEM INCONVENIENS INIMICORUM VOX, ET FLEBILIS AUDIEBATUR PLANCTUS (græcè οἰκτρὰ, id est, *miserabilis*) PLORATORUM INFANTIUM] Pro *resonabat*. Vers. 10
Græcè est, ἀντήχει (unde nomen *Echo*, id est, resonantia vocisque reverberatio) id est, ex adverso sonabat, & quasi ex altero choro, ἀντίφωνος, antistrophè responsabat: ponit enim hic quasi duos choros sibi responsantes, sed dissona voce & tono, ideoque sibi adversantes, unum Hebræorum præ gaudio incolumitatis suæ hymnos canentium, alterum Ægyptiorum mortem primogenitorum suorum miserebiliter deplorantium. Ita Vatabl. cujus versionem & verba jam recensui. Hinc pro *inconveniens*, græcè est, ἀσύμφωνος, id est, inconcinnus, inconditus, dissonus, q.d. Erant hic φωναὶ, non σύμφωνοι, sed ἀσύμφωνοι, id est, erant soni non consoni sed dissoni; quare miram non symphoniam & consonantiam, sed dissonantiam efficiebant. Comploratiοni enim Ægyptiorum responsabat exultatio Hebræorum, Malè autem & inconcinnè respondet chorus exultantium choro complorantium, juxta illud: *Musica in luctu importuna narratio*. Ecclesi. cap. 22. 6. Pro *audiebatur*, græcè est, διεφέρετο, id est, quaquaversum differebatur & spargebatur. Pro *ploratorum*, græcè est, θρηνουμένων, quod aliqui vertunt activè *plorantium*, putà primogenitorum, qui plorabant cùm occiderentur ab angelo percutiente. Verùm angelus eos subitò occidit, nec eis tempus plorandi dedit) exceptis paucis, quos in pœnam parentum ad tempus semivivus reliquit, de quibus vers. 18. (unde Exodi 12. 29. referuntur parentes duntaxat planxisse cædem suorum primogenitorum, non verò ipsi primogeniti. Quare meliùs Noster vertit passivè *ploratorum*, quorum scilicet necem parentes deplorabant.

SIMILI AUTEM POENA SERUUS CUM DOMINO AFFLICTUS EST, ET POPULARIS HOMO REGI SIMILIA PASSUS] q. d. Strages hæc primogenitorum fuit universalis omnibusque communis; tam enim primogenita servi vel popularis, id est, plebei, quam domini vel regis Pharaonis occisa sunt ab C angelo, ut patet Exodi 12. 29. Nullus ergo, ne rex quidem ab hac plaga immunis extitit. Vers. 11.

SIMILITER ERGO OMNES, UNO NOMINE MORTIS, MORTUOS HABEBANT INNUMERABILES. NEC ENIM AD SEPELIENDUM VIVI SUFFICIEBANT, QUONIAM UNO MOMENTO, QUÆ ERAT PRAECLARIOR NATIO ILLORUM, EXTERMINATA EST) Pro *similiter*, græcè est, ὁμοθυμαδὸν, id est, uno animo, communi consensu communi voce & comploratione: Nam ut narrat Philo libr. de Vita Moysis *Prima luce cum quisque suos carissimos inopinata nece sublatos videret, cum quibus superiore die suaviter usque ad vesperam convixerat, ut in publico luctu gravissima comploratione impleverunt omnia. Cum enim nemo esset exors ejus calamitatis, unus erat clamor omnium, unusque luctus detinebat regionem universam quacumque patebat. Qui tantisper dum intra privatos parietes se continebat, singulis aliena mala ignorantibus, privatus etiam tum videbatur. Ubi verò alii didicerunt, ex aliis geminabatur comploratio, in tantam gravante dolore publico,* D *ut nullus consolator existeret: quis enim solaretur alterum indigens ipse consolatione?* Vers. 12.

UNO NOMINE MORTIS) Hoc est, eodem mortis genere, puta eadem plaga inflicta ab angelo: quia enim eadem omnium Ægyptiorum erat culpa, putà oppressio Hebræorum, ac præsertim infantium occisio, hinc pariter eadem omnium fuit pœna, eaque crimini congrua, putà primogenitorum cædes. Sic nomen sumitur pro genere vel specie apud Virgil. cùm ait:

Omnia pœnarum percurrere nomina (id est, genera) *possem*. Et:
——Tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.

Rursum nomina vocantur debita, eorumque syngrapha, ait Budæus; unde *nomina exigere*, est debita repetere apud Ciceronem. Quare *in nomine*, id est, in culpa & debito mortis. Nam, ut dixi, omnes Ægyptii erant rei mortis ab oppressionem Hebræorum. Denique propriè *uno nomine*, id est, eadem de causa, putà ob idem crimen: nomen enim sæpè pro causa usurpatur. Nomen pro causa & culpa.

NEC

NEC ENIM AD SEPELIENDUM VIVIS SUFFICIEBANT) Nulla enim erat domus, in qua non esset mortuus sepeliendus, imò in eadem sæpè erant plures primogeniti, v. g. primi filii fratrum, sororum, ancillarum, qui omnes occidebantur ab angelo. Accedit, quòd Ægyptii in sepeliendo, ungendo, reliquaque pompa funeris & sepulturæ erant morosi, longi & exquisiti præ ceteris gentibus, ut patet Genes. 50. 2. Insuper angalus occidit primogenita animalium æquè ac hominum, ut patet Exodi 11. v. 5. hæc autem sepelire debebant, ne aerem tabe inficerent.

PRÆCLARIOR NATIO ILLORUM) id est, proles honoratio: tales enim sunt primogeniti, qui ceteris prolibus anteferuntur.

Vers. 13. DE OMNIBUS ENIM NON CREDENTES PROPTER VENEFICIA, TUNC VERO PRIMUM CUM FUIT EXTERMINIUM PRIMOGENITORUM, SPOPONDERUNT POPULUM DEI ESSE) Græcè: *Qui cum nihil credebant propter veneficia, in primogenitorum interitu confessi sunt Dei filium, populum esse*. Vatahl. *Nam cum propter præstigias omnia credere recusarent, post cladem primogenitorum populum, Dei filium* (id est, Deo charissimum) *esse confessi sunt*. Nonnulli legunt *beneficia*, sed legendum cum Roman. & Græcis *veneficia*, quæ scilicet sunt maleficorum & sagarum beneficia. Græcè est, φαρμακειῶν, id est, incantationes, præstigias, magicas artes, quibus Magi Pharaonem & Ægyptios ita dementarant, ut Muysi per Deum tot plagas inferenti fidem non adhiberent, nec Hebræos esse populum Dei crederent.

SPOSPONDERUNT) Græcè ὡμολόγησαν, id est confessi sunt *populum Dei esse*, q. d. cùm Pharao & Ægyptii antea nollent credere Moysi & Deo, eò quòd viderent Magos suos suis veneficiis, & incantationibus quædam mira facere similia iis, quæ faciebat Moyses; posteà tamen videntes tantam, tamque universalem & conformem cædem primogenitorum, adeò attoniti & perculsi fuere, ut confessi & palam professi sint Israelem esse populum Dei, idque adeo certò & firmiter, ut pro eo spondere auderent seque vades & sponsores exhibere, præsertim cùm eadem nocte qua egressus est Israel ex Ægyptu, omnia Ægypti templa, vel fulminibus, vel terræmotibus eversa sint, uti tradunt Hebræi, & ex iis S. Hieron. epist. 127. ad Fabiolam. Quocirca Ægyptii Hebræos Ægypto exire non tantùm permiserunt, sed & urserunt ac coegerunt.

Templa Ægypti corruere.

Vers. 14. CUM ENIM QUIETUM SILENTIUM CONTINERET OMNIA, ET NOX IN SUO CURSU MEDIUM ITER HABERET.

Vers. 15. OMNIPOTENS SERMO TUUS DE CÆLO A REGALIBUS SEDIBUS, DURUS DEBELLATOR IN MEDIAM EXTERMINII TERRAM PROSILIVIT.

Vers. 16. GLADIUS ACUTUS INSIMULATUM IMPERIUM TUUM PORTANS, ET STANS REPLEVIT OMNIA MORTE, ET USQUE AD CÆLUM ATTINGEBAT STANS IN TERRA] Syrus: *Silentium enim & quies tenebat omnia, & in media nocte factus est stupor, verbum tuum, quod omnia potest, de cælo venit è throno regni admirabilis, bellatores media perditione evertet super terram, gladium acutum præcepto tuo, quod non accipit personam, attulit, & perfecit omne præceptum, atque ad cælum perveniens, & stetit super terram*; Arabicus: *Quoniam aqua apprehendit universas creaturas silentio quietis, & æquata* (vel facta) *est illa nox in æquilibrio: venit verbum tuum bellipotens, terribile, omnipotens de cælis usque ad medium inimicorum habentium regna, in perniciem eorum, ex terra, accinctum præcepto tuo imperante, carens simulatione, gladio terrificante.*

Pergit exaggerare ultimam Ægypti plagam, nempe cædem omnium primogenitorum, tam in animalibus, quàm in hominibus, quæ contigit nocte Paschali, putà 14. luna sive 14. die mensis primi, qui dicitur Nisan sub medium noctis, uti narratur Exodi 12. v. 29.

Sensus ergo est, q. d. In media nocte Paschali, cùm alta esset nox, indeque quies & silentium, cùm scilicet Ægyptii securè altum dormirent, ecce tibi repente de cælo sermo tuus, id est, iussio tua, sive edictum, sententia & mandatum tuum severum & pugnax, in Ægyptum exterminio a te destinatam desilit, gladius, inquam, acutus non fictum, sed sincerum tuum imperium portans, qui replevit omnia cæde & morte primogenitorum omnium, adeò ut videretur è cælo porrigeret se in totam Ægypti terram. Hunc esse sensum liquet ex ipsis Script. verbis, atque ex antecedentibus, & consequentibus. Ad litteram ergo loquitur de strage primogenitorum. Aegypto inflicta à Deo per Muysem, non de nativitate Christi: Illi tamen Allegor. hæc omnia accommodat Ecclesia in Officio Ecclesiasticu Nativitatis Christi (& Epiphaniæ) quam proinde statim post medium noctis, die 25. Decembris iam inchoante contigisse, communis est Doctorum & Ecclesiæ sensus: qua de causa ipsa statim post mediam noctem missam inchoat in festo nativitatis Christi, ex decreto S. Telesphori Papæ in sua epist. decretali cap. 2. quod & notavit Damasus Pont. in Vita Teleshpori. Vide Suarez 3. p. q. 35. sub finem. Idipsum satis colligitur ex illo Lucæ cap. 2. *Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum*. Nimirum noctu nascitur Christus, quia venerat noctem infidelitatis & peccatorum mundi, sancto suæ nativitatis fulgore discutere & illustrare. Porrò allegoria hæc apposita est & congrua. Sicut enim olim Deus sermone, sive verbo, id est, jussu suo: vel verbo, id est, per vindicem Sapientiam, ac per filium suum liberavit Hebræos ex Aegypto, cædendo primogenita Aegyptiorum, atque per hanc operationem & vindictam dicitur de cælo descendisse in Aegyptum: ita pariter in nativitate Christi propriè verbum Dei descendit ad unionem hypostaticam cum carne, & humanitate à se assumpta in terra, putà in utero B. Virginis, ut homines liberaret per suam redemptionem, passionem, crucem & gratiam exterminando & debellandu peccatum, mortem & diabolum. Ita S. Anselm. in Elucidario, Idacius contra Varimadum, Petrus Blesensis serm. 6. de Nativit Domini, imò Tertull. lib. 5. contra Marc. cap. 9. & 5. August. in psalm. 109. idem probant ex illo v. 3. *Ex utero ante Luciferum*, id est, ante auroram *genui te*.

Nocte natus est Christus.

Cur?

Adde incarnationem Verbi, quæ fuit quasi prima nativitas Christi, qua propriè de regalibus cælorum sedibus descendit in uterum beatæ Virginis factus homo, contigit nocte Paschali, putà 25. Martii, quo die Ecclesia in tanti mysterii memoriam celebrat festum annuntiationis B. Virginis. Nam 25. die Martii, uti mundus olim à Deo fuit creatus, ita post quatuor annorum millia eodem die fuit recreatus per Verbi incarnationem, ac eiusdem post 34. annos eodem die crucifixionem, & mortem. Hæc enim tria mysteria contigisse die 25. Martii, docui procemio in Acta Apost. initio Chronotaxeos.

Christus incarnatus est in Paschate 25. Martii.

Hac de causa Prisci Rabbini in libris Cabalæ, quos citat Ystella in Exodi cap. 18. v. 11 disp. 2. ita scribunt: *In eadem die* (15. Nisan, putà in Paschate) *redimendus est Israel in diebus Messiæ, sicut redempti sunt eadē die, de qua scribitur. In diebus egressionis tuæ ostendam mirabilia.* Quod nota, ad Judæos suorum Rabbinorum dictis revincendos. Hinc Ecclesia in benedictione cerei Paschalis, nocti Paschal... hæc concinendo dat elogia, partim litteralia, partim mystica: *Hæc enim sunt festa Paschalia, in quibus verus ille agnus occiditur, cujus sanguine postes fidelium consecrantur. Hæc nox est, in qua primum patres nostros filios Israel eductos de Ægypto, mare rubrum sicco vestigio transire fecisti. Hæc igitur nox est, quæ peccatorum tenebras columnæ illuminatione purgavit. Hæc nox est quæ hodie per universum mundum in Christo credentes, à vitiis sæculi & caligine peccatorum segregatos reddit gratiæ, sociat sanctitati. Hæc nox est, in qua destructis vinculis mortis, Christus ab inferis victor ascendit. Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset.* Unde admirabunda & exultans in hæc paradoxa exclamandu prorumpit: *O mira circa nos pietatis dignatio. O inæstimabilis dilectio charitatis! ut servum redimeres filium tradidisti. O certè necessarium Adæ peccatum! quod Christi morte deletum est. O felix culpa! quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem. O verè beata nox! quæ sola meruit scire tempus & horam, in qua Christus ab Inferis resurrexit. Hæc nox est, de qua scriptum est: & nox sicut dies illuminabitur: & nox illuminatio mea in deliciis meis. Hujus igitur sanctificatio noctis fugat scelera, culpas lavat, & reddit innocentiam lapsis, & mœstis lætitiam, fugat odia, concordiam parat, curvat imperia, &c. O verè beata nox! quæ spoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos.*

Noctis Paschalis Elogia.

Anagog. ex hoc cædis primogenitorum Aegypti media Paschali nocte peractæ typo, S. Chrysost. Theoph. & S. Hieron. (qui ait hanc esse Apostolicam traditionem) asserunt Christum eodem mediæ noctis tempore venturum ad judicium, ad maiorem terrorem reproborum, ut eos exterminet & deturbet in tartara. Alii tamen summo manè venturum putant. Nunc singula verba expendamus.

CUM ENIM QUIETUM SILENTIUM CONTINERET OMNIA (Ita Roman. & Græca. Alii legunt *continerent*. Utrumque verum: quies enim & silentium noctu occupat omnia, ac vicissim occupatur ab omnibus) ET NOX IN SUO CURSU MEDIUM ITER HABERET] Græcè: *Et nocte in propria velocitate dimidiata*, id est, sub mediam noctem vel paulò pòst dimidium noctis. Tunc enim facta est ab angelo cædes primogenitorum Ægypti, Exodi 12.29. Causa fuit, ut eò terribilior esset cædes, quò magis erat improvisa, obscura, & nocturna, ut hoc terrore perculsi Ægyptii obstinationem excuterent, ac missos facerent Hebræos. Unde Petrus Blesensis silentium hoc vocat conticinium, quod est tempus mediæ noctis post galli cantum.

Dei silentia sunt opera. Cur?

Causa tropologica fuit, ad arcanam divinæ majestatis vim & efficaciam repræsentandam. Nimirum Dei arcani & invisibilis arcana & obscura decet esse opera. Rursum Deo loquente sileant omnes creaturæ oportet, juxta illud: *Sileat a facie eius omnis terra*. Habacuc 2. 20. Et: *Silete a facie Domini mei*. Sophon. 1. 7. Et: *Sileat omnis caro a facie Domini*. Zachar. 2. 13. Hinc Syrus vertit: *In media nocte factus est stupor*. Moral. hic disce opera Dei & virorum divinorum, non se ostentare sed peragi in quiete & silentio. Ita generatio Christi divina, qua gignitur à Patre, est summè arcana: ac humana, qua conceptus & natus est ex B. Virgine, fuit secretissima. Quocirca Christus comparatur aquis: *Siloe quæ vadunt cum silentio*. Isaiæ 8. 6. ubi multa de fructu silentii dixi, ac plura Isaiæ 30. 15. ad illa: *in spe & silentio erit fortitudo vestra*. Hinc silentes sunt profundi cordis: *Altissima flumina minimo sono labuntur*, ait Curtius. Ex adverso loquaces levi sunt corde, nimirum: *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum*. Eccles. 21. 29. vide ibi dicta.

Sapientes silentes.

OMNIPOTENS SERMO) Græcum λόγος, & sermonem & verbum significat, puta jussionem & sententiam Dei, q. d. Sententia dura & aspera lata à Deo in solio cælesti, per angelum bellatorem in media nocte executioni mandata è cælo desilit. Ita à Castro.

Allegor. *Sermo* hic est ipsum Verbum incarnatum.

DE CÆLO) Complut. addunt *exiliens*, sed id meritò delent Roman. & Græci, mox enim sequitur *prosilivit*.

DURUS(ἀπότομος, id est, asper, sævus; Arabicus, *terribilis*.

DEBELLATOR) Græcè πολεμιστής, id est, *bellator*; Arabicus *bellipotens*, quia ut vertit, Syrus, *bellatores* (Pharaonem & Ægyptios) *media nocte evertit*. Juxta illud Exodi 15. 3. *Dominus conterens bella*, id est, bellatores inimicos. Chald. *Dominus victor bellorum*.

IN MEDIAM EXTERMINII TERRAM PROSILIVIT] Nimirum in Ægyptum exterminio à Deo addictam; græcè est, ὀλεθρίας, id est, exitialis, vel perniciosæ terræ, ut vertit. Vatabl. ideoque exitio addictæ. To *prosilivit*, vel ut Vatabl. *desilit*, notat Dei vindicis Ægyptios invadentis velocitatem, vim, iram, impetum & efficaciam inevitabilem.

Allegoricè: Christus ingenti virtutis & amoris saltu è cælo in terram desiliit factus homo, juxta illud: *Ecce venit iste saliens in montibus transiliens colles*. Cantic. 2. 8. In quæ verba commentans S. Bernard. serm. 53. in Cant. *En quantum saltum*, inquit, *dedit a summo cælo ad terras*. Saliit enim magno saltu de ultimè cælo in cœnum, è cœno in crucem, è cruce in infernum, inde resilit in terram, ac è terra in cælum.

GLADIUS ACUTUS INSIMULATUM IMPERIUM TUUM PORTANS] Græcè: *Omnipotens sermo tuus*, &c. *gladium acutum* (putà) *insimulatum imperium tuum portans*. φέρων enim cùm sit masculinum ad λόγος, id est, *sermo* referri debet, non ad ξίφος, id est, *gladium*, cùm sit generis neutri. Noster videtur legisse neutrè φέρον, itaque retulisse ad gladium: sed eòdem redit sensus, q. d. Sermo tuus ô Domine fuit quasi gladius acutus, qui *imperium tuum insimulatum*, Græcè ἀνυπόκριτον, id est, non hypocriticum, non simulatum, non fictum, non comminatorium, sed verum, sincerum, apertum, certum & efficax, planeque executioni mandandum (angelus enim percutiens non finxit se nolle percutere, cùm revera percuteret, sed quod fecit, hoc præ se tulit; nec tantùm comminatus est se velle occidere, sed reipsa accidit) portavit & detulit in Ægyptum. Porrò gladius in Script. significat quodlibet instrumentum, & quemlibet modum cædis, putà omnem cladem & stragem. Nam ut ait Varro lib. 4. de Lingua Latina. Gladius dicitur à clade, quòd fit ad hostium cladem, dum eos ferit, secat, & necat: Nam omnis corporis dolor consistit in sectione, sive divisione continui: nec enim angelus cædens primogenita Ægypti usus est gladio, aut eo opus habebat, sed per se immediatè primogenita Ægypti suffocando, lacerando, aliove modo lædendo necabat. Unde dicitur acutus, quia ut ait Apost. Hebr. 4. *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*.

Gladius dicitur à clade.

ET STANS] Scilicet λόγος, id est, sermo. Græcè enim est στὰς, masculinum, quod ad λόγον masculinum referri debet, non ad ξίφος, id est, gladium, quod est neutrum. Statio hæc irrevocabilem, & immobilem decretoriam Dei jussionem significat, æquè ac insimulatum imperium ejusdem auctoritatem, ait S. Bonavent.

REPLEVIT OMNIA MORTE) Nempe cæde primogenitorum Ægypti.

ET USQUE AD CÆLUM ATTINGEBAT STANS IN TERRA) Græcè: *Et cælum quidem attingebat, descenderat verò, vel ingrediebatur verò in terram*, q. d. Magna potens, cælestis atque ex cælo manans, ideoque ingens & inevitabilis erat hæc cædes & vindicta: quare esto in terra perageretur, vim tamen sortiebatur è cælo, imò eam inchoabat in cælo. Nam Verbum Dei mandavit angelo in cælo, ut illico in terram descendens percuteret primogenita Ægyptiorum: quare vim suam omnipotentem explicuit, tam in cælo, quàm in terra. Aliter Dionys. q. d. Angelus executor vindictæ divinæ, vim suam extendebat usque ad cælum aerium, quousque scilicet ambitus virtutis activæ eius se porrigere poterat. Aliter quoque Noster Lorinus, q. d. Vix ea dicta dedit Deus in cælo, vix increpuit sonus in cælo jussionis divinæ, cum reipsa peracta est; simul voluit ipse ut primùm dixit, ilico quod imperavit factum est. Quod vulgò dicimus: *Dictum, factum*; Et Scripturæ de aliis divinis operibus: *Dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt*, psalm. 148. 5. Sic & à Castro. Notat, inquit, hac phrasi celeritatem completi Verbi Dei, quòd adeo celer fuit angelus percussor in percutiendis primogenitis, & complendo præcepta Dei, ut needum cælo relicto, unde mittebatur, jam terram pede calcaret & jussum exequeretur.

Porrò Vatabl vertit: *Et stans omnia morte, cælum partim attingens, partim solo insistens, complevit*: quibus verbis innuit angelum hunc, ut Dei Domini sui plenum in cælum & terram imperium ostenderet, visum à nonnullis pedem unum collocare in terra, alterum in cælo, id est, in aere, uti angelus visus S. Joannis Apocal. 10. v. 2. & 6. *Posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram*, &c. *& juravit per viventem in sæcula sæculorum quia tempus non erit amplius*.

Angelus stans supra mare & terrā.

Hoc allegoricè rectè convenit verbo incarnato, quod qua Deus cælum Deumque attingit, qua homo terræ figitur. Unde ejus typus fuit scala Jacob, è terra in cælum porrecta, cui innitebatur Deus: Christus enim instar scalæ, quà Deus tangit cælum, quà homo terram. In seipso enim junxit cælum cæno; Verbum carni, Deum homini.

Simili modo tempore sancti Gregorii, ut ipse refert lib. 4. Dialog. cap. 36. sagittæ cælitus lapsæ pestem Romæ inflixerunt, quam ipse litaniis & publica processione, deferens Imaginem B. Virginis à S. Luca depictam, sedavit. Cùm enim ad molem Adriani (quæ exinde dicta est Castellum sancti Angeli) procedendo pervenisset, visus est angelus in signum reconciliati numinis, gladium nudatum in vaginam reponere, eoque symbolo lues cessavit, uti ex priscis monumentis refert Baron. tom. 8. anno Christi 590.

Angelus S. Gregorii.

Et David. Simila contigit Davidi offerenti sacrificium ad sedandam pestem, ab angelo percutiente ob numeratum à Davide populum Israeli inflictam, 2. Reg. vlt. 16. Vidit enim Deum dicentem angelo. *Sufficit, contine manum tuam.*

VERS. 17. TUNC CONTINUO VISUS SOMNIORUM MALORUM TURBAVERUNT ILLOS, ET TIMORES SUPERVENERUNT INSPERATI.

VERS. 18. ET ALIUS ALIBI PROIECTUS SEMIVIVUS, PROPTER QUAM MORIEBATUR, CAUSAM DEMONSTRABAT MORTIS.

VERS. 19. VISIONES ENIM, QUÆ ILLOS TURBAVERUNT, PRAEMONEBANT, NE INSCII, QUARE MALA PATIEBANTUR, PERIRENT] Noster legit δεινῶν, id est, *gravium*, putà *malorum*, iam legunt δεινῶς, id est, *graviter*. Ex Græco clarè sic vertas: *Tunc repente visiones quidem somniorum graviter turbarunt eos, timores vero institerunt inexpectati: Et alius alio abiectus semimortuus, quam ob causam moreretur ostendebat. Nam somnia quæ turbaverunt eos, hoc præsignificabant, ne ignorantes, cur mala paterentur, perirent.*

Pro *proiectus*, græcè est, ῥιφεὶς, id est, iactatus, disiectus, eiaculatus magna vi & impetu. nam ῥίψις, est proiectio, iactus, impetus. Significat ergo hæc vox, primogenitos nonnullos tanto impetu ab angelo fuisse proiectos, humique afflictos & allisos, ut consternati prostratique iacerent velut exanimes & semimortui.

Igitur hi tres versus significant, cum cæde primogenitorum Deum immisisse terrifica spectra in somnis, indeque timores & angores Ægyptijs, præsertim nonnullis primogenitis, quos non statim occidit, sed semivivos reliquit, eisque in somnis causam tantæ mortis & stragis primogenitorum revelavit, ut ipsi eamdem parentibus indicarent, scilicet se occidi, quia ipsi oppresserant. Hebræos, eorumque infantes masculos occiderant; Hebræi enim, sive Israel, erat primogenitus Dei populus: Iure ergo Ægyptij primogenitos suos perdiderunt, qui paulò antè primogenitum Dei populum perdiderant: Audi Moysem. Exodi 4. 22. *Hæc dicit Dominus* (tibi ò Pharao) *filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi, dimitte filium meum, ut serviat mihi, & noluisti dimittere eum: ecce ergo interficiam filium tuum primogenitum.* Hunc sensum planè significat τὸ *causam demonstrabat mortis: visiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inscij, quare mala patiebantur, perirent*, ne scilicet stragem hanc tribuerent casui, epidimiæ, pesti, alterive causæ naturali, sed Deo vindici ob afflictum Israelem; ideoque eum liberum ex Ægypto in Chanaan abire permitterent, uti causa ex primogenitis suis cognita de facto abire permiserunt. Hoc enim hac plaga ab eis extorquere intendebat Deus. Porrò idipsum tacet Moyses. Exodi 12. sed Sapiens hic supplet, uti alia plura, quæ vel maiorum traditione, vel Dei revelatione accepit.

Deus cui punit causam revelat. Hinc moraliter disce Deū, cùm quem punit & plectit, solere non rarò eidem causam & culpam, ob quam eum plectit, indicare: sicut iudex, cùm reum ad furcam condemnat, assignat ei furtum aliudue scelus ab eo commissum, ob quod eum condemnat, ut ipse ceterique sciant quodnam scelus puniatur, itaque illud deinceps

Exempla caveant. Sic Antiochus morbis lethalibus afflictus, Deo indicante fassus est, se puniri ob clades Hebræis iniustè illatas. 2 Machab. 9. 11 Sic Fratres Ioseph afflictionis suæ causam Deo suggerente agnoverunt esse, quòd ipsi priùs afflixissent Ioseph: *Meritò*, inquiunt, *hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus; idcirco venit super nos hæc tribulatio.* Genes. 42. 21. Sic Moyses Exodi 7. 8. & 9 iussu Dei Pharaoni & Ægypto infligens decem plagas, eidem revelavit causam, scilicet quòd nollet Hebræos dimittere. Sic Samuel Sauli ex Deo intentans privationem regni & vitæ, causam addidit, quòd Deo præcipienti disperdere Amalecitas non obedivisset. 1. Reg. 15. 19. & sequent. Sic passim in libro Iudicum, causam oppressionis Hebræorum peractæ à Philisthæis, Madianitis, Moabitis, &c. Deus assignat cultum Baal, Astaroth & Idolorum. Ægyptij ergo videntes primogenita sua occidi, partim ex Moysis prædictione, partim ex primogenitorum cùm occiderentur revelatione & confessione, sciverunt se hac plaga puniri, eò quod ipsi primogenitum Dei populum, putà Israelē afflixissent & occidissent.

Nota τὸ *visus somniorum malorum turbaverunt illos.* Nam Hippocrates lib. de Somn. docet *somnia nocturna diurnis exercitationibus respondentia esse bona, sanitatemque significantia, propterea quòd anima in diurnis consilijs perseverat, neque repletione, neque evacuatione aliqua, aut alia forinsecus allapsa re victa. Cum autem insomnia diurnis actibus adversantur, & de ipsis pugna oboritur, cum sane hoc contigerit, turbationē in corpore significat, & si quidem fortis fuerit, forte est malum; si verò levis, debilius.*

Præterea turbidæ imaginationes & pavores diurni turbida gignunt somnia nocturna, iuxta illud Senecæ in Octavia:

Quæcumque mentis agitat infestus vigor,
Ea per quietem sacer & arcanus refert,
Veloxque sensus.

TETIGIT AUTEM TUNC ET IUSTOS TENTATIO MORTIS, ET COMMOTIO IN EREMO FACTA EST MULTITUDINIS; SED NON DIU PERMANSIT IRA TUA) Pro *tunc* Noster legit τότε, iam legunt ποτὲ, id est, *aliquando*. Codices Vaticani utrumque omittunt. *Tunc*, id est, prisco illo tempore egressionis Israel ex Ægypto, etsi diverso. Nam tentatio hæc contigit in deserto, diu post cædem primogenitorum in Ægypto. VERS. 20.

Tertia est hæc antithesis Hebræorum & Ægyptiorum, estque simul tacita occupatio. q. d. Dicet quis: sicut Pharao & Ægyptij resistentes Moysi à Deo contriti sunt, sic & Hebræi, puta Core, Datan & Abiron, eorumque Symmystæ & socij; ergo par utrorumque fuit conditio, par in utrosque ira Dei. Respondet negando consequentiam. Ita enim Dei exterminauit Ægyptios, ut disperderet eos; Hebræos verò dumtaxat castigauit, ut emendaret: unde paucorum cæde sanxit ceterorum vitam, obedientiam & disciplinam. Congruè transit a Pharaone & clade primogenitorum Ægypti ad Core, Datan & Abiron, tum quia sicut Pharao restitit Moysi, sic & Core cum suis eidem seditiosè rebellavit; tum quia Core, Datan & Abiron erant primogeniti, ideoque prætendebant sibi deberi Pontificatum, quem Moyses contulerat Aaroni fratri suo, eò quod in lege naturæ primogeniti fuissent sacerdotes, tum quia cæsi sunt ab angelo percutiente, æquè ac primogeniti Ægyptiorum. Historia fusè narratur num. 16. nimirum eum Core, Datan & Abiron ambientes Pontificatum rebellarunt Moysi & Aaroni, Moyse Deum invocante, vivi à terra absorpti descenderunt ad inferos: Alij pariter eis adhærētes numero 250. cælesti igne afflati interierunt. Quocirca totus populus murmuravit contra Moysem & Aaronem, dicens: vos occidistis populum Domini: qua de causa Deus ignem in populum immisit, qui quatuordecim millia & septingentos combussit; cumque serperet incendium, ut plures combureret, Aaron iussu Moysis inter occisos & vivos medium se statuens, orans & thurificans sistit plagam, iramque Dei sedavit. Vide dicta num. 16.

IUSTOS) Ita vocat Hebræos fideles, utpote Dei cultores, & ad iustitiam vocatos, ut superius dixi.

TENTATIO MORTIS) Ergo tentatio hæc non fuit sollicitatio ad peccatum, sed pœna peccati, putà invasio mortis, qua mors invasit & corripuit iussu Dei Core, Datan, & Abiron cum sociis, ac ceteros Hebræos invadere destinabat: quibus tentatio hæc fuit comminatio, & discrimen mortis intentatum ab angelo puniente. Vnde Nannius: Tentatio, inquit, græcè πεῖρα, idem est quod periculum mortis. Sic enim dicimur tentari febre, catharro, calculo, id est, periclitari, exagitari, cruciari febre, &c. iuxta illud Horatij:

Cum latus aut renes morbo tentantur acuto,

id est, periclitantur, cruciantur. Triplex ergo est tentatur & tentatio. Dæmon enim tentat hominem, ut ad peccatum alliciat: Deus tentat, ut hominis animum, fidem, & virtutem probet: mors tentat, ut occidat & perire faciat: unde a *perire* dictum est *periculum*. *Tentatio mortis*, ergo est plaga mortifera Core cum sociis, & Hebræis murmurantibus à Deo immissa.

COMMOTIO) Græcè θραῦσις, id est, confractio, concussio, quassatio, quo nomine plagam hanc vocant Septuag. num. 16. & psal. 105. 30. ita vocatur plaga immissa in populum ob cultum Beelphegor, quem sub zelo occidens Principem ducemque sceleris, sedavit Phinees. num. 25. 1.

PRO-

VERS. 21. PROPERANS ENIM HOMO SINE QVERELA DEPRECARI PRO POPVLIS, PROFERENS SERVITVTIS SVÆ SCVTVM ORATIONEM, ET PER INCENSUM DEPRECATIONEM ALLEGANS RESTITIT IRÆ, ET FINEM IMPOSUIT NECESSITATI, OSTENDENS QVONIAM TUVS EST FAMVLVS) Narrat modum, quo cohibita est plaga, scilicet quòd Aaron Pontifex iussu Moysis orando, & thymiama offerendo restiterit iræ Dei, plagamque ignis stiterit, ne plures afflaret. *Homo sine querela*, Græcè ἄμεμπτος, id est, irreprehensibilis; quia scilicet Aaron inculpatè vivebat, & sanctè Pontificis munus obibat.

DEPRECARI PRO POPULIS) Græcè προεμάχησε, id est, *propugnavit*, sicque legunt nonnulli Codices Latini. Porrò arma Pontificis sunt, non gladij & bombardæ, sed oratio & thymiama ut sequitur: hisce enim pugnat pro populo contra iram & vindictam Dei, eamque expugnat.

PROFERENS SERVITUTIS Græcè λειτουργίας, id est, liturgiæ, sive publici sui & sacerdotalis ministerij SCUTUM] putà *orationem*; nam λειτος, est *publicus*, ἔργον *opus*: unde λειτουργὸς & λειτουργός, est publicus minister, publicum obiens opus, putà sacerdos sacrificans pro toto populo.

Benedictio thurificandi. ET PER INCENSUM DEPRECATIONEM ALLEGANS) Perperam nonnulli legunt *alligans*: *Allegans*, græcè κομίζων, id est, adducens, afferens, offerens & mittens ad Deum. Græcè est: *Et thymiamatis propitiationem* vel *placationem afferens*. Hinc petita est prisca thuribuli benedictio, quæ habetur in vetere ordine Rom.; sic enim habet: *Domine Deus, qui dum filios Israel in deserto murmurantes, ob rebellem suam audaciam, durum vastaret incendium, Aaron sacerdotem tunc orantem arrepto de igne altaris thuribulo ubi incensum ponentem exaudire, eosque de incendio liberare dignatus es, benedic quæsumus hoc thuribulum, & præsta, ut quoties thus in eo adolebitur, votum populi tui tibi boni odoris efficias, sitque fuga dæmonum, repulsio phantasmatum, & immundarum abscessio cogitationum. Per Dominum*, &c.

RESISTIT IRÆ DEI) Græcè ἀντέστη θυμῷ, id est, ex adverso stetit, contendit, opposuit se iræ Dei, eamque expugnavit & cohibuit. Talis ergo sit sacerdos, tantæque virtutis & meriti, ut iræ Dei in populum grassanti sese medium interponere & opponere, eamque cohibere valeat.

Sancti resistunt iræ Dei FINEM IMPOSVIT NECESSITATI) Græcè τῇ συμφορᾷ, id est calamitati & plagæ incendij. Sic Noë *in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*. Ecclesi. 44. 17. quia scilicet sua sanctitate & oratione stitit diluvium toti orbi immissum. Sic s. Leo Attilam flagellum Dei ab Italia suis meritis avertit; s. Gregorius pestem acerrimam suis litaniis sedavit; S. Sylvester infidelitatem & persecutiones decem Imperatorum compescuit, dum Constantinum Magnum sanavit, convertit, & baptizavit. Vide qua ratione Moyses restiterit iræ Dei, volentis perdere Hebræos ob adoratum vitulum aureum. Exodi 32. vers. 10. & sequent. Ex adverso de falsis Phophetis graviter queritur Deus per Ezechielem cap. 13. 5. dicens: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini*. Vide ibi dicta.

Præclarè S. Nazianz. Orat. 1. Sacerdotis dignitatem describens: *Quis est*, inquit, *qui cum angelis stabit, cum Archangelis glorificabit, ad supernum altare sacrificia transmittet, cum Christo sacerdotio fungetur, figmentum instaurabit, imaginem exhibebit, superno mundo opificem aget, & ut id quod maius est dicam, Deus erit aliosque Deos efficiet*.

VERS. 22. VICIT AUTEM TURBAS, NON IN VIRTUTE CORPORIS, NEC ARMATVRÆ POTENTIA, SED VERBO ILLUM, QVI SE VEXABAT, SUBIECIT, IURAMENTA PARENTUM, ET TESTAMENTUM COMMEMORANS) Græcè: *Vicit autem vastatorem, non viribus corporis, nec armorum efficacia, sed verbo punientem subiecit, iuramenta patrum & testamenta commemorans*.

Pro *turbas* Noster eum Roman. legit ὄχλον, id est, *turbam* vel *turbas*, iam Complut. Reg. & Vaticani legunt ὀλοθρεύοντα, id est, *vexatorem*, uti omnes legunt v. 25.

Primò ergo per *turbam* vel turbas accipias turbationem & tumultum populi, sive multitudinis murmurantis contra Moysem ob stragem Core, Datan, Abiron, ac 14700. è plebe combustorum, q. d. Aaron sedavit hunc tumultum populi robore, non corporis, nec armorum, sed orationis, qua Deum flexit ad amovendum ignem & incēdium, ob quod murmurabat & turbas movebat populus. Addit Cantacuzenus, Aaronem gravi oratione habita ad populum, eius tumultum compescuisse.

Secundò, per turbas accipias plagam ignis, quæ turbabat populum; hanc enim vi orationis repressit Aaron.

Tertio, per turbas accipias angelum turbantem, id est punientem & vexantem populum per incendium: à se immissum: Vnde Græci habent, ὀλοθρεύοντα, id est, vastatorem; & hunc mox exprimit subdens, *eum qui se vexabat*, q. d. Aaron suo λόγῳ, id est, sermone, quem orando ex intimo cordis affectu ad Deum effudit, cohibuit angeli vastationem & plagam ignis, quæ se, id est, populum suum vexabat & puniebat. Græcè enim est, κολάζοντα, id est, punientem: sic Iacob luctans cum angelo, lachrymis & oratione eum flexit & vicit, indeque dictus est Israel, id est, *dominus Deo*, id est, angelo Dei vicario. Genes. 32. 28. Fieri etiam potest, ut Aaron ardore fidei animosè se converterit ad angelum, ipsumq; ignē eique nomine Dei imperarit, ut cessaret a plaga. Sicut S. Michael altercans cum dæmone de corpore Moysis, imperavit ei silentiū dicens: *Imperet tibi Dominus*, ut ait Iudas in epist. vers. 9. Hic angelus vel fuit bonus (solet enim Deus per bono xequi sua iussa tam iræ & vindictæ, quam gratiæ & beneficentiæ, ut patet passim ex Daniele, Zacharia, & Apocalypsi, præsertim cap. 5. & 16.) vel potiùs fuit malus & dæmō, tum quia vocatur vastator, vexator, exterminator, quem Aaron devicit, sibique subiecit; tum quia v. ultimò dicitur extimuisse Aaronem sacerdotem; tum quia Deus dæmonibus quasi lictoribus crebrò utitur ad puniendum impios potiùs, quàm angelis bonis, iuxta illud psal. 77. 49. *immissiones per angelos malos*. *Angelus percutiens bonus ne an malus?*

Moraliter hic disce, arma sacerdotis esse orationem & sacrificium, eaque validissima: Vnde iis Moyses vicit Amalec Exodi 17. Quocirca Paulus militem Christianum panoplia, id est, omni armatura a capite ad talos obarmans: *Galeam*, inquit, *salutis assumite, & gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis & pro me ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Evangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me loqui*. Sic s. Ambros. tract. de Basilicis non tradendis, asserit sua & sacerdotis arma contra milites invadentes, esse preces cum lachrymis. Et S. Ephræm. serm. de Panoplia spiritali, orationem vocat arcum, quo sagittas ignitorum desideriorum ad Deum emmittimus, quibus hostes configimus. Vnde Origen. hom. 11. in Exodum, ubi orationi adaptat in quod Balac de Hebræis dixit, iuxta Sepuag. 22. 4. *Nunc ablinget Synagoga hæc omnes, qui in circuitu nostro sicut ablingeret vitulus, virentia de campo*: ita ut ablingere denotet orationem lingua formatam; per quod, ait ille, ut à maioribus accepimus, indicatur populum Dei non tam manu & armis, quàm voce & lingua pugnare, id est, orationem ad Deum fundendo. *Arma sacerdotis sunt preces.* Huc facit illud psal. 19. 8. *Hi in curribus, & hi in equis nos autē in nomine Domini Dei nostri invocabimus*, q. d. Nostri equites, nostri falcati currus, nostra arma sunt invocationes Dei, ac preces, quas velut ignita tela in hostes intorquebimus. Nil ita dæmones vincit æquè ac tentationes, atque oratio: Vnde S. Cyprian. epist. 57. *Incumbamus*, ait, *gemitibus assiduis & deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cælestia quæ stare & perseverare fortiter faciunt: hæc sunt munimenta spiritualia, & tela divina, quæ protegunt*. Est ipsa quasi armamentarium Ecclesiæ, ad quam accurrunt celeriter iusti, cùm volunt adversus vitia & peccata pugnare. Imò est velut generalis quædam officina, in qua vita spiritualis invenit quidquid ad *se conservandā, & augendam, & tuendam opus habet*. ita noster Lorinus. Quocirca Cassia. Coll. 9. c. 2. *Omnis, ait, Monachi finis, cordisq; perfectio ad iugem atq; indiruptam orationis perseverantiam tendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem*.

Denique *oratio*, est *oris ratio*, ait S. Hieron. epist. 139.

ad

ad Cyprian. quia ratio per oris sermonem se prodit, multo magis per orationem ad Deum fusam. Oratio enim homini à Deo pro ratione data est, quia quod ratio peccata obscurata non assequitur, hæc oratio ad Deum fusa nanciscitur.

ILLUM QUI VEXABAT] Græcè τὸν κολάζοντα, id est punientem, torquentem, castigantem, putà ignem, vel potiùs angelum per ignem, *se* id est, illos, putà Hebræos: vel *se*, id est, suum populum, cuius plagam intimo cordis dolore per compassionem, sentiebat, sibique arrogabat Aaron Pontifex, æquè ac Paulus dicens: *Quis infirmatur & ego non infirmor; quis scandalizatur, & ego non uror?* 2. Corinth. 11. 29.

IURAMENTA PARENTUM, ET TESTAMENTUM Græcè διαθήκας id est, pactum COMMEMORANS] q. d. Aaron orans Deum pro venia allegavit pacta à Deo cum patribus, Abraham, Isaac, & Iacob inita, quibus Deus promiserat se fore eorum ac posterorum Deum protectorem, liberatorem, provisorem, &c. strinxit ergo Deum suis ipsius pactis & iuramentis, quibus eum vicit, & veniam populo impetravit.

VERS. 23. CUM ENIM IAM ACERVATIM CECIDISSENT SUPER ALTERUTRUM MORTUI, INTERSTITIT, ET AMPUTAVIT IMPETUM, ET DIVISIT ILLAM, QUÆ AD VIVOS DUCEBAT, VIAM] Græcè *Acervatim enim iam mortuis iacentibus aliis super alios, in medio stans præcidit & iram, interrupit ad vivos viam.* Sensus patet q. d. Cum incendium grassaretur in populum murmurantē Aaron interstitit, id est, inter incendium & incensos ac populum reliquum adhuc vivum, medium se stitit, atque orando illud inhibuit, ne ulteriùs in populum proserperet, itaque *divisit* (perperam nonnulli legunt *dimisit*) *illam, quæ ad vivos ducebat viam*, q. d. Interclusit igni viam, ne à succensis & mortuis ad vivos progrederetur: stitit ergo se medium inter vivos & mortuos, ut vivos ab igne & incensis dispesceret, eosque illæsos & intactos conservaret. Vnde S. Hieron. in cap. 13. Ezech. ait Aaronem adversus ignem Israelis populum devorantem occurrisse, & stetisse medium, & opposuisse se murum pro salute populi.

Vbi Christus ibi omnia.

Allegor. Aaron hic expressus fuit typus Christi mediatoris. Audi S. Ambrosium epist. ad Felicem Comensem Episcopum, quæ in editione Romana ordine est 60. *Vbi Christus*, inquit, *ibi omnia: ibi doctrina eius ibi peccatorum remissio, ibi gratia, ibi separatio mortuorum ac viventium. Et Aaron quidem semel stetit in medio eorum obiiciens se, ne mors transiret ad viventiū agmina à funeribus mortuorum. Hic autem quasi verbum semper stat in singulis, quem nos non videmus intra nos, separans rationabiles virtutes a cadaveribus passionū letbalium, & pestilentium cogitationum. Hic stat quasi qui in hunc mundū venerit, ut aculeum mortis hebetaret, devoratorium eius obstrueret, viventibus æternitatem gratia daret defunctis resurrectionem concederet*, &c. Hinc Christus in cruce medius inter cælum & terram pependit, seseque inter medium stitit, ut velut mediator cælum terræ, id est, homines Deo & Angelis reconciliaret, utque sagittas iræ Dei vibratas in homines in seipso reciperet, ne ad homines pervenirent, sed unus ipse omnium hominum scelera in corpore suo lueret: ac vicissim in cruce, velut in arcu brachia corporis æque ac cordis expandens, ignitas orationis & amoris sagittas ad Deum eiacularetur, quibus cor eius vulneraret, ad gratiam hominibus largiendam.

Christus in cruce medius, Cur?

VERS. 24. IN VESTE ENIM PODERIS, QUAM HABEBAT, TOTUS ERAT ORBIS TERRARUM: ET PARENTUM MAGNALIA IN QUATUOR ORDINIBUS LAPIDUM ERANT SCULTA ET MAGNIFICENTIA TUA IN DIADEMATE CAPITIS ILLIUS SCULPTA ERAT] Græcè: *In talari enim tunica vestimenti erat totus mundus, & patrum gloria in quadruplicis ordinis lapidum sculptura, & maiestas tua in diademate capitis illius:* Syrus: *Quoniam vestis eius est totus populus, & honor patrum erat insculptus super quatuor ordinibus lapidum, qui erant super humeros eius* (vel *& gloria patrum super collum eius*) *& corona maiestatis tua super caput eius;* Arabicus, *Quoniam totus orbis terrarum superflexus vestimentorum eius, & super collum eius lapides gemmarum insculpti.*

Pro *orbis terrarum*, græcè est, κόσμος, id est, ornatus & orbis sive mundus, qui ab ornatu nomen accepit; nec enim solam terram, sed & totum mundum veste sua repræsentabat Pontifex. Minùs aptè Vatabl. vertit: *Siquidem omnigenus ornatus tunica qua induebatur inerat*. Dat enim causam, cur Aaron Pontifex medium se stiterit inter vivos & mortuos, curque Deus ab eo permiserit se exorari, ut plagam incendij sisteret. Causa, erat, quòd Deus Aaronem constituerat Pontificem, id est, mediatorem & deprecatorem inter se & populum, vel scilicet ipse iram Dei sisteret, populumque Deo reconciliaret; atque ut hoc visibili populo significaret, iusserat in podere, id est, in veste eius Pontificia, poni symbola omnium elementorum, totusque orbis, ut meminisset se esse mediatorem inter Deum & mundum. Rursum iusserat ut in Rationali gestaret duodecim gemmas, eisque sigillatim insculpi curaret nomina duodecim tribuum Israel, ut hoc signo moneretur se omnes tribus in pectore, id est, in corde & cura gestare, ac pro eis assiduè Deum deprecari debere.

Poderis, id est, talaris.

PODERIS] Est vestis talaris usque ad pedes & talos demissa, eratque Pontifici duplex, una linea communis omnibus sacerdotibus, altera hyacinthina propria Pontifici, illaque hic intelligitur, ac per eam ceteræ omnes vestes Pontificię. Est synecdoche. Ita S. Bonavent. Hugo, Holcot, & Dionys.

Dicitur poderis, ἀπὸ τοῦ ποδὸς καὶ ἄρω, q.d. pedi adaptata, eò quod usque ad pedes protenderatur.

Quæres, quomodo in podere, id est, veste Pontificis repræsentabatur totus orbis.

In podere erat totus orbis. Quomodo?

Respondeo, poderis hoc erat tunica texta ex lana hyacinthina, sive violacei coloris, ut Pontifex vestem suam inspiciens illa moneretur, cogitationem & vitam suam debere esse cælestem: hinc in fimbria habebat 72. tintinnabula, & totidem mala punica alternis inserta. Rursum tunicæ huic imponebatur Ephod, cui ad pectus annexum erat Rationale, in quo erant 12. gemmæ quibus inscripta erant nomina 12. tribuum Israel. Porrò quinque primariæ erant vestes Pontificis. Primò enim induebatur femoralibus lineis; Secundò tunica linea, quā zona succingebant; Tertio tunica hyacinthina cum simili zona; Quartò Ephod cum Rationali, Vrim & Tummim id est, doctrina & veritas; Quintò tiara, cui affixa erat lamina aurea inscriptum habens. *Sanctitas Iehova.* Hæc repræsentabant totam orbem. Nam Primò, femoralia linea figurabant terram, ex qua linum nascitur. Secundo, zona figurabat oceanum, qui quasi zona terram cingit. Tertiò, tunica hyacinthina figurabat aerem, in qua sunt mala punica, id est, fulgura; & tintinnabula, id est, tonitrua. Quartò, Ephod variū figurabat cælum siderium: duo in Ephod lapides onychini erant duo hemispheria, vel sol & luna; duodecim gemmæ in pectore, erant duodecim signa in Zodiaco. Quintò, tiara figurabat cælū empyreum, lamina tiaræ aurea habens inscriptū nomen *Tetragrāmaton*, figurabat Deum omnibus præsidentem; idque Primò, ut hoc suo vestitu & ornatu Pontifex ostenderet, se creatoris mundi esse ministrum, & indicaret omnem creaturam Dei misericordiam indigere, ipseque pro ea tam habitu & veste, quàm voce & mente precaretur; Secundò, ut considerata universi, quam gestat, imagine, vitam præstaret à natura non degenerē, sed sicut elementa aliaq; creata Deo per omnia obediunt, ita obediret & ipse. Ita Philo; Tertiò, ut operando sacris totum mundum, quem in veste quasi gestabat, deprecatorem secum apud Deum allegaret. Hæc omnia penè ex Iosepho & Philone habet S. Hieron. & brevissimè sanctus Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. ad 9. qui & Tropologiam addit pari brevitate: Feminalia, inquit, significant castitatem: tunica linea significat vitæ universæ puritatem & innocentiam: zona moderationem discretionis: tiara rectam intentionem, & hæc communia sunt omnibus sacerdotibus. Pontifici verò propria erat lamina aurea cum nomine *Iehova*, significans iugem Dei memoriam in contemplatione, quam debet habere Pontifex; Secundò Ephod, id est, compassio, qua suis quasi humeris ferat infirmitates populi; Tertiò tunica hyacinthina, id est, conversatio cælestis; Quartò rationale, id est, cura & charitatis viscera erga subditos. Vbi nota, totus mundus est quasi templum quoddam sanctissimum, & à Deo dignum, ut aiebat Diogenes, & Philo 2. de Monarchia, & Lactant. libr. de Ira Dei cap. 14. Hinc & Baruch. ait cap. 3. 24. *O Israel quam magna est domus Dei?* scilicet hic mun-

Resp. Primò Secundò Tertiò Quartò. Quintò.

Tres huius rei causa. Primò. Secundò. Tertiò.

Tropol. orbis vestitum Pontificus.

Mundus est templum Dei

mundus, in quo quasi divini templi antistes sacerdotio functurus pro universis creaturis, homo est constitutus: ideoque Hebræorum Pontifex in sua veste totum repræsentabat orbem. Pontifex ergo erat quasi legatus totius orbis ad Deum, juxta illud Pauli: *Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.* 6. Corinth. 6. 20. Quin & Philo loco citato asserit, idcirco Pontificem totius mundi portasse in vestibus imaginem, ut sciret se mundi totius esse mediatorem, apud Deum, & orare debere, non pro necessariis tantùm & amicis, sed pro toto humano genere, pro omnibus naturæ partibus, cælo atque elementis: atque gratias agere, supplicationesque pro omnibus offerre omnium conditori: præterea vita, doctrina, virtutibus in seipso exprimere universi ordinem, ornatum, concentum, ut sit μικρόκοσμος, majoris ita mundi repræsentans in moribus imaginem, sicut gestat in vestibus. *Hoc cultu*, inquit Philo, *Pontifex utitur totum mundum referens ornatu mirando, vel menti vel oculis: admonet enim Pontificem, ut considerata universa, quam gestat imagine, vitam præstet a natura non degenerem. Deinde, ut operando sacris totum mundum deprecatorem alleget. Decet enim ut patris sacerdos, filium eius mundum hunc ad preces votaque adhibeat.* Idem Philo lib. de Somniis, censet idcirco Pontificem in veste gestare similitudinem cæli ac mundi, ut mundus unà cum sacerdote operetur, & homo eum hac rerum universitate efficacius vota & sacra faciat. Vide dicta Exodi 28. ubi hasce vestes fusè ad litteram Allegor. & Tropol. explicui.

Sacerdoti orbis sit vestium, id est, virtutum. Tropol. sacerdos vestire se debet orbe vestium, id est, orbe virtutum, ut universis sit ornatus, itaque earum circulo velut corona cingatur & coronetur, uti paulò antè dixi. Hinc sacerdos & religiosus intuens habitum suum pullum, tonsuram, ac vestes sacras ab iis sentiat se moveri, ut gravitatem, luctum, opum contemptum, cælestium desiderium, omnemque morum compositionem exhibeat. Hinc Noster Alvarez de Paz, de Vita Spirituali lib. 1. p. 3. cap. 26. In veste Aaron, inquit, totus erat orbis terrarum, quia vir per religiosum statum Deo consecratus, debet quòd ad conversationem externam attinet, omnibus, prout fuerit possibile, se accommodare, ut omnes ad Christum trahat, & ad virtutis amorem invitet. Sic vestitus erit discoloribus, hoc est veste quadam, quæ una cùm sit, multarum virtutum necessitatem supplet, & earum diversas pulchritudines defert. Sic ad exemplum Pauli omnibus omnia factus est, non mentientis actu (ut inquit Anselmus) sed compatientis affectu. Non mala aliorum fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tamquam si sua essent, misericordis medicinæ diligentiam procurando.

PARENTUM MAGNALIA IN QUATUOR ORDINIBUS LAPIDUM ERANT SCULPTA] Græcè: πατέρων δόξαι ἐπὶ τετραστίχου λίθων γλυφῆς, hoc est: *Patrum gloriæ, sive decora in quatuor ordinum lapidum sculptura.* In rationali judicii erant quatuor ordines lapidum. In primo versu sardius, topazius, smaragdus. In secundo carbunculus, sapphirus, jaspis: in tertio ligurius, achates, amethystus: In quarto chrysolithus, onychinus, berillus: omnes inclusi auro, & habentes nomina filiorum Israel, seu duodecim tribuum.

Magnalia patrum in rationali quomodo? Pro *magnalia*, græcè est, δόξαι, id est, gloriæ, excellentiæ, victoriæ, trophæa, nobilitatis insignia, stemmata parentum, de quibus filii & posteri jure gloriabantur. Signa ergo sacra & Hieroglyphica Ægyptiorum insculpta erant in singulis lapidibus rationalis, non verò litteræ nominum Patriarcharum, sive tribuum fuerunt exaratæ, inquit, Noster Hieron. Prados initio Comment. in Ezechielem. Stemma enim Judæ erat leo, Beniamin lupus, Dan coluber, Joseph bos, &c. quæ eis assignavit Jacob pater in morte, singulis benedicens. Genes. 49.

Verùm Exodi 28. 21. ostendi non stemmata, sed nomina ipsa tribuum gemmis fuisse insculpta, idque hoc fine, ut Pontifex ipso habitu & nominibus ostenderet se esse legatum duodecim tribuum, id est, totius populi, ac pro eo velut mediator apud Deum intercederet & supplicaret. Hæc ergo, nomina vocantur δόξαι, quia magnificè magnificis gemmis insculpta erant in veste, putà in rationali summi Pontificis, quæ magna erat eorum gloria, laus, & decus.

MAGNIFICENTIA TUA IN DIADEMATE CAPITIS ILLIUS SCULPTA ERAT] Vatabl. *Maiestasque tua in diademate capitis ipsius*; Syrus, *Et corona maiestatis super caput eius.* Tiara enim erat rotunda instar coronæ, q. d. Pontifex in capite gestabat tiaram cum lamina aurea, cui inscriptum erat *sanctitas Jehova*, ut meminisset se Dei divinæque majestatis esse Pontificem, ac eius sanctitatem vita & verbo debere repræsentare: Symbolicè, tiara hæc cum lamina referebat cælum empyreum, cui præsidet Deus, ex eoque omnia subiecta sapienter & sanctè moderatur; quo rursum significabatur, Pontificis, velut Dei in terra vicarii, dignitatem & potestatem superare omnem dignitatem hominum, etiam regum & imperatorum. Vide dicta Exodi 28.

HIS AUTEM CESSIT QUI EXTERMINABAT, Vers. 24.
ET HÆC EXTIMUIT] Non ignis ut vult. Lyran. πῦρ enim, id est, *ignis*, est neutrius generis, ὀλοθρεύων verò, id est, exterminator, masculini; sed angelus incendium in murmurantes Hebræos immittens, sive bonus is fuerit, sive potiùs malus, ut censent Hugo, & Holcot. Hic enim nomen Dei tetragrammaton & ineffabile, putà *Jehova*, laminæ aureæ insculptum, ac tantam Pontificis maiestatem, potestatem, orationem, & thurificationem reveritus, cessit, & ab incendio, plagaque cessavit. Reveritus ergo est ille exterminator ineffabile Dei nomen, cui universa se prosternit natura, cessit sacerdoti summo deprecanti, & mundum universum deprecatorem alleganti, ac merita gloriamque patrum ante Dominum proponenti, ut misereretur. Ita à Castro. Sic sæpè in Script. timor sumitur pro reverentia, & timere pro revereri. Nam verè reverentia non est aliud, quàm religiosus timor.

Sic Alexander Magnus iratus Judæis, cùm ei obviam prodiret Jaddo Pontifex Pontificalibus indutus, tanta maiestate quasi cælesti telo ictus, ac sacro horrore percussus & perculsus, eum reveritus, iram in benevolentiam vertit, uti narrat Josephus lib. 11. Antiquit. cap. 8. Idem fecit Attila Leoni Pontifici, uti habet vita S. Leonis. Vide Baron. anno Christi 452.

Codex Vatican. & alii legunt *extimuerunt*, quasi plures fuerint angeli vastatores.

ERAT ENIM TENTATIO IRÆ SUFFICIENS] Pro *tentatio*. Græcè non est, πειρασμὸς, id est, *tentatio*, sed πεῖρα, id est, *experientia* iræ sufficiebat ad correctionem, q. d. satis erat Hebræis quòd experti essent tuam iram, ut qui plagæ & incendio superarant, se corrigerent, & de murmure suo pœniterent. Tentatio ergo hic idem est, quod tentamentum, experimentum, periculum, aggressio, invasio: hæc enim omnia significat πεῖρα, q. d. sufficiebat Hebræis periculum fecisse, & expertos esse aggressionem iræ divinæ: mox enim illi cesserunt & pœnituerunt, unde noluerunt eius vim ulterius experiri, nec eius impetum usque ad internecionem desævientem ampliùs sentire.

Quare perperam Lyran. contrariè explicat, q. d. tentatio seditionis populi sufficiens erat ad totum cum igne perdendum, nisi Aaron supplex intercessisset. Et Hugo, q. d. plaga ignis sufficiebat ad delendum Hebræos. Et Holcot, q. d. timor & pavor incussus populo per plagam ignis, satis erat ad delendum murmuris crimen. Hæc enim omnia hoc loco parerga sunt.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit in antithesi fidelium Hebræorum & infidelium Ægyptiorum; unde multa supplicia Ægyptiis inflicta, ac præsertim submersionem in mari rubro recenset, iisque opponit varia beneficia Hebræis collata, tum in Ægypto, tum in deserto. Unde colligit, Deo elementa omnia servire, tam ad puniendum impios, quàm ad præmiandum pios, eique ad nutum obedire, ac tandem pro omnibus gratias agens librum concludit.

1. IMpiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit, præsciebat enim & futura illorum.
2. quoniam cùm ipsi permisissent, ut se educerent, & cum magna solicitudine præmisissent illos, consequebantur illos pœnitentia acti. 3. Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ: & quos rogantes projecerant, hos tamquam fugitivos persequebantur: 4. ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas: & horum, quæ acciderant, commemorationem amittebant, ut quæ deerant tormentis, repleret punitio: 5. et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem novam mortem invenirent. 6. Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi. 7. Nam nubes castra eorum obumbrabat, et ex aqua, quæ antè erat, terra arida apparuit, et in mari rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo nimio: 8. per quem omnis natio transivit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia et monstra. 9. Tamquam enim equi depaverunt escam, et tamquam agni exultaverunt, magnificantes te Domine, qui liberasti illos. 10. Memores enim erant adhuc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas, et pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum. 11. Novissimè autem viderunt novam creaturam avium, cùm adducti concupiscentia, postulaverunt escas epulationis. 12. In allocutione enim desiderii, ascendit illis de mari ortygometra: et vexationes peccatoribus supervenerunt, non sine illis, quæ antè facta erant, argumentis per vim fulminum, justè enim patiebantur secundùm suas nequitias. 13. Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt, alii quidem ignotos non recipiebant advenas, alii autem bonos hospites in servitutem redigebant. 14. Et non solùm hæc, sed & alius quidam respectus illorum erat; quoniam inviti recipiebant extraneos. 15. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem usi erant justitiis, sævissimis afflixerunt doloribus. 16. Percussi sunt autem cæcitate: sicut illi in foribus justi, cùm subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostii sui quærebat: 17. In se enim elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, et omnia suum sonum custodiunt: unde æstimari ex ipso visu certò potest. 18. Agrestia enim in aquatica convertebantur: et, quæcumque erant natantia, in terram transibant. 19. Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, et aqua extinguentis naturæ obliviscebatur. 20. Flammæ è contrario corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec dissolvebant illam, quæ facilè dissolvebatur sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum Domine, et honorasti, et non despexisti, in omni tempore, et in omni loco assistens eis.

VERS. 1. IMPIIS AUTEM USQUE IN NOVISSIMUM SINE MISERICORDIA IRA SUPERVENIT. PRÆSCIEBAT ENIM ET FUTURA ILLORUM] Græcè: *Impiis autem immisericors indignatio institit: prævidebat enim eorum & futura*. Pendent hæc à fine capitis præcedentis: pergit enim in antithesi Hebræorum, & Ægyptiorum, q. d. Hebræi in seditione Core murmurantes igne puniti à Deo, mox resipuerunt: quare paucorum strage ceteri cautiores evaserunt. Sola enim tentatio, id est, experientia iræ sufficiens erat ad correctionem eorum: quare plaga ignis in eos non ad extremum desævit, sed tantùm modicè ad eorum probationem & emendationem. At verò impiis Ægyptiis vindicta Dei usque ad internecionem, sine ulla misericordia supervenit: videbat enim Deus eorum pervicaciam, quòd scilicet essent incorrigibiles, nullisque minis vel pœnis mores mutaturi essent; quare ad unum omnes mersit in mari rubro.

VERS. 2. QUONIAM CUM IPSI PERMISISSENT UT SE EDUCERENT (id est, ut abirent ex Ægypto) ET CUM MAGNA SOLICITUDINE PRÆMISISSENT ILLOS, CONSEQUEBANTUR (Græcè διώκειν, id est, persequentur) ILLOS POENITENTIA ACTI] Perperam Complut. legunt *pœnitentiæ actus*, etsi eòdem redeat sensus. Actus enim pœnitentiæ fuit Ægyptiorum persecutio, ut Hebræos ad se revocarent. Græcè: *Quoniam ipsi enim permisissent abire, atque cum studio præmisissent illos, pœnitentia ducti essent persecuturi*. Pendet sententia à τὸ *prævidebat*, quod præcessit, q. d. prævidebat Deus, quòd Ægyptii, etsi ob cædem primogenitorum perculsi permitterent, imò cogerent Hebræos exire ex Ægypto, ne A ob eos graviores Dei plagas sentirent, mox tamen pœnitudine ducti eos persequerentur, ut reducerent in Ægyptum, uti de facto persecuti sunt usque ad mare rubrum, in quo proinde Deus omnes submersit. Lege Exodi c. 14.

ADHUC ENIM INTER MANUS HABENTES LUCTUM, ET DEPLORANTES AD MONUMENTA MORTUORUM, ALIAM SIBI ASSUMPSERUNT COGITATIONEM INSCIENTIÆ, ET QUOS ROGANTES PROJECERANT, HOS TAMQUAM FUGITIVOS PERSEQUEBANTUR] q. d. Ægyptii Hebræos, quos paulò antè velut Dominos cum precibus emiserant, hos, mox mutato consilio velut servos fugitivos persecuti sunt. Sic sæpè alibi eiicere significat emittere. VERS. 3.

Pro *inscientiæ* Græcè est, ἀνοίας, id est, stultitiæ amentiæ: stultè enim eos persecuti sunt, quia persequendo mersi sunt in mari rubro; quare fuit hæc cogitatio *in-* B *scientiæ*, id est, insipiens, stultum & insanum Ægyptiorum consilium.

DUCEBAT AUTEM ILLOS AD HUNC FINEM DIGNA NECESSITAS: ET HORUM, QUÆ ACCIDERANT COMMEMORATIONEM AMITTEBANT, UT, QUÆ DEERANT TORMENTIS, REPLERET PUNITIO] Græcè: *Traxit autem eos digna ad hunc finem necessitas, & eorum, quæ acciderant oblivionem immisit, ut quæ restabat tormentis adimplerent pœnam*. VERS. 4.

COMMEMORATIONEM) Id est, memoriam; pro *ducebat*. Græcè est, εἷλκε, id est, *traxit*, q. d. Ægyptios ad hunc exitum & exitium, putà ad submersionem in mari portraxit necessitas divinæ ordinationis, seu punitionis

tionis in eos à Deo decretæ, qua scilicet decreverat Deus eos excæcare, ut dum insequuntur Hebreos per mare rubrum à Deo divisum, illius alveum ingressi, revolutis in eos aquis obruerentur. Et quia priorum plagarum à Moyse Ægyptij immissarum memoria eos à persequendo Hebræos revocare potuisset, Deus illarum oblivionem illis iniecit, ut sic implerent mensuram suæ tyrannidis suorumque scelerum, qua impleta ipse pariter repleret, id est, impleret cumulum pœnæ, omnes mergendo in mari, ac deinde in igne gehennæ. Vide dicta Exodi 14.

Necessitas exitij Ægyptiorum. Prima: Nota ductum & tractum necessitatis huius, quo Ægyptij à Deo trahebantur in suam perniciem, non fuisse naturalem, antecedentem & perfectum: hic enim opponitur libertati liberoque arbitrio, sed moralem & consequentem, qui innititur certæ Dei præscientiæ, qua Deus præsciebat, quod si ipso Hebræos poneret in arcto putà in angustiis rupis & maris rubri, ut naturaliter euadere non possent, Ægyptij eos libere persequerentur, ut comprehenderent, etiam per mare rubrum: quo facto, ipsi ibidem necessario ex vi sui decreti, quo eos punire & mergere volebat, reipsa mergerentur & suffocarentur. *Secunda.* Rursum *digna necessitas* accipi potest commerita sors, conditio quædam cum illorum ingenio & natura coniuncta, ut fatalis quædam necessitas videri potuisset, ait Pineda libr. 6. de Rebus Salomonis cap. 15. num. 10. Hæc necessitas est ex parte rei, cuius culpa exigit iustam pœnam, sicut prior fuit ex parte Dei eiusque decreti ac iustitiæ vindicativæ, quæ quasi necessario poscit iustam reatus vindictam, ut iustitiæ satisfiat; prior ergo posteriori est correlativa, & antistrophè respondet: nam culpa exigit pœnam à iustitia, & vicissim iustitia pœnam iustam culpæ reique infligit, ut non remaneat dedecus culpæ sine decore pœnæ, iusteque vindictæ: hæc enim illam adæquat, & quasi obliterat.

VERS. 5. ET POPVLUS QVIDEM TVUS MIRABILITER TRANSIRET (Græcè: [illegible], id est, *paradoxum, inopinatum mirabile iter vel perfectionem transiret*. Vatabl. & alij legunt [illegible], id est, tentaret. Vide dicta cap. 10. 17. ILLI AVTEM Ægyptij scilicet, NOVAM, Græcè ξένον, id est, peregrinam, novam, insolitam, mirandam) MORTEM INVENIRENT] submersionis in mari rubro.

VERS. 6. OMNIS ENIM CREATVRA AD SVUM GENVS (id est, secundum vel iuxta genus suum, id est, ut Græcè, *in genere suo*) AB INITIO FIGURABATUR DESERVIENS TVIS PRÆCEPTIS, UT PVERI TUI CUSTODIRENTUR ILLÆSI] q. d. Omnes creaturæ, quas adhibuisti ad puniendos Ægyptios, & servandos Hebræos novam induerem, figuram, & formam, ut, quæ prius extiterat talis vel talis conditionis, iam alia esse inciperet, & quasi novum esse ab initio acciperet. Explicat id exemplis columnæ, nubis, maris, mannæ, & ceterorum quæ subiicit: omnia enim hæc in gratiam Hebræorum videbantur mutare suam indolem & naturam, ut Hebræis commoda, Ægyptiis verò noxia evaderent. Vnde Vatabl. vertit: *Siquidem res omnes creatæ, commissa sibi curæ subservientes in genere suo aliam de integro figuram, ut illæsi filij tui conservarentur, induere*. Secundò τὸ *ab initio* explicat S. Bonavent. q. d. *Creaturæ recuperarunt* eam conditionem, quam habuerunt in statu innocentiæ, scilicet ut essent innoxiæ, nec nocerent Adæ innocenti, v. g. aqua submergendo, ignis comburendo, spinæ pungendo nubes obscurando, &c. Nam pro *ab initio*, græcè est, πάλιν ἄνωθεν, id est, rursum desuper, sive ex alto; vel rursus ab integro, sive ab initio; vel rursus à principio, ab antiqua origine, uti erat olim in sui initio & creatione. Hæc tria enim significat ἄνωθεν. Hoc tertium sequitur S. Bonavent. Et Noster à Castro. Revocabatur, inquit, creatura ad initium creationis, quasi de novo crearetur & reformaretur in gratiam Israelitarum: videbatur enim rursus reformata à Deo, à quo facta fuerat in initio, *Deserviens tuis præceptis* Græcè *propriis mandatis*, hoc est, inserviens certis & propriis officiis, quæ Deus illi ad commodum Hebræorum demandabat.

Pro *refigurabatur*, græcè est, [illegible], id est, ad suum typum sive formam revocabatur, ad primævam suam ideam reformabatur, de novo suo typo applicabatur, ut novam formam & figuram acciperet. Typus enim sive forma rerum creatarum est idea, quæ est in mente & voluntate divina: juxta hanc enim Deus omnia creat & recreat, format & reformat.

NAM NUBES CASTRA EORUM OBUMBRABAT, ET EX AQVA, QVÆ ANTE ERAT, TERRA ARIDA APPARVIT, ET IN MARI RUBRO VIA SINE IMPEDIMENTO, ET CAMPUS GERMINANS DE PROFUNDO NIMIO] Græcè: *Nubes castra inumbrabat; qua autem aqua prius fuerat, sicca emergens terra visa est: è mari rubro via non impedita, & viridem herbam ferens campus è gurgite violento*. VERS. 7.

Deus creaturas transformat ad commodũ piorum. Exempla Exemplis ostendit quod dixit, scilicet Deum in gratiam Hebræorum creaturas quaslibet transformasse, & commutasse. Primum exemplum est columna præiens castra: hæc enim formam mutabat quotidie, dum per noctem splenderet ut ignis ad illuminandum tota Hebræorum castra, per diem verò opacaretur ut nubes ad castra obumbrandum, & ab æstu solis protegendum.

Secundum est, quòd *ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento*. Græcè: *ex prius autem existente aqua arida emersio terra visa est*, vel *sicca emergens terra apparuit, & ex mari rubro iter expeditum*, cùm scilicet Deus per Moysem virga percutientem mare rubrum, illud divisit, ac ventum validum induxit, qui alveum ejus planè siccaret, atque resectis (si quæ ibi erant) silvis, carectis, saxis, &c. illud complanavit, ut Hebræi, etiam pueri, & feminæ, sicco pede, facilè, molliter, & exultanter illud transirent. Unde Isaias cap. 63. 13. *Qui eduxit eos*, inquit, *per abyssos quasi equum in deserto non impingentem*, q. d. Sicut equus in hippodromo, ubi omnia ad cursum æquata & complanata sunt, facilè decurrit, nec uspiam impingit: sic Hebræi per alveum maris rubri à Deo complanatum, molliter transierunt. Pergit Isaias: *Quasi animal in campo descendens: Spiritus Domini ductor ejus fuit: Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ*. Et Psaltes: *Et increpuit mare rubrum, & exsiccatum est, & deduxit eos in abyssis sicut in deserto*. Psal. 105. 9.

Huc facit quod ait Philo libr. de Vita Moysis fundum maris rubri antea limosum, & lutosum concrevisse: *Sub minutiis*, inquit, *induruit velut pavimentum constratum silice*, intellige quantùm sufficiebat ad firmandos & solidandos in eo gressus, nam alioqui erat instar campi germinantis, ut sequitur.

Magnum hoc fuit prodigium & beneficium, quo Moyses virga sua, sive baculo suo secuit, & stitit aquas maris rubri in gratiam Hebræorum.

S. Sabinus Padum repulit. Simile fecit S. Sabinus Episcopus Placentinus, qui Padum restagnantem litteris ad eum Scriptis in suum alveũ repulit, de quo audi S. Gregor. 3. Dialog. cap. 10. *Sabinum fuisse asserunt miræ virtutis Episcopum. Cui dum die quadam suus diaconus nuntiasset, quod cursus sui Padus alveum egressus Ecclesiæ agros occupasset, totaque illic loca nutriendis hominibus profutura aqua ejusdem fluminis teneret, venerabilis vitæ Sabinus Episcopus respondit, dicens: Vade & dic ei: Mandat tibi Episcopus, ut te compescas, & ad proprium alveum redeas. Quod diaconus ejus audiens despexit & irrisit. Tunc vir Dei accersito notario dictavit, dicens: Sabinus Domini nostri Jesu Christi servus, commonitorium Pado: Præcipio tibi in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut de alveo tuo in locis istis ulterius, nõ exeas nec terras Ecclesiæ lædere præsumas. Atque eidẽ notario dicens subiunxit: Vade hoc scribe, & in aquam ejusdem fluminis projice. Quo facto sancti viri præceptũ suscipiens, statim se à terris Ecclesiæ fluminis aqua compescuit, atque ad proprium alveũ reversa, exire ulterius in loca eadem non præsumpsit. Qua in re Petre, quid aliud quam inobedientium hominum durities confunditur? quando in virtute Jesu, & elementum irrationale sancti viri præceptis obedivit*.

S. Attala Bobium. Simili modo S. Attala Abbas Bobiensis, cùm Belius fluvius Monasterii molendinum alluendo suffoderet, Sinoaldo Diacono dixit: *Sumpto baculo, quo sustentor vade ad Bobium fluvium, & facto crucis signo dicito illi, ut has ripas desinat perfodere*. Quòd cùm fecisset fluvius obediens recessit, & ad adversam molendini ripam cursum inflexit. Ita Surius in vita ejus, & Philipp. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad diem 10. Mart.

S Gregor. Thaumaturgus paludem. Denique S. Gregor. Thaumat. quem S. Basilius Moysi comparat, paludem inter fratres causam discordiarum exsiccavit, ac Lycum fluvium perniciosè agros inundantem ad ripam, quo sustentabatur baculo, qui statim virentem

rentem

rentem crevit in arborem, coercuit, ut postea ultra eum terminum non effluxerit, uti refert S. Greg. Nyssenus in eius vita.

Ex dictis patet, Hebræos non ambulasse super mare, sed in fundo maris sicco. Quare quod canit Tertull. libr. 2. contra Marc. cap. 3.

Calcavit fluctus, hostes demersit in undis.

Poeticè *dictum est calcavit*, id est, superavit fluctus maris jam divisi, perinde ac si pedibus eos calcasset.

ET CAMPUS GERMINANS DE PROFUNDO NIMIO Græcè: *Et viridem herbam ferens campus è gurgite violento*, vel *ex tempestate vehementi*. Vatab. *Et herbosus è fluctu violento campus*. Unde Poeta:

Prosilit herbosus violento è gurgite campus;

Syrus: *Et conculcata est via in mari rubro, & planities plena omni herba occurrit illis*; Arabicus: *Et de gurgite profundo campus distinctus varietate herbarum*; Naunius: *Herbiferus campus ex undis procellosis gigneretur*. Primò, S. Bonav. Lyran. Holcot, & Jansen. censet hæc figuratè dici per hyperbolen, ac tantùm significare, quod via illa in mari rubro fuerit Hebræis loco campi germinantis, eò quòd cum summa alacritate & lætitia per eam transierint. Simili schemate Baruch lætitiam Hebræorum redeuntium è captivitate Babylonica depingens cap. 5. ait: *Obumbraverunt autem & sylva, & omne lignum suavitatis Israel mandato Dei. Adducet enim Deus Israel cum jucunditate in lumine majestatis sua, cum misericordia & justitia, quæ est ex ipso*. Vide ibi dicta.

Mare rubrum Hebræis fuit q. campus floridus.

Secundo, magis propriè & germanè Syrus, Arabicus, & alii censent, alveum maris rubri vento siccatum apparuisse herbosum & floridum, instar campi germinantis & vernantis, ut Hebræis transeuntibus illud in Paschate, quando ver est, quo omnia virent, florent & vernant, miram amœnitatem, odoris suavitatem & jucunditatem afferret. Nam in fundo maris, præsertim rubri germinat alga, herba, & flores, quin & lauri, arbores, ac sylvæ, uti docet Plinius lib. 13. cap. 25. *Nascuntur*, inquit, *& in mari frutices, arboresque minores in nostro. Rubrum enim, & totus Orientis Oceanus refertus est sylvis*. Et nonnullis interiectis: *Eodem tractu insularum sylvas operit æstus, quamquam altiores platanis populisq; altissimis. Folia iis lauri, flos violæ & odore & colore. Baccæ ut oleis, & ipsæ odoris jucundi autumno nascentes, foliis numquam deciduis. Harũ minores totas integit mare; maximarum cacumina extant, ad quæ naves religantur, & cùm recessit æstus, & radices. Alias quoq; arbores in alto ab eisdem accepimus eodem in mari visas, sēper folia retinentes, fructu earum lupino simili*. Accedunt recentiores & novi orbis repertores, qui narrant Parium mare herbis florentibus sic implicitum, quasi coronatum & concatenatum esse, ut navigari nequeat, iisq; adeo longis, ut à radice ad cacumen numerentur palmi sexaginta, ac quocumque vertuntur fluctus, eodẽ pariter converti herbas & flores, ut fluctus herbarum potiùs & florum, quàm aquarum & maris esse videantur. Ita Ovet. l. 2. cap. 5. & Simon Majol. colloqu. 10. & ex iis Pineda in Job c. 26. v. 5.

In maris fundo sūt sylvæ.

Porrò Deus Hebræos deduxit in mari rubro ex parte & loco, qua major erat planities, ac lætissima herbarum viriditas, florum amœnitas, atque minor copia arborum & sylvarum: hæ enim iter tantæ multitudinis, ac multò magis equitum & curruum Pharaonis insequentis impedivissent, & retardassent. Tacet hoc Moyses Exodi 14. sed multa hic supplet Sapiens, quæ ibi reticentur.

Denique, Sapiens hic, significat Deum in gratiam Hebræorum mira patrasse prodigia, omnesque creaturas transformasse, ut eis beneficæ forent ac voluptatem afferrent. Quare planè verisimile est eum effecisse, ut transitus eorum per alveum maris adeò lati, qui alias fuisset difficilis, utpote arenosus, lutulentus, & glaber, germinantibus herbis & floribus eis esset amœnus, hilaris, & jucundus, ne ut alias itineris tam longi & fastidiosi eos tæderet. Hæc est suavis, benigna & munifica Dei nostri erga suos providentia providaque cura. Ita nostri, à Castro, Lorinus, & Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis cap. 13. num. 6. Nec ad hoc opus erat miraculo. Sufficiebat enim alvei maris rubri natura & conditio, uti ex Plinio dixi.

PER QUEM OMNIS NATIO (gens Hebræorum) TRANSIVIT, QUÆ TEGEBATUR TUA MANU, VIDENTES (singuli è natione sive gente hac)

A VTUA MIRABILIA ET MONSTRA] Græcè: *Per quem tota gens transierunt, quæ tua manu protegebantur conspicientes miranda portenta*, scilicet maris rubri divisi dissectique, columnæ nubis præeuntis, iter angeli medium sese inter Hebræos & Ægyptios interponentis, ac in hos iaculantis fulmina, quibus currus, equos, & equites prostravit, & mersit in mari rubro. Exodi cap. 14.

TAMQUAM ENIM EQUI DEPAVERUNT ESCAM, ET TAMQUAM AGNI EXULTAVERUNT MAGNIFICANTES TE DOMINE, QUI LIBERASTI ILLOS] Græcè: *Tamquam enim equi hinnierunt, & quasi agni exultaverunt laudantes te Domine, qui liberasses ipsos*; Arabicus: *Quoniam depasti sunt velut equi, & exultaverunt tamquam tauri, glorificantes te ò Domine, qui liberasti eos*. Legit Noster cum Complut. Reg. & Vatican. ἐνεμήθησαν, id est, *pasti sunt*, pro quo alij legunt ἐχρεμέτισαν, id est, *hinnierunt*. Sensus, est, q. d. Hebræi transeuntes mare rubrum, herbis floribusque germinans & vernans, videntes Ægyptios in eo mersos, mirè gavisi sunt, & exultarunt instar Vers. 8

B agnorum salientium, & equorum hinnientium, præsertim cùm mox à transitu in deserto arido viderunt sibi assiduè paratam à Deo escam suavissimam, scilicet manna & coturnices, quàm avidissimè & iucundissimè depasti sunt: conglomerat enim hic Sapiens beneficia & miracula à Deo præstita Israeli, ideoque ab uno salit ad aliud, licet diverso loco & tempore aditum, nimirum à transitu maris rubri salit ad coturnices, unde eas mox nominat v. 11. & ad manna: hoc enim celebrat v. 20. Alludit ad equos depascentes gramina in campo, & agnos in eo exultim ludentes. Nam v. 7. herboso campo comparavit alueum maris rubri, q. d. Tam latè & festivè gaudentes & epulantes Hebræi transierunt alveum maris rubri, quam equi transeunt per campos & prata herbis florida, quæ ipsi auidè depascuntur, quamque agni in iisdem gaudent & exultant. Simili enim modo Hebræi in transitu maris rubri herbis, floribus, rebusque omnibus ad eorum voluptatem, gustumque comparatis, quasi escis pasti & recreati sunt. Forte enim piscibus, ostreis, pomis, & fructibus, &c.

C in mari rubro inventis, & à Deo præparatis propriè pasti sunt. Sicut enim Deus Hebræis paravit mensam in deserto, Psal. 77. 19. sic & parare potuit in mari rubro.

Denique per catachresin *pasti sunt*, id est, velut equi benè pasti & saginati exultarunt, &, ut nonnulli legunt, ἐχρεμέτισαν, id est, *hinnierunt*, id est, gaudentes & iubilantes hymnos Deo cecinerunt, ac præsertim Canticum Moysis, quod hac de re extat Exodi cap. 15. Maximè autem notat manna & coturnices, ut dixi. Sicut enim herba in campo ab equis & agnis, utpote mitibus & lanigeris animalibus, ideoque benigni dentis, carpta & depasta mox repullulat & renascitur; depasta vero à feris, utpote venenati dentis non regerminat, sed tabescit, & velut enecta à virulento dente in radice arescit: Sic pariter Israeli fideli & pio collectum, & quasi depastum in campo manna quotidie recrescebat & renascebatur, cùm impiis & virulentis Ægyptiis omnia tabescerent, exarescerent & perirent, iuxta illud Proverb. 21. 20. *Thesaurus desiderabilis & locum in habitaculo iusti: & imprudens* (impius) *homo dissipabit* (Hebr. *depascet*) *illud*. Sen-

D sus ergo est, q. d. Hebræi in vasta solitudine cibo cælesti, putà manna pasti & lautissimè enutriti, exultarunt instar equorum & agnorum, qui in pinguissimis & amœnissimis pratorum pascuis trifolia sibi sapidissima depascuntur.

Porrò insulsum est, quod ait Holcot: *depaverunt, id est, audacter & sine pavore se habuerunt*. Minus rectè quoque Lyran. & Dionys. *depaverunt*, inquiunt, id est, diripuerunt arma & spolia Ægyptiorum mersorum in mari rubro, arma enim non erant esca.

Denique portentum hoc divisi maris rubri, & transitum Israelis celebrans Psaltes psal. 113. sic canit: *Montes exultaverunt sicut arietes, & colles sicut agni ovium*, quod S. Basil. sic exponit: Per hyperbolen montes tripudiantes & lætantes inducit, ut magnitudinem gaudij Hebræorum significet. Sic & Euthymius multique alij Rabbini, tamen ad litteram, ut iacet accipiunt. Tradunt enim Montem Sion terræmotu concussum se vertisse, & curvasse super Hebræos instar Tinæ, eisque applausisse, inquit R. Isaac apud Genebrardum in psalm. 113. &

Genebrardus: ob maris, inquit, & Jordanis exficcationem tam ftupendam vicini montes quafi tripudiarunt, partim admirantes prodigium, partim gratulantes populo. Quin & Theodor. Montes, inquit, id eft, Mons Sina cùm fuis collibus & jugis partim præ gaudio divinæ præfentiæ *geftiit*, ut legit S. Auguft. & Roman. partim præ metu & reverentia contremuit & fubfiliit, cùm Deus in eo Ifraeli paulò poft tranfitum maris rubri daret legem, ut patet Exodi 19. 18. *Erat*, inquit, *omnis mons terribilis*. Chald. *contremuit totus mons*. Pagnin. *Et commotus eft mons valde*. Vatabl. *Et totus mons vehementer contremuit*. Sic & Hebræi. Unde & fequitur in pfal. 113. *Terra mota eft*. Aquila *parturiit*. S. Hieron. *contremifcit*, fcilicet ut parturiens. Hebr. enim eft, חולי *chuli*, id eft, *inftar parturientis contremuit*. Tropol. S. Auguft. S. Hieron. & Caffiodorus in pfal. 113. Cùm, inquit, converfi fumus à vanitate ad veritatem, à creaturis ad creatorem: mare fugit, id eft omnia fæculi impedimenta cefferunt: terra, id eft, terrenum hominis cor pœnitentia compunctum & commotum eft: montes & colles geftierunt, id eft, Apoftoli & prædicatores exultarunt converfione gentium, fpe celeftis gloriæ, & reverentia Dei.

VERS. 10. MEMORES ENIM ERANT ADHUC EORUM, QUÆ IN INCOLATUM ILLORUM FACTA FUERANT, QUEMADMODUM PRO NATIONE ANIMALIUM EDUXIT TERRA MUSCAS, ET PRO PISCIBUS ERUCTAVIT FLUVIUS MULTITUDINEM RANARUM] q. d. Hebræi exultaverunt, tùm quia magnificè à Deo habiti & pafti, tùm quia memores erant, quanta paulò antè pro eis contra Ægyptios Deus portenta patraffet, *in incolatu*, cùm fcilicet adhuc incolerent Ægyptum, dum pro *natione animalium*, Græcè *γενέσεως*, id eft, fœtu, fobole vel generatione pecorum, terra produxit mufcas, ac Nilus fluvius *pro pifcibus*, Græcè, *pro aquatilibus*, dedit copiam ranarum, quæ omnes Ægyptiorum domos, menfas & lectos oppleverunt & confpurcarunt. Vide dicta Exodi 8. cap. 1. & feq. Pro *incolatu*, græcè eft, *ἐν παροικίᾳ*, id eft, *in peregrinatione vel peregrinitate* fua, putà in Ægypto, in qua peregrini erant & peregrinabantur Hebræi, juxta oraculum à Deo Abrahæ datum. Genef. 16. 13.

VERS. 11. NOVISSIME AUTEM VIDERUNT NOVAM CREATURAM AVIUM, CUM ADDUCTI CONCUPISCENTIA POSTULAVERUNT ESCAS EPULATIONIS.

VERS. 12. IN ALLOCUTIONE ENIM DESIDERII, ASCENDIT ILLIS DE MARI ORTYGOMETRA; ET VEXATIONES PECCATORIBUS SUPERVENERUNT, NON SINE ILLIS, QUÆ ANTE FACTA ERANT ARGUMENTIS PER VIM FULMINUM; IUSTE ENIM PATIEBANTUR SECUNDUM SUAS NEQUITIAS] Græcè: *In noviffimo autem viderunt & novam generationem avium, cùm concupifcentia adducti poftulaffent cibos deliciarum. Nam ad confolationem eorum afcendit de mari ortygometra; ac fupplicia peccatoribus fupervenerunt, non fine factis fignis vi fulminum; jufte enim patiebantur fuis nequitiis.*

NOVISSIME, Græcè *ἐφ᾽ ὑστέρῳ*, id eft, deinde, poftea. Hebr. enim אחר *acchar*, fignificat fequens, pofterius, quod nofter vertere folet *noviffimum*. Explicat efcam, quam depaverunt Hebræi, fcilicet eam fuiffe coturnices fapidas & delicatas.

NOVAM CREATURAM] Ita vocat coturnices novè à Deo productas, & in defertum adductas, quæ novi & exquifiti erant faporis, æquè ac magnitudinis & pinguedinis. ita S. Bonau. Unde eas vocat *efcas epulationis*, Græcè *efcas deliciarum*, id eft, delicatas, quæ in epulis lautioribus folent apponi ad epulandum delicatè & voluptuosè.

IN ALLOCUTIONE] Græcè *εἰς παραμυθίαν*, id eft, *in confolatione*. Allocutio enim itinerantis & laborantis, eft folatium itineris & laboris.

ORTYGOMETRA] Ita vocatur coturnicum dux, indeque agmen, uti dixi cap. 16. a.

VEXATIONES] *τιμωρίαι*, id eft, fupplicia, quæ irrogantur ad vindicandum *τιμὴν*, id eft, honorem ait Gellius libr. 9. 14. putà Dei hoc loco, quem læferant Ægyptii, Deo & Moyfi rebellantes.

NON SINE ILLIS, QUÆ ANTE FACTA ERANT, ARGUMENTIS PER VIM FULMINUM] Ita Roman. & Græca; malè ergo nonnulli legunt, *fluminum*. Tranfit, vel potiùs redit ad ultimam plagam Ægyptiorum, qua cum Pharaone merfi funt in mari rubro q. d. Ultima hæc plaga eis conflicta fuit poft præcedentia argumenta iræ Dei, quia fcilicet antequam Deus eos mergeret, jaculatus eft in eos tonitrua & fulmina, quibus currus eorum, equos & equites fubvertit, uti dixi Exodi 14. 25.

Audi Jofephum lib. 2. Antiq. cap. 7. *Ergo cùm iam univerfus exercitus introgreffus effet, refunditur iterum mare, & Ægyptios fluctibus involuit, ventis etiam eodem impellentibus: accefferunt & imbres de cælo, & afpera tonitrua fulguribus fimul intermicantibus, fulmina quoque deferebantur, & nihil omnino deerat eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti folent.*

Aliqui cenfent hæc dici de Sodomitis: in hos enim Deus è cælo jaculatus fulmina, eos igne cælefti fideravit. Verùm durior eft tantus tamque fubitus ifte faltus, ut fubitò ab Ægyptiis tranfiliat ad Sodomitas: ad eos tamen alludit. Tacitè ergo confert Ægyptios cum Sodomitis, q. d. Sicut olim Dominus *pluit fuper Sodomam & Gomorram fulphur, & ignem à Domino de cælo, & fubvertit civitates has, & omnem circa regionem*. Genef. 19. 24. Sic pariter in Ægyptios jaculatus eft fulmina & ignes cæleftes, quibus caftra eorum fubuertit in mari rubro, idque ob fimiles eorum nequitias, præfertim inhofpitalitatis, qua in fuos hofpites barbari erant & truculenti, uti fequitur.

VERS. 13. ETENIM DETESTABILIOREM INHOSPITALITATEM INSTITUERUNT: ALII QUIDEM IGNOTOS NON RECIPIEBANT ADVENAS: ALII AUTEM BONOS HOSPITES IN SERVITUTEM REDIGEBANT] *Inhofpitalitatem* accipe non negativam, fed pofitivam: græcè enim eft, *μισοξενίαν*, id eft, odium *hofpitalitatis & hofpitum*. Pro *inftituerunt*, græcè eft, *ἐπετήδευσαν*, id eft, *exercuerunt*. Pro *ignotos*, græcè eft, *ἀγνοοῦντας*, id eft, *ignorantes*, qui fcilicet non norant ipfos, nec ab ipfis erant cogniti, q. d. qui nullum cum eis commercium habebant, unde nec in eos benefici extiterant. Unde Nofter aptè vertit *ignotos*. Vatabl. vertit: *Nam alii eos, qui errabant apud fe, vel ignotos non recipiebant*; Oforius: *Nam vel homines tantæ immanitatis ignaros recipiebant*: Pro *advenas* Nofter legit, *παροίκους*, jam legunt *παρόντας*, id eft, *præfentes*. Pro *bonos*, græcè eft, *εὐεργέτας*, id eft, *benefactores*.

Comparativus *deteftabiliorem* fignificat hic comparationem inftitui inter inhofpitalitatem Ægyptiorum & Sodomitarum, ad quos v. præcedenti allufit, ut dixi. Senfus ergo eft, q. d. Sodomitæ fibi lauti, aliis fuere crudeles, ac præfertim in hofpites duri & fævi. Unde Ezechiel cap. 16. 49. *Ecce*, inquit, *hæc fuit iniquitas Sodoma fororis tuæ, fuperbia, faturitas panis, & abundantia, & otium ipfius & filiarum ejus, & manum egeno & pauperi non porrigebant*. Sed tamen magis inhofpitales fuere Ægyptii: Nam Sodomitæ angelos hofpites miffos ad Lot Genef. 19. non receperunt hofpitio, utpote ignotos, quia ignorabant eos effe angelos, ac nullum cum eis commercium habuerant, nec ullum fciebant ab eis fe recepiffe beneficium. At verò Aegyptii *bonos*, Græcè *benefactores* hofpites, putà Hebræos, à quibus multa receperant beneficia, ac imprimis à Jofeph, qui totam Aegyptum in fame aluit & ditavit Genef. 41. 47. & fequent, *in fervitutem redigebant*, iifque quafi mancipiis ad agros colendos, ad Nili alveos & foffas repurgandas, ad pyramides extruendas, &c. tyrannicè abutebantur. Quocirca magis puniti fuere à Deo inhofpitales Aegyptii, quàm Sodomitæ: hi enim folo igne, illi verò igne & aqua fiderati funt, cùm fulminibus icti, merfi funt in mari rubro. Hanc comparationem planè fignificant Græca, quæ fic habent: *Nam & graviorem inhofpitalitatem exercuerunt: illi enim ignotos non recipiebant præfentes: hi autem bene meritos hofpites in fervitutem redegerunt*: ubi τὸ *illi* opponitur τὸ *hi*: *illi*, fcilicet Sodomitæ; *hi*, fcilicet Aegyptii. Porrò quàm Aegyptii fuerint in hofpites fævi, liquet ex Bufiride Pharaone,

Busiris hospites immolabat.

raone, qui Thasiom immolavit ad arcendam Ægypti A sterilitatem. Idem faciebat ceteris hospitibus, teste Eusebio in Chron. & S. August. libr. 18. de Civit. cap. 12. *Illo*, ait, *tempore* (quo Danaus imperabat Argivis, Athenis Minos, Atticæ Erichtonius, Græciæ Dionysius sive Liber Pater, Hebræis Moyses & Josue) *vel rex, vel potius tyrannus Busiris, suis Diis suos hospites immolabat, quem filium Neptuni perhibent*; qua de causa ab Hercule occisus est. Unde & Virgil. Georg. 3.

—— *Quis*, ait, *aut Euristhea durum,*
Aut illaudatis (id est infamis) *nescit Busiridis aras?*

Idem patet ex crudelitate, quam Ægyptii exercuerunt in Moysem & Hebræos hospites, Exodi 1. & sequent, atque ex jis, quæ de Ægyptiis narrant Arnobius libr. 8. contra Gentes, Minutius in Octavo, Diodorus Sicul. lib. 2. cap. 4. & alii.

VERS. 14. ET NON SOLUM HÆC, SED ET ALIUS QUIDAM RESPECTUS ILLORUM ERAT, QUONIAM INVITI RECIPIEBANT EXTRANEOS.

VERS. 15. QUI AUTEM CUM LÆTITIA RECEPERUNT HOS, QUI EISDEM USI ERANT JUSTITIIS, B SÆVISSIMIS AFFLIXERUNT DOLORIBUS] Græcè: *Et non solum, sed quadam visitatio erit illorum, quoniam odiose recipiebant extraneos; Alii verò, quos cum festivitatibus acceperant, eos jam ejusdem juris participes factos, gravibus afflixerunt laboribus.*

Pro *respectus*, græcè est, ἐπισκοπή, id est, visitatio, inspectio, consideratio, respectus, q. d. Ægyptii non solùm hospites in servitutem redigebant, sed & in eis alia culpa, & inhospitalitas consideranda & respicienda occurrit, quòd scilicet *inviti*, Græcè ἀπεχθῶς, id est, odiosè, inimicè, invitè, tetricè *recipiebant extraneos*, cùm hospites hilari ore & vultu sint recipiendi. Potest quoque *visitatio* accipi pro ratione agendi, more, consuetudine vivendi.

Aliqui hæc accipiunt de Sodomitis, ut sit secunda antithesis, quòd Sodomitæ invitè receperint hospitè, Ægyptii verò festivè receptos sævè afflixerint, ut sequitur. Verùm nec in Græco, nec in Latino ulla hic insinuatur antithesis. Ergo de Ægyptiis loqui pergit.

QUI AUTEM CUM LÆTITIA] Græcè μετὰ ἑορτασμάτων, id est, *cum festivitatibus*; Jansen. *Festivis & solemnibus gaudiis*; Vatabl. *Gaudiorum celebritate*; Osorius: *Hilari fronte inter solemnia sacra diebus festis*.

QUI EJUSDEM USI ERANT JUSTITIIS] Ita legendum non *institutis*, etsi eodem redeat sensus. Græcè enim est, δικαίων, id est, *justis* neutrè, hoc est, juribus, q. d. Ægyptii Hebræos, quos primitùs in gratiam Joseph festivis gaudiis, ludis, & festis exceperant, quosque in suam Rempublicam receptos sui juris fecerant participes, ac quasi cives civitate donarant, hos mortuo Joseph contra omne jus & fas *sævissimis afflixerunt doloribus* & laboribus, qui recensentur initio Exodi. An non hæc summa erat inhospitalitas, summaque barbaries fulminibus ferienda, & aquis maris rubri suffocanda?

Moral. disce hic, quàm immisericordia, & inhospitalitas Deo displiceat, utpote propter quam inter alia scelera Sodomam, totamque Pentapolin igne cælesti combussit, Ezech. 16. 49. ac Pharaonem cum totis castris fulminavit, mersitque in mari rubro. Ex adverso misericordia & hospitalitas Abrahæ ita placuit Deo, ut meruerit angelos hospitio recipere, qui ei & Saræ sterili filium Isaac promiserunt, Genes. 18. Sic & sanctus Gregorius ob eleemosynas & hospitalitatem angelum hospitio excepit, qui ei edixit Deum propter eam elegisse ipsum in Pontificem, uti habet ejus vita. Idem sanctus Gregorius 3. Dialog. cap. 11. narrat Carbonium Populonii Episcopum, eò quod milites hospitio excepisset & abscondisset, à Totila Gothorum rege ursis objectum, sed ursos deflexa cervice, submissoque humiliter capite ejus pedes lambere cœpisse. Quo portento permotum Totilam & Gothos, odium in amorem, & contemptum in honorem vertisse, ipsumque ut Sanctum magna in veneratione habuisse. Quocirca sanctus Paulus Hebræos cap. 13. 2. exhortatur dicens: *Hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim latuerunt* (alii legunt *placuerunt*) *quidam angelis hospitio receptis*, obi plura hac de re annotavi. Ad eamdem omnes urget sanctus Basilius homil. 8. Hexam. exemplo cornicum,

S. Greg. factus Pontifex ob eleemosynas. Carbonii hospitalitas remunerata:

quæ ciconias aliò avolantes sub hyemem comitantur, & securè ad hospitium deducunt: *Cornices*, inquit, *nostrates veluti lictores, satellitesque ipsas comitantur atque deducunt. Quinimo ut mihi videtur, & socias se offerunt, auxiliatricesque adversus aves ipsis adversarias atque hostes. Cujus rei argumento sunt illa: Primum, quod nostris in provinciis illo tempore nulla prorsus cornix conspicitur, deinde cum vulneribus redeuntes, aperta præstitæ tutelæ judicia nobis afferunt. Quis apud ipsas hospitalitatis jura præscripsit? Audiant hæc homines hi, qui nullo hospitio homines excipiant, januasque suas occludunt, & neque hyeme, neque noctu solo tegimine peregrinos, advenasque suscipiunt.*

Corniciū hospitalitas.

Magnus ille S. Pachomius, cùm adhuc gentilis esset & miles, visa Christianorum in milites transeuntes tam profusa hospitalitate, ad Christi fidem conversus tantus evasit, ut religionis fundator Regulam ab angelo accipere meruerit. Ita habet ejus vita. Ingens fuit primorum Christianorum hospitalitas, præsertim Pontificum & civium Romanorum, ut liquet ex Annalibus Baronii, quin & etiamnum Romæ eadem viget, uti videre est in tot tamque copiosis hospitalibus, ac Episcoporum, sacerdotum, religiosorum ceterorumque peregrinorum hospitiis, quibus præter alia plurima, similis generis tota urbs referta est.

PERCUSSI SUNT AUTEM CÆCITATE: SICUT ILLI (Sodomitæ) IN FORIBUS JUSTI (Lot) CUM SUBITANEIS OPERTI ESSENT TENEBRIS (Græcè, ἀχανεῖ περιβληθέντες σκότει, id est, vastis, vel immensis, vel stupore plenis, quæ Ægyptios reddebant perculsos & stupidos, vallati, vel circumdati & circumfusi tenebris) UNUSQUISQUE TRANSITUM OSTII SUI (Græcè τῶν θυρῶν, id est, *ostiorum suorum*) QUÆREBAT) Aliqui ut S. Bonavent. Lyran. Hugo & Ribera in Sophon. 1. numer. 81. hæc omnia accipiunt de Sodomitis, qui cùm invaderent ostium Lot, ut hospites, putà angelos raperent ad suam libidinem, ab angelis percussi sunt cæcitate, ut ostium Lot invenire nequirent; Addit Ribera ex hoc Sapientis loco liquere Sodomitas, etiam ostia propriarum ædium C reperire non potuisse. VERS. 16.

Verùm melius alii passim hæc accipiunt de Ægyptiis, de quibus sermo præcessit: hos enim comparat Sodomitis, quòd sicut hi cæcitate percussi ostium Lot invenire non poterant Genes. 19. 10. sic & Ægyptii triduanis tenebris (de quibus egit cap. 17. 2. & seq.) involuti, ostia suarum domorum, per quæ transire solebant, videre nequirent. Hoc enim planè verba significant, præsertim τὸ *sicut illi*. Pro *cæcitate*, græcè est, ἀορασία, id est, avidentia, cæcitas: fuit hæc dispar in Sodomitis & Ægyptiis. In Sodomitis enim fuit interna, qua scilicet eorum oculi tenebantur & obscurabantur, ut videntes ostium Lot non viderent, id est, non agnoscerent illud esse ostium Lot, sed putarent esse communem parietem, vel quid aliud. In Ægyptiis verò fuit caligo & tenebræ externæ, quæ visum communem impediebant.

Justà & congruè inhospitales, qui hospites videre non poterant, privantur oculorum (quibus abutebantur) usu & visu.

IN SE ENIM ELEMENTA DUM CONVERTUNTUR, D q. d. dum elementa inter se commutantur, non natura & substantia, sed conditione & qualitate (subaudi *sic se habent*) SICUT IN ORGANO QUALITATIS SONUS INMUTATUR, ET OMNIA SUUM SONUM CUSTODIUNT, q. d. Sicut in Psalterio, cithara, aliove musico instromento sonus unius chordæ, & variatione modulationis & soni aliarum chordarum, aliam & aliam harmoniam, æquè ac nomen sortitur, licet eædem sint chordæ, idemque in se maneat singularum sonus: ita Deo quasi ludente, psallente, & citharizante in elementis Ægypti, idem elementum suam naturam, proprietatem & ordinem retinens, junctum alteri elemento, in ejus naturam & usum transire visum est. *Agrestia enim in aquatica convertebantur*, uti explicans subdit. Quod dixit, vers. 6. Deum in gratiam Hebræorum vim & conditionem naturalem elementorum immutasse, idipsum hic apta similitudine instrumenti musici declarat. Sicut enim in eo dum pulsatur, manente eodem sono cujusque chordæ & vocis, ex concursu soni & vocis aliarum chor-

Manna erat Ambrosia. BONAM ESCAM] Græcè γένος ἀμβροσίας τροφῆς, id A est, *genus Ambrosii cibi*, vel *Ambrosianæ escæ* id est, escæ delicatissimæ, cælestis, & divinæ. Ambrosia enim à Poetis dicitur esse esca delicatissima, ac deliciæ Jovis & Deorum, sicut nectar esse eorumdem potus. Unde Martialis.

Ambrosia Deorum esca.

Juppiter ambrosia satur est, & nectare vivit.

Idem libr. 8. Epigr. 50. Domitiano Imper. qui Deus haberi volebat, pro epulis dat ambrosiam.

Vescitur, inquit, *omnis eques tecum, populusque patresque,*
Et capit Ambrosias cum Duce Roma dapes.

Et Ovidius lib. 1. de ponto Eleg. 11.

Nectar & Ambrosiam, latices epulasque Deorum.

Et Catullus Epigr. 94. ait,

Ambrosia dulci dulcius.

Nam Ibicus apud Adagiographum ad illud, *Nectar spirat*, ait, ambrosiam dulcedine mel nomes superare.

Ejus Etymon. Hinc dicitur *Ambrosia* ab α privativo & βροτὸς, id est, *mortalis*, interpositio μ vocalitatis gratia, eò quod mor- B tales eam non edant, vel quòd qui eam ederint immortales evadant. Quocirca *Ambrosia alendus* dicitur is, qui cæteris eminet quasi Diis æquandus, apud Ciceronem lib. 2. de Oratore, & Ambrosius Græcè idem est, quod immortalis, divinus, suavissimus, & dulcissimus: Sic ne-

Nectaris etymon. ctar dicitur à νὴ & κτείνω, quòd non eorum qui moriuntur, sed immortalium Deorum sit potus, aut quod νέους, id est juvenes, vegetos & florentes efficiat, ut ex Plinio & Dioscoride ait Matthiolus libr. 3. c. 112.

Manna ergo vocatur Ambrosia; Primò, quia erat delicatissimi saporis; Secundò, quia erat cibus cælestis & divinus ab angelis confectus, iuxta illud cap. 16. 20. *Angelorum esca nutrivisti populum tuum* Et psal. 77. 25. *Panem Angelorum manducavit homo*; Tertiò, quia Hebræos omnes in deserto aluit per 40. annos, eosque fecit vegetos, fortes, & quasi immortales per totum tempus peregrinationis suæ. Quocirca videntur Gentiles ab He- C bræorum ligno vitæ, vel manna mutuati suam Ambrosiam æquè ac *nepenthes*, ita dictum, quod quasi νηπενθὴς, omnem luctum adimat, ac *Moly*, quod Senes iuventuti restituire perhibebant. Vide Plinium lib. 25. c. 4.

Ambrosia est Eucharistia. Primò. Secundò. Allegoricè, longè verius Ambrosia est Eucharistia, quia Primò, piis præbet omnem virtutem gratiarum & consolationem, divinarum suavitatum; Secundò, est Angelorum hominumque beatorum (qui quà homines in cælo humanitate Christi pascuntur & beantur) imò Dei ipsius cibus. Quo enim pascitur & delectatur Pater æternus, æquè ac Spiritus sanctus, nisi contemplatione Verbi sive Filii, in quo sunt omnes rerum ideæ, species & delicia? Tertiò, quia Eucharistia cibus est cælestis à Christo confectus, ac fideles facit immortales cælestes & divinos, imò quasi Deos quosdam terrestres, quia nos transformat in Christum, juxta illud: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Et: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Joan. 6. v. 57. & 59. Quare in his verum est illud Hesiodi & Arist. libr. 3. Metaph. textu 15. cæterorumque Priscorum Philosophorum & Poetarum: *Mortales esse, qui non vescuntur nectare & ambrosia, qui verò iis vescuntur esse immortales.* Hoc enim disertè de Eucharistia asserit Christus loco iam citato. Quare Eucharistia est Sacramentum Sacramentorum, sacrificium sacrificiorum, deliciæ deliciarum, miraculum miraculorum, quod quotidie patrat sacerdos in Missa consecrans, & non advertit.

IN OMNIBUS ENIM MAGNIFICASTI POPULUM TUUM DOMINE, ET HONORASTI, ET NON DESPEXISTI, IN OMNI TEMPORE, ET IN OMNI LOCO ASSISTENS EI]. Est conclusio, qua confitetur Sapiens paternam Dei in Israelem providentiam, curam, patrocinium, exaltationem, cibationem per manna cæteraque beneficia, quæ celebrat, prolisque Deo gratias agit. Idem facit Moyses. Deuter. 4. 7. Multò maiora beneficia, miracula, sacramenta sunt, quæ Deus præstat Christianis in Ecclesia militante, ac maxima erunt, quæ præstabit in triumphante. Ipsi sit honor, decus, & gloria in omnes æternitates. Amen.

Hinc patet sapientiam, de qua toto hoc libro egit, tum regum & magistratuum, tum regnorum & rerumpublicarum, tum fidelis cujusque sitam esse in Dei cultu, virtute & pietate; eamque adducere Dei favorem, beneficentiam, fælicitatem omneque bonum. Unde Moyses Moriturus Israelitis id inculcans. Deut. 4. 6. *Hæc*, inquit, *est vestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias justaque judicia, & universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros. Custodi igitur temetipsum, & animam tuam solicitè. Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.*

INDEX SACRÆ SCRIPTURÆ.

EX PROVERBIIS.

EX ECCLESIASTE.

EX CANTICO CANTICORUM.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

EX ECCLESIATICO.

EX ISAJA.

EX IEREMIA.

EX BARUCH.

EX EXECHIELE.

EX DANIELE:

2. 7. Re-

EX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM.
Quæ in hoc in Sapientiam commentario continentur.

Cain

Filii

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Patien-

INDEX RERVM ET VERBORVM.

INDEX

MATERIARVM MORALIVM

Quæ his in sapientiam commentariis continentur.

Verbis Evangelii, per Dominicas, Festos dies, & Ferias nonnullas occurrentis, adaptarum, in usum & gratiam concionantium.

DOMINICA I. ADVENTUS.

DOMINICA II. ADVENTUS.

DOMINICA III. ADVENTUS.

FERIA III. QUAT. TEMPOR. ADVENT.

per

PRO CONCIONIBUS.

DOMINICA IN SEGAGESIMA.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

FERIA IV. CINERUM.

FERIA VI. POST CINERES.

SABBATHO POST CINERES.

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA.

FERIA II.

FERIA IV.

SABBATHO.

DOMINICA II. IN QUADRAGESIMA.

FERIA IV.

FERIA V.

SAB.

PRO CONCIONIBVS.

DO.

INDEX MATERIARVM MORALIUM.

DO-

INDEX MATERIARVM MORALIUM.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRG.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

IN COMMEMOR: FIDEL. ANIMARUM.

IN FESTO DEDICAT. ECCLES.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

IN COMMUNI MARTYRUM.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

IN COMMUNI DOCTORUM.

IN COMMUNI VIRGINUM.

F I N I S.